Jc.17.Pt.7

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EROKENSE
37
26 A
5

MAG 3202

R.P. AUGUSTINI
MATTHÆUCCI
OPUS
DOGMATICUM.

OPUS DOGMATICUM

ADVERSUS

HETHERODOXOS

Tum antiquos, tum recentes,

COMPLECTENS

CONTROVERSIAS FIDEI.

I. *De Eccleſia.*
II. *De membris Eccleſiæ.*
III. *De Judice Controverſiarum.*
IV. *De Regimine Eccleſiæ.*
V. *De Primatu Petri.*
VI. *De Romano Pontifice.*
VII. *De Infallibilit. Rom. Pontif.*
VIII. *De Conciliis.*

CURA, ET LABORE

R.P.F. AUGUSTINI MATTHÆUCCI
Lucenſis Ord. Min. de Obſerv. Lectoris Jubilati, ac Sacræ Rituum Congregationis Conſultoris.

SCHOLASTICIS, ET POLEMICIS NECESSARIUM, ac ad eruditionem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſatis utile.

VENETIIS, MDCCXV.
Apud Nicolaum Pezzana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Deo Optimo Maximo

In Eſſentia Uni, in Perſonis Trino.
Primo Principio, ultimo Fini:
Incomprehenſibili, Ineffabili, Immutabili.
A ſe exiſtenti,
In duratione æterno, in præſentia Immenſo, in cognitione
Omniſcio, in operatione Omnipotenti, in perfectione Infinito.
Et
Domino Noſtro Jeſu Chriſto:
Vero Deo, vero homini.
Verbo increato, & incarnato.
Hominum Mediatori, Redemptori, & Juſtificatori.
Catholicæ Eccleſiæ
Capiti, & Sponſo.
Paſtorum Paſtori
Sanctorum Sancto.
Legis Gratiæ, & Sacramentorum Auctori.
Regi Regum, & Domino Dominantium.
Qui eſt Via, Veritas, & Vita.
Salus, merces, & noſtra Beatitudo.
Cujus miſerationis non eſt numerus.
Cui ſervire, regnare eſt.
In quem deſiderant Angeli proſpicere.
A quo bona cuncta procedunt;
Eſſe, Gratia, & Gloria.
Demiſſiſſimo cultu, humillimo obſequio
Tenuem hanc Opellam ejus ope digeſtam
Seque totum, ſuaque bona opera
Sincero cordis affectu
provolutus, cernuus, ſupplex
Præſentat, Offert, Reddit

Indigus, & indignus ſamulus, & inutilis Creatura
Fr. Auguſtinus Matthaucci.

CATHOLICO LECTORI
AUCTOR.

QUanto in pretio ſit habenda ſolicita Controverſiarum tractatio, nullus planè non judicat. Quem enim poteſt tantæ rei utilitas latere, commodumque refugere? Neminem profectò. Nam praxis eam ab initio naſcentis Eccleſiæ ad hæc uſque tempora prodit, præmonſtrat eventus. Ubi enim frequentes extitere Sectarii, qui fidei Catholicæ inſultaverint, & in obſtinationis præſidium, vel Sacros Codices mutilatos dederint, aut legitimos Canones abraſerint, ipſaque Concilia falſaverint, ſemper in gremio Eccleſiæ fuerunt viri zelo veritatis accenſi, celebreſque doctrinis, qui in venditantes imperitis mendacia, æquo calamo patrocinium aſſumpſerunt catholicæ cauſæ. Siquidem, novis erumpentibus hoſtibus, nova ſemper paratur occaſio tutelæ, juxta illud Auguſtini 16. *de Civit. cap. 2. ab adverſario* (hæretico) *mota quæſtio dicendi exiſtit occaſio*.

Quoniam *divina providentia*, ipſo teſte, *lib. 1. de geneſ. contr. Manichæos* cap. 1. *Multos diverſi erroris hæreticos eſſe permittit, ut, cùm inſultant nobis, excutiamus pigritiam*. Quippe, ut repetit epiſt. *194. ad Sixtum ad fin. hæreticorum inquietudine, tanquàm de ſomni Ignavia, noſtra excitatur induſtria*.

Nefas propterea eſt ſilentio ſe continere, quoties inſolens Novatorum factio, impio fœdere colligata, jura Romanæ Cathedræ invadere nititur; nec calumniis parcit, ut eam pungat, mordeat, dilaceret. Tunc quidem Catholicis incumbit, aggreſſores arcere; ipſaque diſſolvere animoſitatis machinamenta, cùm ipſa Implanatorum temeritas arma in arcem movet. Partes ſunt filii ſuppetiis preſtò eſſe matri: injurias Patri illatas vindicare. Quid namque fortiùs natura noſtræ indidit menti? Quid expreſſiùs potuit nobis dictamine veritatis commemorari?

Neque hoc erit rem actam agere; vel ab aliis jam emenſam Provinciam repaſtinare. Nam, quantæque ſint Auctorum, qui de Controverſiis Fidei ſcripto maxima conſignarunt, & copia, & eruditio, nihilominus confido non parum commodi allaturum hunc, quem humilem exhibeo laborem; prout nullatenùs dubitari permittit Auguſtinus, ſcribens *lib. 1. de Trinit. cap. 3. Neque enim*, ait, *omnia, quæ ab omnibus conſcribuntur, in omnium manus veniunt; & fieri poteſt, ut nonnulli, qui hæc no-*

ſtra

ſtra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, in iſtos ſaltem incidant. Ideòque utile eſt, plures à pluribus fieri diverſo ſtylo, non diverſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic.

Ingenuè tibi loquor. Alii ſanè viri, nunquàm ſatis laudandi, è feraciſſimo Eccleſiæ agro abundantiam frugum collegerunt: ſed quid impedit, quin & ego cum paupere Ruth (*Ruth 2.*) delegerim ſpicas, quę, vel fugerint manus metentium, vel è plenis ipſorum manipulis ſuperfuerint? Collegerunt alii olivarum copiam (*Deuter.24.*) Quidni ego in ſcribendi genere egenus, in unum reliquias potuerim reducere? Abundant cęteri fidei Defenſores poſt uberem ſuarum elucubrationum vindemiam, vino maximè generoſo, ad vires Fidelibus confortandas, augendaſque aptiſſimo; mihi fas fuit nonnullos colligere racemos in Tyronum ſolatium; quos in tui gratiam, & commodum hìc non acervatim, ſed apta diſpoſitione paravi.

Eos tu conſueta animi comitate ſuſcipias. Atque ex illis, inſtar Apum ex floribus, quæ ſunt libanda, deguſta: quæ reſpuenda, relinque. Cùm verò quidquam boni repereris; noveris omne bonum deſurſum eſſe, deſcendens à Patre luminum; quem proinde laudare non ceſſaveris. Ubi autem aliquid tibi occurrerit à vero alienum (quod abſit) meæ tribuas infirmitati: qui Catholicè cum Apoſtolica Sede in omnibus ſentio. Vale in Chriſto Jeſu, quem pro me exorare non dedignaberis.

Teque tandem monitum reddo, auctoritates Auguſtini frequenter in opere laudati, excerptas eſſe ex operibus ejuſdem, per Patres Benedictinos Congregationis S.Mauri ab erroribus caſtigatis; Quæ hìc Romæ etiam proſtant.

PRæcipiente Reverendiſſimo Patre Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro Fr:Gregorio Sellari, Opus Dogmaticum complectens Controverſias Fidei per Admodum Rev. P. Fr. Auguſtinum Matthæucci Lucenſem, Sacræ Theologiæ Lectorem Jubilatum Ordinis Minorum de Obſervantia S.Franciſci, piè, & eruditè lucubratum, ea, qua par eſt mentis attentione, & ſumma animi oblectatione percurri; & verè Auctorem deprehendi tanquàm unum ex Sapientibus Architectis Domus Dei, quæ, ut ait D.Auguſtinus Serm.21. de verb.Apoſt.credendo fundatur, ſperando erigitur, & diligendo perficitur: Quamobrem in hoc etiam Dogmatico Opere incomparabiliter; ut cum eodem Auguſtino epiſt.9.c.4. loquar; pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quàm Helena Græcorum. Legat, & videat hæreticus; videat, & revolvat Schiſmaticus; revolvat, & perpendat dubius Fidelis; & quidem clariſſimè perſpiciet, & percipiet, quòd Deus in ſole poſuit tabernaculum ſuum; ideſt, teſte ipſo Sancto Doctore in pſal.101. in manifeſtatione Eccleſiam ſuam, non in occulto, non quæ lateat, non velut operta: ne fortè fiat ſicut operta ſuper greges hæreticorum. Quid tu hæretice fugis in tenebras? quid ergo erras frater? Quid per angulos fugis? quid latitare conaris? In ſole poſuit tabernaculum ſuum: Ideòque hujuſmodi Volumen crebrò verſandum; & ut præ manibus ad intellectum illuſtrandum faciliùs verſetur, ſolis luce perfruatur, quàmprimùm prælo efferatur, cùm nihil niſi lucidum, atque præclarum contineat, exhibeat, ac edoceat.

Datum Romæ ex Domo noſtra Profeſſa Scholarum Piarum S.Pantaleonis die 10. Februarii anno Salutis 1713.

Rodulphus à S.Hieronymo Ferrarienſis Cler.Reg.Schol.Piar. Eminentiſſ. S.R.E.Cardinalium Aſtalii, Ottboboni, & Gualterii, ac Sereniſſ. Ducis Parmæ Theologus.

APPRO-

APPROBATIONES ORDINIS.

MAndato Reverendiſſimi Patris Cæleſtini à Mediolano, noſtri V. Commiſſarii Generalis, expendi A. R. P. Auguſtini Matthæucci Lucenſis, Sacræ Theologiæ Lectoris Jubilati Lucubrationes, quas inſcripſit: *Opus Dogmaticum complectens Controverſias Fidei, &c.* quaſve titulo æquiori, ſelectum Breviarium Eccleſiaſticæ eruditionis, omnigenæ Doctrinæ largam Penum, & Apoſtolicæ Sedis ſolidum Armamentarium dicere oportuiſſet. Non modò igitur hoc in Opere, nihil non ſanum, nihil non conſentaneum Fidei, & Moribus deprehendi; ſed nihil difficile miſſum comperi, nihil optimum deſideratum, atque Inſtitutum ſuum, vi rationum maſcula fultum, tanta diſceptandi œconomia proſequitur, ut nec parcum nec prodigum ſit, ad obſcuritatem unà, & tædium ſubmovendum; & ut nec quæſitas dicendi phaleras, nec ſtylum meretricium uſurpet, aſt quem maximè, non rudis quidem, ſed ſimplex amat indoles Veritatis. Arbitror proptereà eidem Operi, planè docto, & utili, non niſi prælum, lucemque publicam deſiderari.

Romæ ex Aracæli, die 7. Decembris ann. 1712.

Fr. Joannes Franciſcus à Sorexina
Sacræ Theologiæ Lector Generalis.

Cum

CUm de mandato Reverendiſſimi P. Cæleſtini V. Commiſſarii Generalis attentè (pro viribus) accuratèque perlegerim librum, cui titulus eſt. *Opus dogmaticum complectens controverſias fidei, ab A. R. P. Auguſtino Matthaucci Lucenſe Min. Obſer. Sac. Theol. Lectore Jubilato, & olim Curiæ Segretario*, ſolidè elaboratum: fateor ad Sanctæ Romano-Catholicæ Eccleſiæ unitatem, infallibilitatem, auctoritatemque tuendam, atque ſervandam validiſſimum eſſe munimen, dum præſtantiſſimorum Auctorum doctrinis comprobat, orthodoxam fidem firmat, & Eterodoxorum, tum Veterum, tum Recentiorum mira cum claritate expungit errores. Quò circa cùm ſit opus ubique doctum, ubique Catholicum, ac prælo dignum, & publicæ utilitati profuturum, arbitror. Romæ ex Aracæli die 6. Decembris 1712.

Fr. Joannes Jacobus de Vallico Sac. Theol. Lector Generalis.

F A-

FACULTAS ORDINIS.

Fr: Cæleſtinus à Mediolano Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ S. P. N. Franciſci Lector Jubilatus; in hac Ciſmontana Familia ejuſdem Ordinis, necnon Diſcalceatorum Vice-Commiſſarius Generalis: Reformatorum Diſcretus perpetuus, & Servus: Dilecto nobis in Chriſto Rever. Patr. Fr: Auguſtino de Luca hujus Noſtræ Obſerv. Provinciæ Romanæ Ex-Cuſtodi, & Lectori Jubilato ſalutem.

CUm liber à Te compoſitus ſub titulo: *Opus Dogmaticum complectens Controverſias Fidei, &c.* à duobus PP. Theologis juxtà Apoſtolica Decreta, & Ordinis reviſus, & approbatus fuerit: Nos vigore præſentium, facultatem Tibi concedimus, quatenus ipſum Typis mandare poſſis, & valeas, ſervatis in reliquo, omnibus de jure ſervandis. Vale noſtri in tuis ſacrificiis, & Orationibus ad Deum memor.

Dat. Romæ ex Aracæli die 16. Decembris 1712.

Fr. Cæleſtinus V. Commiſſarius Generalis.

De mandato S. P. Romanæ Fr. Bernard. de Rutiliano Secretarius Generalis.

NOI

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P.F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitor nel Libro intitolato *Opus Dogmaticum adverſus Etherodoxos tum antiquos, tum recentes publicæ utilitati aptatum cura, & labore P.F. Auguſtini Matthæucci Lucenſis Ord. Min. de obſerv. S. Franciſci, &c.* non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à Nicolò Pezzana Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in Materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 28. Gennaro 1713.

{ *Gio: Franceſco Moroſini K. Refor.*
{ *Alviſe Piſani K. Proc. Refor.*

Agoſtino Gadaldini Segr.

I N-

INDEX

Controverſiarum, Capitum, & Connexorum.

CONTROVERSIA I.

De Eccleſia. pag.1.

Cap.I. AN ſola Eccleſia Romano-Catholica ſit Eccleſia Chriſti? p.3.
Cap.II. *An Eccleſia vera Chriſti ſit, & fuerit ſemper viſibilis?* p.16
Cap.III. *An Eccleſia Chriſti viſibilis ſit indefectibilis.* p.22.
Cap.IV. *An Eccleſia Romano-Catholica in iis, quæ fidei, & morum ſunt, errare poſſit?* p.34
Cap.V. *An extra Eccleſiam Romano-Catholicam ſit ſalus?* p.47
Cap.VI. *An Theologia Scholaſtica ſit in Eccleſia Catholica utilis?* p.58

CONTROVERSIA II.

De membris Eccleſiæ. p.70

Cap.I. AN peccatores ſint membra Eccleſiæ Catholicæ? ibi.
Cap.II. *An hæretici occulti ſint vera membra Eccleſiæ.* p.79
Cap.III. *An hæretici manifeſti ſint membra Eccleſiæ?* p.86
Cap.IV. *An Schiſmatici ſint membra Eccleſiæ?* p.91

Quæſitum I.

An, vacante Sede Apoſtolica per mortem Pontificis, diſceſſio ab Eccleſia ſit ſchiſma? 31.p.103

Quæſitum II.

An Romanus Pontifex poſſit eſſe Schiſmaticus? 32.ibi.

CONTROVERSIA III.

De Judice Controverſiarum. p.106

Cap.I. AN præter verbum Dei ſcriptum admittendæ ſint Traditiones Apoſtolico-Divinæ: ſeu verbum Chriſti traditum, ut altera Fidei regula, vel norma? ibi.
Cap.II. *An Sacra Scriptura ſit Judex Controverſiarum?* p.120
Cap.III. *An Spiritus privatus ab Acatholicis aſſertus ſit Judex Controverſiarum de rebus Fidei, & Religionis?* p.134
Cap.IV. *An Princeps Laicus ſit Judex Controverſiarum in materia Religionis?* p.147
Cap.V. *An Pontifex Romanus ſit Judex Controverſiarum Fidei?* p.168

CONTROVERSIA IV.

De Regimine Eccleſiæ. p.184

Cap.I. AN regimen Eccleſiæ ſit Democraticum? ibi.
Cap.II. *An regimen Eccleſiæ ſit Ariſtocraticum?* p.192
Cap.III. *An regimen Eccleſiæ ſit purè Monarchicum?* p.201

CONTROVERSIA V.

De Primatu Petri. p.212

Cap.I. AN Primatus Eccleſiæ fuerit D. Petro collatus? ibi.
Cap.II. *An D.Petrus ſimul cum Paulo fuerit Caput Eccleſiæ?* p.229
Cap.III. *An D.Petrus fuerit Romanæ Eccleſiæ fundator, & Epiſcopus?* p.244

CON-

Index Titulorum.

CONTROVERSIA VI. p.254

Cap.I. AN Romanus Pontifex ſit D. Petri Succeſſor? ibi.

Cap.II. *An divino jure primatus Eccleſiæ univerſalis ſit annexus Romano Epiſcopatui?* p.266

Cap.III. *An ſit de fide; quòd hic numero Romanus Pontifex, nunc exiſtens, legitimè electus, ſit Chriſti Vicarius, & D. Petri Succeſſor?* p.273

Cap.IV. *An ſucceſſio Romanorum Pontificum fuerit unquam interrupta?* p.289

I. *Objectum ex lapſu Marcellini.* 9 p.293

II. *Objectum ex ſubſcriptione Liberii formulæ fidei.* 10.*ibi.*

III. *Objectum ex Monothelifmo impicto Honorio I.* 21.p.296

IV. *Objectum ex errore attributo Joanni XXII. quantùm ad viſionem beatificam.* 48. p.306

Cap.V. *An à ſententia Romani Pontificis dari poſſit appellatio?* p.310

Cap.VI. *An Romanus Pontifex ab ullo in terris judicari poſſit?* p.318

Cap.VII. *An Romano Pontifici poteſtas conveniat in temporalia Principum?* pag. 330

Quæſitum.

An claves, ſeù poteſtas ſpiritualis in Pontifice excludat dominium temporale? p. 343

Cap.VIII. *An poteſtas juriſdictionis in Epiſcopos derivetur immediatè à Romano Pontifice?* p.344

Cap.IX. *An Summus Pontifex licitè genuflexione, & pedum oſculo adoretur?* p.358

CONTROVERSIA VII.

De Infallibilitate Romani Pontificis.

Cap.I. AN Romanus Pontifex quoad ſe, & ut perſona privata, poſſit in hæreſim labi? p.367

Cap.II. *An decretà Romani Pontificis edita ex Cathedra, in materia fidei, ac morum ſint infallibilia?* p.381

I. *Objectum ex Innocentio III. & Cæleſtino III. circa indiſſolubilitatem matrimonii.* 15.p.385.

II. *Objectum ex controverſia trium Capitulorum.* 20.p.387.

III. *Objectum ex Pelagio II. circa continentiam Clericorum.* 37.p.391

IV. *Objectum ex Nicolao III. & Joanne XXII. in materia paupertatis minoriticæ.* 43.p.392

V. *Objectum ex Eugenio IV. quantum ad Ordines inter Græcos.* 66.p.397

VI. *Objectum ex Leone X. circa Montes-pietatis.* 72.p.402

VII. *Objectum ex Sixto V. circa correctionem Bibliorum.* 75.v.Sixtus. p.403

Quæſitum I.

An ſit de fide, quòd Romanus Pontifex non poſſit errare in decretis de materia morum? 92.p.407

Quæſitum II.

De ſenſu clauſulæ: noſtra, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate. 93.p.408

Cap.III. *An in Romano Pontifice ſit auctoritas damnandi propoſitiones, olim probabiles?* p.408

Quæſitum I.

An non obſtante decreto Clementis, poſſit moribundo in caſu neceſſitatis conferri in abſentia abſolutio ſub conditione? 12.p.413

Quæſitum II.

Qua cenſura notandus ſit, qui propoſitiones à Pontifice, loquente ex Cathedra damnatas, amplectitur adhuc ut probabiles, & veras? 33.p.421

Index

Index cenſurarum, quibus notari poſſunt propoſitiones, referentes doctrinam Fidei, & moribus contrariam. 34. ibi.

Cap.IV. An Pontifex poſſit errare in approbatione Religionum? p.423

Cap.V. An Pontifex ſit infallibilis in Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum? p.428

Quæſitum I.

An ſit de fide Pontificem non poſſe errare in Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum? 40. p.441

Quæſitum II.

An ſit de fide Beatum, & Sanctum eſſe in gloria? 43. ibi.

Caput VI. An Pontifex ſit infallibilis in decidendis quæſtionibus facti dogmatici, ſeu connexi cum jure? pagina 442

Caput VII. An decreta Romani Pontificis ex Cathedra in materia Fidei, & morum edita extra Concilia ſint infallibilia? p.455

Caput VIII. An ſilentium obſequioſum Janſeniſtarum, ipſorumque praxis jurandi, non credendo internè hæreticitatem propoſitionum Janſenii, virum Catholicum deceat? p.467

Difficultas.

An Janſeniſta interiùs non credens hæreticitatem textus Janſeniani, incurrat excommunicationem? p.485

CONTROVERSIA VIII.

De Conciliis.

Cap.I. An Concilia Generalia ſint in Eccleſia abſolutè, & ſimpliciter neceſſaria? p.489

Cap.II. An ſolius Papæ ſit Concilia Generalia indicere, & convocare? pagina 495

Cap.III. An ad ſolum Pontificem ſpectet Concilia congregata transferre, & prorogare? p.506

Cap.IV. An Romanus Pontifex ſit Conciliorum Præſes? p.514

Cap.V. An Concilia à Papa confirmentur? p.524.

Cap.VI. An Concilium ſit ſupra Romanum Pontificem? p.539

I. Objectum ex Concilio Piſano. 30. pag. 547

II. Objectum ex Conſtantienſi. 47. pag. 552

III. Objectum ex Baſileenſi. 69. pagina 559

IV. Objectum à doctrina Auguſtini. 80. p. 561

V. Objectum ex textu Lucæ 2. erat ſubditus illis. 85. p.563

VI. Objectum ex facto adversùs Pontifices. 93. p.565

VII. Objectum à ratione.

VIII. Objectum ex confeſſione Pontificum. 112. p.570.

Cap.VII. An ſtandum ſit ſententiæ Papæ, vel judicio Patrum, ſi contingat controverſia de definitione fidei, cultus, & diſciplinæ inter Pontificem, & Patres? p.571

Index regularum ad legendos cum fructu Sanctos Patres. 39. p.584

Cap.VIII. An Laici habeant in Conciliis jus ſuffragii deciſivi? p.585

Cap.IX. An definitiones in materia fidei à Pontifice Romano extra Concilia, ſive à Concilio generali legitimo ab eodem confirmato, ſint objecta fidei divinæ? p.594

Quæſitum I.

An ſit diſcrimen inter Scripturam, & definitionem Eccleſiæ? 55. p.609

Quæ-

Quæſitum II.

Quomodo Deus dictaverit Sacram Scripturam? 62.p.610

Quæſitum III.

An vera Eccleſia probanda ſit ex Scriptura, vel è contra? 69.p.611

Quæſitum IV.

An ſint aliquæ regulæ ad intelligentiam decretorum Conciliorum neceſſariæ? 73. p.612

Quæſitum V.

An una, & eadem ſit Eccleſia noſtra, ac antiquorum Patrum Legis naturæ, & ſcriptæ? 81.*ibi.*

Proteſtatio Auctoris. 100.p.617

Concluſio Operis, & laboris, ad fin. Indicis rer. notabil.

PROEMIUM.

Dilecta Christi Sponſa, Eccleſia Romano-Catholica ſuper Petram fundata, tantæ eſt firmitatis, ut portæ inferi errorum, & hæreſum adverſus eam nec prævaluerint umquam, nec ſint æternùm prevalituræ; in vanum proptereà invida in eam adhuc tela Novatores emittunt; & tantùm abeſt, ut eam depauperent, ut potiùs eorundem ipſa erratis ex occaſione ſibi proficiat, ipſoſque emendari ſuſpiret, ut vocem Auguſtini uſurpem, *de vera Relig.cap.6.* ubi: *Eccleſia Catholica*, ait, *per totum Orbem validè, latèque diffuſa omnibus errantibus utitur ad provectus ſuos, & eorum correctionem, cùm evigilare voluerint: Utitur enim Gentilibus ad materiam operationis ſuæ; Hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ; Schiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ. Judæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ.* Quibus ſignificat quatuor eſſe genera hoſtium, qui Eccleſiam oppugnant, quos ipſe errantes appellat; Gentiles nimirum, Hæreticos, Schiſmaticos, & Judæos, & ex ſingulis redundat in Eccleſiam aliquid emolumenti, & utilitatis.

Nam Gentiles, ut ipſe loquitur, præbent *materiam operationis ſuæ*; Quoniam plures in Eccleſia, doctrina, & ſanctitate illuſtres à Romano Pontifice ad Paganorum loca, Evangelii præcones in dies diriguntur, ut ad Catholicæ fidei lumen eos reducant, apud quos materiam benè operandi comperiunt. Multos enim Chriſto lucrifaciunt, & Eccleſiæ fidei inſtructione, & baptiſmi collatione parturiunt.

Hæretici proſunt *ad probationem doctrinæ Catholicæ*, ut ibi Sanctus Doctor *cap.8.* exponit: *Cùm autem foris ſunt* (hæretici) *plurimùm proſunt, non verum dicendo, quod neſciunt, ſed ad verum quærendum, carnales, & ad verum aperiendum ſpirituales Catholicos excitando.* Quid ipſe non egit Auguſtinus adverſus Pelagianos, Manichæos, Donatiſtas, alioſve fidei hoſtes? Quid non alii Eccleſiæ Patres contra cæteros reſpectivè repugnantes Eccleſiæ? Et ſi hæc noſtra tempora cum ſuperioribus conferantur, quid laboris poſt alios haud ſuſcepere Bellarminus, Alphonſus de Caſtro, Fevardentius, Becanus, Fratres Valemburcii, Bzovius, & Petavius, adverſus Lutheranos, & Calviniſtas, qui adeò virulentis doctrinis Romanam Eccleſiam turbarunt, & implanaverunt fideles? apertè id eccleſiaſtica monumenta recenſent.

Schiſmatici proſunt *ad documentum ſtabilitatis ſuæ*: Stabilitas Eccleſiæ illa eſt, de qua Chriſtus dixit: *Matt.16. Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Ec-*

cleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Schiſmatici itaque, qui à Romano Pontifice, Petri ſucceſſore deficiunt, quid aliud ſua defectione operantur, quàm docere nos ſtabiles, & firmos eſſe, qui Petro, ejuſque ſucceſſoribus conſtantiſſimè paremus, & caput viſibile Eccleſiæ credimus, ſincerèque recognoſcimus?

Judæi tandem proſunt Eccleſiæ *ad comparationem pulchritudinis ſuæ*; quatenus ipſi ſunt filii Ancillæ, nos Liberæ, illi ſervituti Moſaycæ ſubjecti, nos verò libertate à Domino Noſtro Jeſu Chriſto donati. Illorum Synagoga quid aliud eſt, quàm Ancilla afflicta, & repudiata? Cùm Noſtra Mater Eccleſia ſit Sponſa Chriſti ſpecioſa, & perfecta? Si illos inter, & nos comparatio ponderetur, ſub umbra illi ſunt, nos verum fidei lumen profitemur; illi in tenebris ambulant, nos in luce viam mandatorum percurrimus.

Utamur ergo, etiam hæreticis; ſequitur Auguſtinus *cap.8. non, ut eorum approbemus errores, ſed, ut catholicam diſciplinam adverſus eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores, & cautiores ſimus; etiamſi eos ad ſalutem revocare non poſſumus*. Et en aſſumpti Operis Finis; ea inſpectione adjecta, quod errantium inſtructionem ſuſcipere, poſtulat proximi amor; Catholicorum verò ſecuritati proſpicere, charitas commendat, & veritatem fidei ab hoſtibus oppugnatam tueri, in Deum amor imponit.

CONTROVERSIA PRIMA

De Eccleſia.

Eccleſia Nomen æquivocum, diverſa ſignificat. Primò, denotat locum materialem, in quo Fideles congregari ſolent ad orandum, ita 1. *ad Corint.*11. *Convenientibus vobis in Eccleſiam*, & Auguſtinus *lib.2. quæſt. in Levitic.q.*57. ait: *Eccleſia dicitur locus, quò Eccleſia congregatur; nam Eccleſia homines ſunt, de quibus dicitur; ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam. Hoc tamen vocari, etiam ipſam domum orationum, idem Apoſtolus teſtis eſt, ubi ait:* numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? an Eccleſiam Dei contemnitis? *Et hoc quotidianus loquendi uſus obtinuit, ut in Eccleſiam prodire, aut ad Eccleſiam confugere non dicatur, niſi, qui ad locum ipſum, parieteſque prodierit, vel confugerit, quibus Eccleſiæ Congregatio continetur*.

Secundò, ſignificat cætum, & ſocietatem fideliū, qui ſub eodem capite Chriſto Jeſu ſerviunt Deo. Deus enim dedit Jeſum Chriſtum caput ſuper omnē Eccleſiam *ad Eph.*1. ſive triumphantem in Cælis, ſive militantem in terris; ſive hæc ſocietas fuerit ante adventum Chriſti, ſive poſt. Finis enim huic ſocietati propoſitus eſt. Deū ſub ipſo capite Jeſu Chriſto colere, ut notavit idem Auguſtinus in Enchirid. *de fide, ſpe, & charit. c.*56.

Tertiò, deſignat congregationem, & ſocietatem hominum baptizatorum viatorum, qui inter ſe vera fidei profeſſione, & ſincera ſacramentorum adminiſtratione ſub Romano Pontifice capite Eccleſiæ ſunt conjuncti. De qua ſocietate Apoſtolus *ad Galat.*1. ſcribit: *Qui ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei*; & de ipſa Eccleſia in hoc ſenſu erit in ſequentibus ſermo.

CA-

CAPUT I.

An ſola Eccleſia Romano-Catholica ſit vera Eccleſia Chriſti?

SUMMARIUM.

1 *Sectariorum blaſphemiæ in Eccleſiam Romano-catholicam.*
2 *Sola hæc eſt vera Eccleſia Chriſti.*
3 *Signa veræ Eccleſiæ Chriſti quatuor.*
4 *Eccleſia eſt* una.
5 *Particulares Eccleſiæ Locorum ſunt membra Eccleſiæ Univerſalis.*
6 *Qua ratione Eccleſia dicatur una?*
7 *Eccleſia Chriſti eſt* Sancta.
8 *Extra quam nulla Sanctitas eſt.*
9 *Eccleſia Chriſti eſt* Catholica, *ſeu Univerſalis.*
10 *Eccleſia Chriſti eſt* Apoſtolica, *& quare? ubi de miſſione Ordinaria, & extraordinaria.*
11 *Symbola veræ Eccleſiæ habet ſola Romano-catholica.*
12 *Succeſſio non interrupta Pontificum unitatem Eccleſiæ præmonſtrat.*
13 *Schiſmata non interrumpunt ſucceſſionem Pontificum.*
14 *In Eccleſia Catholica articuli fidei, quantum ad ſubſtantiam non ſunt aucti.*
15 *Inter Theologos in Eccleſia Romana, ſalva fide, nonnulla examinantur.*
16 *Unitatem Eccleſiæ diſcindunt hæretici.*
17 *Eccleſia Romano-Catholica eſt* Sancta.
18 *In qua doctrina fidei, & morum numquam fuit reformata Eccleſia.*
19 *Eccleſia Proteſtantium Sancta non eſt.*
20 *Eccleſia Romana eſt* Catholica.
21 *Eccleſia Romana duobus modis accipitur.*
22 *Cur Patres recenſeant ſeriem Romanorum Pontificum?*
23 *Eccleſia Proteſtantium nō eſt Catholica.*
24 *Eccleſia Romano-Catholica eſt* Apoſtolica, *& quare?*
25 *Eccleſiæ Orientales carent ſucceſſione formali Paſtorum.*
26 *Apud Proteſtantes non habetur miſſio nec ordinaria, neque extraordinaria.*
27 *Definitio veræ Eccleſiæ.*
28 *Evidentis credibilitatis motiva pro Eccleſia Romano-Catholica.*

1 APertiſſima Sectariorum deliramenta in Eccleſiam Romano-Catholicam nemo ſanus non judicat; Eam enim opprobriis onerant, & falſitatibus impetunt. Pelagiani apud Auguſtinum *lib.*1. *oper. imperfect. contra Julianum n.*75. appellarunt Eccleſiam *prævaricationem pudendam Babylonis*. Donatiſtę apud eundem *ſerm. ad Cæſareens. Eccleſ. plebem dixerunt meretricem. Lib.*1. *contra Gaudent. Donatiſt. c.*33. *humanum figmentum; & lib.*2. *cont. epiſt. Petiliani c.*51. *Cathedram peſtilentiæ*. Lutherani, & Calviniſtæ blaſphemant eam apoſtataſſe, & adulteram factam eſſe, ac in ejus locum tempore Calvini, & Lutheri ſucceſſiſſe Eccleſiam, quam ipſi dicunt Reformatam, ut refert Becanus *to.*5. *opuſc. tit. de Eccleſ. Chriſt. n.*2. quam aptiùs, ac veriùs dixiſſent Haram, vel Synagogam Satanæ, Adverſus quos

2 Dicendum. *Sola Eccleſia Romano-Catholica eſt vera Eccleſia Chriſti; eademque unicè notas veræ Eccleſiæ habet.* Eſt de fide.

Probatur. Vera Chriſti Eccleſia eſt *Una, Sancta, Catholica,* & *Apoſtolica*; quod nullus ſine fidei jactura negare poteſt, cùm ſit articulus fidei definitus in Concilio Conſtantinopolitano, fidelibuſque credendus propoſitus in ſymbolo, quod in miſſis recitatur. In Oriente enim tunc temporis plures hereſes graſſabantur, quæ veræ Eccleſiæ nomine gloriabantur. Ideò neceſſe fuit, ut Patres Conſtantinopolitani Concilii notas veræ Eccleſię fideles omnes docerent, ut Sponſam Chriſti ab Hæreticorum Conventiculis diſcernerent.

Id omnes Catholici conſtantiſſimè credunt, & tenere quiſque debet, niſi

velit extra Eccleſiam eſſe, & ab ea ſeparari, ſiquidem *cap. Unam Sanctam de majorit. & obed. int. com.* inſtruimur *Unam Sanctam Eccleſiam Catholicam, & ipſam Apoſtolicam, urgente fide, credere cogimur, & tenere; Noſque hanc firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur.*

3 Hinc Patres, & Theologi, quatuor ex ſymbolo eſſe notas, & legitima verę Eccleſiæ ſigna concordi conſenſione concludunt. Quorum collectione *una* Chriſti Eccleſia manifeſtiſſimè demonſtratur.

4 Primum itaque ſignum eſt, quod ſit *una*. Una autem oſtenditur *canticor.* 6 *Una eſt columba mea*; quod Auguſtinus *tr.6. in Joann.* de unitate Eccleſiæ interpretatur, ibi: *Quid evidentiùs, fratres mei, in columbæ unitas, in linguis gentium ſocietas.... Unde debuit ergo, Cariſſimi, demonſtrari Spiritus Sanctus, unitatem quamdam deſignans, niſi per columbam, ut pacatæ Eccleſiæ diceretur:* una eſt columba mea?

Id alia quamplurima probant Scripturarum oracula; ſed maximè ponderanda ſunt ea, quæ in numero ſingulari unitatem Eccleſiæ præmonſtrant. *Matth.16.* dicitur, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ad Epheſ.5. v.23. Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, v.24. ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto: v.25. ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam ſuam; v.27. Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam; v. 32. Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Ad Coloſſ.1. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* Prima ad *Timoth.3. Quæ eſt Eccleſia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis, & ſepiſſimè alibi; ergo Eccleſia eſt una.*

Dices: non ſemel Scriptura utitur nominando Eccleſiam plurali locutione, quod cum unitate pugnat. Ad Rom. 16. *Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti.* Apocalip.1. *Joannes Septem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia*, & alibi ſępe.

5 R. Nullus ea teſtimonia non concedit; ſed non propterea Catholica Eccleſia *una* non eſt. *Una* omninò eſt; & hæc Univerſalis, quam particulares Eccleſiæ Locorum conſtituunt, cujus ſunt membra, ut dicit Auguſtinus *lib. 3. cont. Creſcon. cap.33. Ego in Eccleſia ſum cujus membra ſunt illæ omnes Eccleſiæ, quas ex laboribus Apoſtolorum natas, atque firmatas ſimul in litteris canonicis novimus.* Et S.Cyprianus relatus *in cap. Novatianus. A Chriſto una Eccleſia per totum mundum in multa membra diviſa; Item Epiſcopatus unus Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus*; Et Hieronymus *in cap. legimus 93. diſt. Nec altera Romanæ Urbis Eccleſia, altera totius Orbis eſtimanda eſt; Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Perſis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ Nationes unum Chriſtum adorant, unam obſervant regulam veritatis.* Idem Auguſtinus in *Pſal.141.* .... *quæ Eccleſia, ipſæ Eccleſiæ pluraliter dicuntur, & ſingulariter dicuntur. Propter Unitatem Eccleſiæ una Eccleſia.* Una eſt columba mea, una eſt matris ſuæ. *Propter Congregationes fraternas per loca, multæ Eccleſiæ. Eccleſias ſic dixit, & unam Eccleſiam ſic dicit* (Apoſtolus 1. ad Corinth.10.) *ſine offenſione eſtote Judæis, & Græcis, & Eccleſiæ Dei*; Quare illę particulares corporis Eccleſiæ ſunt membra; & res eſt certa exemplo à Paulo loc. cit. cap.12. producto. *Corpus* (hominis ait) *unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cùm ſint membra, unum tamen corpus ſunt.*

6 Una itaque eſt Eccleſia Chriſti. I. Propter unionem, & conſenſum eorum, qui in Eccleſia ſunt. Omnes enim unam, eamdemque fidem profitentur, juxta illud *Epheſ.4. Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.* Eſt in Eccleſia varietas linguarum, ſed una doctrina, ut optimè Auguſtinus in *Pſal.45. n.24. Alia lingua, ait, Afra, alia Syria, alia Græca, alia Hebræa, alia illa, & illa; Faciunt iſtæ linguæ varietatem veſtis Reginæ hujus.* Quo-

Quomodò autem omnis varietas veſtis in unitate concordat, ſic & omnes linguæ ad unam fidem. In veſte varietas ſit, ſciſſura non ſit. Ecce varietatem intelleximus de diverſitate linguarum, & veſtem intelleximus propter unitatem. Qui ab hac fidei doctrinæ unitate recedunt, Hæretici ſunt, & extra Eccleſiam.

II. Propter unitatem in iiſdem ſacramentis, per quæ meritum paſſionis Chriſti hominibus ad juſtificationem, & Sanctitatem communicatur per Trid. *ſeſſ.6.cap.3. de juſtific.* Hinc; qui aliis utitur, quàm iis, quibus utitur Eccleſia Catholica; aut, qui ex iis aliquod tamquam inutile reiicit, non eſt in unitate Eccleſiæ.

III. Propter unitatem obedientiæ ad Romanum Pontificem, & eoſdem Paſtores, ac Miniſtros, non quidem numero, ſed miſſione, ſed ſucceſſione, & applicatione ad exercitium Miniſterii à legitima poteſtate facta; ne propter Miniſtros intruſos, & opus Miniſterii uſurpantes à capite divulſos, novis, peregriniſque doctrinis fideles ſeducantur; Propter quod *ne circumferamur omni vento doctrinæ, & nequitia, hominum aſtutia, ad circumventionem erroris, Chriſtus dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores*, ut loquitur Paulus *ad Epheſ.*4. In Eccleſia enim Catholica plebs quæque cum ſuo Epiſcopo, & Epiſcopi cum Petri ſucceſſore ſunt communione conjuncti; iiſque, qui cum eo non communicant, aptatur illud Ezechielis 13. *Vident vana, & divinant mendacium, dicentes: ait, Dominus, cum Dominus non miſerit eos.*

7 Secundum ſignum eſt, quòd ſit *Sancta*; Sancta verò pluribus titulis dicitur; Primò, quia in ea nullus ingreditur, niſi per baptiſmum ablutus, & ſanctificatus. 1. *ad Corinth.6. Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti, & ſanctificati eſtis.*

Secundò, quia omnia illius inſtituta, præcepta, leges, ſacramenta, & doctrina ad ſanctitatem ordinantur; eò enim tendunt, ut, vel Sancti efficiamur, vel in Sanctitate creſcamus, & conſervemur.

Tertiò, quia omnes in Eccleſia Sanctitatem profitentur, & confeſſione fidei, & uſu ſacramentorum, & doctrinæ puritate: Propterea Apoſtolorum Princeps epiſt.1.*cap.2.* ad fideles ſcribit: *Vos autem genus electum, & gens Sancta;* Et Paulus *ad Epheſ.cap.1. Elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti, & immaculati in conſpectu ejus.*

8 Quartò quia extra illam nulla ſanctitas eſſe poteſt, dicente Auguſtino *de baptiſ.cont.Petilianum cap.16. Intra iſtam arcam* (Catholicæ Eccleſiæ) *boni, & mali eſſe poſſunt, extra eam boni eſſe non poſſunt.*

Quintò; quia Chriſtus, qui eſt caput, & Sponſus Eccleſiæ eſt Sanctus Sanctorum, & paſſus eſt, ut Sanctitatem ſuæ Eccleſiæ conferret, prout ibid. loquitur D. Petrus: *Jeſus, ut Sanctificaret populum per ſanguinem ſuum, extra portam paſſus eſt;* Et D. Joannes *cap.*17. Sic loquitur: *Pro eis ego Sanctifico me ipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.*

9 Tertium ſignum eſt, ut ſit *Catholica*, hoc eſt, Univerſalis, ſeù per totum Orbem diffuſa: Hoc enim verè, proprièque Catholicum, quod omnia verè univerſaliter comprehendit, ut notavit Durandus de *ritib.Eccleſ.Cathol.lib.2.cap.33.n.12.* Et dixit Auguſtinus *epiſt.52.ad Severinum n.1. Ipſa enim eſt Eccleſia Catholica; unde Græcè appellatur, quòd per totum Orbem terrarum diffunditur.* Verùm non ita diffunditur, ut formaliter dividatur; ſiquidem una ubique eſt. Hoc enim ipſo, quòd eſt Univerſalis, una quoque dicenda eſt; nam Catholicum ex S.Patiano, *idipſum eſt, quod ubique eſt unum.* Et tradit idem Auguſtinus *de unit. Eccleſ.cap.2. Quæſtio certè inter nos verſatur* (quæſtio erat cum Donatiſtis)

ſtis) *ubi ſit Eccleſia, utrum apud nos, an apud illos? Quæ utique una eſt, quam majores noſtri Catholicam nominarunt, ut ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt. Et ſerm.71.de verb.Matth.12.n.5. ſed cùm negant eſſe in Chriſti corpore, quod eſt unica ejus Eccleſia, non utique, niſi una Catholica. Et epiſt.140.ad Honaratum n.42. Quod autem ſequitur,* & de manu canis unicam meam, *nil amplius, quàm unica Eccleſia mihi videtur intelligi. Et n.43. Eccleſia illa eſt, quam modò dixit unicam ſuam; hæc eſt unica Catholica, quæ toto Orbe copioſa diffunditur, quæ uſque ad ultimas gentes creſcendo porrigitur.*

Eſt autem univerſalis. Primò, univerſalitate doctrinæ. Si quidem omnem, & uberrimam continet, quæ neceſſaria, & utilis eſt ad perducendum hominem ad obtinendum æternæ ſalutis finem. Tum etiam, quia omnes fideles Romano Pontifici ſubordinati, & obedientes, eadem ſemper obſervant fidei dogmata, & morum inſtituta, adeò ut, ſi Eccleſia aliqua particularis diverſum aliquod dogma animo pertinaci defenderet, jam Catholicæ Eccleſiæ membrum eſſe defineret; ac à vite, Chriſto palmes deciſus, foras, ut in igne arderet, mitteretur; Eccleſia enim, ait Auguſtinus epiſt.55. ad Januarium cap.19. *Quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.*

Secundò, eſt univerſalis univerſalitate communionis cum fidelibus per totum Orbem diſperſis in eadem fide, ſacramentis, & obedientia ad Romanum Pontificem. Ita Auguſtinus *in collatione tertia*, cùm litem cum Donatiſtis haberet, nomine 400. Epiſcoporum, inquit: *Afrorum Chriſtianorum Catholicorum hæc vox eſt. Nos Univerſo Orbi Chriſtiano communione cohæremus; ut in appendice to.9. & collatione 3. Eccleſiæ toto Orbe diffuſæ, cui teſtimonium perhibet ſcriptura divina, ipſi, non Donatiſtæ communicant; unde Catholici meritò, & ſunt, & vocantur. De unit. Eccleſ.cap.4. Quicunque credunt quidem, quòd Chriſtus Jeſus in carne venerit..... Sed tamen ab ejus corpore, quod eſt Eccleſia, ita diſentiunt, ut eorum communio non ſit in toto quàcunque diffunditur, ſed in aliqua parte ſeparata, manifeſtum eſt eos non eſſe in Catholica Eccleſia. De vera Religione cap.7. Tenenda*, ait, *eſt nobis Chriſtiana Religio, & ejus Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolùm à ſuis, verùm etiam ab omnibus inimicis: Velint, nolint, enim ipſi quoque Hæretici, & Schiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant; Unde contra epiſt.fundamenti cap.4.* concludit. *In Catholicæ Eccleſiæ gremio me tenet conſenſio populorum, atque gentium, tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum; Tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes, ſic iſta Eccleſia obtinuit, ut, cùm omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur? Nullus hæreticorum, vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.*

10 Quartum ſignum eſt, quòd ſit *Apoſtolica*. Dicitur autem Apoſtolica; Primò, quia ab Apoſtolis per Orbem Terrarum propagata eſt, juxta illud *ad Rom.10.ex pſal.18. In omnem terram exivit ſonus eorum*. Quod quidem ſuo tempore Apoſtolus dixit completum, quia tunc verè impleri cæpit, ſed perfectè temporis curſu implebitur; atque ita vocula illa *exivit* poſita eſt more prophetico, præteritum pro futuro, quia prophetæ vident quaſi præſens, quod futurum eſt, ut notavit Marchant *Hort. Paſtor.t.4.de fide Chriſt.lect.7.*

Secundò, quia ſequitur doctrinam ab Apoſtolis acceptam, eamque ſemper retinuit, & integram, & incorru-

ptam

ptam ſervabit. Eſt enim columna, & firmamentum veritatis 1. *ad Timoth.*3. *& ad Galat.*1. *licèt nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.*

Tertiò, quia ab Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus, ſub Romano Pontifice regitur; Per quos ad nos uſque doctrina ab Apoſtolis tradita transfunditur. Ad hunc enim finem Chriſtus teſtimonio Pauli ad *Epheſ.*4. Quoſdam dedit Paſtores, & Doctores, ut ipſi vera Doctrina greges regerent. Fides enim per ſeriem ſucceſſionis accipitur ex Auguſtino *tr.*37. *in Joannem n.*6. *Nos, ideſt, Catholica fides veniens de doctrina Apoſtolorum, plantata in nobis, per ſeriem ſucceſſionis, accepta, ſana ad poſteros tranſmittenda, &c.* Eccleſia enim eſt ædificata *ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu ad Epheſ.*2.

Qua Paſtorum ſucceſſione Heterodoxi deſtituuntur; contra quos tenet argumentum quo S.Cyprianus uſus eſt adverſus Novatianum *epiſt.*76. *ad Magnum. Novatianus*, ait, *in Eccleſia non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt, qui, evangelica, & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens à ſe ipſo ortus eſt.* Et optimè concludit Tertullianus *lib. de præſcript.cap.*32. *Edant*, inquit, *origines ſuarum Eccleſiarum; Evolvant ordinem ſuorum Epiſcoporum; ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel ex Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverunt, habuerit Auctorem, & Anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ ſenſus ſuos deferunt.* Proferant Lutherani. Quis ante Lutherum Lutheranæ Religionis fuerit Antiſtes? Quis ante Calvinum Calvinianæ? Oſtendant, ſi poſſunt, Epiſcopos ſuos, & Paſtores uſque ad Apoſtolos, ut valeant monſtrare ſuam Eccleſiam eſſe Apoſtolicam? Quemadmodum id evidenter facit, oſtenditque Eccleſia Romano-Catholica, quæ jam ducentos quadraginta tres Romanos Pontifices, continuata ſucceſſione, uſque ad Petrum enumerat, quibus cæteri Eccleſiarum Epiſcopi ſubordinantur, & ab eis juriſdictionem, miſſionemque recipiunt.

Ideò conſiderandum eſt, quòd miſſio, ſeu vocatio, *eſt actio, qua alicui perſonæ aliquid committitur ab eo, penes quem eſt committendi poteſtas.* Illud verò, quod committitur, conſiſtit in opere docendi, ſacramenta adminiſtrandi, Eccleſias regendi, &c.

Vocatio autem, & miſſio alia dicitur *ordinaria, extraordinaria* altera. Prior eſt, *quæ fit ab hominibus poteſtatem vocandi, & mittendi habentibus.* Sic Presbyteri, & Epiſcopi per ordinationem reſpectivè mittuntur, ut illi poſſint conſecrare, & à peccatis abſolvere; Et iſti, etiam ordinare, chriſmare, concionari, & in Synodis ſententiam dicere. Poſterior eſt, *qua Deus per ſe ipſum abſque medio aliquem ad miniſterium vocat, eique immediatè poteſtatem confert.* Ita à Chriſto Apoſtoli ad fidem propagandam miſſi fuerunt.

Hæretici autem, qui ab Eccleſia Romana defecerunt, neutram habent; Non extraordinariam, quia hæc probari debet ſignis mirabilibus, ſeu teſtimoniis miraculoſis; nam peccat contra prudentiæ, & ſapientiæ regulas, qui credit cuivis de ſeipſo nova prędicanti. Ita Chriſtus ſuam miſſionem miraculis probat *Joan.*6. *Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater me miſit;* Et eo argumento uſi ſunt Patres, ut omnem miſſionem Novatorum excluderent. *Novatianus* (inquit Pacianus *epiſt. contr. Novatianos*) *linguis locutus eſt, prophetavit, ſuſcitare mortuos potuit?* Nullis autem ſignis, & miraculis ipſi probarunt, aut probare poterunt, ſe à Deo eſſe extraordinariè miſſos ad

reformandam Eccleſiæ fidem, & exercendum ſacrum miniſterium.

Neque ordinariam; Quoniam hæc includit poteſtatem Ordinis, & Juriſdictionis; hęc tolli poteſt à Superiore. Executionem poteſtatis tolli poſſe nemo dubitat: illa tolli nequit ob indelebilem caracterem. Sacerdos Catholicus poſt lapſum in hæreſim remanet ſacerdos quoad caracterem, & poteſtatem Ordinis; ſed privatur non ſolùm legitima auctoritate licitè celebrandi, ſed etiam juriſdictione licitè, & validè abſolvendi à peccatis, ſi quam obtinuit. In Epiſcopo à fide deficiente remanet poſt diſceſſum caracter Epiſcopalis, ſed juriſdictione, & exercitio miniſterii ſpoliatur, dicente Cypriano, relato *in cap. Novatianus 7. qu. 1. Qui nec unitatem ſpiritus, nec conventionis pacem obſervat, & ſe ab Eccleſiæ vinculo, & Sacerdotum Collegio ſeparat, nec Epiſcopi poteſtatem* (juriſdictionis) *habet, nec honorem*; Quare Epiſcopi, qui miſſionem ordinariam ab Eccleſia Romana receperunt, ab eadem propter hæreſim ſunt omni poteſtate juriſdictionis deſtituti. Et inde liquet apud hæreticos nullam eſſe Paſtorum miſſionem à legitima poteſtate procedentem, ut alibi fuſiùs.

11 Hujuſmodi verę Eccleſię legitima ſigna, & ſymbola manifeſta Eccleſiæ dumtaxat Romano-Catholicæ conveniunt, prout mox ſequentibus apparebit; ac proinde vi neceſſariæ, & infallibilis illationis pleniſſimè conſtat, ipſam unicè eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

Ipſa *una* eſt, tùm fidei, tùm ejuſdem Doctrinæ, morum, tum eorumdem Sacramentorum unitate; Siquidem in iis, quæ concernunt fidem, & morum regulas, ac Sacramenta una lingua, una vox eſt in Eccleſia, ut loquitur S. Irenęus *1. cap. 3. de unitate fidei. Licèt loquelæ diſſimiles ſint in mundo, ſed tamen unitas traditionis.*

Una etiam eſt ex unitate obedientiæ, & ſubjectionis ad viſibile caput Eccleſiæ, Romanum Pontificem. Sicut enim Regnum dicitur unum ab uno Rege, Civitas ab uno Gubernatore, Familia ab uno Patre, Grex ab uno Paſtore, Exercitus ab uno Duce, & corpus à colligatione membrorum ſub uno capite, unum; ita Eccleſia una eſt, quia omnes Paſtores particularium Eccleſiarum, uni, primo Univerſalis Eccleſiæ Paſtori, Romano Pontifici, vices Chriſti gerenti, ſubjecti ſunt, & ſubordinati. Nec aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quàm, quòd ſupremo Eccleſiæ Paſtori canonicè in Cathedra Petri ſuccedenti hæretici non obtemperarunt.

12 Propterea hanc unam præ cæteris in Romana Eccleſia Pontificum incorruptam ſucceſſionem Patres tanti fecerunt, ut ea, velut fortiſſimo demonſtrationis genere, ad veram, tùm doctrinam, tùm religionem probandam, uſi fuerint. Irenæus *lib. 3. cap. 3.* nulla aliarum Eccleſiarum ſucceſſionis habita ratione, Romanæ tantummodò Eccleſiæ Pontifices à Petro uſque ad Eleutherium, tunc ſedentem enumerat, ut veram Eccleſiam, & cum ea veram Doctrinam, quæ veræ Eccleſiæ eſt Comes, oſtendat. Tertullianus, qui ſecunda ætate poſt Irenæum vixit, *lib. de præſcript.* cùm Alexandrinæ Eccleſiæ, quæ à Marco fundata fuerat, aut Hieroſolymitanæ, quæ à Jacobo, Epiſcopos recenſere potuiſſet, (in illis enim adhuc Eccleſiis incorrupta ſucceſſione vigebant) ſolam Romanorum Pontificum ſucceſſionem adverſus hæreticos enuntiat. D. Cyprianus *lib. 4. epiſt. 55.* id etiam agit: *navigare*, inquit, *audent ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt.* Optatus *lib. 2. contr. Parmenian.* ſcripſit: *Negare non potes ſcire te, in Urbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua una Cathedra*

unitas

unitas ab omnibus ſervaretur. Paſſim D. Auguſtinus hanc rem tractat. *Epiſt.53. ad Generoſ.n.2. Si enim*, ait, *Ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quanto certiùs, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam*; & adverſus Donatiſtas reportat ſeriem non interruptam à D.Petro ad Anaſtaſium, tunc temporis in Cathedra Petri ſedentem. *Lib.cont.epiſt.fundam.cap.4.* planè confitetur: *tenet me in gremio Eccleſiæ ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio Sacerdotum.*

Hinc patet, quàm plenè conſtet centrum unitatis Eccleſiæ eſſe Romanam Sedem, in qua Romanus Pontifex ſedet, ad quam omnes particulares Orbis Eccleſiæ, ut ad caput viſibile referuntur, ipſamque reſpicere debent, ut ſe adverſus ſchiſmata, & hæreſes muniant, dicente Hieronymo *lib.1.adverſ. Jovinian. ut, capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio*. Propterea praxis ab initio Eccleſiæ fuit, ut ad eam cæteræ per Orbem Eccleſię particulares in quęſtionibus fidei, & morum recurrerent, & judicium ipſius expectarent, ut probat. *Portier Syſtema Decretorum*.

Opponunt. 1.Radix unitatis Eccleſiæ ex Sede Apoſtolica, ſeu Cathedra Petri colligi minimè poteſt, cùm non ſemel ipſa in varias fuerit partes diſciſſa;& interdum diù illa vacat, & eſt ſine Paſtore.

13 R.Hoc nihil nos urget. Etenim, quemadmodum ſucceſſo Principum nō diſrumpitur ob vacationem Troni, aut diſſidium, quod oritur in Regno: ita nec ex illo, quod ex Schiſmate naſcitur, non abrumpitur illa Pontificum; Tunc ad ſummum cenſetur ſedes vacare, vel contingere inter-regnum; Atque ita, cùm uni ex iis, qui de Papatu contendunt, juſtitia apertè favet, ſucceſſio interrupta judicari non poteſt; Ubi verò non ſatis conſtat de vero ſucceſſore, neutra pars fidelium eſt Schiſmatis rea, ſive uni, ſive alteri Pontifici adhęreat; modò utraque parata ſit obedire illi Pontifici, qui canonicè, abſoluta lite, in Cathedra Petri pacificè ſedebit.

14 Opponunt 2. multa ad fidem pertinent, quæ temporibus Apoſtolorum ad eam non ſpectabant, ut patet *de validitate baptiſmi ab hæreticis collati; de proceſſione Spiritus Sancti à filio; de exiſtentia Purgatorii, cæteriſque quampluri-mis*; ergo Eccleſia Catholica non ſervat unitatem, & conformitatem in rebus fidei, cum primitiva Eccleſia.

R. Argumentum tangit difficultatem, an articulis fidei Catholicæ ſucceſſu temporis augmentum acçeſſerit; quod à theologis negativè reſolvitur, & nos reſolutum dabimus alibi. Et hic conſideramus, quòd omnia credibilia quoad ſubſtantiam fuerunt, vel à Chriſto Domino immediatè Apoſtolis revelata juxta illud Joan.15. *Omnia, quęcumquè audivi à Patre meo, nota feci vobis*; vel à Spiritu Sancto Joan.16. *Cùm autem venerit Spiritus ille, docebit vos omnem veritatem*, Quæ ab Apoſtolis fuerunt, vel viva voce, vel in ſcripturis Eccleſię manifeſtata. Eis ſolùm augumentum acceſſit quoad explicationem, definitionem, & propoſitionem, quatenus Eccleſia propoſuit fidelibus explicitè, plura eſſe à Deo Apoſtolis revelata,ut id omnibus poſſet conſtare.Propoſitio autē Eccleſiæ non facit novum articulum fidei,ut probant Valemburcii *to.1.cont.fid. tr.1.exa.3.§.8.* Sed ſolùm, ut id, quod eſt de fide *quoad ſe*, ſit etiā de fide *quoad nos*, ut ex Jeſſa *in Scrut. Doctrin.c.3. art.7.*vel, quoad obligandos fideles ad explicitè credendum ea, quæ proponit juxta edocta à Ferre *tract. de Fide q.4.§.12.nu. 92.* Et ideò non ſunt nunc in Eccleſia novi articuli fidei, quàm in primitiva,

ſed

ſed propoſiti de novo illi, qui fuerunt Apoſtolis revelati; qui poſtea debuerunt ab Eccleſia definiri, & proponi adverſus hæreticos; eos impugnantes, aut negantes, prout egerunt circa adductos in inſtantia, alioſque, ut ſuo loco expreſſiùs examinabitur.

15 Opponunt 3. Plura doctrinæ diſſidia ſunt in Catholica Eccleſia; Quæ excitantur in ſchola Thomiſtarum, & Scotiſtarum, aliiſve? Litigia autem cum unitate non componuntur.

R. Hic Sectarius non ponderavit diſſidia inter eos non eſſe in iis, quæ ad fidem ſpectant; nec in aliquo fidei dogmate ſecum pugnant, ſed ſolùm, ſervata fide, & communione cum Romano Pontifice, nonnullas ſententias ad fidem non ſpectantes examinant, & diſſentiunt; propter quòd unitas non obrumpitur.

16 Hanc unitatem diſcindunt Schiſmatici, & Hæretici; Ipſi enim ſunt, qui ſcindunt tunicam Chriſti, quæ unica eſt, & inconſutilis prout de Ario conquæſtus eſt ipſemet Chriſtus, veſte conſciſſa, apparens D. Petro Alexandrino, cujus verba ſunt: *In hora noctis, cùm orationum mearum ſacrificium conſummaſſem, apparuit mihi Chriſtus in ſplendore, & maieſtate, quam vix poteram intueri. Habebat autem veſtem candidam à ſummo uſque deorſum conſciſſam, quam utraque manu conjungebat circa pectus, quaſi cooperiens nuditatem ſuam; ad quem ego: Quid eſt, Domine, quòd video tunicam tuam ita ſciſſam?* Reſpondit: *quotidie illam tractas, & neſcis quomodò ſciſſa eſt? Arius id fecit, qui ſeparavit à me populum hæreditatis meæ, ſanguine meo comparatum. Præcipio ergo, ne eum recipias in communionem, & presbyteris ad te venientibus id ipſum manifeſta.* Id totum, & aliæ ſectæ operantur, non communicantes cum Romana Eccleſia in unitate fidei, doctrinæ, ſacramentorum, & viſibilis capitis. Proptereà nec etiam Proteſtantes ſunt membra unius Eccleſiæ; Neque ipſorum Eccleſia; quam prætendunt reformatam, una eſt.

17 Item, Eccleſia Romano-Catholica eſt *Sancta* omnibus iiſdem titulis, de quibus ſupra n. 7. Hinc Auguſtinus de Chriſtianæ Religionis ſalubritate; ut Sectariorum perfidos cætus revincat, concludit *lib. 2. de Civit. Dei cap. 28. Nihil in eis, & flagitioſum ſpectaculum imitandum proponitur, ubi veri Dei, aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur;* quibus ſingula, quæ ſanctitatem referunt complectitur; quoniam omnia, quæ Eccleſia Romano-Catholica obſervat, ſanctitatem continent, vel ad eam ordinantur, & quidquid imitandum proponit, Sanctum, & rectū eſt.

Opponunt I. Illa ſocietas non eſt ſancta, quæ ut plurimùm eget reformatione, ſed Eccleſia Catholica ut plurimum reformatione indiget, aliàs fruſtrà ab Apoſtolorum ætate ad hęc uſque tempora, tot editis canonibus, reformatio præſcripta fuiſſet; ergo, &c.

18 R. Iſtud à nemine Catholico negatur, quòd Concilia, & ultimo Tridentinum laboraverint, ut diſciplinam eccleſiaſticam, ſeù mores tùm Cleri, tùm plebis emendarent; at nullus dixerit, quòd dogmata fidei, & morum doctrinam reformaverint; nam Eccleſia ſemper eamdem fidem, & doctrinam morum profeſſa eſt, quam ab Apoſtolis recepit; nec Sectarii umquam oſtendent tempus, & locum, quibus doctrina vetus ab Apoſtolis per Orbem ſparſa, primùm innovata, aut variata fuerit. Hinc adverſus eos Eccleſiam inſimulantes tamquam ream novitatis in fidei, & morum doctrina, poſſunt intorqueri *verba Auguſtini lib. de utilit. credendi cap. 14. Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium eſt, quàm nihil dignum auctoritate profertis.*

Qua-

Quare Sanctitati Eccleſiæ minimè officit quòd nonnullos aliquot vitiis, peccatiſque infectos contineat, & adlaboret eos, renovatis legibus, & canonibus de reformatione (quibus diſciplina Eccleſiaſtica reſtauretur) quaſi repagulis quibuſdam coercere, & ad vitæ innocentiam revocare; Siquidem id ipſorum infirmitati ex corruptione naturæ ad malum, & in corruptelas proclives tribuendum, non Inſtitutis, & Regulis morum, quas Eccleſia exhibet, quæ ſancta ſunt, & ad perfectam ſanctitatem manuducunt volentes. Ad quam multi in Eccleſia pervenerunt, & in dies ſunt celebres. Audiamus Auguſtinum *lib.2. cont. Gaudent. Donatiſt. cap. 6. In eas*, ait, *ſunt boni per ſe ipſos multi*, *& in pſal.99. num.13. In Eccleſia ſunt Chriſtiani mali, ſed ſunt & boni*. Item, *invenis Sanctimoniales indiſciplinatas*; *Numquid Sanctimonium reprehendendum?*

Urgent Novatores. Corruptio morum in Paſtoribus reddit ſuſpectam doctrinam Eccleſiæ: alioquin non aliter viverent, quàm doceant; At non legerunt Auguſtinum *in Pſal.78. nu.8. in quo Chriſtus fideles ſuos ſecuros fecit, etiam de diſpenſatoribus malis: mala ſua facientibus, & bona ejus loquentibus*, ubi ait: *quæ dicunt facite; quæ autem faciunt* (mala opera) *facere nolite; Dicunt enim, & non faciunt*. Idem *ſerm.46. de Paſtoribus capit.10.*

Repetunt: Si vitæ impuritas argumentum non eſt falſæ doctrinæ, nec veræ doctrinæ, ſignum erit vitæ ſanctimonia. Neque hìc quidquam timendum adverſus Catholico-Romanos proferunt; Siquidem ſunt in Eccleſia mali, ſed ſunt & boni, qui vera, & Sancta Doctrina diriguntur, in quorum Sanctitate operum, ſignum veræ doctrinæ emicat, quod ſua perverſitate mali non enervant: quinimò ſua mala vita oſtendunt, in Eccleſia veram eſſe morum doctrinam; adverſus quam operantes, ideò perverſi ſunt; Et quemadmodum ſigna vitæ apparentia in aliquibus membris corporis humani, arguunt vitam totius corporis, quanquam ſigna mortis in aliquibus membris patentia non inferant totius corporis mortem; Ita Sanctitas vera, quæ in aliquibus Eccleſiæ membris reperitur, oſtendit originem veræ Sanctitatis in corpore Eccleſiæ reperiri; Licèt nonnullorum malitia idem principium non arguat, ut in terminis Valemburcii *to.1. de unitate Eccleſiæ lib.2. cap.3. num.5.* Similia à Novatoribus objecta audiuntur, quia lippis oculis res Romanę Eccleſiæ conſpiciant; & tamen deberent erudiri obvio notiſſimoque principio; *Quòd, ſi æſtimandis rebus ſiniſtrum duntaxat oculum, quis intenderit, occluſo dextro, ea quoque, quæ rectiſſima ſunt, videbuntur peſſima.*

19 Sancta autem non eſt Proteſtantium Eccleſia; Tradit enim doctrinam ſanctitati repugnantem; Et inter cætera, primò, *Deum eſſe Auctorem peccati, nec ullum peccatum ab homine committi, niſi Deo inſtigante, & impellente. 2. Præcepta Decalogi eſſe impoſſibilia, nec ab ullo quantumvis juſto ſervari hactenus potuiſſe, nec deinceps ſervari poſſe. 3. Bona opera nullius eſſe meriti, aut valoris apud Deum. 4. Omnia opera, quæ ante juſtificationem ſiunt, quacunque ratione ſint facta, verè eſſe peccata. 5. Liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum ammiſſum, & extinctum eſſe. 6. Impios ſola fide juſtificari*, & ſimilia à Tridentino, *ſeſſ.6.* ſuis canonibus, ut hæretica proſcripta, & damnata.

20 Item, Eccleſia Romana eſt *Catholica*, & Univerſalis, quod iiſdem evincitur, quæ dedimus *ſupra n.9.*

Dices: Romana Eccleſia eſt illa particularis Eccleſia, quæ Romæ conſtituta eſt, ad territorium Romanæ Urbis reſtricta; ergo non eſt Catholica, & Univerſalis per totum Orbem diffuſa.

21 Pro

21 Pro ſolutione ponderetur cum Becano *cit. de Eccleſia Chriſt. qu.2.* quòd Romana Eccleſia conſideranda eſt: 1. pro Eccleſia particulari, quæ Romæ eſt, & fuit, & eſt Mater, & Caput omnium aliarum Eccleſiarum, quæ toto Orbe ſunt diſperſæ, cui, niſi aliæ errare velint; debent ſe conformare in fide, & Religione; de qua S. Cyprianus *lib.4. epiſt.8.* ad Cornelium Papam ſcribit: *Nos enim, ſingulis navigantibus, ne cum ſcandalo navigarent, rationem reddidiſſe nos ſcimus, & hortatos eſſe, ut Eccleſiæ Catholicæ Matricem, & radicem agnoſcerent, ac tenerent;* Et in eum finem Irenæus *lib.3. cont. hæreſes cap.3. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt undique fideles: in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio;* Et Auguſtinus *epiſt.43. ad Glor. & Eleus. cap.3. Cùm ſe videret, & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Cum qua, qui non communicat, extra Eccleſiam eſt, dicente Cypriano *de unit. Eccleſiæ, relato in cap. qui Cathedram 93. diſt. Qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Eſtque omnium Patrum ſenſus, ac ipſo Apoſtolicæ Sedis oraculo certum, ut ex conſt. Joann. XXII. *Glorioſam 3. Bullar. to.1. ſ.15. Peccatum Paganitatis incurrit quiſquis, dum ſe Chriſtianum aſſerit, Sedi Apoſtolicæ obedire contemnit, à qua ſemper fuit integerrima fides cuſtodita, & aliis communicata,* ut ibid. textus; *cui inter cætera dona hoc privata largitione conceſſum eſt, ut ſaluberrima fides, quam B. Petrus, cæleſti Patre revelante, cognovit, & immenſa poteſtas, quam ei in eodem Apoſtolorum Principe Chriſtus indulſit, ſic per legitimam Romanorum Pontificum ſucceſſionem illibatam decurrat, ut illa uſque ad finem ſæculi, nec perfidia maculet, nec adulterini Paſtoris Pontificium interrumpat.*

Secundò. Pro Eccleſia Univerſali toto Orbe diffuſa, quæ fuit olim D. Petro commiſſa, his verbis: *paſce oves meas;* Fuit enim Petrus Vicarius Chriſti, caput, & Paſtor totius Eccleſiæ; cui poſtea cum pari poteſtate ſucceſſerunt, & ſuccedunt Pontifices Romani, à quibus, tamquam à capite Romana denominatur, qui in cæteras influxum habent, ſicut caput in membra.

In hoc poſteriori ſenſu, idem eſt Catholica, & Romana; Catholica quidem ab Univerſalitate corporis: Romana verò ab unitate capitis in membra influentis, ut notavit Lambrecht *Scot. Viennen. tr. proemial. de fide q.7. diſ.1. n.2.* Et Spôdanus *epiſt. ad ann.38. n.19.* dixit: *non immeritò antiquitus fides Catholica eadem dicta ſit Romana. In hoc enim complectitur Eccleſiam particularem, quæ Romæ eſt tamquam caput; & alias per Orbem diffuſas, tamquam membra:* Quarum quælibet particularis (ſicut Catholicus quis dicitur) Catholica vocatur propter profeſſionem fidei, & obedientiam ad Romanum Pontificem, in qua cum tota Eccleſia communicat.

In priori verò ſenſu, Romana Eccleſia eſt caput cæterarum, à qua ipſæ influxum recipiunt; Cujus Epiſcoporum ſucceſſionem, & non aliarum Eccleſiarum Patres commemorant; & fortè ad hæc tria reſpexerunt.

22 I. Quia Romana Eccleſia eſt caput, & Mater Eccleſiarum particularium, in particularibus Orbis locis erectarum. II. Quia, qui eſt Epiſcopus Eccleſiæ Romanæ priori acceptione uſurpatæ eſt ſimul Epiſcopus Eccleſiæ Univerſalis, quæ toto Orbe eſt diffuſa; Cui omnes ubique Oves, omniumque ovium Paſtores ſunt commiſſi. III. Quia, cùm Romanus Pontifex ſit in materia fidei, & morum ab errore immunis, ejuſque judicium irreformabile, ſequitur ex non interrupta ſucceſſione Pontifi-

tificum in Cathedra Petri, quòd eadem ſemper in Eccleſia fuerit fidei, & morum doctrina, quam Apoſtoli prædicarunt, & nobis ſcripto, vel traditione reliquerunt: Ideò ex dicta ſucceſſione Pontificum optimè habetur ſtatus Eccleſiæ Univerſalis. Vide *contr.6.c.4.*

Dices, Nomen, & fides Chriſti nondum ad omnes gentes penetravit; neque enim omnis terra, & gentes Orbis nobis innotuerunt, ergo Eccleſia Romana ubique non eſt ad omnes diffuſa, & ita non poteſt dici Catholica in facto eſſe, ſed ſolùm in fieri; Sicut quando tempore Chriſti erat parvus Chriſti Grex, ille erat utique Eccleſia Catholica non in facto eſſe, ſed in fieri, quia divinitus præparabatur ad maximam diffuſionem; ergo diffuſio Eccleſiæ per Orbem non eſt nota Eccleſiæ: nam adhuc ea diffuſio non extat.

R. Quòd licèt Romana Eccleſia non ſit ubique phyſicè diffuſa, quia nonnullæ ſunt gentes, quibus Evangelium nondum fuit annuntiatum; moraliter tamen eſt ubique diffuſa; nam in præcipuis Orbis partibus ita eminet Europa, Africa, Aſia, & America, ut diffuſior ſit qualibet hæreticorum ſecta feorſim, ac ſeparatim ſumpta: Nec, ſicut eorum ſectæ particulares, quibuſdam Provinciis, aut Regnis coarctatur. In illis autem locis particularibus, in quibus adhuc Evangelium non eſt prædicatum, ſucceſſu temporis prædicabitur, & ita implebitur prædictio Chriſti *Matth.24. Prædicabitur hoc Evangelium Regni* (non ſimul tamen ſed ſucceſſivè) *in Univerſo Orbe, in teſtimonium omnibus gentibus.*

Hinc obſervat Leytam *ſynop. de Eccleſ.milit. diſp.3.ſect.2.n.194.* ut Eccleſia ſit Catholica neceſſe non eſſe, quòd ſimul exiſtat ubique, ſed ſat eſt, ut ſucceſſivè diffundatur, quam in dies diffundi videmus per converſionem gentium ad fidem; quæ furentibus Tyrannorum perſecutionibus, & hæreticorum inſultibus magis ſemper eſt propagata, & per Orbem diffuſa. Eadem autem eſt Eccleſia, quæ, Apoſtolis viventibus, floruit; eadem, quam nunc toto Orbe diffuſam videmus; Sicut enim non alius homo dicitur puer, alius adultus, ita non alia Eccleſia in ſuis primordiis, ac veluti infantia, alia in ſui dilatatione, ſeù in ſui veluti maturitate, ſed ſemper Catholica, quia ſemper Univerſalis, tum propter præcepta, quæ omnes ex tunc, licèt non pro tunc obligabant; tum propter dilatationem infallibiliter futuram; tum propter ſalvandos, quia extra eam non eſt ſalus. Semper quoque viſibilis, tum in capite, & membris ipſi unitis; tum in profeſſione fidei, & uſu Sacramentorum, licèt quoad fidem, & Sanctitatem internam inviſibilis.

23 Catholica verò minimè eſt Lutheranorum, & Calviniſtarum Eccleſia; Non enim eſt toto Orbe diffuſa. Unde dixit Auguſtinus *lib.3.cont. Creſcon.cap.67. Alii*, ait, *quippe hic alii verò alibi, atque alibi hæretici cum diffuſa ubique Catholica unitate confligunt;* Et *ſerm.46. de Paſtoribus cap.8. eſt in Africa pars Donati, Eunomiani non ſunt in Africa, ſed cum parte Donati eſt hic Catholica. Sunt in Oriente Eunomiani, ibi autem non eſt pars Donati, ſed cum Eunomianis ibi eſt Catholica. Illa ſic eſt tamquam vitis creſcendo, ubique diffuſa; Illi ſic ſunt, tamquam Sarmenta inutilia.* Ita, ubi Lutherani, & Calviniſtæ, ibi & plures Catholici ſunt; at non ubique illi, ubi doctrina Catholica fideles reguntur. Non in Italia illi, non in Hiſpania, aliiſque Orbis partibus, quæ Catholicis patent: Inde concludendum cum S.Doctore *in pſal.194.nu.4. ergo Eccleſia Sanctorum Eccleſia Catholica eſt.* Eccleſia Catholica non eſt Eccleſia hæreticorum.

Idem nunc opponunt Novatores, quod alias Donatiſtæ, qui negabant Eccle-

Eccleſiam Catholicam cum toto Orbe communione jungi. Unde Creſconius apud Auguſtinum *loco cit. cap.66.* hoc conatur revincere Auguſtinum: *Quomodò totus Orbis communione veſtra plenus eſt, ubi tam multæ ſunt hæreſes, quarum nulla vobis communicat?*

Reſpondet Auguſtinus verbis ex *d. cap.67. productis*.

Urgente verò Creſconio: *non communicat Oriens Africæ, nec Africa Orienti.* Reſpondet idem Sanctus: *Orientem non communicare paleis, hoc eſt, hæreticis ab Area Domini ſeparatis, ſed communicare frumentis, ideſt, Catholicis Africæ, & Africam in iſtis Orienti, ſubdens, ubique eſt illa Eccleſia, de qua exierunt, qui eſſe ubique minimè potuerunt.*

Quare, cùm Novatores Catholicæ Eccleſiæ non communicant, & ab obedientia capitis Eccleſiæ receſſerint, ipſorum Congregationes, neque ſunt membrum Catholicæ Eccleſiæ. Plura alia videri poſſunt apud Becan. *citat. de Eccleſ. ref.3.*

24 Tandem Eccleſia Romano-Catholica eſt *Apoſtolica*, quòd ex dictis n.10. probatur; illiſque additur, quia omnes particulares Orbis Eccleſię, cum Apoſtolica Sede communicant; tametſi olim denominatio Apoſtolicæ fuerit aliis Eccleſiis particularibus communis, peculiariter tamen Romanæ reſervatur, adeò ut idem ſit Romana Sedes, & Sedes Apoſtolica, ut poſt alios notavit Spondanus *cit. ad an.45. num.2. Accidit, ait, in appellatione Apoſtolicę, quod in aliis ſæpè, ut, quæ erat ab initio communis pluribus, fieret propria unius, propter præcellentem ejus dignitatem, videlicet, ut Apoſtolica Sedes antonomaſticè de Romana uſurpari cæpit; & Apoſtolicus dici ipſe Romanus Pontifex, ut ab ipſo Auguſtino, aliiſque ejus ſæculi, ac poſteriorum ſcriptoribus.* Romanus autem Pontifex Apoſtolicus appellatur in Concilio Calcedonenſi *act.1. ibi: Beatiſſimi atque Apoſtolici viri Papæ Urbis Romæ, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum.* Bail. *tom.1. Sum. Conc.*

Ideò omnis, etiam Eccleſia particularis, & novella poſt Apoſtolorum tempora fundata, Apoſtolica dicitur, ſi Romani Pontificis auctoritate erecta ſit, & cum eo, viro Apoſtolico colligationem, & ſubordinationem conſervet, ac in fide ab Apoſtolis tradita, conſentiat; Sicut per oppoſitum, colligatione illa, & unitate ad caput Eccleſiæ præciſa, Apoſtolica illa non eſt (niſi tantùm de materiali) tametſi prius ab Apoſtolis fundata. Propter quod Eccleſiæ Orientales, Conſtantinopolitana, Antiochena, Jeroſolymitana, & aliæ formaliter Apoſtolicæ non ſunt propter hæreſes, & Schiſmata, quibus à Romana Eccleſia ſe ſepararunt. Leytam *cit. ſect.3. n.5.*

25 Nec regit dicere, quòd in eis ſit ſucceſſio continuata Epiſcoporum; quoniam, ſi continuata ſit, quæ olim fuit, ſubſtantia ordinationis in forma Eccleſiæ ſolita, agnoſcendi ſunt veri Epiſcopi quoad characterem ab aliis Epiſcopis ordinati, ſed ſucceſſio eſt tantùm materialis, & in perſonis, & non formalis, quia formalis pendet ab actuali, & legitima miſſione, quæ non eſt legitima, ſi proveniat ab hæretico; nam hæretici carent juriſdictione; Lupis enim non eſt paſcere Gregem Chriſti; adeòque eam aliis communicare minimè poſſunt; quare ſucceſſio formaliter continuata in Paſtoribus, hos exigit licitè ordinatos, & obedientes Romano Pontifici, à quo præficiantur Diœceſibus, & Miſſionem, ac juriſdictionem eas regendi accipiant, oveſque doctrina, & adminiſtratione Sacramentorum Eccleſiæ augeant, & conſervent.

Sciendum hìc eſt, quòd ab hæreticis ordinati (licèt illi à principio fuerint à Catholicis) tametſi characterem epiſcopa-

copalem recipiant, aſſumere tamen ſine crimine, & ſacrilegio nequeunt exercitium miniſterii, cùm propter hæreſim, nec eis Ordo potuerit licitè conferri, nec juriſdictio communicatur, & ſunt titulo privati, ac in Diœceſibus intruſi; quod oſtenditur ex Niceno 1. *in epiſt.ad Eccleſ.Egipt.* In quo Patres Meletium, qui caput erat Meletianorum, ad Eccleſiam Catholicam revertentem receperunt, ſed abrogato quoad exercitium Epiſcopatu, ablataque ordinandi legitima, & licita poteſtate, nullum ei relinquentes titulum, ut ex *Bail.cit.* & Valemburgiis *cit.tr.*8. *de Miſſion.Proteſt. ſect.*6.*n.*5.

Urgent Proteſtantes, ſe Miſſione ordinaria fuiſſe miſſos ab Eccleſia Romana, in qua Lutherus, & Calvinus fuerunt ordinati Sacerdotes.

26 R. Mirum ſanè, quòd Proteſtantes id prætendant, cùm negent, in Romana Eccleſia poteſtatem mittendi, ut notarunt iidem Valemburgii *to* 1. *tr.*8. *de Miſſ.Proteſt.cap.*7. *num.*2. Quinimò eam poſt primos quingentos annos defeciſſe declamant.

Deinde, ex ordinatione ſacerdotali Lutherus, & Calvinus poteſtatem dumtaxat Ordinis ad conſecrandum, & abſolvendum à peccatis receperunt, non verò miſſionem; Etenim Miſſio ordinaria, quatenus importat facultatem prædicandi, & regendi Eccleſiam, poſtea confertur ſeparatim, & ad certa loca determinata; Unde à charactere Sacerdotali ad miſſionem, non benè concluditur; & quando etiam hæc in ſequelam veniret, propter hæreſim fuiſſent illa privati, ſicut pariter deſtituti fuerunt facultate licitè ſacrificium offerendi: Nec prætereundum, quòd ſimplici Sacerdoti non committitur Paſtoratus officium, ex alibi dicendis.

Denique; Tantùm abeſt, quòd à Romana Eccleſia Miſſionem ordinariam receperint, ut potiùs, ea reclamante, & contradicente, refractarii animoſitate ſanè dolenda prædicaverint, Eccleſiaſque erexerint; ergo, qua auctoritate id egerunt, niſi uſurpata, & intruſi in miniſterium omni lege eis prohibitum, erigendo Altare contra Altare?

Recurrunt ad miſſionem extraordinariam, quaſi Lutherus, & Calvinus fuerint à Deo extra ordinem miſſi, & vocati; Verùm hic verba proferunt, & nugas vendunt; Vide *n.*10. *§. Hæretici.*

Hinc Proteſtantes nequeunt oſtendere ſuas Eccleſias Apoſtolicas, nec ex ordine Epiſcoporum ſuorum cum Apoſtolis perſeverantium, nec ex comparatione doctrinæ ſuæ cum Doctrina Apoſtolica: Convenientia enim doctrinę cum Doctrina Apoſtolica probatur ex communione cum Eccleſiis Apoſtolicis, & præſertim cum Apoſtolica Sede à qua ipſi ſunt ſeparati; & ideò diverſis doctrinis ab Apoſtolica miſeros falluntur.

27 Sola igitur Eccleſia Romano-Catholica eſt *una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica*. Sola conſequenter vera Chriſti Eccleſia, cujus deſcriptio eſſe poteſt: *Eſt Congregatio fidelium ſub uno inviſibili capite Chriſto, & viſibili ejus Vicario Romano Pontifice, & Epiſcopis, quos ſub eodem Romano Pontefice Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei in eadem fide, & Sacramentis communicantium.*

Dices: Nullibi in ſcriptura revelatum eſt, quòd Eccleſia Romano-Catholica ſit vera Chriſti Eccleſia; ergo &c.

Negatur antecedens: Nam *Matt.*16. dicitur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam;* atque ita Chriſtus voluit ſuam Eccleſiam fundare ſuper firmiſſimum fundamentum, quod labi, vel deficere non poſſet; Quod neceſſariò intelligendum eſt de S. Petro, ejuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus; Siquidem Chriſtus noluit Eccleſiam ſuam cum vita Petri extin-

gui,

gui, ſed per ſucceſſionem Monarchicam perpetuò gubernari in illa forma, qua in principio illam fundavit.

28 Hinc conſiderandum eſt, quod eſt evidenter credibile, & credendum, Romanam Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam Chriſti: Dantur enim tot ſigna probantia, quòd ſit vera Eccleſia, ut imprudentiſſimus quis eſſet, ſi id non crederet; Si enim à me petatur: *Unde credis Jeſum Chriſtum eſſe Salvatorem Mundi?* Reſpondeo: *quia Deus revelavit Eccleſiæ.*

Unde ſcis, Deum id revelaſſe? Reſpondeo: *quia Divinæ litteræ id docent*, vel, *Traditione Dominica habetur.*

Unde *ſcis has litteras, & Traditiones eſſe Divinas?* Reſpondeo: *quia Eccleſia ſua infallibili auctoritate id proponit.*

Unde *credis Eccleſiam hac infallibili auctoritate præditam, ac veritatis Magiſtram à Deo eſſe conſtitutam?* Reſp. *quia Deus revelavit, Eccleſiam loqui ex aſſiſtentia Spiritus Sancti.*

At unde *credis Spiritum Sanctum Eccleſiæ loquenti aſſiſtere?* Reſp. *me id credere, quia Deo adjuvante, volo;* vel, *quia voluntatis imperio captivo intellectum in hoc fidei obſcuræ myſterium:* & hìc mutatur genus motivi tranſeundo ab intellectu ad voluntatem.

Unde *verò ſibi hæc voluntas captivandi te*, & *acceptandi hanc Eccleſiam, ut regulam fidei vivam, & organum Dei.* Reſp. *quia perſpicuè video id adeò rationi, honeſtati, & prudentiæ congruere, ut manifeſtæ ſit temeritatis, impietatis, & inſaniæ in re tanti momenti id non facere.*

Quòd ſi demum inſtes: *Unde clarè ſcis, creditu digniſſimum eſſe, quòd hæc ſit vera, & infallibilis Dei Eccleſia?* Reſpondeo, *quia evidentiſſimum eſt, huic Eccleſiæ eas notas, & proprietates ineſſe, quæ eam reddunt hominibus credibilem, & credendam eſſe veram Chriſti Eccleſiam; & quæ ad hoc jure deſiderari poſſunt, adeò ut, qui id non credit, imprudentiſſimus ſit.*

Evidens enim moraliter eſt, hunc cætum hominum, Romano ſcilicet Pontifici, ut capiti viſibili junctum, congregationem eſſe ab Apoſtolis plantatam, nemine prudente in dubium id vocante. Evidens eſt eam huc uſque perſtitiſſe cum perpetua Paſtorum, & Doctorum ſucceſſione in unius Dei, & Salvatoris confeſſione; hoc niſi imprudens negaverit; cùm, etiam hiſtoriis, & traditione conſtet. Evidens eſt, in ea ſemper floruiſſe plurimos ſapientia, vitæ innocentia, ſæculi contemptu, miraculorum gloria, ac ipſa ſanguinis profuſione conſpicuos; quòd etiam niſi inſanæ mentis ibit inficias. Evidens eſt, vetera Prophetarum vaticinia de ſplédore, & amplitudine veræ Eccleſiæ Chriſti ei mirificè convenire. Evidens eſt in ea ſummam eſſe doctrinæ conſenſionem, nullas Sectas; & denique nullam in ea factam eſſe doctrinæ ad fidem, & mores pertinentis mutationem, quidquid fruſtra obloquantur Novatores. Unde dixit Auguſtinus contr. epiſt. fundamenti cap. 4. *Tenet me in Eccleſiæ Catholicæ gremio conſenſio populorum, atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum; & cap. 5. ego Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas.* Verùm propoſitio Eccleſiæ eſt motivum, & regula proponens, quòd verbum Dei omnibus conſtare poſſit, ſed auctoritas Dei revelantis eſt motivum formale credendi.

CAPUT II.

An Eccleſia vera Chriſti ſit, & fuerit ſemper viſibilis?

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Sectarii negant Eccleſiam Chriſti eſſe viſibilem.*
2 *Eccleſia Chriſti ſemper viſibilis.*
3 *Probatio ex ſcripturis.*
4 *Probatio ex Auguſtino.*
5 *Probatio ex rationibus.*
6 *Fidei definitio.*
7 *Aliquod unum poteſt ſub una ratione videri, & credi ſub alia.*
8 *Eccleſia eſt abſolutè, & ſimpliciter viſibilis.*
9 *Eccleſia hæretica non eſt Eccleſia Chriſti.*
10 *Eccleſia Græca prædicat Evangelium Chriſti adulteratum.*
11 *Requiſita ad conſtituendum Paſtorem Eccleſiæ.*
12 *Græci in Concilio Florentino ſubſcripſerunt litteris unionis.*
13 *Sola Eccleſia Romano-Catholica eſt Eccleſia Chriſti viſibilis.*

1 INter cætera mendacia, hoc etiam Novatores ingeminarunt, ut dicerent Eccleſiam inviſibilem, eam definientes per *Cœtum Sanctorum, & prædeſtinatorum*, qui nobis inviſibiles ſunt. Ita Lutherus *in lib. de abroganda miſſa privata p.1. Quis*, inquit, *Eccleſiam nobis monſtrabit, cùm ſit occulta in ſpiritu, & ſolùm credatur?* Idem tradunt *Calvinus, Confeſſio Helvetica poſterior, Scotica, Gallica, aliique Romanæ Eccleſiæ hoſtes*, ut referunt Valemburcii *to.2. contr. tract.3. de Eccleſ. contr.1.n.5.* Putidum hoc dogma aperta calliditate invenerunt ad declinandam efficaciam argumenti, quo à Catholicis premuntur, ex defectu ſucceſſionis apud eos, tum in doctrina, tum in Paſtoribus; Cùm enim ab eis petunt, ut in ſæculis, quæ ipſos præceſſerunt, recenſeant fideles, qui eorum dogmata profeſſi ſint, Paſtores, quibus ſucceſſerint? Reſpondent, ſe, ſive in doctrina, ſive in Paſtoratu ſucceſſiſſe viris piis, & Sanctis, qui deliteſcebant in medio Romanæ Eccleſiæ; cujus ſtatum interruptum tunc eſſe blaſphemarunt: Contra quos Catholici omnes concordes ſunt, docentes, veram Chriſti Eccleſiam eſſe, ac fuiſſe ſemper viſibilem, adeò ut ſocietas, & Congregatio ſit, cujus exiſtentia exterioribus ſignis, corporis etiam ſenſibus pateat; Viſu enim videntur Paſtores, oves, adminiſtratio Sacramentorum, auditu prædicatio Evangelii percipitur; At hìc non eſt de nomine certandum. Itaque.

2 Dicendum: *Eccleſia vera Chriſti eſt, & fuit ſemper abſolutè viſibilis.* Contra Sectarioſ. Valemburcii *loc. cit.* Becanus *tom.5. Opuſ. de Eccleſ. Chriſti 1. conc. Seſſa Scrut. Doctrin. cap.7. articul.11.* Duhamel *Theol. Cler. to.5. tr.3. lib.1. diſſert.2. c.4.1. Concl.* Leytam *Synopſ. de Eccleſ. milit. diſcept.2. ſect.4. nu.121.* & Guarnieri *de Eccleſ. Milit. in genere lib.1. cap.11. §.5.*

3 Probatur: Scriptura loquitur de Eccleſia Chriſti, tamquam de ſocietate, & Congregatione perpetuò, & ſemper viſibili Matthæi 18. *Dic Eccleſiæ; Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam Ethnicus, & publicanus.* Hìc legimus mandatum Chriſti, ut ad Eccleſiam, ut ad Judicem controverſiarum, non ad cætum inviſibilem recurramus, eaque audiatur: Agi de Eccleſia viſibili legitur in verbis *dic, & ſi non audierit.* Mandatum eſt perpetuum, quia Chriſti eſt; Nulla enim eſt limitatio, ut per ſe patet. Fideles autem recurrendo ad Eccleſiam, profitentur ſe eſſe membra Eccleſiæ.

De Cætu item viſibili accipiendum eſt illud Actorum 18. *Attendite vobis, & Univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei;* Non enim, ſi per Eccleſiam ſocietas inviſibilis intelligenda eſſet, regi poſſet ab Epiſcopis, quoniam Grex, qui non cognoſcitur, à Paſtore non gubernatur. In eodem ſenſu ſumenda ſunt hæc alia ad Galatas 1. *Perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam.* Quomodò autem poterat Paulus ſocietatem inviſibilem perſequi; Si eam ex-

pugnare conabatur de neceſſitate videbat, ubi cætus expugnandus conſiſteret.

Perpetuitatem Eccleſiæ viſibilis prævalentis contra ſuos adverſarios habet textus, *Matth.16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. De Eccleſia viſibili hìc agi, legitur in verbis: *Super hanc petram ædificabo*. Quibus oſtenditur fundamentum Eccleſiæ eſſe aliquod ſenſibile. Perpetuitatem legimus in verbis: *portę inferi non prævalebunt adverſus eam*. Etenim contra Eccleſiam ſupra Petrum fundatam, portæ inferi, hęreſes nimirum, & errores non prævaluerunt, neque prævalebunt.

Idem confirmat alter ejuſdem Matt.28. quo Chriſtus dicit: *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis; & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*; Viſibilitas Eccleſiæ habetur in verbis: *docete*, & *baptizantes*; nam cætus inviſibilis, nec doceri, nec baptizari poteſt: Et prædicatio Evangelii, & adminiſtratio ſacramentorum res viſibiles, & ſenſibiles ſunt: Perpetuitas verò in illis: *& ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Semper enim prædicatio Evangelii, & adminiſtratio ſacramentorum, ſive per Apoſtolos, ſive per eorum ſucceſſores eſt neceſſaria in terris in Eccleſia Chriſti.

Nec dubium moveri debet, quòd in d. textu *Eccleſia* non legatur; quia Prędicatores Evangelii, & Adminiſtratores ſacramentorum Eccleſiæ non dantur abſque Eccleſia.

Eodem ſenſu accipitur illud 1. *ad Timoth.3. Ut ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis*. Viſibilitas Eccleſiæ habetur in verbo: *converſari*; cum inviſibilibus enim converſari non dicimur; perpetuitas verò in verbis: *eſt columna, &c.*

Nec in alio ſumitur textus *Matth.13.* ubi Chriſtus, propoſita parabola de homine, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo, in quo poſtea inimicus ſuperſeminavit Zizania, ſubdit: *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem*, & infra. *Qui ſeminat bonum ſemen eſt filius hominis; Ager autem eſt mundus: Bonum verò ſemen hi ſunt filii Regni; Zizania autem filii ſunt nequam; Inimicus autem, qui ſeminavit ea, eſt Diabolus: Meſſis verò conſummatio ſæculi*. In hac parabola agi de Eccleſia fatentur omnes cum Auguſtino *ſerm.73. & lib.2.contr. Gaudent. Donatiſt.cap.4.* reprobante Donatiſtas, aſſerentes *agrum Chriſti* (de quo, ait: ager eſt hic mundus) *non eſſe Eccleſiam, ſed Mundum præter Eccleſiam*.

Agi, etiam de Eccleſia viſibili, conſtat ex malis, qui dicuntur eſſe in Eccleſia, & in inviſibili eſſe non poſſunt; Perpetuitas verò Eccleſiæ viſibilis legitur in verbis: *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem*, hoc eſt, uſque in finem mundi; *Cùm meſſis ſit conſummatio ſæculi*; ut ibi textus.

Habetur itaque Eccleſia perpetuò viſibilis, cujus Paſtores, & Miniſtri, prædicatio Evangelii, Sacramenta, & exterior fidei profeſſio cætum deſignant, ſed eum, qui omnibus eſt conſpicuus: Unde dixit Auguſtinus *lib.2.contr.epiſt.Petiliani c.104. Eccleſia eſt Civitas ſupra montem conſtituta, quæ certum ſignum hoc habet, quod abſcondi non poteſt: Nota eſt ergo omnibus gentibus; pars autem* Donati (Lutheri, & Calvini) *ignota eſt pluribus gentibus; non eſt ergo ipſa*.

4 A quo pariter non operta, non inviſibilis, ſed patens oſtenditur *de unit.Eccleſ. cap.16. Non eſt*, ait, *iſta operta, quia non eſt ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt*; & de illa dictum eſt: *non poteſt Civitas abſcondi ſupra montem conſtituta*; ſed Donatiſtis (Lutheranis, & Calviniſtis,) *velut operta eſt, qui audiunt tam lucida, & manifeſta teſtimonia, quæ illam toto Orbe demonſtrant, & malunt, clauſis oculis, offendere in montem, quàm in eum aſcendere*.

Eam-

Eamque omnibus conſpicuam eſſe repetit *lib.2.cont.Creſcon cap.36.Extat*, inquit, *Eccleſia cunctis clara, atque conſpicua; quippe Civitas, quæ abſcondi non poteſt ſuper montem conſtituta.*

Serm.2.*in pſalm.70. ad finem* contra aſſerentes: *veniet tempus, ut finiantur, & non ſint Chriſtiani; Sicut cęperunt ex aliquo tempore, ita uſque ad certum tempus erunt.*

Inſurgit: *Sed cùm iſta dicunt, & ſine fine moriuntur, & permanet Eccleſia prædicans brachium Domini omni generationi ſuperventuræ*. Hic *viſibilitas* habetur in verbis: *prędicans*; prędicatio enim non fit, niſi ſenſibili voce. In verbis verò *omni generationi ſuperventuræ, perpetuitas.*

Expreſſiùs *epiſt.105.num.14.* exhortans Donatiſtas, ad unitatem, eos ſic alloquitur: *In Scripturis diſcimus Chriſtum: In Scripturis diſcimus Eccleſiam. Has Scripturas* (ò Donatiſtæ: Proteſtantes) *communiter habemus: quare non in eis, & Chriſtum, & Eccleſiam communiter retinemus?* Et *n.17. Ecce ſcripturæ communes; ecce ubi novimus Chriſtum: Ecce ubi novimus Eccleſiam. Si Chriſtum ipſum tenetis, ipſam Eccleſiam, quare non tenetis? Si in ipſum Chriſtum, quem legitis, & non videtis, tamen propter veritatem Scripturarum creditis; quare Eccleſiam negatis, quam & legitis, & videtis?*

Viſibilitatem, & perpetuitatem Eccleſiæ ipſe, & cæteri Patres Irenæus, & Optatus, aliique ſupponunt, dum, ſerie non interrupta, recenſent ſucceſſores Petri in gubernatione Eccleſiæ.

5 Idem, etiam ratione conſtat; nam illa Eccleſia eſt viſibilis, in qua publicè indicuntur, & convocantur Concilia, ſanciuntur Canones, damnantur hęreſes, & reſolvuntur controverſiæ in materia fidei, & Religionis. Omnia autem hæc fiunt in vera Eccleſia Chriſti: *ita Actorum* 15. Apoſtoli in controverſia, an converſi ex gentibus deberent circumcidi? Celebrarunt Concilium Hieroſolymitanum, & ſub pręſidentia, ac Petro decidente, factum eſt decretum: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, &c.* Subinde poſt tempora Apoſtolorum celebrata ſunt Concilia generalia. Nicænum I. anno 325. Conſtantinopolitanum I. anno 381. Epheſinum anno 431. & Chalcedonenſe anno 451. Quæ à Novatoribus, etiam tamquam legitima admittuntur: Ita enim apud Becanum *cit.n.6.* de illis ſcribit Rex Angliæ in monitoria præfatione. *Prima quatuor Generalia Concilia, tamquam Catholica, & Orthodoxa veneror, atque recipio; quæ & publica Ordinum Noſtrorum Sanctione recepta ſunt, & ab Eccleſia noſtra pro Orthodoxis habentur*. Succeſſivè ad hæc Concilia fuerunt in Eccleſia alia plura Generalia legitimè celebrata, ut omnibus ex hiſtoria eccleſiaſtica conſpicuum eſt; Quæ planè à Proteſtantibus non admittuntur, ſed nullo fundamento, immò potiùs inſolentiſſima animoſitate refragantur.

Dictum eſt, *legitimè celebrata*, quia celebrata auctoritate Romani Pontificis, cujus perſonali præſidentia, vel confirmatione robur acceperunt. Ideò tametſi, vel in Eccleſia Græca, aut alibi nonnulla celebrentur, non Concilia, ſed Conventicula, & Conciliabula ſunt nominanda; nam nec à legitimis Paſtoribus fuerunt celebrata, nec cum dependentia à Romano Pontifice, Doctore infallibili Eccleſiæ Univerſalis, ſupremoque Magiſtro totius Orbis, à quo tamquam à Capite, in cæteros, tamquam in membra, influxus, & poteſtas juriſdictionis dimanat.

Tandem, tenetur quiſque Eccleſiam audire, & ad illam redire, ſi per hæreſim, aut Schiſma extra illius gremium ſit, ut ex Matth.*cit.n.3.* Neque enim quis extra Eccleſiam poſitus ſalutem conſequi poteſt, ut communiter Patres; at qua ratione quis poteſt Eccleſiam audire, & ad illam redire, & ipſi adhærere, ſi Eccleſia non ſit viſibilis?

6 Opponunt Lutherani. Quod eſt de fide, non eſt viſibile; nam fides ab Apoſtolo ad hebræos XI. dicitur. *Subſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium,*

tium, hoc eſt, convictio rerum, quæ non videntur, ut legit Auguſtinus *tract.79. in Joan.n.1.* unde *tract.41. in eumdem num.9.* dixit: *Fides eſt credere, quod non vides*, & *d.tract.79.* ait: *hæc eſt laus fidei, ſi, quod creditur, non videtur*: Sed vera Chriſti Eccleſia creditur, In ſymbolo enim credimus Eccleſiam unam Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam; ergo viſibilis non eſt.

7 R. Utique, quod fide credimus, non eſt viſibile ea parte, qua ſub fidem cadit, quamvis poſſit eſſe viſibile ex alia parte, qua ſub fidem non venit. Ita Apoſtoli in Chriſto videbant humanitatem, credebant divinitatem. Videmus Sacra Biblia, & credimus, quòd in ea continetur eſſe Dei Verbum. In baptiſmo videmus aquam, & ablutionem, audimus verba, quibus confertur, & credimus illa conſtituere verum baptiſma. Ita videmus hunc hominum cætum, qui communicant cum Romano Pontifice, fidem Chriſti externè profiteri, eiſque Sacramenta adminiſtrari, ac Evangelium prædicari, quòd & Infideles nobiſcum vident; Et credimus, hunc cætum profiteri veram fidem Chriſti, eaque omnia fieri ex divina inſtitutione, eumque eſſe Deo charum, & à Deo protegi, ne deficiat; quòd infideles non credunt. Sic poſt alios Valemburcii *cit.tit.2. probatio ex Patribus nu.1.*

Quod totum patet ex illo *Joan.3.* ubi Chriſtus dixit eos judicatos eſſe, qui in illum non credebant, & tamen. Videbatur ut homo, ſed credendus erat, etiam Deus. Ita Auguſt. d.*tract.79.in Joan.num.1.* De D. Thoma Apoſtolo habet: *non hoc credidit, quod vidit, ſed aliud vidit, aliud credidit; Vidit enim hominem, credidit Deum. Cernebat quippe, atque tangebat carnem viventem, quam viderat morientem, & credebat Deum in ipſa carne latentem. Credebat ergo mente, quod non videbat, per hoc, quod ſenſibus corporis apparebat.*

Dices: Eccleſia viſibilis non eſt quoad fidem, & charitatem, & alia dona ſpiritualia, ergo abſolutè & ſimpliciter viſibilis non eſt dicenda.

8 R. negando conſequentiam: Sicut enim homo licèt ratione ſolius corporis videatur, dicitur per ſe abſolutè, & ſimpliciter viſibilis, eſtò ſecundùm aliquid ſui, animam nimirum, viſibilis non ſit; ſic Eccleſia, quamvis ſecundùm ea viſibilis non ſit, adhuc eſt dicenda abſolutè, & ſimpliciter viſibilis, licèt ratione ſolorum exteriorum videri poſſit, externæ ſcilicet profeſſionis fidei, prædicationis evangelii, adminiſtrationis Sacramentorum, & Paſtorum, qui eam ſub Romano Pontifice reſpectivè gubernant, Valemburcii *cit.n.2.* Unde in viſibilis ſimpliciter dici non poteſt; quia inviſibilitas ſimpliciter negat omnem viſibilitatem, quæ de Eccleſia vera Chriſti verificari non poteſt.

Opponunt 2. Tametſi viſibilitas ex illis deſumatur, non ſequitur, quòd Eccleſia Romana (quam Novatores per calumniam Papiſticam vocant) ſit Eccleſia Chriſti viſibilis. Siquidem Eccleſia Græca eamdem fidei, & morum doctrinam profitetur; in ea prædicatur Evangelium, adminiſtrantur Sacramenta, & ſunt Paſtores legitimi, aliàs non fuiſſent admiſſi à Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi II. & ab Eugenio IV. in Florentino.

9 R. Hic Proteſtantes videntes ſe Scripturis premi, nec poſſe viſibilitatem Eccleſiæ oppugnare, ex invidia in Romanam provocant ad Eccleſiam hæreticam; quid autem hoc eſt, quàm improbare promiſſionem Chriſti, & veritatem arguere mendacii? Promiſit Chriſtus ſe permanſurum cum ſua Eccleſia uſque ad finem Mundi Matth.28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*: fortè Chriſtus promiſit ſe manſurum cum Eccleſia ſua, quæ non erat ſua, ſed adulterata, & hæretica? Eſt ne Eccleſia hæretica Eccleſia Chriſti? profectò non aliter, quàm ſicut adulteratum aurum non eſt ſimpliciter, & verum aurum.

Eccleſia autem Græca Schiſmatica, & hæ-

hæretica eſt; etenim non omnia credit, quæ Chriſtus revelavit; & inter alia, non credit Romanum Pontificem eſſe caput viſibile, nec habere Primatum in Eccleſia Univerſali; negatque Spiritum Sanctum à Filio, etiam procedere; cujus proceſſio etiam ab eo, fuit, & eſt veritas incorrupta, definita in Concilio Nicæno II. & Florentino apud *Bail.Summ. Concilior.to.*1. Addita Niceno-Conſtantinopolitano ſymbolo contra Græcorum errorem majoris explicationis, & declarationis gratia, particula *Filioque*, ut plenè examinabitur ſuo loco.

10 Quocirca conſtat Eccleſiam Græcam non prædicare Evangelium, niſi adulteratum, & docere doctrinam fidei aliter, quàm fuerit ab Apoſtolis tradita, & Chriſtus mandavit, qui Matth.24. dixit: *& prædicabitur Evangelium hoc Regni in Univerſo Orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio*. Chriſtus non dixit: prædicabitur Evangelium quocunque modo, ita ut multi prædicent errores, pro revelatis hæreſes, pro ſalutaribus ſuperſtitiones. *Prædicabitur*, inquit, *Evangelium hoc*, quod nimirùm ipſe prædicabat, quod voluit per Apoſtolos, & eorum ſucceſſores prædicari. Impium foret dicere, Chriſtum per Evangelium *hoc*, quod prædicabat, intellexiſſe nonnulla illis adverſa, quæ ipſe prædicabat, & contradictorium multorum, quæ prædicabat; ergo Chriſtus promiſit, *ut Evangelium hoc*, quod prædicabat, prædicaretur ſucceſſivè in Univerſo Orbe, & tunc venturam conſummationem. Provocare ad Eccleſiam multis erroribus refertam, hæreſi, & ſuperſtitione deformatam, non eſt oſtendere Eccleſiam, in qua hoc idem Evangelium eſt prædicatum, quod Chriſtus prædicavit, quodque per totum Orbem prædicandum promiſit, prædicens tunc venturam conſummationem.

11 Ad ea, quæ ſubdunt, in Eccleſia Græca eſſe Paſtores. Dicendum juxta dicta *cap.*1.*nu.*25. Ac addendum ex Tirino *in Sacra Script. to.*2.*controv.*8.*n.*1. Tria neceſſariò requiri, ut quis ſit legitimus Paſtor Eccleſiæ. I. Electio, hoc eſt, legitima deſignatio perſonæ ad Eccleſiaſticam Præfecturam, v.g. ad Epiſcopatum. II. Ordinatio, hoc eſt, ſacra cæremonia, qua futurus Prælatus inungitur, & conſecratur. III. Miſſio, ſeù vocatio, hoc eſt, collatio juriſdictionis, quæ in actu ſecundo Paſtorem facit; quæ Epiſcopis conceditur à Romano Pontifice (cui à Chriſto commiſſum eſt univerſum ejus Ovile paſcendum, & gubernandum *Joan.ult.*) quando eis Diæceſes aſſignat, eiſque eos ab aliis, etiam nominatos, ſeù ex Sanctæ Sedis privilegio præſentatos, præeſſe diſponit, & confirmat. Hujuſmodi miſſio in Epiſcopis Eccleſiæ Græcę non recognoſcitur, cùm à Romano Pontifice receſſerint, & per hæreſim, & ſchiſma ſint titulis ſpoliati. Ideò quoad poteſtatem juriſdictionis nequaquam, ut legitimi Paſtores, ſed ut intruſi, & non niſi uſurpata auctoritate Diçceſes gubernant juxta illud *Joan.*10. *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro*.

12 Nec obſtat, quòd in allegatis Conciliis Lugdunenſi, & Florentino ſententiam propriam dixerint, ac in hoc ultimo ſubſcripſerint Litteris *unionis*; Siquidem hoc tantùm probat, quod, urgente graviſſimo negotio unionis Eccleſiæ Orientalis cum Romana, fuerint à Pontifice tunc habilitati, & admiſſi, ut poſſent in re proprium ſuffragium ferre; De qua re videndus Fagnan. *in* 5. *ad cap. quod à Prædeceſſore de Schiſmat*.

Verùm eorum reductio ad Eccleſiam, tam brevi duravit, ut & de præſenti in ſchiſmate, & hęreſi in animarum perniciem pertinaces exiſtant.

13 Quamobrem cùm ſola Eccleſia Romano-Catholica ſemper prædicaverit, & prædicet *hoc Evangelium*, ut Chriſtus mandavit, ac ab omni errore in materia fidei, & morum immunis ſemper fuerit, &ſit,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

& ſit, & in ea ſint, fuerintque legitimi Paſtores cum Romano Pontifice communicantes, ac fideles ſemper uniti, tam inter ſe, quàm cum capite, per externam profeſſionem ejuſdem omninò doctrinæ fidei, & Religionis, ac participationem eorumdem mediorum ad vitam æternam conducentium, pleniſſimè conſtat, quòd ſola Eccleſia Romano-Catholica fuerit, & ſit Eccleſia Chriſti perpetuò, & abſolutè viſibilis.

CAPUT III.

An Eccleſia Chriſti viſibilis ſit indefectibilis?

SUMMARIUM.

1 *Error Donatiſtarum circa Eccleſiam Catholicam.*
2 *In idem Fraticellorum blaſphemia.*
3 *Lutherani, & Calviniſtæ Eccleſiam Catholicam periiſſe obloquuntur.*
4 *Eccleſia Romano-Catholica eſt indefectibilis, & numquam periit: ubi probationes ex Scriptura.*
5 *Probatur ex Auguſtino.*
6 *Miſſio extraordinaria miraculis, & ſignis probatur.*
7 *Lutherus, & Calvinus nullo ſigno ſe fuiſſe extraordinariè miſſos, firmarunt.*
8 *Quòd ſequaces habuerint, non relevat.*
9 *Nec miſſionem ordinariam habuerunt.*
10 *Alia eſt poteſtas Ordinis, alia Juriſdictionis.*
11 *Presbyteri ordinantur ab Epiſcopis.*
12 *Laici non poſſunt Cathedram habere.*
13 *Nec fas eis eſt ſacramenta adminiſtrare.*
14 *Miniſtri Eccleſiæ debent eſſe à Deo immediatè, vel mediatè electi.*
15 *Petrus negando Chriſtum non amiſit fidem internam.*
16 *Eccleſia in triduo mortis non defecit.*
17 *Non eſt paritas inter Synagogam, & Eccleſiam Chriſti.*
18 *Eccleſia Chriſti meliores, majoreſque promiſſiones habet, quàm Synagoga.*
19 *Tempore Antichriſti non deficiet Eccleſia.*
20 *Calumnia Proteſtantium, quòd Romanus Pontifex ſit Antichriſtus.*
21 *Ante finem Mundi non eſt Eccleſia defectura.*
22 *Quo ſenſu Eccleſia Lunæ aſſimiletur?*
23 *Ex Concilio Ariminenſe non probatur Eccleſiam defeciſſe, ad 25.*

1 DOnatiſtæ circa annum 313. evulgarunt ob prætenſa Cęciliani crimina totam ubique corruptam defeciſſe, & periiſſe Eccleſiam, ac puram in ſola Africæ parte, quæ adhærebat Donato remanſiſſe. S. Auguſtinus *de hæreſib. hæreſ. 69.*

2 Subinde circa tertium decimum ſæculum, Beguardi, ſeù Fraticelli, duas confixerunt Eccleſias, ut ex *conſt. Glorioſam Joannis XXII. la 3. §. 14. Bullar. tom. 1. Unam carnalem, divitiis preſſam, affluentem deliciis, ſceleribus maculatam, cui Romanum Præſulem; alioſque inferiores Prælatos dominari affirmabant. Aliam ſpiritualem, fragilitate mundam, virtute decoram, paupertate ſuccinctam, in qua ipſi ſoli, eorumque complices continerentur; cui etiam ipſi ſpiritualis vitæ merito, ſi qua fides eſt adhibenda mendaciis,* præeſſent, ut ex *d. conſt. §. 14.*

3 Tandem Lutherani, & Calviniſtæ aſſerunt Eccleſiam Romano-Catholicam, quæ primis quingentis annis toto Orbe fuerat diffuſa, poſtea propter crimina Pontificis (quem ex libidine calumniandi, Antichriſtum vocitant) toto Orbe periiſſe; & ita pęnitus, ut nuſquam, nec in Europa, nec in Aſia, nec in Africa, ſalva, & incolumis permanſerit, ſed ubique adultera, & Apoſtatica fuerit deprehenſa; quamvis ea ſubinde vixerit in ea Europæ parte, quæ Luthero, & Calvino adhærebat.

Contendunt iſti Eccleſiam ſecundùm partem inviſibilem, hoc eſt, ut eſt Cætus prædeſtinatorum, & juſtorum non periiſſe; periiſſe verò ſecundùm partē, qua viſibilis eſt, prout nimirum eſt cætus hominum,

qui

qui fidem catholicam in ſua puritate exteriùs profitentur, abſtrahendo, an ſint juſti, vel impii.

Hoc ſyſtema ipſi confixerunt ad declinandam vim argumenti, quod Catholici adverſus eos deſumunt ex defectu ſucceſſionis. Ubi enim ab eis quæritur, quibus Chriſtianis ſucceſſerint? reſpondent, ſe non ſucceſſiſſe quidem cætui alicui viſibili, qui exteriùs profitetur omnes articulos, quos defendunt, ſed cuidam hominum cætui inviſibili; in quorum cordibus Deus veram fidem, veramque charitatem in medio corruptæ Babylonis, ſeù Romanæ Eccleſiæ, ut mendaciter ajunt, conſervaverit.

Cæterùm omnes Catholici tradunt, firmiterque tenent, ac docent, Eccleſiam eſſe omninò indefectibilem, non ſolùm ſecundùm partem inviſibilem, & internam; verùm & ſecundùm partem viſibilem, & externam: Ideò.

4 Dicendum: *Eccleſia Romano-Catholica eſt abſolutè indefectibilis, nec unquam periit, ſed duratura eſt uſque ad finem mundi.* Eſt de fide; iiſdemque Scripturæ oraculis probari poteſt, quibus præterito capite perpetuam Eccleſiæ viſibilitatem firmavimus.

Probatur. Diximus in ſuperioribus, ſolam Eccleſiam Romano-Catholicam, eſſe veram Chriſti Eccleſiam; de fide autem eſt veram Chriſti Eccleſiam indefectibilem eſſe, & uſque ad finem mundi duraturam. Hoc enim promiſit Chriſtus I. *Matth.ult. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi:* Chriſtus hic promiſit eſſe cum Eccleſia ſua; Sola autem Romano-Catholica, & non hæretica, eſt Eccleſia Chriſti.

II. *Matth.*18. *Dico tibi, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Hìc Chriſtus promittit Petro, quòd Eccleſiæ in terris perpetuò duraturæ futurus ſit ipſe, ejuſque ſucceſſor omnis ſupremum caput, Princeps, Monarcha; adverſus quam ſuis viribus, calumniis, & aſtutia non prævalebunt unquam portæ inferi, hæretici nimirum, aliique fidei hoſtes.

III. Voluit Chriſtus, ut in Eccleſia Paſtores eſſent, uſque ad finem mundi; *& ipſe*, ait Paulus *ad Epheſ.*4. *Dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus Miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, &c.* Paſtores autem, & Doctores non dantur niſi gregi exiſtenti, & viſibili; ac proinde cùm ex Apoſtolo Paſtores, & Doctores debeant eſſe viſibiles, & perpetui, grex pariter viſibilis, & perpetuus eſſe debet.

IV. Pleni ſunt libri Prophetarum teſtimoniis, quæ perennitatem Eccleſiæ promittunt. *Pſal.*47. *Deus fundavit eam in æternum. Danielis* 2. *Suſcitabit Deus Regnum* (Chriſti, & Eccleſiæ Chriſti) *quòd in æternum non diſſipabitur.* Item *Ezechielis* 37. *n.*26. *Oſeæ* 2.*n.*19. & alibi ſæpè. Maximè autem rem probat textus I. *ad Timoth.*2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* Seria quidem, ac ſincera voluntate, atque etiam ex parte ſua, efficaci, quia media ad ſalutem obtinendam neceſſaria, quantùm ex ſe eſt, omnibus ſubminiſtrat. Quod verificari non poteſt, ubi ſemel Eccleſia Chriſti defeciſſet, pro tempore nimirum, quo periiſſet: quoniam extra Eccleſiam non eſt ſalus; & inde evidens eſt Eccleſiæ perpetuitas non ſolùm ſecundùm partem interiorem, ſed etiam exteriorem, & viſibilem; quoniam ſi Eccleſia poſſet ſecundùm hanc perire, & ſecundùm interiorem deficeret, cùm ſit de eſſentia Eccleſię Chriſti, ut exteriùs habeat Paſtores, & ſingula illius membra viſibilium Sacramentorum vinculo conjungantur, & publicè fidem Chriſti profiteantur. At ſi omninò periret ſecundùm viſibilem, & exteriorem ſui partem, interior, quæ remanſu-

ra ſupponitur, nullos exteriùs haberet Paſtores, nullis Sacramentis colligaretur, nec publicè Chriſti fidem profiteretur; Adeòque non eſſet vera Chriſti Eccleſia. Etenim ſine Paſtoribus Eccleſia eſſe non poteſt, dicente Cypriano *epiſt.59. Eccleſia eſt plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens; Unde ſcire debes, Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo; & ſi quis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe, etiamſi obrepant, & latenter apud quoſdam ſe communicare.*

5 Idem probatur ex Auguſtino docente adverſus Donatiſtas, viſibilem Chriſti Eccleſiam, adeòque Romano-Catholicam nunquam periiſſe, nec defecturam, ſed uſque in finem perſeveraturam, in *Pſal.70. ſerm.2. ad fin. & permanet Eccleſia prædicans brachium Domini omni generationi ſuperventuræ. in pſal.71.nu.8. Quamdiù ſol oritur, & occidit,* hoc eſt, *quamdiù tempora iſta voluuntur, non deerit Eccleſia Dei, ideſt, Chriſti Corpus in terris. in pſal.101. ſerm.2.n.8. Sed illa Eccleſia, quæ fuit omnium gentium, jam non eſt, periit: Hoc dicunt, qui in illa non ſunt. O impudentem vocem! Illa non eſt quia tu* (Calviniſta, Lutherane) *in illa non es? Vide, ne tu ideò non ſis: nam illa erit, etſi tu non ſis...... Quid eſt, quòd perditi me periiſſe contendunt?..... Quamdiù ero in iſto ſæculo, annuntia mihi, propter illos, qui dicunt: fuit, & jam non eſt; propter illos, qui dicunt; impletæ ſunt Scripturæ, crediderunt omnes gentes, ſed apoſtatavit* (ut Novatores effutiunt) *& periit Eccleſia de omnibus gentibus. Quid eſt hoc; exiguitatem dierum meorum annuntia mihi! Et annuntiavit, nec vacavit iſta vox. Quis annuntiavit mihi, niſi ipſa via? Quomodo annuntiavit?* Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi; *& n.9. Quid eſt, quod dicebas: hoc certè fuit, & periit? Dominum audi annuntiantem exiguitatem dierum meorum. Prædicabitur,* inquit, *hoc Evangelium: Ubi? In toto Orbe terrarum. Quibus? in teſtimonium omnibus gentibus. Quid poſtea?* Et tunc veniet finis. *Non vides adhuc eſſe gentes, in quibus nondum eſt prædicatum Evangelium?.....*

Quid eſt quòd dicis jam periiſſe Eccleſiam de omnibus gentibus, quando ad hoc prædicatur Evangelium, ut poſſit eſſe in omnibus gentibus? ergo uſque ad finem ſæculi Eccleſia in omnibus gentibus; & ipſa eſt exiguitas dierum, quia exiguum eſt omne, quod finitur, ut jam in æternitatem ab iſta exiguitate tranſeatur. Pereant hæretici, pereant, quod ſunt, & inveniantur, ut ſint, quod non ſunt.

Et de unit. Eccleſ.cap.12. Evangelizata eſt nobis Eccleſia per totum Orbem terrarum futura. Hoc in lege, & Prophetis, & pſalmis eſſe prænuntiatum, ipſe Dominus teſtificatus eſt, qui eam cæpturam ab Jeruſalem, & per omnes gentes permanaturam eſſe prædixit; teſtes ſibi futuros in Jeruſalem, & in tota Judæa, & Samaria, & uſque in totam terram, cùm jam in Cœlum aſcenderet, prænuntiavit, &c. Quiſquis aliud Evangelizaverit, anathema ſit. Aliud autem evangelizat, qui periiſſe dicit de cætero mundo Eccleſiam, & in ſola parte Donati (Lutheri, aut Calvini) *in ſola Africa* (Germania, Genæva, & Anglia) *remanſiſſe dicit; ergo anathema ſit. Aut legat mihi hoc in Scripturis Sanctis, ut non ſit anathema.* Quare nunquam futurum eſt, ut Eccleſia ſit tantùm in hac, vel in illa parte, ſed perpetuò manſura eſt in toto Orbe uſque ad finem Mundi.

Idem *lib.3.de baptiſ.contr.Donat.cap.2.* hoc diſcurſu adverſus Donatiſtas uſus eſt. *Vel ante Donatum erat vera Eccleſia, vel non erat? Si fuit vera, in ea erat manendum; Si autem tunc non erat Eccleſia, quia ſacrilegi hæretici ſine baptiſmo recipiebantur, & hoc Univerſali conſuetudine tenebatur. Unde Donatus apparuit? De qua terra germinavit? De quo mari emerſit? De quo cœlo cecidit? Ipſi autem conſiderent; ubi ſint, qui neque, unde propagati ſunt, poſſunt dicere.* Hoc eodem urgemus Lutheranos, & Calviniſtas; vel ante Lutherum, & Calvinum erat vera Eccleſia, vel non erat? Si fuit vera Eccleſia, in qua baptizatus, & ordinatus eſt Lutherus, non debuit ejus communionem,

nem, introducto ſchiſmate, deſerere. *Reſpondete*, ut loquamur cum eodem Sancto Doctore *ibi.lib.2.cap.6. Quare vos ſeparaſtis? Quare contra Orbem terrarum Altare erexiſtis?* Si autem Eccleſia, in qua baptizatus, & ordinatus eſt Lutherus, non erat vera Eccleſia, quia in ea articuli neceſſarii (ut ajunt) repudiabantur, & errores fundamentales univerſaliter recipiebantur; Unde prodiit Lutherus? Quæ terra eum protulit, ut novam, ſeparatamque Eccleſiam à Catholica communione erigeret? Quo vento è communi naufragio liberatus eſt? ut optimè diſcurrunt Valemburcii *to.2.tr.3.tit.ubi Eccleſ. Chriſti ante Lutherum. §.1.n.1.*

Eamdem rationem proponit idem Auguſtinus *lib.2.contr. Gaudentium cap.8. Reſponde, utrum Eccleſia perierit, an non perierit? elige, quod putaveris. Si jam tunc perierat, Donatum quæ peperit? Si autem tot in eam ſine baptiſmo aggregatis, perire non potuit; Reſponde queſo, ut ab ea ſe tanquam malorum communionem devitans, pars Donati ſepararet, quæ dementia perſuaſit?*

Ita Lutherani reſpondeant, utrum perierat Eccleſia, naſcente Luthero? Si perierat; quæ Lutherum genuit? Unde legitimam accepit miſſionem. Si autem perire non potuit: Reſpondeant queſo, ut ab ea ſe pars Lutheri ſegregaret, quæ neceſſitas compulit? Qua legitima auctoritate factum eſt? *Veſtræ Cathedræ*, ait Optatus, *Originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Eccleſiam vindicare.*

6 Vident Novatores vim dilemmatis Auguſtiniani, contra quod effugium adinveniſſe putant, ac infarciunt Lutherum, & Calvinum fuiſſe à Deo extraordinariè excitatos, & miſſos ad reformandam Eccleſiam, puramque Evangelii fidem prædicandam. Verùm hujuſmodi miſſionem extraordinariam quantum ad damnatos hæreſiarcas rejectam dedimus *cap.1.nu.26.* quibus ſubnectimus, quæ ſcripſit Tirinus in *Script.to.2.contr.8.n.3. Sed quandocunque Deus*, ait, *ita extra ordinem aliquos eligit, aut mittit, ſemper id Eccleſiæ manifeſtat certis ſignis, ac miraculis, quibus ipſorum miſſio populo innoteſcat, & comprobetur.*

Etenim, ut loquitur Becanus *to.5.opuſc. tit.Eccleſ. reform.Conc.XI. n.117.* Miſſio, quæ immediatè à ſolo Deo fit, per ſe non ſufficit, nec acceptatur à populo, niſi evidenti miraculo, vel etiam pluribus, ſi opus eſt, à Deo confirmata ſit. Quæ confirmatio ex duplici capite neceſſaria ſtatuitur. Primò, ex parte ejus, qui mittitur; quoniam ſi quis aſſereret, à Deo ſe miſſum eſſe ſi tamen probare non poſſit, tamquam implanator repellitur. Secundò ex parte eorum, ad quos mittitur; nam & illi, ſi prudenter agant, non debent temerè credere à Deo miſſum eſſe, ſed opus eſt probatione; & ubi hæc deficit, non alio, quàm ſeductoris loco eum habebunt; quod ſignificavit Moyſes, cum dicit *exodi 4. non credent mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent: non apparuit tibi Dominus*; Ita, etiam omnes alii Prophetæ miſſionem ſuam miraculis ad populum confirmarunt, & multa ad id exempla recenſet.

Pariter. Apoſtoli ſuam miſſionem multis ſignis, & prodigiis coram univerſo mundo conteſtati ſunt, ut res omnibus eſt manifeſta. Locuti ſunt variis linguis in die Pentecoſtes: Dęmonia expulerunt: mortuos ad vitam revocarunt: omnia morborum genera, vel verbo, vel umbra, vel aliàs curarunt; &, ut uno verbo omnia complectar: *prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, Marci 16.* Quod ſingulariter de ſe teſtatur Paulus *2. ad Corinth. 12. Signa*, inquit, *Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.*

Quinimò ipſe Chriſtus ſe à Deo Patre miſſum eſſe miraculis perſuaſit. *Joan.10. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Et *Lucæ 7.* interrogantibus illis à Joanne miſſis: *Tu*

es,

es, qui venturus es, an alium expectamus? Reſpondit: *Euntes renuntiate Joanni, quæ audiſtis, & vidiſtis; quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur.* Ipſa enim hora multos curavit à languoribus, & plagis, & ſpiritibus malis; & cæcis multis donavit viſum, ut ibi textus.

In humanis Delegatus ſolet à Delegante ſufficientibus teſtimoniis inſtrui, & ſi inſtructus non ſit, nec de ſua miſſione doceat, licèt ſe miniſtrum, & Legatum dicat, reiicitur, & dicto ſuo fides non adhibetur.

7 Nullo autem miraculo, nullo videlicet ſigno, nullo divino teſtimonio ſe à Deo miſſos eſſe ad novam doctrinam populo prædicandam, Lutherus, & Calvinus comprobarunt, nec probare potuerunt; quibus propterea, nec credendum fuit, eſtò à Deo ſe extra ordinem vocatos proclamarent; Sed quiſque prudens ſic tacitus apud ſemetipſum tunc ratiocinari potuiſſet, & modò repetere valeret. Gravis quidem res eſt affirmare, quod Lutherus, & Calvinus evulgant, Eccleſiam nimirum Chriſti, multis jam ſæculis periiſſe; in fide erraſſe; majores noſtros quotquot in ea vixerunt, damnatos eſſe: nos omnes, qui in ea vivimus, in tenebris, & errore ambulare: neminem, qui in ea extat, ſalvari poſſe. Hæc ſanè levia non ſunt, & quia nova, non temerè credenda. Hactenùs creditum eſt, Eccleſiam à Chriſto fundatam eſſe ſupra firmam petram; eſſe columnam, & firmamentum veritatis; habere infallibilem Spiritus Sancti aſſiſtentiam; portas inferi adverſus eam non prævalituras; & uſque in finem mundi duraturam. Hæc docuerunt Patres antiqui; viri Sanctiſſimi tenuerunt; definierunt Pontifices, & Concilia; Sic majores noſtri acceperunt; & ita communi fidelium ſenſu, ac conſenſu approbatum eſt. Quomodo ergo contrarium credi nunc poteſt? Ipſis tantùm (Luthero, & Calvino) affirmantibus? de quibus certè jam prædixerat *Hyeremias 23. Ipſi currebant; & non mittebam eos; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.*

Dicent Sectarii: eſt ſatis evidens divinæ miſſionis ſignum, ac doctrinam Lutheri, & Calvini fuiſſe divinitùs inſpiratam, quod infiniti propè homines ſtatim à principio doctrinam ab eis annuntiatam receperint; & inde ita diſcurrunt: Vel, doctrina Lutheri, & Calvini eſt confirmata miraculis, vel non. Si primum, jam patet eorum miſſionem miraculis comprobatam; Miracula enim ad comprobationem falſæ doctrinæ fieri non poſſunt, nam *miracula fidei noſtræ atteſtantur*, S. Auguſtin. *de Civit. Dei lib. 22. cap. 9.* Si ſecundum; hoc maximum miraculum eſt, quòd doctrina ab eis propoſita, fuerit à tot hominum millibus, diverſarumque regionum populo ſuſcepta.

8 Cæterùm neque ex iſtis quidquam pro eis concluditur; nam etiam in veteri Teſtamento, infiniti propè homines adhærebant falſis prophetis; & tamen inde colligere prudenter nullus poterat, vel ipſos à Deo miſſos, vel eorum vaticinia divinitùs fuiſſe inſpirata. Nunc plures quoque, & quidem plures, ac Orbis maxima pars adhæret Mahumeti, ejuſque falacia mandata recipit. Fortè ne dicendum, Mahumetem à Deo miſſum, ejuſque legem divinitùs inſpiratam? Abſque graviſſima blaſphemia affirmari nec debet, nec poteſt. Quare autem pro Mahumete fallax eſt præjactus diſcurſus? niſi quia miraculo adſcribendum non eſt, quòd homines ad malum proclives legem amplectantur, quæ relaxat fræna licentiæ, & carnis opera, tamquam licita proponit.

Ita miraculum non eſt, quòd plures Luthero, & Calvino adhæſerint, eorumque mandatis paruerint. Non enim res difficiles, & arduas carni, ac ſenſui humano repugnantes propoſuerunt, ut egerunt veri Apoſtoli à Chriſto miſſi clamantes: *Pænitentiam agite: mortificate membra ve-*

veſtra, quæ ſunt ſuper terram; abſtinete à carnalibus deſideriis: Sobrii eſtote, & vigilate: non regnet in corpore veſtro peccatum, &c.Sed quia ipſi veri Apoſtoli non fuerunt, contrario modo proceſſerunt; *abrogarunt jejunia; oderunt caſtitatem; conceſſerunt libidines, & quidquid carni allubeſcit*; quorum una vox fuit, & lingua una: *Sola fides juſtificat: bona opera non proſunt; Decalogus obſervari non poteſt; Creſcite, & multiplicamini; Si non vult uxor, veniat ancilla*, & ſimilia, amica quidem ſenſui, ſed rationi, & legi Chriſti omninò diſſona. Principibus auctoritatem omnem, etiam in ſpiritualibus attribuerunt, & Eccleſiaſticorum proventuum uſurpatores conſtituerunt. Hinc opus non fuit miraculo, ut ſectatores reperirent; cùm miraculo non ſit opus, ut quis, relicto auſteriore vivendi modo, eum amplectatur, qui cupiditati favet. Videatur Auguſtinus *lib.*1. *de moribus Eccleſ. cap.*31.Ideò miraculum non eſt, ſi ſectatores habuerunt; immò mirabile fuiſſet, ſi nullos inveniſſent. Plures enim libentiùs vocem Lutheri, & Calvini, quàm Chriſti, & Apoſtolorum audiunt; ad quos ſpectat illud ad Rom.8. *Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt*.

Abolendi itaque non ſunt ordinarii Paſtores, nec novus ordo conſtituendus, ſed Eccleſia regenda eſt per ordinarios à Chriſto ſub Romano Pontifice ad eam gubernandam conſtitutos; Eidem poteſtate tradita ſubrogandi alios Paſtores in decedentium munus paſtorale; Nam in Eccleſia à Deo eſt conſtitutum miniſterium perpetuum.

Recognoſcunt Sectarii ſe non poſſe primorum Reformatorum miſſionem extraordinariam ſuſtinere; ideò ad ordinariam recurrunt; eam ex hoc inferentes, quòd Lutherus, & Calvinus fuerint ordinati Sacerdotes in Romana Eccleſia, & proinde miſſionem recepiſſe.

9 Reſp. Cæterùm & hac ipſa reſponſione paradoxa paradoxis cumulant; nam, ut dictum eſt cap.1.n.26. Proteſtantes negant Romanam Eccleſiam, quam iniquis cenſuris hæreticam, & idololatram appellant, habere poteſtatem mittendi, ut probant Valemburcii *cit.cap.*7. & inde eorum ſententia, eam nequit alteri communicare.

Deinde: Vel Eccleſia Romana temporibus Lutheri, & Calvini; erat vera Eccleſia, vel non erat? Si ſecundum, ſine fundamento propriam miſſionem defendunt. Si verò primum; ergo nec tunc perierat, nec defecerat. Qua igitur ratione eam jam periiſſe adeò aperto mendacio dixerunt? Si autem (ut eſt incontrovertibile) non perierat, cur ab ea receſſerunt?

Dicunt, ſe non receſſiſſe à vera Eccleſia Chriſti, ſed à Romana, quæ à fide receſſit, & in damnabiles errores prolapſa erat.

Reſp. Novatiani hoc ipſum apud Sanctum Pacianum *epiſt.*3.excipiebant, *quòd Eccleſia à fundamentis Apoſtolorum, & Prophetarum receſſiſſet*; quos Pacianus ea ratione repellit, quòd aſſignare non poſſint Chriſtianam ſocietatem, à qua receſſerit Catholica, & quæ in ſua radice permanſerit. Pelagiani Eccleſiam confuſionem Babylonicam, & pudendam appellabant, ut ex Auguſtino *lib.*2. *oper. imperf. contra Julian.n.*75. Donatiſtæ ex eodem *lib.*2.*contra Epiſt. Petiliani cap.*51. Romanam Cathedram, appellabant Cathedram peſtilentię, ut notavi *capit.*1. *numer.*1. Quibus autem judicibus, fuit Romana Eccleſia condemnata, & potuit condemnari? Ipſi ſoli armati pertinacia ſuis clamoribus, & mendaciis, in eam tales errores deportant. Evidenti quidem injuſtitia, & præter legitimi judicii leges, in quo idem non eſt judex, accuſator, & teſtis; Videant itaque propriam dementiam, & ſe per ſeceſſionem à capite cum corpore Eccleſiæ non communicare. Audiantque Auguſtinum *lib.*2. *contr.epiſt. Parmen. cap.*11. *quòd præcidendæ unitatis nulla eſt juſta*

ſta neceſſitas; Non enim tantum bonum afferre poteſt ſeparatio, quantum detrimenti producit.

Sed, inquiunt, nos provocamus ad Scripturam, & Evangelium.

At quàm ſtultè id agunt! Nondum enim, vel ex uno loco ſcripturæ probare potuerunt ullam ſuæ ſeparationis cauſam ſatis idoneam, vel, Romanam Eccleſiam defeciſſe.

Conantur producere illud *Apocalyp.*18. Fugiendam eſſe Babylonem, & idololatriam: *Exite de illa populus meus, ut ne participes ſitis deliſtorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis*. Sed hoc de Roma Ethnica, & non de Eccleſia Romana dictum eſſe oſtendit Du-hamel *Theol. Cleric.to.5, de Eccleſ. lib.1. diſſert.1. cap.ult.* Legendus Tirinus in eum locum, & nos alibi dicturi ſumus.

10 Ulteriùs, prætenſa eorumdem miſſio deſtruitur. Etenim concludi minimè poteſt, quòd ex quo Lutherus, & Calvinus fuerint ordinati ſacerdotes in Eccleſia Romana, fuerint miſſi ad regendam Eccleſiam, & paſtorale munus receperint; nam alia eſt poteſtas Ordinis, & alia juriſdictionis, ut optimè Valemburcii *cit. cap.12.n.2.* Hæc tolli poteſt, quia executionem poteſtatis poſſe auferri nemo dubitat; illa tolli nequit, ob indelebilem characterem. Sic Sacerdos Apoſtata manet Sacerdos quoad characterem, & poteſtatem Ordinis, ſed propter hæreſim amittit, non ſolùm legitimam auctoritatem exercendi Sacerdotium, ſed etiam juriſdictionem, ſi quam habuit; Quò circa licèt validè non tamen licitè conſecrat, & nec validè, nec licitè à peccatis abſolvit propter juriſdictionis defectum niſi in extrema neceſſitate. Ita dicendum, quòd Lutherus, & Calvinus poſt defectionem nullam habuerunt auctoritatem, vel juriſdictionem, ſed in eis remanſit ſola ordinis poteſtas cum exercitii impedimento. Qua igitur auctoritate ubique Evangelium prædicarunt, ac novas Eccleſias fundarunt? Non ab Eccleſia Romana recepta, quæ eis nunquam hanc contulit, ſed ſola uſurpata: in Deum, & Eccleſiam rebelles, pſeudo-Doctores, & pſeudo-prophetæ.

Dicunt 1. Paſtores Catholicos non debitè impleviſſe ſui muneris partes, & inde ſibi integrum fuiſſe ad alias Eccleſias, & loca, ad Eccleſiam reformandam tranſire.

R. Hìc Proteſtantes ſuam miſſionem legitimam fuiſſe ſupponunt, quam nos uſurpatam, & confictam iterùm dicimus. Adverſus quos item conſideramus; quòd ſi quis Delegatus ad certam cauſam, ad certum locum, vicinos judices deturbaret, hoc ſolùm prætextu, quòd malè judicarent, & ad palliandam violentiam diceret, id cuivis Juriſperito licere; nonne talem quicunque judicaret puniendum, ut turbulentum invaſorem, & alieni juris uſurpatorem? Et hinc, licèt permitteretur, eos miſſionem ad regendam Eccleſiam recepiſſe (quod conſtanter negamus) nunquam id eis exequi poſt diſceſſionem ab Eccleſia Romana, licuiſſet, utpotè propter hæreſim, & præciſionem ab unitate Eccleſiæ, quacunque miſſione, & juriſdictione ſpoliatis.

Dicunt 2. Deus unicuique mandavit de proximo ſuo; ergo potuerunt Lutherus, Calvinus, aliique videntes fidem temeratam, moreſque corruptos, Eccleſiam reformare.

11 R. Negatur conſequentia. Curæ enim, quam divino præcepto proximo debemus, exigit, ut ei impendamus charitatis officia, ſed non dat jus ad officia, ut ſunt, quæ Paſtoratui alligata ſunt; Non enim omnibus, ſed Epiſcopis ſolùm, Apoſtolus *ad Tit.cap.1.* dixit: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per Civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*. Reliquerat Paulus Titum in Creta Epiſcopum (immò Archiepiſcopum ex Tirino *ad cit.tex.* & toti Inſulæ Præpoſitum, ut legit Piconius *in eumdem locum*) ut in Civitatibus pro regimine

mine fidelium Epiſcopos conſtitueret, & in aliis minoribus locis presbyteros. Et hinc patet Rectores Eccleſiarum debere eſſe vocatos, & miſſos ab habente poteſtatem.

Dicunt 3. Fideles, licèt laici, per regiones Judęæ, & Samariæ evangelizarunt Verbum Dei, *Actor.8.Facta eſt autem*, ait textus, *in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Hieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Judeæ, & Samariæ præter Apoſtolos. Igitur, qui diſperſi erant, pertranſibant evangelizantes Verbum Dei;* quorum plures ſanè fuerunt laici; nam, ut ait Lucius Deſter *in Cronicon ad ann.Chriſti* 35. pluſquam quindecim millia virorum ab Jeroſolymis tunc fugerunt.

12 R. Neque ex hoc Proteſtantes quidquam obtinent; nam Fideles illi ſolùm ex motivo charitatis ignorantes docebant; ad quod, opus non eſt externa vocatione, ſeù miſſione, quæ tamen abſolutè requiritur, ut quis Cathedram habeat: ut populum fidelem regat: ut eum paſcat Sacramentis: ut fiat animarum Paſtor. Quę omnia, uſurpata auctoritate, & Paſtoratus officio præſtiterunt Lutherus, & Calvinus.

Et cùm opponunt veterem Synagogam pariter fuiſſe à piis Regibus reformatam. Dicendum, dictos Reges in veteri Teſtamento non eo ſenſu ſynagogam reformaſſe, quòd ſacerdotium uſurpaverint, vel eam in partes diviſerint; ſed quod ſuis monitis curaverint, ut Sacerdotes ad normam legis ſuis officiis fungerentur, ut expreſsè textus 2. *Paralipomen cap.29.* Lutherus autem, & Calvinus paſtorale munus uſurparunt, & unitatem Eccleſiæ ſciderunt contra articulum fidei de unitate Eccleſiæ.

13 Replicant. Munus docendi ex æquo eſt omnibus fidelibus commune: Omnes enim Petrus *epiſt.1.cap.2.* titulo Sancti, & Regalis Sacerdotii condecorat: *Vos autem fideles*, inquit, *genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta..... ut virtutes ejus annuntietis*. Neque à Sancto Petro datur fidelibus titulus ſine re; ergo fas eſt, omnibus publicè prædicare, & Sacramenta adminiſtrare in Eccleſia: Sed hìc etiam verbis ludunt. Si enim omnibus licet publicè prædicare, & ſacramenta adminiſtrare, quæ confuſio in Eccleſia non erit? Verum eſt, quod D.Petrus Fidelibus minimè dedit titulum ſine re, quia reverà Eccleſia eſt Regnum Chriſti ſacrum, & in ea eſt ſacerdotium, non legale, & Gentilitium, ſed excellentiſſimum: Quare illud extendere ad facultatem ſacrorum Eccleſiaſticorum celebrandorum, contradicit veritati, & ipſimet D.Petro; Veritati quidem, quia neque ipſi Novatores mulieres admittunt pro ſacramentorum adminiſtratione, ut obſervant Valemburcii *cap.38.nu.10.* & à publico docendi munere in Eccleſia à D.Paulo excluduntur 1.*ad Timoth.2.* D.etiam Petro, quia ibi loquitur de univerſis Fidelibus, maribus, & fœminis; quibus tamen omnibus, & ſingulis ea facultas, neque apud Proteſtantes tribuitur; qui Anabaptiſtas revincunt errare, quòd ex illo Petri teſtimonio probent, omnes Fideles eſſe Sacerdotes, ut referunt cit. *cap.55.§.8.nu.10.* Ubi conſiderant, quod ſi Petrus ea verba deſumpſit ex Exod. *cap.19. n.6. & vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & gens Sancta*; Num hinc ſinguli de populo habebant eamdem poteſtatem cum legitimis ſacerdotibus? Numquid Rex Ozias lepra percuſſus non eſt, quòd munus ſacerdotale voluerit exercere? 2. *Paralip.26.*

14 Quocirca nullus debet eſſe Sacerdos, & Miniſter Eccleſiæ niſi à Deo electus immediatè, vel mediatè, aut ſolemni ritu in forma conſueta Eccleſiæ vocatus, hoc eſt, conſecratus, & debitè ordinatus; quòd urget Apoſtolus *ad Hebr.5. Nec quiquam ſumit ſibi honorem*, (Sacerdotii, & Miniſterii) *ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron*. Hoc non ſervatur apud Lutheranos, & Calviniſtas; Sed ibi ingerunt ſe ex turba, qui volunt, modò garrire

re norint, & loquaces ſint, ut ſcribit Becanus *to.3.opuſ.de Pontif.vet.teſtam.lib.3.c.3. q.2.num.21.*

Opponunt. D. Petrus negando Chriſtum, negavit fidem; ſed, deficiente capite, deficit corpus; ergo tunc defecit Eccleſia.

15 R. Argumentum urgeri nequit à Proteſtantibus, qui ultrò concedunt, Eccleſiam primis quingentis annis non periiſſe. Sed à quocunque id opponatur, negatur major; nam Petrus negando Chriſtum, nec internam fidem habitualem, vel actualem amiſit, cùm pro eo Chriſtus rogaverit *Lucæ 22. Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*. Negatione itaque Petrus peccavit contra præceptum fidei, non confitendo externè fidem tempore, quo tenebatur. Ideò perdidit ſolùm charitatem, & actum exteriorem fidei, ex quo ore non ſit profeſſus fidem, quam in corde habebat. Ita Tirinus *cit.in 26.Matth.* Boivin.*Theol. quadripart.to.2. de Sum.Pontif.diſp.2.q.8. verſ. Secunda explicatio*. Quæ diſtinctio habetur ex Chryſoſtomo *Homil.83.in Matth. Non dixit: non negabis; ſed, ut non deficiat fides tua; Cura enim ipſius factum eſt, ne omninò fides Petri evaneſceret*. Unde Petrus ab oratione Chriſti duo privilegia recepit; Unum, quo ipſe non poſſet in fide errare, *ut non deficiat fides tua*; alterum, quo non poſſet aliquid contra fidem proponere; *& tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Primum probat Auguſtinus *lib. de correpţ. & grat.cap.8. quando rogavit, ut non deficiat fides ejus, rogavit, ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem*. De Secundo S.Leo *ſerm.3. de ſua aſſumpt.* ait: *Firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur per ipſum cæteris Apoſtolis confertur*. De quo etiam alibi.

16 Nec Proteſtantes, neque alius ullus poſſunt allegare Eccleſiam in triduo mortis Chriſti defeciſſe, putantes ex eo probari, quòd in triduo ſola B.Virgo habuerit fidem; Sola autem B.Virgo non eſt Eccleſia, quia hæc eſt Congregatio Fidelium. Nam & Joannes cum nonnullis ſanctis mulieribus, quæ Chriſtum fuerant ſecutę manſit uſque ad crucem. Immò nec Apoſtoli (de Petro diximus ſupra) Chriſtum negarunt, ſed ſolùm nimio timore perculſi, eum dereliquerunt, & fugerunt; quòd non probat, eos fidem internam perdidiſſe. Lambrecht *cit.diſp.1.q.7.n.54.*

Opponunt 2. Synagoga Judæorum ſæpè defecit. Primò cum *Exodi 32.* Aaron, & Populus Iſraeliticus adoraverunt vitulum; ergo tunc Eccleſia viſibilis tota defecit cum viſibili capite. Secundò, *2.Paralip.15. tranſibunt multi dies in Iſrael, ſine Deo vero, ſine Sacerdote, Doctore, & abſque lege*; Eccleſia autem ſine Sacerdotibus, & lege, ac adoratione veri Dei eſſe non poteſt. Tertiò Synagoga tempore Chriſti defecit; ergo etiam tota Eccleſia Chriſti deficiet; ergo non eſt indefectibilis.

17 R. Negando antecedens. Ad primum nihil ibi legitur de omni, & toto populo; quinimò Moyſes *verſ.26.* contrarium oſtendit. *Si quis eſt Domini, jungatur mihi; congregatique ſunt ad eum omnes filii Levi*; Quòd autem de capite viſibili allegant, eſt falſum, quoniam Aaron tunc temporis nondum erat conſtitutus Summus Pontifex.

Ad Secundum. Conſuetudo Scripturæ eſt, ut in reprehenſionibus, tam generaliter loquatur, ac ſi nullus exciperetur. Ita Apoſtolus *ad Galat. 3.* ait: *O inſenſati Galatæ; Quis vos faſcinavit non obedire veritati?* & tamen oſtendit, non de omnibus loqui; nam *verſ.26.* dicit: *omnes enim filii Dei eſtis per fidem, & cap.6. Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis*. Idem Paulus *ad Philipp.2.* generaliter dicit: *omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Jeſu Chriſti*, & nihilominus Philippenſes *cap.1.* vocat Sanctos ſaltem ſanctitate fidei, eoſdemque non vulgariter laudat; Quare cùm Scriptura generaliter reprehendit, loquitur de eo, quod generaliter fieri ſolet; non de ſin-

ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorum. Ipſi Prophetæ, qui reprehendebant, non erant impii; Apoſtoli conquerentes de lapſis, non comprehendebant ſeipſos. Tales itaque generales reprehenſiones habent univerſalitatem, quæ appellatur accommoda, ut ex Auguſtino *lib. unic.de Donatiſt.poſt Collat.cap.20.in fine. More ſuo ſcriptura loquitur, quæ ſic arguit malos, tamquam omnes in eo populo mali ſint; & ſic conſolatur bonos, tamquam omnes ibi tales ſint.*

Advertendum, quòd ad Synagogam duo-Regna ſpectabant; Alterum Juda, quod conſtabat duabus; alterum Iſrael, quod conſtabat decem tribubus. Hoc poſterius ſtatim à principio ſub primo Rege Jeroboam defecit à vera fide, & publicè cępit Idola adorare 3.*Reg.*12. & in eo ſtatu permanſit, uſque ad captivitatem 4.*Reg.* 17. & de hoc intelligitur prædictio, *d.*2. *Paralip.* Verùm ſemper in eo Regno fuerunt nonnulli, qui ab Idololatria abſtinerent, & verum Deum colerent, etiam tempore Eliæ qui, cùm putaret ſe ſolùm relictum eſſe, audivit reſponſum à Deo 3. *Reg.*19. *& derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal.*

In Regno Juda aliter res ſe habuit. Etenim plures Reges fuerunt boni, & Cultores veri Dei, ut Aſa, Joſaphat, Azarias, Joathan, Ezechias, & Joſias, ſub quibus Religio, vel reſtaurata eſt, vel conſervata. Quidam fuerunt Idololatrę, ut Achaz, Manaſſes, Amon, & nonnulli, non quidem Idololatræ, ſed tamen mali: Semper tamen in templo Salomonis videtur manſiſſe uſus ſacrificiorum, ſecundùm legem Moſaycam, uſque ad captivitatem Babylonicam, ut colligitur ex 2.*Machab.*1. Videndus Auguſtinus *de unit. Eccleſ.cap.*13. Becanus *to.*5.*Opuſc. de Eccleſ. Chriſti num.*83. & 84.

Ad tertium. Id eſt verum, quatenus tunc repudiata eſt cum ſuis cærimoniis, & ſacrificiis, & in ejus locum ſucceſſit Eccleſia Chriſti, ut docet *Boyvin.cit.de Eccleſ. q.*4. & Becanus *nu.*85. vel, ejus ſtatus in meliùs mutatus eſt per adventum Chriſti, ut ſcribunt Valemburcii *tom.*2.*tract.*3. *de Eccleſ.p.priori nu.*22.

Dices: ergo & Eccleſia Chriſti, vel repudianda eſt, vel in meliùs mutanda.

18 R. Negatur conſequentia; nam Eccleſia Chriſti majores, & meliores promiſſiones habet, quàm Eccleſia Judaica. De illa dicitur: *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*, & aliæ, quas in probationibus dedi, quibus abſolutè indefectibilitas Eccleſiæ uſque ad finem mundi oſtenditur. Illud *Daniel.*9. *Deficiet hoſtia, & ſacrificium*, intelligitur de Synagoga, non de Eccleſia. Deinde Eccleſia eſt libera, & Synagoga fuit ancilla; Illa deſignatur per Saram, quæ fuit uxor Abrahæ; hæc per Agar, quæ fuit ancilla, *ad Galat.*4. & Agar fuit dimiſſa, & repudiata, non ſic Sara. Atque ita prophetię, & promiſſiones reſpicientes ſynagogam non extenduntur ultra tempus Chriſti. Valemburcii *cit.nu.*22.

Dices: Apoſtolus ad Theſſalonicen.2. prædixit defectionem Eccleſiæ tempore Antichriſti: *Niſi venerit diſceſſio primùm* (hoc eſt defectio à fide) *& revelatus fuerit homo peccati* (hoc eſt Antichriſtus) At jampridem Antichriſtus eſt revelatus, quem conſtat eſſe Romanum Pontificem; ergo jampridem Eccleſia defecit.

19 R. Major eſt falſa. Ibi nihil dicitur de defectione totius Eccleſiæ. Non negamus, aliquos tempore Antichriſti defecturos à fide; exinde tamen non benè infertur omnes defecturos. Ita tempore Apoſtolorum, & ſingulis ſubſequentibus ętatibus plures, at non omnes à fide defecerunt. Quinimò Novatores dicentes Antichriſtum jam veniſſe, adhuc negant omnes à fide defeciſſe, aliàs fateri deberent, ſe quoque defeciſſe, cùm & ipſi ſuo corrupto judicio, fideles ſe judicent. Becanus *num.*86.

20 Mi-

20 Minor eſt omninò falſa, & manifeſtè hæretica, ideòque alibi etiam examinanda. Tum quia, homo peccati dicitur quidem ſeſſurus in templo Dei, ſed non dicitur, quòd interrupturus ſit Pontificum ſucceſſionem; Tum quia, ſi Apoſtolus loquitur de Antichriſto, ut eſt communis Patrum ſententia: in qua ille ſedebit Eccleſia? An fortè in vera Eccleſia, & in templo Dei? ergo Eccleſia non erit inviſibilis, & extincta. Si falſa ſit, & Spuria; ergo non erit templum Dei, in quo homo peccati ſeſſurus ſit: Deinde, ſi velint defectum totalem Eccleſiæ Chriſti ſub Antichriſto, ſeipſos perdunt, ſibiipſis contradicentes, dum Pontificem Romanum vocant Antichriſtum, & tamen ſuas Eccleſias, tamquam verè Chriſtianas, totique mundo conſpicuas deprædicant. Sileant itaque Proteſtantes, & Eccleſiam Romano-Catholicam veram Chriſti Eccleſiam recognoſcant.

Oppnunt 3. Illud Lucæ 18. *Filius hominis venturus putas inveniet fidem in terra?* ergo Eccleſia Chriſti ſub fine mundi deficiet. Item, quòd 9. *Apocalyp.* dicatur, ſolem eſſe obſcuratum fumo, qui ex puteo abiſſi aſcendit. Per ſolem autem Eccleſia intelligitur. Item, Eccleſia comparatur Lunæ; Luna autem aliquando deficit; ergo Eccleſia etiam aliquando deficiet.

21 R. Si eo loco ageretur de fide interna, & de hac dicatur, quod deficiet, jam non modò viſibilis, ſed etiam Eccleſia inviſibilis deficiet. Eccleſia enim inviſibilis ſine fide interna non poteſt eſſe; Ipſi autem Eccleſiam inviſibilem volunt perpetuam. Si verò tantùm ageretur de externa fidei profeſſione, hac etiam tota ſublata, ceſſaret Eccleſia inviſibilis, quia, Apoſtolo teſte ad Rom. 10. *Ore fit confeſſio ad ſalutem*. Nullus itaque erit juſtus, ubi nullus profitetur fidem; Ideò & ipſi Proteſtantes videant in textu allegato non agi de defectione Eccleſiæ, vel fidei; & audiant Auguſtinum *de unit. Eccleſ. cap.* 15. exponentem, *quòd nos intelligimus dictum, vel propter fidei perfectionem, quæ ita difficilis eſt in hominibus, ut in ipſis quoque admirabilibus Sanctis, ut in ipſo Moyſe inveniatur aliquid, ubi trepidaverit, vel trepidare potuerit; vel propter illam iniquorum abundantiam, vel parvitatem bonorum, de qua ſatis diximus. Propterea enim tamquam dubitans, hoc Dominus dixit; Neque enim ait, Veniens filius hominis non inveniet fidem in terra; ſed putas, inveniet fidem in terra? Cui utique cunctaſcienti, & preſcienti de aliqua re dubitare non convenit; ſed illius dubitatio noſtram dubitationem figuravit, quia propter multa ſcandala circa finem ſæculi pullulantia, hoc erat quandoque infirmitas humana dictura.*

Ad ſecundum nequeunt Proteſtantes oſtendere, quòd eò loci Eccleſia deſignetur, quæ licèt obſcurari interdum poſſit, ut fortè perſecutionum tempore evenit, non propterea poteſt ſic deficere, ut ab infidelibus, ipſiſque Novatoribus videri, & dignoſci non poſſit. Du-hamel *ubi ſupra cap. ult. oppoſit. 3. adverſ. 2. conc.*

22 Ad tertium. Hic etiam Proteſtantes quærunt occaſionem calumniandi. Habent clara, & aperta teſtimonia ex Scriptura, & Patribus pro innocentia, & integritate Sanctæ Matris Eccleſiæ, & tamen ea mendoſis interpretationibus exponunt. Fortè Eccleſia eſt ſimilis Lunæ in hoc, quòd ſicut Luna ſemel in menſe deficit, ita Eccleſia ſæpè deficiat? abſit hoc ſentire, & evulgare. Dicitur itaque Eccleſia ſimilis Lunæ. Primò quia quemadmodum luna in principio menſis exigua eſt, & paulatim creſcit, donec plena, & perfecta ſit, ſic Eccleſia in principio ſui ortus exiguum terræ locum occupavit, & poſteà ita crevit, ut toto Orbe terrarum diffunderetur, ut ait Auguſtinus *in pſal. 103. ſer. 3. nu. 19. ad illum verſ.* fecit Lunam in tempora. *Intelligimus ſpiritaliter Eccleſiam creſcentem de minimo..... quando obſcura erat Eccleſia, quando nondum apparebat, nondum eminebat, ſeducebantur homines..... Modò, quàm cæcus eſt, qui plena Luna errat!*

Secundò, quia ſicut luna accipit lumen cor-

corporale à ſole, ita Eccleſia accipit lumen ſanctitatis, & fidei à Chriſto, ut idem Auguſtinus *in pſal.10. nu.3. Luna*, inquit, *intelligitur Eccleſia, quòd ſuum lumen non habeat, ſed ab Unigenito Dei Filio, qui multis locis in Sanctis Scripturis allegoricè ſol appellatus eſt, illuſtratur.*

Tertiò, quia ſicut luna eſt mutationi obnoxia, ita & Eccleſia in hac vita, aliquando fruitur pace, & ſæpè perſecutiones ſuſtinet, nunquam tamen deficit. Ita Ambroſius *lib.4. exam.cap.2. Eccleſia*, ait, *tempora ſua habet perſecutionis, & pacis; Nam videtur, ſicut luna deficere, ſed non deficit; Obumbrari poteſt, deficere non poteſt.*

In iſtis ſtat ſimilitudo inter Eccleſiam, & Lunam, non in defectione; nam Eccleſia nunquam in fide defecit, nec eſt defectura, ſed ſemper firma, & ſtabilis eſt, eritque; Et ex hac parte non Lunam, ſed terram imitatur, ut loquitur Gregorius *in pſal.5. pænitent. ad verſum, initio tu Domine terram fundaſti. Terra autem dicta eſt Eccleſia, quia in ſoliditate fidei perpetua firmitate immobiliter perſeverat.*

Cur itaque Proteſtantes ſimilitudinem in præjudicium Eccleſiæ allegant, quando tot alia in ejuſdem favorem promere poſſunt, niſi quia à via veritatis recedere intendunt, & calumniis propriam matrem onerare? Eos proinde corripit Auguſtinus ubi *ſupr. de unit. Eccleſ. cap.13.* ad calcem: *Iſti ergo* (hæretici) ait, *vel imperitè, vel fallaciter, agentes colligunt de Scripturis talia..... & volunt ea detorquere in Eccleſiam Dei, ut tanquam defeciſſe, & periiſſe de toto Orbe videatur. Deſinant ergo talia proferre.*

Tandem opponunt auctoritatem Hieronymi in Dialogo contra Luciferianos, qui ex eo quòd Concilium Ariminenſe eraſerit vocem *conſubſtantialem*, quam Synodus Nicæna I. Symbolo contra Arianos inſeruerat, exclamavit, per illud Arianiſmum invectum eſſe in Univerſum Orbem, inquiens: *Tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata eſt; ingemuit totus Orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt;* ergo tunc Eccleſia periit.

23 R. Neque ex hoc poſſunt Proteſtantes ad defectionem Eccleſiæ diſcurrere; Siquidem Ariminenſe celebratum eſt *anno 359.* quo tempore, & ipſi Eccleſiam extitiſſe concordant. Quo circa negatur ex facto dicti Concilii, quòd legitimè non proceſſit, Eccleſiam in fide defeciſſe; Nam nec omnes Epiſcopi Catholici formulæ fidei, abraſa voce *conſubſtantialis*, ſubſcripſerunt. Non enim ſubſcripſit Liberius Pontifex, nec Servatius Epiſcopus Jungrenſis, aliique plures, ut notat Annat. *apparat. ad Theol. poſit. lib.5. p.3. art.5.* Illi verò Orthodoxi, qui ſubſcripſerunt, non ſunt dicendi hæretici, quia id fraudibus ab Arianis decepti egerunt. Non enim ſola ſcribens manus hæreticum facit, cùm reclamat animus, ut idem ſcribit; hæreticum enim pertinacia facit, ex Auguſtino *de geſt. Pelagii, cap.6. & epiſt.43. ad Gloſ. & Eleuſ.* Perſuaſum fuit Catholicis Epiſcopis Arianos ſuum antiquum errorem depoſuiſſe, dum formulæ inſeruerant, *Filium non eſſe creaturam cæteris creaturis ſimilem.* Unde Hieronymus ibi Catholicos loquentes inducit. *Putavimus ſenſum congruere cum verbis; nec aliud in Eccleſia Dei, ubi ſimplicitas, ubi pura confeſſio eſt, aliud in corde clauſum eſſe, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis exiſtimatio.*

Poſt Concilium Ariminenſe ingemuit quidem Orbis terrarum ſe eſſe Arianum, non quidem re ſed in ſpecie tantùm, hoc eſt, propter ſilentium de voce conſubſtantialis, nec non propter communionem cum Arianis, qui tamen Catholici putabantur; quod ſilentium, & communio toti Eccleſiæ ſcandalo fuerat, ſed non proinde Eccleſia defecit à vera fide.

24 Deinde fundamentum Proteſtantium de defectione Eccleſiæ Romano-Catholicæ à fide, ex hoc etiam, quòd in definiendo defectionis tempore non concordent, falſum omninò obſervatur; nam quidam volunt defectionem contigiſſe tem-

tempore Gregorii Magni circa annum Chriſti ſexcenteſimum, ita David Chytræus *in cap.9. Apocalyp.* Alii tempore Phocæ Imperatoris anno Chriſti 606. ita Lutherus in *ſupputatione temporum;* Quidam tempore Pipini Regis anno 763. ita Henricus Bulinger., *præfatione in Apocalypſim;* Quidam tempore D. Bernardi circa annũ 1200. ita Vvolfangus muſculus in *locis cit. de Eccleſia*; Et quidam aliud tempus definiunt, quiſque pro ſuo capite. Qui omnes videntur ſimiles fuiſſe ſenibus; qui Suſannam de patrato adulterio accuſabant. Rogati enim à Daniele de loco patrati criminis, unus hoc, alius alio loco commiſſum eſſe deponebat. Hac forma procedunt Proteſtantes; Accuſant Eccleſiam Romanam de Apoſtaſia; at rogati de tempore, alius ſub Gregorio, alius ſub Phoca, alius ſub Pipino, alius verò ſub alio factam eſse contendit; ideò non ſunt convenientia eorum teſtimonia. *Marci* 14.

25 Albertus Grannerus in *diſputatione de Antichriſto* §.139. ſuorum Proteſtantium diſſenſiones conatur inter ſe conciliare, affirmans, defectionem Eccleſiæ Romanæ à fide occultè, & hominibus non advertentibus, non uno tempore, ſed ſucceſſivè contigiſſe; Ideò tempus notari non potuiſſe. Verùm, ſi defectio occultè facta eſt, nullo hominum advertente, unde ipſi conſtat factam eſſe? Unde conſtat non uno tempore, ſed ſucceſſivè errores in Eccleſia (quòd non damus) irrepſiſſe? Quare ipſe non errat?

Dicit fortaſſe, occultè quidem eſſe factam, ſed poſteà ex ipſo eventu manifeſtè fuiſſe deprehenſam; at in hoc etiam temerè procedit, & palpabili errore diſcurrit; cùm nihil allegari poſſit, in quo Eccleſia ipſa defecerit, quæ eſt *columna, & firmamentum veritatis.*

CAPUT IV.

An Eccleſia Romano-Catholica in iis, quę fidei, & morum ſunt, errare poſſit?

SUMMARIUM.

1 *Calumnia Novatorum adverſus Eccleſiam Romanam.*
2 *Eccleſia Romano-Catholica in rebus fidei, & morum infallibilis.*
3 *Probatio ex Scripturis.*
4 *Infallibilitas duplex, Activa, & paſſiva.*
5 *Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis.*
6 *Modus arguendi calculatoriè, univerſaliter non concludit.*
7 *Promiſſiones Chriſti de infallibilitate Eccleſiæ ſunt abſolutæ.*
8 *Quo ſenſu peccans dicatur ignorans?*
9 *Tota Eccleſia, nec tempore ſchiſmatis, & Sedis vacantis poteſt errare.*
10 *Probatio ex Auguſtino.*
11 *Eccleſiæ ratione ſui capitis competit infallibilitas activa, & definiens.*
12 *Probatio per rationes.*
13 *Error inculpabilis in Eccleſiam cadere non poteſt.*
14 *Additio particulæ* Filioque *non eſt oppoſita fidei.*
15 *Error Macedonii circa proceſſionem Spiritus Sancti.*
16 *Doctrina Joannis Theologi in Concilio Florentino adverſus Græcos, negantes proceſſionem Spiritus Sancti à Filio.*
17 *Ad Romanum Pontificem ſpectat Symbolum ordinare.*
18 *In dubiis fidei, & morum ſtandum eſt judicio Eccleſiæ.*
19 *Articuli fidei quoad ſubſtantiam ſucceſſu temporis augmentum non receperunt, ſed ſolùm quoad majorem explicationem.*
20 *Cur non omnia in antiquioribus Conciliis fuerint definita?*
21 *Credere explicitè, & implicitè quid ſit?*

22 *My-*

22 *Myſteria fidei alia de fide quoad ſe, alia quoad nos.*
23 *Novi articuli fidei non ſunt in Eccleſia poſt Tridentinum.*
24 *Qua ratione propoſitio Eccleſiæ pertineat ad articulum fidei?*
25 *Sententia non reſiſtens definitioni Eccleſiæ non arguit diverſam fidem.*
26 *Eccleſia Romana nunc exiſtens habet identitatem cum primitiva in ſpectantibus ad fidem; & mores,* & nu.32.
27 *Cur D.Cyprianus defendens rebaptizandos eſſe baptizatos ab hæreticis non fuerit hæreticus?* nu.35.
28 *Matrimonium non eſt omnibus præceptum.*
29 *A Chriſto non eſt omnibus præcepta communio ſub utraque ſpecie.*
30 *Eccleſia legitimis cauſis decrevit laicis communionem eſſe exhibendam ſub ſpecie panis tantùm.*
31 *Poteſtas Eccleſiæ circa ſacramentorum diſpenſationem.*
32 *Diverſi Ritus Miſſæ cur conſtituti?*
33 *Doctrina fidei irreformabilis.*
34 *Per definitionem Concilii, & Papæ conſtat ſufficienter de praxi Eccleſiæ.*
35 *Cur plures Patres diverſa ſentientes non fuerint hæretici?*

1 LUtherani, & Calviniſtæ erroris in rebus fidei, & morum Eccleſiam Romano-Catholicam inſimulare non ceſſant; eamque declamant, plenam, & totalem convenientiam, ac conformitatem in rebus credendis non retinere cum Eccleſia primitiva, quæ primis quadringentis poſt Chriſtum annis communicabat cum Romano Pontifice; adeòque non eamdem, ſed aliam eſſe, & omninò diverſam deprædicant. Sed quàm mendosè, & per calumniam in eo proceſſerint, & pertinaces ſint, nullus non videt. Siquidem cùm ad reſoluta in præcedentibus ſola Eccleſia Romano-Catholica ſit vera Eccleſia Chriſti, & indefectibilis, ſequitur, quod ipſa ſola habeat infallibilitatis privilegium, & circa res ad fidem, & mores ſpectantes, ab omni errore immunitatem.

Præſens controverſia eſt prorſus alia, tum ab ea, quæ examinatur de infallibilitate Papæ, quam hic ſupponimus, & ex profeſſo dicendum *controv.*7. tum ab alia, qua quæritur, an Epiſcopi in Concilio Generali congregati (qui dicuntur Eccleſia Univerſalis repræſentativè, quatenus quilibet ſuam particularem repræſentat) errare poſſint, vel non, quia de hoc etiam agendum eſt *contr.*8. Propterea difficultas in præſenti reſtringitur ad totam, ſeù Univerſalem Eccleſiam, ut dicit omnes Eccleſias particulares per Orbem; vel, ut eſt fidelium ſocietas, cum Romano Pontifice communicans; quibus viſis,

2 Dicendum. *Eccleſia Romano-Catholica in iis, quæ fidei, & morum ſunt, errare non poteſt.* Eſt de fide, & omnium Catholicorum ſententia.

3 Probatur. Eccleſiæ Romano-Catholicæ factæ ſunt in ſuo Capite promiſſiones, ne unquam erret, & in rebus fidei, & morum deficiat, quod innumera Scripturæ teſtimonia evincunt, & confirmant: Et illud in primis. *Matth.16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Hic ne erraret Eccleſia, promiſſio facta eſt Magiſtro, & Capiti; Securitas enim non errandi in materia fidei, & morum prius reſidet in Romano Pontifice, Magiſtro Eccleſiæ, & ex illius ſecuritate reſultat ſecuritas non errandi in Eccleſia, quæ ipſum audit, & ejus doctrinam recipit, ejuſque firmitas in ipſa firmitate Petræ, & fundamento ſolidatur, ut optimè Canus *lib.6. de locis cap.3. §. prætereà* apud Cardenas *Criſ.theol.p.1.tr.1.diſp.9.cap.6.art.2.n.65. in Petro, & ſucceſſoribus primùm firmam, certamque doctrinam aſſerimus, mox verò in Eccleſia Romana; cujus Petrus, cum ſucceſſoribus, & Caput, & fundamentum eſt.* Cùm ergo Romanus Pontifex in rebus fidei, & morum errare non poſſit, nec in eis errare poteſt tota Eccleſia; pro qua etiam, ne

erraret, oravit Chriſtus, quando oravit pro Petro, & ſucceſſoribus ipſius Lucę 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*. Unde Joann. XXII. *Conſt. Redemptionem la 11. Bullar. to. 1.* dixit: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, dumque pro Petro Chriſtus rogat, pro ejus Eccleſia intercedit*, ut notavi *Off. Cur. Eccleſiaſt. cap. 27. num. 3.*

4 Quare conſideranda eſt cum Guarnieri *de Eccleſ. milit. lib. 1. cap. 15. num. 3.* Et Seſſa *Scrut. Doctrin. cap. 2. art. 12. nu. 53.* Duplex ſpecies infallibilitatis; una *perſonalis*, vel *paſſiva*, ſeù, *in ſentiendo, & credendo*; alia verò *activa*, quæ dicitur *judicialis*, & *in definiendo* fidei, & morum quæſtiones; hæc reſidet in ſolo Romano Pontifice, ipſoque præſidente, vel confirmante, etiam in Conciliis generalibus; illa verò in Eccleſia, ſumpta pro correctione Fidelium; In ea enim ſemper fides Catholica pura, & ſincera erit, ſemper erunt Fideles in eadem fidei unitate, qui adhæreant viſibili ejuſdem capiti, ejuſque definitiones in materia fidei, & morum ſummo obſequio recipiant, adeò ut ipſa Eccleſia, nec ſchiſmatis tempore, aut Sede vacante, aut aliàs ſit unquam à catholica fide receſſura.

5 Secundò. Eſt illud Pauli 1. ad Timoth. 3. *Eſt Eccleſia*, ratione ſui Capitis, *columna, & firmamentum veritatis*, conſervans certam, & firmam cognitionem veritatum, quæ in ſacris litteris, & traditionibus continentur; cui Deus ita aſſiſtit, & protegit, ut veritatem à mendaciis, & erroribus diſcernat, & in fide non erret.

Nec detorquenda eſt auctoritas, ut Proteſtantes dixerunt, ad ſolos articulos neceſſarios, & fundamentales; nam ea limitatio in textu non legitur; ſed Paulus abſolutè tradit, Eccleſiam eſſe firmamentum veritatis, adeò ut tota non poſſit in rebus fidei errare, ſed ſit baſis veritatis, arx inexpugnabilis, in nullo nutans, firmiter conſervans, & credens omnia, quæ Deus revelavit, & Papa credenda proponit.

Dicunt 1. Apoſtolum ibi agere de particulari Eccleſia Epheſina, cujus à Paulo Epiſcopus (quinimò Primas omnium Eccleſiarum Aſiæ Minoris, quarum Metropolis erat Epheſus, ut legit Tirinus in *præfatione ejuſdem epiſtolæ*) Timotheus erat creatus.

R. Eccleſiæ particulari Epheſinæ non abſolutè convenit teſtimonium Apoſtoli, quæ fatentibus etiam Proteſtantibus, à fide defecit. Unde nec de particulari Eccleſia eſt abſolutè, & ſemper verum, quod ſit columna, & firmamentum veritatis, cùm unaquæque particularis (excipitur illa, quę Romæ eſt) poſſit à fide deficere, ut in nonnullis jam contigiſſe experimur. Ideò ſoli Eccleſiæ Univerſali competit perpetua, & immobilis firmitas in rebus fidei, & morum, ita ut tota conſervans articulos fidei, & præcepta morum, deficere non poſſit; hinc ad eam, & non ad Eccleſiam particularem abſolutè verba Apoſtoli referuntur, ut ipſa ſit in veritate retinenda, ſtabilis, & firma, inſtar columnæ firmiſſimæ.

Dicunt 2. Si quælibet Eccleſia particularis poteſt à fide deficere; ergo & Eccleſia Univerſalis: Omnes enim particulares ſunt Eccleſia Univerſalis; ſicut Univerſale eſt omnia ſua particularia, ut dicunt dialectici.

6 R. Verùm modus iſte arguendi calculatoriè, ſeù à diviſis ad conjuncta generaliter loquendo, vitioſus eſt, & ſæpè fallit. Ita non valet: *nec hic, nec ille civis poteſt defendere Civitatem; ergo nec omnes ſimul*. Item, *quilibet homo poteſt cum ordinariis auxiliis gratiæ reſiſtere huic peccato veniali, & illi, & ſic de aliis ſeorſim acceptis, & tamen omnibus collectivè ſumptis, & in tota vita ſine ſpecialiſſimo privilegio* (quòd ſolùm B.V. Mariæ fuit ex Tridentino *ſeſſ. 6. can. 23.* conceſſum) *nullus reſiſtere valet*; ratio eſt, quia ſpecialis difficultas datur in vincendis omnibus collectivè ſumptis, quàm in vincendis ſingulis, diviſim inſpectis. Ita licèt hæc, & illa, & illa Eccleſia particularis errare poſſit, non tamen

Ec-

Eccleſia Univerſalis, & tota Fidelium collectio, ac ſocietas deficere valet; ratio eſt, quia tota Fidelium ſocietas longè ampliori; & uberiori cœleſtis ſapientiæ theſauro eſt prædita, quàm ſeorſim ſinguli. Eccleſiæ enim Univerſali, non cuique particulari factæ ſunt promiſſiones, & Spiritus Sanctus aſſiſtit ne erret. Plures particulares jam erraverunt. Si omnes de facto errarent, vel errare poſſent, evacuatæ eſſent promiſſiones Chriſti: *& portæ inferi non prævalebunt adverſus eam; ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*, & aliæ ſimiles; quod ſine hæreſi affirmari non poteſt.

Dicunt 3. Promiſſiones Chriſti eſſe conditionatas, hoc eſt, ſi Fideles obſervent præcepta Dei, & ab obſervantia mandatorum non receſſerint. Omnes autem Fideles poſſunt mandata non obſervare; & ita tota Eccleſia poteſt circa fidem, & mores errare. Quinimò, dum peccant, errant: quia omnis peccans dicitur errare, & ignorans.

7 R. Non negamus plures promiſſiones à Deo factas in Scriptura eſſe conditionaliter intelligendas, cujus generis eſt illa, qua Chriſtus promiſit Apoſtolis eos ſeſſuros ad dexteram Patris in regeneratione *Matth.*19. quod tamen in Juda propter ejus peccatum impletum non eſt. At falſum prorsùs dicimus promiſſiones immunitatis ab errore à Chriſto toti Eccleſię factas, eſſe conditionatas. Etenim, ponderatis textibus, conſtat eſſe omninò abſolutas; maximè, quia privilegium infallibilitatis conſequitur ad ipſam naturam Eccleſiæ, quæ à Chriſto conſtituta eſt, ut ſit duratura uſque in finem, & propterea non ſupra arenam, ſed ſupra Petram, eam fundavit, ut eſſe poſſit columna, & baſis veritatis.

Cùm dicitur, *omnes Fideles poſſe peccare*, non reſiſtimus. Verùm plures fuerunt, qui mortaliter non peccarunt, & Beatiſſima Virgo ex ſpecialiſſimo privilegio, ut diximus, nec ullum veniale, etiam ſubreptionis admiſit, ut notavit etiam Leytam *Synop. de Eccleſ. milit. ſect.5. diſcept.2. nu.*149. Aliique etiam plures fuerunt, & ſunt, qui ex juſtitia per baptiſmum accepta, nunquam exciderunt.

8 Cùm additur, quòd quilibet *peccans dicitur errare*, diſtinguendus eſt cum eodem *ibi* error, & ignorantia practica, & affectiva ab errore intellectus, ſeù, ut ita dicam, ſpeculativo: Ille poteſt ſtare cum certitudine intellectiva de malitia objecti, prout patet: Qui peccat eſt certus omninò, quòd honeſtum eſt delectabili, & à Deo prohibito præferendum, & tamen ſua libertate tale delectabile amplectitur, non quia malitiam objecti, & legem prohibentem ignoret, ſed quia vult propriæ concupiſcentiæ in malum obedire; & tunc peccator dicitur ignorans, non quia ſemper errat intellectus, ſed prout errans idem eſt ac imprudens; Siquidem pręferre bonum delectabile prohibitum bono honeſto præcepto ſemper eſt imprudentia.

Quinimò noſtra quæſtio eſt de errore intellectus, quo tota Eccleſia erret, vel circa res fidei præſtando aſſenſum rebus à Deo non revelatis, tamquam ab ipſo revelatis, vel, iis diſſentiendo, quæ Deus revelavit, tanquam ab eo non ſint revelata, aut circa mores acceptando, & ſentiendo honeſtum eſſe, quod eſt per ſe turpe, vel, reprobando, ut turpe, & vitioſum, quod eſt per ſe licitum, & honeſtum; Hunc errorem intellectus, dicimus reperiri non poſſe in tota Eccleſia; aliàs Ipſam Spiritus Sanctus omnem veritàtem non edoceret, quod falſum eſt per mox dicenda.

Tertiò. Eſt illud Joan.14. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.* In quem finem ibi: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis:* Et iterùm *cap.*16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Hæc abſoluta eſſe, & non

conditionata patet ex textu, ut obſervant Valemburcii *to.2.tract.3.contr.2.tit. an viſibil.Eccleſ.erret? p.poſter.nu.39.* Ibi Chriſtus oſtendit ſuæ petitionis infallibilem effectum ſecuturum, dicens; *alium Paraclitum dabit vobis; Ille vos docebit omnia*, hoc eſt, non permittet in tota Eccleſia ullum errorem circa doctrinam fidei, & morum; neque hoc promittit ſingulis ſeorſim ſumptis, & propterea dixit: *vos docebit*: Vos unitos in unitate corporis Eccleſiaſtici cum capite primario, Chriſto, & ſecundario, Petro, & hujus legitimis Succeſſoribus Romanis Pontificibus. Solùm enim huic corpori ſic unito Spiritus Sanctus aſſiſtit, ne umquam erret.

Dices; ergo tempore Sedis Vacantis, vel ſchiſmatis poterit tota Eccleſia errare, quia tunc unita dici nequit cum Romano Pontifice; nam, vel tunc abſolutè non eſt; vel, non niſi dubius Pontifex exiſtit.

9 R. Negatur conſequentia; nam tunc Eccleſia reverà eſt unita cum ſuo capite primario, & in præparatione animi cum Romano Pontifice, qui fuerit electus, vel declaratus canonicè electus. Vide *ſupra num.4.*

10 In idem eſt Auguſtinus (quem & Novatores venerantur) *ſer.1. de ſymbol.ad Cathec.c.6.* ibi: *Ipſa eſt Eccleſia Sancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica contra omnes hæreſes pugnans; pugnare poteſt, expugnari non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam ſarmenta inutilia de vite precisa; Ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in charitate ſua:* Portæ inferorum non vincent *eam*; Quæ verba à Proteſtantibus ineptiſſimè extorquentur ad Eccleſiam Lutheranam, vel Calviniſtam; quia neutra illarum eſt Eccleſia *Sancta, una, vera, Catholica*; Sed quælibet illarum ſynagoga Satanæ; & ſola Romano-Catholica, quæ D.Petro, ejuſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus commiſſa eſt, adminiſtranda, gubernanda, & regenda, eſt vera Eccleſia Chriſti, *una, Sancta, & Catholica*, ut dictum eſt *cap.1.*

*Et lib.qq. Evangeliorum lib.2.q.*40. tradit Chriſtum ad Eccleſiam (in ſuo Capite) remiſiſſe examen eorum, quæ ad doctrinam pertinent, ibi: *Doctrina verò, vel imbuendi per ſacramenta, vel cathechizandi per ſermonem ſonantem, atque lectionem, ubi color quidam intelligitur verus, atque ſincerus, quia in promptu eſt, & foris eminentiſſimus (non enim in occultis cogitationibus, ſed in manifeſtis operationibus hæc aguntur) Eccleſiæ propriè contributa eſt. Itaque & Paulus, voce Domini audita: quid me perſequeris?* Et *ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris; ad Ananiam tamen miſſus eſt, ut illo Sacerdotio, quod in Eccleſia conſtitutum eſt, ſacramentum doctrinæ fidei perciperet, & verus ejus approbaretur color. Non quia non poteſt per ſe ipſum Dominus omnia facere, nam quis alius hæc facit, etiam in Eccleſia? Sed ut ipſa ſocietas Congregatorum Fidelium approbando in invicem, atque communicando veræ fidei doctrinam in omnibus, quæ dicuntur verbis, vel ſignantur Sacramentis, tamquam unam ſpeciem veri coloris obducet.* Si autem errare poſſet, & in errorem fideles perducere, ad eam Chriſtus, qui eſt veritas, doctrinarum examen non remitteret.

11 Quocirca patet, quòd Eccleſia, ut eſt collectio omnium Fidelium habet privilegium infallibilitatis paſſivæ, adeò ut veriſſima ſint, quæ ipſa in rebus fidei, & morum credit, & ſentit, ac acceptat. Cui ratione ſui capitis, Romani nimirum Pontificis, competit etiam illud infallibilitatis activæ, & definientis; nam Romanus Pontifex in dubiis, ſuper illis occurrentibus, definiendis infallibilis eſt, ejuſque judicium irreformabile, ut ſuo loco dicendum.

12 Accedit ratio; nam admiſſo, quòd Eccleſia ab errore in rebus fidei immunis non foret, ſequeretur, I. quòd non eſſet Sancta, quoniam non haberet fidem, quæ eſt fundamentum totius ædificii ſpiritualis, ſine qua charitas haberi non poteſt; ex Auguſtino *Serm.91. de verbis Evangelii Matth.22.n.8. nec quis poteſt diligere, quod*

eſſe

eſſe non credit, ex eodem *lib.1.de Doctr.Chriſti cap.37.* eſtque fundamentum, & radix juſtificationis, ex Trident. *ſeſſ.6.cap.8.de ref.* adeòque gratiæ, per quam anima juſtificatur, & ſanctificatur. II. quòd ædificium conſiſteret ſine ſuo fundamento: fides enim eſt fundamentum Eccleſiæ 1. *ad Coloſſen.* propterea & Proteſtantes annuunt, quòd, deficiente fide, & Eccleſia periret. III. quòd nulla ſecuritas de myſteriis revelatis haberi poſſet, ac proinde non tenerentur Fideles credere, quę credit tota Eccleſia; & ita poſſent dubitare de veritate Scripturarum, traditionum, & articulorum fidei, &c. ac falſa foret doctrina Auguſtini *contr.epiſt.fundam. cap.1.* qua dixit: *ego verò non crederem Evangelio, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoneret auctoritas*, hoc eſt, niſi Verbum Dei ab Eccleſia proponeretur.

Dicunt I. error inculpabilis circa fidem, fidem infuſam non deſtruit; ita D. Cyprianus, ſentiens, baptizatos ab hæreticis, eſſe iterùm in Eccleſia Catholica baptizandos, hæreticus non fuit; quia, ut ait Auguſtin. *lib.2.de baptiſ.contr. Donatiſtas cap.7.* *Nondum erat diligenter illa baptiſmi quæſtio pertractata*; adeòque nec ab ipſa Eccleſia ſufficienter propoſita, & ideò in ea re Cyprianus pertinax non fuit.

13 R. Hujuſmodi error non modò non poteſt in totam Eccleſiam cadere, verùm etiam eſt prorsùs impoſſibile, ut in aliquo, etiam inculpabiliter, & invincibiliter ipſa erret; Nam promiſſiones ei ſunt factæ, ut in nullis erret; Chriſtus enim promiſit ſe eſſe Eccleſiæ daturum Spiritum veritatis, qui cum ea æternùm maneret, eamque omnem veritatem doceret, ut dictum eſt *ſuprà n.8.* Tum quia, admiſſo, quòd Eccleſia poſſet eo modo errare (credendo aliquid eſſe de fide, quod non eſt tale, vel, aliquod non eſſe de fide, quod reverà eſt) tota certitudo fidei periret; nam quicunque, cui proponeretur ab Eccleſia aliquod eſſe fide divina credendum, dubitare poſſet, an illud eſſet à Deo revelatum; quia, cùm Eccleſia poſſet errare, poſſet hic putare, quòd in hoc Eccleſia erraret; & ita tolleretur certitudo fidei catholicæ; propter quod non admittimus nec mendacium leviſſimum in Sacra Scriptura, quia, ut ait Auguſtinus loc.cit.de doctr. Chriſti: *titubabit fides, ſi divinarum Scripturarum vacillat auctoritas.* Vide *Boivin. de Eccleſ.q. 4.ver.ut hæc quæſtio.*

Hinc teſtimonia ex eodem S.Doctore producta nihil evincunt de tota Eccleſia, ſed probant dumtaxat de Fidelibus privatis, qui abſque errore in fidem poſſunt aliter ſentire de iis, de quibus expreſsè non conſtat eſſe revelata, donec, quid ſentiendum, & quid dicendum ſit, fuerit in Conciliis generalibus, aut à Romano Pontifice definitum. Ita, ſalva unitate fidei, & charitatis, nonnulli Patres diverſè de rebus dubiis, & adhuc per Eccleſiam non definitis ſenſerunt, ut ait Auguſtinus *contr.Julianum lib.1.cap.6.* ibi: *Alia ſunt, de quibus inter ſe aliquando, etiam doctiſſimi, atque optimi defenſores, ſalva fidei compage, non conſonant; & alius alio de una re melius dicit, & veriùs:* Et *de baptiſ.contr. Donatiſ.lib.1.cap.18.* ait: *S.Cyprianum manſiſſe in unione, & communione Eccleſiæ Catholicæ, quia illis temporibus; antequam plenarii Concilii ſententia, quid in hac re ſequendum eſſet, totius Eccleſiæ conſenſio confirmaſſet, viſum eſt ei, cum fermè octoginta Coepiſcopis ſuis Africanarum Eccleſiarum, omnem hominem qui extra Eccleſiæ Catholicæ communionem baptizatus fuiſſet, oportere ad Eccleſiam venientem denuò baptizari.*

Opponunt 1. Eccleſia Romano-Catholica plenam, & totalem conformitatem in rebus fidei non retinet cum Eccleſia primitiva; & pręſertim propter additionem particulæ *Filioque* factam Symbolo Nicæno-Conſtantinopolitano in Conciliis Lugdunenſi II. & Florentino contra diſpoſitionem Concilii Epheſini, in quo ſub anathemate præceptum eſt, ne quis ſymbolo Nicæno aliquid præter id, quod per illud definitum eſſet, adiicere ullo modo ten-

taret; ut refert Spondan. *Epit. ad ann.431. nu.8.* ergo ipſa in fide erravit.

14 R. negando antecedens; quòd minimè probatur ex additione vocis *Filioque*: Nam illa non eſt additio oppoſita rebus fidei, ſed acceſſio, per quam magis ipſa fides explicatur, & declaratur, neceſſaria ad reprimendam ſubortam hæreſim, negantem Spiritum Sanctum à Filio procedere.

15 Sciendum eſt, quòd ab initio fuit conſtans doctrina Eccleſiæ, Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere. Deinde emerſit in oppoſitum Macedonii,& Eunomii hæreſis, blaſphemantium non à Patre, ſed à Filio ſolo, tanquam hujus creaturam longè ipſo Filio inferiorem produci. Huic errori occurrendum duxit Synodus Conſtantinopolitana I. Nihil definiendo circa ea, in quæ Catholici unà cum hæreticis conſentiebant de proceſſione à Filio; cùm id ſuperfluum judicaret, conſentientibus in hoc unum, tam Orthodoxis, quàm Macedonianis; ſed ſolùm circa ea, in quibus diſſidebant, nimirum, de proceſſione à Patre, & ipſius Spiritus Sancti divinitate, quam Sectarii inficiebantur, ut diſcurrit Cabaſut. *notit. Eccleſiaſt. v. Conc. gener. Florent. n.7.*

Verùm poſteà, nonnullis negantibus proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, fuit expreſsè proceſſio à Patre, Filioque definita in Concilio Nicæno II. apud Bail. *Sum. Conc. tom.1. v. Conc. Nicæn.2. §. Definitio Sanctæ Magnæ, &c.*

16 Hoc ipſum de additione dictæ particulæ fuit à Græcis in Concilio Florentino Latinis objectum; Quibus Joannes de Ord. Prædicatorum *in decima ſeſs.* Ferrariæ habita doctiſſimis argumentis ſatisfecit, ut apud cit. legere quiſque poterit; & ex quo nonnulla hùc recenſeam; Inquit itaque: *Qui particulam ex Filioque addiderant, non novum articulum celebraſſe, ſed eumdem ipſum clariorem reddidiſſe putarunt; quod quidem additionis genus cenſemus non eſſe vetitum; Apud namque Bonaventuram in Theologia Clariſſimum triplex genus additionis litteris traditum eſt. Unum, cùm id, quod additur, ei, cui apponitur, oppoſitum eſt; alterum, quod non oppoſitum, ſed tantùm diverſum ab illo, cui apponitur, fuerit; Tertium, cùm utrumque congruum ſit. Quorum quidem primum genus hæreticum, ac prorſus alienum extitit à fide: ut ſi quis Deum Patrem protulerit genitum, Filium verò ingenitum, Sanctum autem Spiritum à nullo procedentem. Altero verò genere inepti homines uti ſolent; nam ſummæ ineptitudinis eſt inſolita verba, & à ſacris litteris aliena proferre: ut ſi quiſpiam Deum Patrem appellaverit Geometram, Filium Aſtronomum, Sanctum autem Spiritum Arithmeticum; quæ licèt à veritate non diſcrepent, quandoquidem quævis divina perſona cuncta cognoſcit, ac poteſt; tamen quoniam hujuſmodi ſermo, neque in ſacris litteris, neque in Sanctorum ſcripturis legitur, ideò ineptis hominibus adſcribi ſolet: Tertium autem genus, quo Deum Patrem Omnipotentem, æternum, Filium verò conſubſtantialem, Sanctum autem Spiritum, Spiratum, procedentemque dicimus eſſe pium & Catholicum eſt, noſtræque Religionis doctrinam declarans: Idcirco duo illa genera additionum pæna graviſſima prohibentur, juxta illud Apocalyp.22.* Si quis appoſuerit ad hoc, apponet illi Dominus plagas ſcriptas in libro iſto. *Genus verò tertium, tantum abeſt ab interdicto, ut, qui eo utuntur, à Servatore noſtro præmiis afficiantur ampliſſimis.*

Siquidem igitur *additio, de qua agimus, non ex oppoſitis, diverſiſque conſtat, ſequitur ipſam non eſſe vetitam, cùm præſertim illa ex Filioque particula, valdè conveniens, & congrua ſit; Apoſtoli namque Sancti, cùm Sanctum Spiritum celebrarent, non ipſum ex Patre procedere proferebant; quòd cùm ab ipſo Apoſtolorum ſymbolo poteſtate contineretur, eique quàm maximè conveniret, Sancti poſteriores Patres, ad avertendos impios hæreticorum errores, id ipſi ſymbolo appoſuerunt, ac ipſum Spiritum ex Patre procedere declaraverunt; quòd cùm adhuc modo quodam ambiguum*

eſſe

eſſe videretur, *idcircò ex Filioque particulam alii poſteriores Patres addidere*, *ipſumque ſymbolum clariſſimum reddidere proferentes*, *Sanctum Spiritum* ex Patre Filioque *procedere*.

17 Quocirca patet, quæ tangat interdictum ſynodi Epheſinæ, cujus mens fuit prohibere, quæ veræ fidei eſſent contraria, eique opponerentur; prout opponebatur ſymbolum à Neſtorianis confectum & in dicta ſynodo reprobatum; non verò, quæ ipſi fidei conſonarent, eamque declararent, & exponerent; non quod cuilibet ſymbola conficere liceat, quia ad Summum Pontificem ſpectat ſymbolum ordinare, eique explicationes, & declarationes addere, ubi neceſſitas urget. Quæſtiones enim circa fidem exortæ per eum determinari debent, qui toti Eccleſiæ præeſt, ut ità ejus ſententia à tota Eccleſia firmiter teneatur.

Si verò dicatur, quòd ſimiles additiones fuerunt à Patribus ſymbolis adjectæ; Reſpondetur hujuſmodi fuiſſe factas (aliàs non forent canonicæ) in Conciliis generalibus, quæ auctoritate ſolius Romani Pontificis congregantur, ab eo confirmantur. Vide D.Thom.2.2.*q.*1. *art.ult.* & Bail.*cit. apparat. ad Sum.Conc. de tripl.verb. Dei §. Solutio ſeptuaginta trium q.*48.

Dices; ergò, tum priora ſymbola, tum priora fidei decreta fuerunt imperfecta.

18 Hoc negatur. Fuere planè perfecta ad veritatem, & fidem commoſtrandam, quamvis pleniorem notitiam non exprimerent ad naſcituros omnes impoſterum errores refellendos, niſi, quatenus ſtandum eſſet in omnibus ambiguis Eccleſiæ judicio, prout ab ipſo Chriſto, & Apoſtolis erat conſtitutum, & definitum ſemper fuit. Perfectum fuit ſymbolum Apoſtolorum: tamen, orta Arii hæreſi negantis Filium eſſe æqualem Patri, Nicenum I. Suo ſymbolo addidit *conſubſtantialitatem* Filii cum Patre. Conſtantinopolitanum deinde addidit Nicæno proceſſionem Spiritus Sancti à Patre, ejuſque divinitatem à Macedonio impugnatam: Quòd autem licuit veteribus Synodis ad ſymbola, & fidei decreta, quæ præceſſerant, addere, id etiam licuit Lugdunenſi, & Florentino, cùm adempta Eccleſiæ non ſit par poteſtas; Idem enim, quo Primitiva Eccleſia regebatur, & illuminabatur, Spiritus Dei pollicitus eſt, ſe eidem nunquam defecturum, & permanſurum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi; aliàs minimè poſſent de novo inſurgentes hæreſes refelli, niſi liceret ad dogmata fidei per expoſitionem aliquid ſuperaddere. Interdictæ utique ſunt additiones contrariæ decretis fidei, ſed non illæ per quas ipſa fides exponitur, & declaratur, prout exponitur particula illa *Filioque*, ut declaravit Eugenius IV. *Conſt.Lætentur* 17. *Bullar. to.*1.*§.*3. ubi: *definimus inſuper explicationem verborum illorum*, Filioque, *veritatis declarandæ gratia*, *& imminente tunc neceſſitate*, *licitè*, *ac rationabiliter ſymbolo fuiſſe appoſitam*.

Opponunt 2. Eadem fides non fuit in Eccleſia Romana ante, & poſt Concilium Tridentinum: Siquidem tum in hoc, tum per Pontifices plures articuli fidei fuerunt definiti, quos priores Catholici non crediderunt. Ita in Tridentino fuerunt Fidelibus propoſiti plures articuli de *Euchariſtia ſeſſ.*23 *de Communione ſub una, vel utraque ſpecie ſeſſ.*21. *De Sacrificio Miſſæ ſeſſ.*22. *de Purgatorio ſeſſ.*25. *& alii*: Et Pontifices plura, etiam extra Concilia definierunt, & Fidelibus credenda propoſuerunt, quæ in primitiva Eccleſia ad fidem non pertinebant. Et inde ſequitur, Eccleſiam in fide erraſſe.

19 Reſponſioni præmittitur 1. quòd apud Catholicos eſt certum, ut ex Laurea *de fide diſp.*3.*art.*4.*§.unic.n.*129. & Duhamel *Theol.Cleric.to.*4. *de fide tract.*1. *diſſert.*1. *cap.*7. Objecta credibilia poſt tempora Apoſtolorum quoad ſubſtantiam non creviſſe, ſed ſolùm quoad explicationem, & declarationem reſpicientem antiquam, & non novam revelationem; Nullumque

pro-

proinde articulis fidei, ſecundùm ſubſtantiam acceptis, augmentum ſucceſſu temporis acceſſit, ſed ſolùm quoad majorem eorum explicationem. Utrumque patet; primum, quia Apoſtolis fuerunt revelata omnia credibilia ſubſtantialia, toti Eccleſiæ neceſſaria, ſive immediatè à Chriſto, *Joann.15. Omnia quæcunque audivi à Patre meo nota feci vobis;* vel, à Spiritu Sancto *Joan.16. Cùm venerit Spiritus ille veritatis docebit vos omnem veritatem* (neceſſariam ut ait Liranus *in d.cap.15 Joan.*) non ſolùm perſonis veſtris, ſed etiam ad regimen Eccleſiæ, Fidelium inſtructionem, inſtitutionem Eccleſiaſticorum Rituum, & cæremoniarum, ut ait Tirinus *in d.cap. 16.* Ergo poſt Apoſtolorum tempora non aliud credit Eccleſia, quàm, quod Apoſtoli per revelationem, aut ab ipſo Chriſto immediatè, aut à Spiritu Sancto in die Pentecoſtes acceperunt, ipſique, aut viva voce, aut ſcripto nobis tradiderunt; & ita objecta credibilia quoad ſubſtantiam non creverunt. Nihil enim eſt objectum fidei, niſi quod eſt à Deo revelatum. Omne autem credibile fuit Apoſtolis revelatum, ut dictum eſt, nec novæ revelationes ſpectantes ad totam Eccleſiam, ſunt Eccleſiæ poſt tempora Apoſtolorum factæ ut per Valemburc. *tr.3.tit. ubi Eccleſ. ante Luther.n.19.§.deſignatio Eccleſiæ.*

Dicitur *ſpectantes ad totam Eccleſiam*, quia multæ revelationes privatæ de pertinentibus ad eorum, vel aliorum ſtatum, nonnullis Sanctis fuerunt factæ, ut ibid. *Laur.nu.136. & Theologi in tr. de fide.*

Secundum etiam conſtat; quoniam plura ſucceſſu temporis fuerunt (occaſione hæreticorum, qui novas quæſtiones variis temporibus circa fidem, & mores excitarunt) ab Eccleſia Pontificibus nimirum, aut Conciliis ab eiſdem confirmatis, explicata, propoſita, & definita, quæ prius in Scripturis, vel Traditionibus Apoſtolicis quoad ſubſtantiam implicitè, & obſcurè continebantur.

20 Planè hoc tempore à Catholicis nonnulla creduntur explicitè, quæ olim nec à Romanis Pontificibus, neque in Conciliis generalibus à Sede Apoſtolica confirmatis, ſunt definita, quæ poſtea fuerunt; nihil tamen proponitur expreſsè credendum, quod non fuerit formaliter Apoſtolis revelatum; Ex eo verò capite non omnia in antiquioribus Conciliis ſunt propoſita, nec à Sancta Sede ſimul omnia definita; vel, quòd de iis necdum erat lis mota, nondum orta controverſia, vel ſaltem, quòd abeſſet, definiendi neceſſitas. Interim tamen omnes Catholici manſerunt in unitate fidei univerſalis, tenentes, quod creditum eſt: credentes, quod verbo ab Eccleſia propoſito credendum eſt, & unanimiter communicantes cum ſucceſſoribus D.Petri.

21 II. Quod quis poteſt credere *explicitè, & implicitè,* ſeu *virtualiter:* explicitè credere, eſt credere aliquid in ſeipſo, ita ut illud ſit proximum objectum, in quod cadit aſſenſus fidei: ut, *Credo Deum eſſe Trinum, & unum, quia Deus revelavit:* Implicitè verò credere, eſt credere in alio tantùm, quia, quod ſic creditur reverà non expreſsè cognoſcitur; neque intellectus format proprium, & diſtinctum conceptum propoſitionis, quæ implicitè tantùm credi dicitur, ſed alterius, in qua illa continetur; ita explicitè credimus Chriſtum eſſe verum hominem, nonne ſimul implicitè credimus Chriſtum eſſe riſibilem? Quia enim riſibilitas fluit metaphyſicè ad eſſentiam hominis, dicitur implicitè credi, & attingi cum eſſentia explicitè credita, tanquam concluſio in ſuo principio, & proprietas in ſua cauſa.

Pariter quis dicitur implicitè credere per relationem ad alios explicitè credentes, Eccleſiam nimirum; Sic qui credit, quod Eccleſia credit, & Deus revelavit, ac ab ea credendum proponitur, eo ipſo implicitè formaliter credit, & amplectitur omnes particulares veritates fidei ab Eccleſia propoſitas; Neque eſt neceſſe, ut explicitam notitiam habeat omnium particu-

ticularium veritatum fidei, ut verè, & formaliter dicatur ſingulas implicitè credere; ſicut formaliter de omnibus, & ſingulis hominibus dicit: *eſt animal*, qui dicit, *Omnis homo eſt animal*, quamvis maximam hominum partem non noverit.

22 III. Quòd omnia Myſteria à Chriſto Apoſtolis revelata, & nobis obſcura, ante Eccleſiæ propoſitionem dicuntur de fide *quoad ſe*; & eadem ipſa poſt propoſitionem Eccleſiæ ſunt de fide tenenda *quoad nos*. Unde duo cum Ferre *tr. de fide q.4. §.12.n.92.* apud Seſſa *Scrutin.Doctrin.cap.3. art.7.nu.14.* ſunt diſtinguenda; unum, rem eſſe de fide; & alterum, obligare Fideles, ut fide credant illam. Quoad primum non fit mutatio in re per definitionem Eccleſiæ, benè verò quoad ſecundum.

Hæc ſatis eſſe videntur, ut objectum retundatur. Verùm quia Novatores vim in eo ponunt, diſtinctiſſimè eſt per plura illis occurrendum.

23 Quocirca negatur antecedens. Negamus, quòd plures, & novi articuli fidei ſint in Eccleſia poſt Tridentinum, quã in primitiva. Negamus ullum articulum fidei à nobis teneri, qui non ſit, & à tempore Apoſtolorum non fuerit formaliter revelatus. Negamus per Eccleſiæ definitionem fieri novum articulum fidei. Nova enim definitio, & propoſitio, facta in Conciliis à Papa confirmatis, vel ab ipſo Papa extra Concilia, non facit, ut aliquid incipiat eſſe revelatum, quod antea non erat revelatum à Deo, ſed facit tantùm, ut omnibus conſtare poſſit, quod erat univerſaliter in Eccleſia receptum, non tamen omnibus, & ſingulis ſufficienter cognitum, & quod omnes tenerentur explicitè credere. Ita Salomon pronuntians inter mulieres de infante contendentes: *hæc eſt Mater ejus 3. Reg. 3.* non fecit, ut illa mulier eſſet Mater, ſed ut Judex declaravit, quæ eſſet vera Mater.

24 Hinc nec plures, nec novos articulos credimus; nam omnes fuerunt in Eccleſia crediti, licèt non fuerint omnes æqualiter ab hæreticis oppugnati. Ponamus olim aliquid implicitè in univerſali eſſe creditum, quod nunc credatur explicitè in particulari, non ideò novus articulus fidei creditur, licèt explicitè credatur, quod prius ſolùm implicitè credebatur; Nam, quòd aliquis articulus fidei in primitiva Eccleſia fuerit implicitè creditus in univerſali, & nunc credatur explicitè in particulari, non inducit differentiam objecti fidei, ſive *materialis*, ſive *formalis*; non *materialis*, quia propoſitio univerſalis continet formaliter omnes particulares, cùm ad ſenſum propoſitionis univerſalis omnium particularium enumeratio pertineat: Nec *formalis*, quia, ſive aliqua propoſitio credatur implicitè in univerſali, ſive explicitè in particulari, utrobique auctoritas Dei revelantis eſt objectum formale fidei; & ita definitio Eccleſiæ, Pontificis nimirum, non facit objectum materiale, vel formale fidei, ſed ſolùm infallibiliter antiquam revelationem proponit.

Ideò ineptè diſcurrunt, quaſi ſola definitio Eccleſiæ articulos fidei conſtituat. Pertinet quidem definitio Eccleſię ad articulos fidei, ſed non niſi ſub hac ratione, ut Fideles ad eos credendos teneantur.

25 Quapropter non eſt dicendum, eos, qui poſt definitionem Tridentini credunt articulos in eo definitos, diverſam fidem habere ab iis, qui ante definitionem contrariam ſententiam defendebant; nam & ab iſtis æqualiter tenebatur ratio formalis fidei, *auctoritas Dei revelantis*, ut una, & indiviſibilis, eamque ſtatuebant amplectendam, juxta propoſitionem Eccleſiæ, nempe Concilii à Papa confirmati, vel Pontificis extra Concilium, tenentes illud principium: *Verbo Dei ab Eccleſia propoſito eſt credendum*: Veritatem proinde credentes in iſto generali fidei principio; & animus erat præparatione Catholicus ſecundùm doctrinam Auguſtini *libr.3. de orig. anim.cap.15.* ſcribentis ad Vincentium

Victo-

Victorem, & cùm dixiſſet, eum nonnulla ex ignorantia poſuiſſe, & affirmaſſe, quæ cum vera doctrina conciliari non poſſent, ſubdidit: *Abſit autem, ut te arbitreris, hæc opinando, à fide Catholica receſſiſſe, quamvis ea fidei adverſa ſint Catholicæ; ſi coram Deo, cujus in nullius corde oculus fallitur, veraciter te dixiſſe reſpicis, non te tibi eſſe credulum probari ea, quæ dixeris poſſe ac ſtudere te ſemper etiam propriam ſententiam non teneri, ſi improbabilis detegatur, eo quòd ſit tibi cordi, proprio damnato judicio meliora magis, & quæ ſunt veriora ſectari; Iſte quippe animus etiam in dictis per ignorantiam non catholicis, ipſa eſt correctionis præmeditatione, ac præparatione Catholicus.*

Opponunt 3. Romana Eccleſia non convenit cum Patribus, & antiquis ſcriptoribus, qui plura propugnabant, ut neceſſariam hæreticorum rebaptizationem, beatificam viſionem ante ultimum judicium animabus juſtorum non obvenientem, & ſimilia, quæ Romana Eccleſia non tenet, ſed reiicit; ergo in ſpectantibus ad fidem non eſt identitas inter Eccleſiam Romanam noſtri temporis, & priorem.

26 R. Negatur conſequentia. Ad demonſtrandum totalem conſenſum cum anteriori Eccleſia, non requiritur totalis conſenſus cum quolibet de anteriori Eccleſia, ſed cum ipſa anteriori Eccleſia in univerſaliter receptis, ſive propter praxim generalem, ſive propter decreta Conciliorum ab Apoſtolica Sede confirmatorum, aut propter ipſius Sanctæ Sedis definitionem. Hinc quamvis plures Patres errores aliquos propugnaverint, quos Eccleſia repudiat, non ſequitur defectus conſenſus totalis Eccleſiæ Romanæ cum primitiva, quia illi non fuerunt Eccleſia Univerſalis, ſed illius membra; & veritas contraria illis, quæ ipſi defendebant, erat penes univerſæ Eccleſiæ obſervantiam, & conſuetudinem, quæ exinde per Concilium generale, aut definitionem Apoſtolicam definita fuit. Quare ad demonſtrandum defectum totalis conſenſus requiritur, ut oſtendatur, poſterioris temporis Eccleſiam repudiaſſe prioris Eccleſiæ fidem, ſive praxi Univerſali, ſive Decretis Conciliorum generalium, aut Pontificia definitione teſtatam; vel, aliqua definiviſſe, quæ prædictis adverſantur. Demonſtrari autem non poteſt Eccleſiam Romano-Catholicam unquam repudiaſſe prioris Eccleſiæ fidem, ſive praxi univerſali, aut Conciliorum decretis, ſeù Apoſtolicis definitionibus teſtatam, aut aliqua iſtis contraria definiviſſe: atque ita nulla eſt diverſitas inter Eccleſiam Romano-Catholicam, & priorum temporum Eccleſiam. Oſtendant Novatores, ſi poſſunt, eſſe in Concilio Tridentino repudiatum aliquod à Conciliis generalibus legitimis, vel à Pontificibus definitum; adeòque fruſtra noſtræ Eccleſiæ diſſonantiam obiiciunt, & diſformitatem à priorum temporum Eccleſia; licèt diſſonantiam proferant cum nonnullorum Patrum antiquorum ſententiis.

27 Hic ponderandum, quòd ipſi diverſas ſententias, ſalva unitate propugnabant; nam varietas reſpiciebat ſolùm materiale revelati; formale enim revelati, vel auctoritas Dei, adhuc non conſtabat tali materiali convenire. Sic D. Cyprianus defendens baptiſmum ab hæreticis collatum, non valere, in unitate manſit, quia Eccleſia adhuc rem non definierat; nec fuit hæreticus, quia non reſiſtebat verbo Dei ab Eccleſia ſufficienter propoſito; Unde dixit Auguſtinus *lib.2. de baptiſ. cap.15. fuit aliquando de baptiſmo* (ab hæreticis collato, an valeret) *dubitatio: Qui diverſa ſenſerunt, in unitate manſerunt: Ea dubitatio, procedente tempore, perſpecta veritate, ſublata eſt* (in Nicæno I.) *Quæſtio, quæ nondum finita Cyprianum* (negantem) *non deterruit, ut recederet; vos finita, ut redeatis, invitat. Venite ad Catholicam* (Eccleſiam) *concordantem, quam Cyprianus non deſeruit fluctuantem.* Hæc erat adhortatio Auguſtini ad Donatiſtas, ut ad Eccleſiæ unitatem redirent, & hæc eſt no-

noſtra ad Lutheranos, & Calviniſtas, ut à Schiſmate, & Apoſtaſia recedant.

Si poſt definitionem Eccleſiæ, factam nimirùm à Pontifice, vel in Concilio ab eodem confirmato, eſſet ſententiarum diverſitas, non foret ſolùm circa materiale fidei, ſed etiam circa formale; quia conſtaret de formali revelatione, & explicitè non crederetur verbum Dei ab Eccleſia propoſitum, & tunc eſſet in illis fides diverſa.

Dices. At Eccleſia Romano-Catholica nonnulla definivit adverſus primitivam, & à Deo revelata; ita Deus omnibus *Geneſis I.* præcepit matrimonium: *Creſcite, & multiplicamini*, & Tridentinum *ſeſſ.24.can. 9.* definivit, Clericos in ſacris conſtitutos, ac Regulares ſolemniter profeſſos non poſſe matrimonium contrahere, & contractum validum non eſſe. Item, Chriſtus *Joan.6.* omnibus injunxit communionem ſub utraque ſpecie: *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*; & idem Tridentinum *ſeſſ.21.cap.1.de commun.ſub utraque ſpecie can. 1.* decrevit, *non omnes fideles divino præcepto teneri utramque ſpeciem ſumere, & can.2. Laicos, & Clericos non conficientes debere ſub ſpecie tantùm panis communicare*. Item, ſucceſſu temporum varii Ritus, & cęremonię Miſſæ ſunt à Pontificibus præſcriptæ; ergo totalis conformitas, & identitas Eccleſię, quæ modò communicat cum Romano Pontifice, non reperitur cum Eccleſia, quę primis quatuor ſæculis eidem jungebatur.

28 R. Negando mi: ſubſumpt. Ad primum, falſum eſt, dari legem divinam, aut naturalem obligantem omnes, & ſingulos ad contrahendum matrimonium; aliàs Joannes Baptiſta, D. Paulus, aliique Sanctiſſimi viri in primitiva Eccleſia peccaſſent, qui nunquam matrimonium contraxerunt. Peccaſſet in eo etiam quoque iniqua Eliſabeth Regina Angliæ, quod tamen minimè volunt Lutherani, & Calviniſtæ; Ideò videant, quo fundamento nos urgeant: Neque id probant ex adducto textu: Bis Deus ea dixit verba: Semel primis Parentibus in Paradiſo *loco cit. Geneſ.* & ſemel Noe, & filiis ejus ante egreſſum de Arca: At utriſque dixit poſt matrimoniũ jam contractum; quod de primis Parentibus liquet; Siquidem inter eos ſtatim matrimonium contractum eſt, quando Deus ex coſta Adæ dormientis formavit Evam; nam ſubitò Ada ex ſopore evigilans, dixit: *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, &c. Quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ. Geneſ.2.*

Idem ex ipſo textu conſtat de Noe, & ejus filiis; etenim certum eſt, eos, priuſquam Arcam ingrederentur, uxores habuiſse, ut legitur *Gen.7.* & eis id Deus non dixit, niſi immediatè ante egreſſum de Arca, ut ibi *cap.8.v.17.*

Hinc ea verba non continent præceptum contrahendi matrimonium, ut ſomniant hæretici, quia jam contractum erat, ſed eis *benedixit Deus*, ait textus *d.c.1.* ut copioſam prolem procrearent ad multiplicandum genus humanum, quod tunc valde exiguum erat, ut loquitur Becanus *to.3. Opuſc. de fide Deo ſervanda 1.prop.* Vel, ut notat Tirinus *Comment.tom.1. ad d. cap.1. Gen.v.28.* eadem verba *v.22.* Deus dixerat piſcibus, & avibus, quæ non ſunt capaces præcepti; qua benedictione illis indidit prolificandi, & ſimile ſibi procreandi virtutem. 29. Ad 2. falſum eſt à Chriſto pręceptam eſſe communionem ſub utraque ſpecie; neque id colligitur ex adducto textu *niſi*, &c. Continet quidem præceptum de ſumenda Euchariſtia, non tamen de utraque ſpecie ſumenda; nam, etiam ſub ſola ſpecie panis, veriſſimè ſumitur corpus integrum, & Sanguis Chriſti, propter neceſſariam utriuſque concomitantiam, ſeù connexionem in corpore vivo, quale eſt Corpus Chriſti in Euchariſtia; Unde Chriſtus, qui dixit: *niſi manducaveritis, &c.* ibidem *v.59.* de ſolo pane dicit: *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; & fuit

à Pa-

à Patribus Tridentini *loco cit.* obſervatum; proindeillud *&*, ibi exponendum eſt pro *vel* juxta tex. D. Pauli 1. *ad Corinth.* 11. *v.* 17. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini, &c.* Vide quæ dixi *lib.4. Caut. Confeſſ. Cap.4. §.1. nu.21.*

Et hinc Novatores inter cauſas ſuæ defectionis ab Eccleſia Catholica hanc allegantes etiam, quòd communio ſub utraque ſpecie laicis fuerit interdicta, apertè adverſus Scripturam diſcurrunt. Illud quidem ultrò concedimus, Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie à Domino fuiſſe inſtitutum; Verùm hinc non ſequitur, Chriſtum, id præcepiſſe, ut Fideles omnes utraque ſpecie uterentur. Quod fecit Chriſtus, id Sacerdotes ejus nomine faciunt, ac ex præcepto divino tenentur, quia utriuſque ſpeciei uſus ad ſacrificium omninò requiritur, non ſic ad Sacramentum. Si quidem, ut definiit Conſtantienſe *ſeſſ.13. Integrum Chriſti Corpus, & Sanguis tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini, veraciter continetur.*

Quinimò ipſe Chriſtus ſub ſpecie panis diſcipulis in vico Emaus Euchariſtiam adminiſtravit. *Lucæ* 24. *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis;* Quem locum, de Euchariſtia intelligunt Patres. Auguſtinus *lib.3. de conſen. Evangeliſt. cap.25. n.72.* aliique apud *Tirin. in alleg. cap. & Actor.20.* Solius panis fit memoria: *cùm conveniſſemus ad frangendum panem* (Euchariſticum ut ex Auguſtino *epiſt.36. ad Conſulanum n.28.* Hinc nullum dogma fuit in antiqua Eccleſia, quòd ſinguli Fideles tenerentur ex pręcepto Chriſti communicare ſub utraque ſpecie: Immò antiqua Eccleſia cenſuit licitam communionem ſub una ſpecie ex obſervatis à Valemburciis *cit. tr.3. nu.15.*

Verum eſt, quod in Eccleſia aliquando fuit frequens utriuſque ſpeciei uſus, ut ex *Tridentino cap.2. ſeſſ. alleg.* Et probat Becanus *to.2. Opuſcul. de com. ſub utraque ſpecie c.5. n.3.* & Juvenim *Comment. hiſtorico de ſacram. diſſert.4. q.9. art.3.* & videri poteſt *c. Comperimus diſt.2. de conſecrat.* quod decretum à Gelaſio I. Papa prodiit, ut hac forma noſcerentur, qui eſſent Manichæi; qui abſtinebant à calice, putantes vinum eſſe fel draconum, negantesque Chriſtum verè eſſe mortuum, & verum ſanguinem effudiſſe, apud Auguſtinum *de hæreſibus*. In utroque errabant; & ne Catholici viderentur ob eaſdem cauſas abſtinuere, Pontifex juſſit, ne deinceps abſtinerent à calice ad præcavendam utriuſque erroris ſuſpicionem; quod decretum contraria Fidelium praxi, in deſuetudinem abiit, ubi Manichæorum hæreſis apud Occidentales evanuit. Nec Præſules obſtiterunt, quod ſcirent à Gelaſio fuiſſe latum diſciplinæ tantùm, & Economiæ cauſa; ut ibi Juvenim *in fine*.

30 Quapropter Chriſtus liberum Eccleſiæ reliquit, ut Laici, vel ſub una, vel ſub utraque ſpecie communicarent, ſicut, quòd Baptiſmus vel una, vel trina merſione conferri poſſet. Verùm primitiva Eccleſia trinam merſionem imperavit ad deſignandã Trinitatem perſonarum in una Deitate propter hæreticos illius temporis, qui negantes Trinitatem, una merſione baptiſmum conferebant. Hinc etiam Eccleſia propter legitimas cauſas decrevit, ut laici, atque etiam Clerici non conficientes, ſub panis tantùm ſpecie communicarent, ut *d. ſeſſ.13.* Conſtantienſis, & *Cap.1.* ac *Can.2. Tridentini ſeſſ.21.* de quo alibi.

Dices. Unde habet Eccleſia hanc poteſtatem, ut poſſit in alteram partem definire, & ſtatuere id, quod jure divino liberum relictum fuit?

31 R. Hæc poteſtas eſt in Romano Pontifice, & Concilio ab eodem confirmato; Pontifici enim dictum eſt: *paſce oves meas, Joan. ultimo:* per quæ commiſſa eſt ei Eccleſiæ cura; quod conſtat ex decreto etiam Tridentini *cap.2.* ibi: *declarat hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeù ipſorum Sacramentorum veneratio-*

ni,

ni, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.

32 Ad 3. Per calumniam Novatores ad defectum totalis conformitatis Eccleſiæ poſterioris temporis cum primitiva, opponunt varias Miſſæ cæremonias; nam hæ de tempore in tempus conſtitutæ fuerunt ad promovendam in Fidelibus pietatem. Itaque ad totalem, & omnibus numeris abſolutam conformitatem non requiritur, niſi identitas rerum fidei, & morum immutabilium, hoc eſt, qui per ſe boni, vel mali ſunt. In iſtis autem Eccleſia Pontifici juncta identitatem omnimodam cum priori ſemper retinuit; unde dixit Auguſtinus *Epiſt.* 55 *lib.* 2. *ad inquiſitiones Januarii cap.* 19. *Sed Eccleſia Dei inter multam paleam multaque Zizania conſtituta, multa tolerat, & tamen, quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.*

Opponunt 4. Concilium Lateranenſe IV. convocatum eſt pro Eccleſia in fide, & moribus reformanda, dicente Innoc. III. *in ſerm. habito in Concilio: perit fides, religio deformatur, libertas confunditur, juſtitia conculcatur, &c.* apud Bail. *Sum. to.* 1. *ad ipſum Conc.* ergo Eccleſia poteſt in fide deficere.

33 R. Rectè celebratum eſt illud Concilium pro Eccleſia reformanda; non quòd doctrina Univerſalis Eccleſiæ de fide, & moribus, quæ irreformabilis eſt, indigeret reformatione, ſed, quòd plures reperirentur in Eccleſia, quorum doctrina mereretur reformationem. At ex correctione facta, ſatis liquet, quæ doctrina fuerit corrigenda. In dicto Concilio reformata eſt doctrina Joachimi Abbatis, aliorumque, quorum ſententias nec tenuit, nec tenebit Eccleſia Univerſalis.

34 Tandem obſervandum, quòd nulla praxis, & conſuetudo Eccleſiæ eſt definitiva, niſi ſufficienter conſtet de illa; de qua ſufficienter conſtat per definitionem Pontificis, vel Concilii generalis ab eodem confirmati: Eccleſia enim proponit verbum Dei per Pontifices, aut Concilia generalia ab ipſis confirmata; qua propoſitione facta, qui ei reſiſtunt, ſunt hæretici, cùm reſiſtant verbo Dei ab Eccleſia propoſito, nec teneant, eſſe verbo Dei ſic propoſito credendum.

35 Propterea plures Patres, quamvis diverſa ſenſerint contra traditionem Eccleſiæ, hæretici non fuerunt, ex quo illa non fuerit ipſis ſufficienter propoſita, & manſerunt in veritate fidei univerſalis, quia unanimiter communicarunt cum Romanis Pontificibus, tenentes, verbo Dei ab Eccleſia propoſito eſſe credendum. Ita D. Cyprianus erravit reiiciens traditionẽ de non rebaptizandis baptizatis ab hæreticis, ſed non ideò fuit hæreticus, quamvis poſtea Donatiſtæ eamdem traditionem reiicientes, facti ſint hæretici; Et ratio differentiæ eſt, quia tempore D. Cypriani illa traditio non erat adhuc ab Eccleſia propoſita, & ita non reſiſtebat verbo Dei ab Eccleſia ſufficienter propoſito; Quemadmodum poſteà definitione facta, reſtiterunt Donatiſtæ. Valemburcii *tr.* 6. *to.* 1 *de traditionibus §. probatio Proteſtantium nu.* 51. Legas ſupra *nu.* 27.

CAPUT V.

An extra Eccleſiam Romano-Catholicam ſit ſalus?

SUMMARIUM.

1 *Syſtema Eccleſiæ à Proteſtantibus confictum.*
2 *Articuli neceſſarii neceſſitate medii, & præcepti.*
3 *Extra Eccleſiam Romano-Catholicam non eſt ſalus.*
4 *Res eſt definita in Conciliis generalibus.*
5 *Catholica Eccleſia non eſt omnium Sectarum collectio.*
6 *Hæretici ſunt extra Eccleſiam Catholicam.*
7 *Hæretici quo ſenſu appellentur Chriſtiani? ad* 8.
9 *Eccleſia Catholica Chriſto filios per baptiſmum parit.*

10 *So-*

10 *Societates hæreticorum non ſunt membra Eccleſiæ Catholicæ.*
11 *Pagani, Judæi, & hæretici Deum ſuper omnia non amant.*
12 *Fides eſt humanæ ſalutis initium.*
13 *Separatus à Catholica Eccleſia vitam non habebit.*
14 *Excuſatio pro ſimplicibus Proteſtantibus.*
15 *Ignorantia peccatum minuit.*
16 *Inter hæreticos pauci ſunt hæretici purè materiales.*
17 *Adultis extra Eccleſiam baptiſmus non prodeſt.*
18 *Hæretici reipſa in Chriſtum non credunt.*
19 *Separati ab Eccleſia boni eſſe non poſſunt, ad 20.*
21 *Hæretici per calumniam Eccleſiam Romanam appellant Papiſticam.*
22 *Prætextus Seceſſionis hæreticorum ab Eccleſia Romano-Catholica.*
23 *Non datur ignorantia invincibilis Juris naturalis.*
24 *Nec juris poſitivi cum naturali conjuncti.*
25 *Ignorantia invincibilis juris pure poſitivi excuſat à peccato.*
26 *Lutherani, & Calviniſtæ excuſationem non habent.*
27 *Cathecumeni ſunt de Eccleſia ſecundùm meritum.*
28 *Cathecumenorum genus duplex.*
29 *Eſſe de Eccleſia triplici modo verificatur.*
30 *Quo ſenſu excommunicati denuntiati ſint de Eccleſia?*
31 *Schiſmatici materiales quinam ſint, quinam verò formales?*

1 Extra veram Eccleſiam, neminem poſſe ſalutem obtinere dixerunt etiam Proteſtantes apud Becanum *t.5.Opuſ. de Eccleſ.Chriſti q.1.conc.3.* Sed palpabili errore pronuntiant, Eccleſiam Romano-Catholicam non eſſe veram Chriſti Eccleſiam, atque ita extra eam poſſe aliquem ſalvari: Unde novus Sectarius hoc ſtatuit Eccleſiæ ſyſtema, ut diceret, Eccleſiam Chriſti non aliud eſſe, quàm Sectarum omnium collectionem, dummodò in articulis fundamentalibus conſentiant; tunc enim, ait, ſpectant ad corpus Eccleſiæ, & inter ſe ſufficientiſſimè communicant, quamvis in articulis non neceſſariis non concordent. Hinc concludit, omnes in ſua ſecta ſalvari poſſe, ſi credant articulos fundamentales, & neceſſarios.

Diſtinguunt proinde Proteſtantes doctrinam de fide, & moribus in *fundamentalem*, & *non fundamentalem*, ſive in *neceſſariam*, & *non neceſſariam*. *Fundamentalem* vocant, quæ omnibus, & ſingulis Fidelibus eſt neceſſaria; eamque ex hoc capite dicunt propriè catholicam, tanquam ab univerſis tenendam, & credendam, qui ſalutis æternæ cupiunt eſſe participes: *Non fundamentalem* appellant; quæ Doctoribus, & Paſtoribus maximè convenit, ſive ad munus ſuum in Eccleſia obeundum, ſive ad fidem Catholicam in Scholis proponendã tenendamque. Hanc doctrinam *non neceſſariam*, volunt, comprehendere Concluſiones Theologicas; quam non omnibus Fidelibus indifferenter neceſſariam eſſe volunt. Judicant etiam, errore fundamentali ab Eccleſia recepto, Eccleſiam perire; eamque non ideò perire, licèt in doctrina *non fundamentali* erret; & ita eum ſalutem conſequuturum, qui in articulis non neceſſariis errore pulſetur. Cæterùm ab eis unquam obtineri potuit, ut eos articulos neceſſarios ex Scriptura determinarent; quin potiùs inter eos hac de re nulla unquam fuit concordia; quoniam Lutherani, & inter ſe, & à Calviniſtis in varias ſententias abeuntes diſſentiunt, ut legendum eſt apud Valemburcios *tom.2.p.2.tr.3. tit.de articulis neceſſariis.*

Adverſus quos ponderanda eſt doctrina Catholicorum.

2 I. Quòd articuli neceſſarii *neceſſitate medii* dicuntur, ſine quibus creditis, vel factis, nullus hominum abſolutè ſecundùm legem Dei ordinariam ſalvari poteſt, quia Deus eos ſtatuit tanquam media, ſine quibus juſtitia, & vita æterna non obtinetur; & tales articuli ſunt magis neceſſarii, quàm

quàm ii, qui tantùm ſunt neceſſarii neceſſitate præcepti.

II. Quòd articuli neceſſarii *neceſſitate præcepti* dicuntur, qui ex præcepto divino credi quidem debent, ſed ſine quibus aliqui abſolutè ſalvari poſſunt, habitis ſcilicet omnibus neceſſariis neceſſitate medii, etſi reliqua ex illis univerſaliter inculpabiliter ignorentur. De qua neceſſitate ſcripſerunt allegati ibi *p.1.tr.3.ſect.1.n.1.* & ego ipſe *l.2. Cautel.Confeſſ. cap.14.*

III. Quòd omnes omninò articuli ita ſunt omnibus, & ſingulis neceſſarii, ut cognita propoſitione Univerſalis Eccleſiæ nullus ſine præjudicio ſalutis contradicat: Immò, poſita cognitione veritatis ab Eccleſia propoſitæ, diſſentiri non poteſt, & quicunque diſſentit, hæreticus eſt.

Quocircà tanquam certum proponimus nullum articulum ab Eccleſia definitum poſſe citrà hæreſim cum pertinacia oppugnari, tametſi multa ſint ab Eccleſia definita, quæ ab omnibus Chriſtianis explicitè, & diſtincta fide non ſunt credita, quia ſingulis non innotuerunt; quæ tamen fuerunt implicitè credita, in iſto univerſali principio: *Credendum eſt, quidquid ab Eccleſia Catholica proponitur fide divina credendum, & ipſa credit eſſe à Deo revelatum.* Duhamel *Theol.Cleric.t.5. de Eccleſ.lib.1. diſſert. 1.Cap.3. nu.1.*

3 Dicendum. *Extra Eccleſiam Romano-Catholicam non eſt ſalus.* Eſt de fide.

Probatur. Extra veram Chriſti Eccleſiam nullus ſalutem aſſequi poteſt; ſed ſola Romano-Catholica eſt vera Chriſti Eccleſia; ergo extra Romano-Catholicam ſalus non eſt. Majorem recipiunt ipſi etiam Proteſtantes, & eſt Auguſtini *de unit.Eccl. cap.19. Ad ipſam verò ſalutem*, ait, *ac vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum; Habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi, qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia. Epiſt.185. ad Bonifacium n. 50. Eccleſia Catholica ſola Corpus eſt Chriſti, cujus ille caput eſt Salvator corporis ſui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus* Et infra: *Non habent itaque Spiritum Sanctum qui ſunt extra Eccleſiam; Epiſt.141. ad Donatiſtas nu.5. Quiſquis ergo ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti unitate disjunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

Concordat S.Gregorius *lib.14.moral.cap. 2. Sancta Univerſalis Eccleſia prædicat, ſalvari veraciter, niſi intra ſe, non poſſe, aſſerens, quòd omnes, qui extra ipſam ſunt, minimè ſalvabuntur.* Eſtque communis Sanctorum Patrum phraſis, ac Catholicorum ſenſus; ac eſt res de fide certa: quoniam de fide certum eſt, nullum poſſe ſalutem obtinere, qui Deo non placeat: Impoſſibile autem ſine fide eſt placere Deo, ut loquitur Apoſtolus *ad hebr.XI.* Fidei verò ſincera profeſſio in ſola reperitur Chriſti Eccleſia.

Minor eſt manifeſta, & probatione alia opus non eſt, cùm ex reſolutis *cap.1.* Sola Romano-Catholica ſit vera Eccleſia Chriſti, eique privativè quoad hæreticorum ſectas conveniant legitima veræ Eccleſiæ ſymbola; atque ita in ſola Romano-Catholica ſalus obtineri poteſt, & nullus extra ipſam ſalvatur, aut ad beatitudinem in Cęlis pervenit.

4 Hoc totum definitum eſt in Conciliis generalibus à Romano Pontifice confirmatis. In Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. *ut in cap.firmiter de Sum.Trinit.* ibi: *Una verò eſt fidelium Univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omninò ſalvatur.* In Tridentino *ſeſſ.25.cap.2.de refor.* præcipitur eſſe ab omnibus Chriſtifidelibus præſtandam obedientiam Romano Pontifici; qui juxta definita in Florentino, ut *in Conſt. Lætentur Eugenii IV. la 17. Bullar. tom.1. in Univerſo Orbe primatum tenet: eſt ſucceſſor B.Petri, & verus Chriſti Vicarius, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Pater, & Doctor: cui in B.Petro paſcendi, regendi, & gubernandi Univerſalem Eccleſiam à Domino Noſtro Jeſu Chriſto plena poteſtas tradita eſt.* Quocirca ſine obedientia ad Romanum

Pontificem nullus ſalvari poteſt, Bonifacio VIII. in *extravag. Unam ſanctam de majorit. & obedient.* definiente, quòd *ſubeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ omninò eſt de neceſſitate ſalutis*; Ab obedientia autem Romani Pontificis Proteſtantes receſſerunt; eique obedientiam denegant, quotquot extra eam ſunt, & ſalutem conſequi non poſſunt, niſi ad unitatem cum capite accedant.

Proteſtantes noverint, quòd ubi dixerint, ſe Petro, *ejuſque Succeſſoribus non eſſe commiſſos, fateantur neceſſe* (ait ibi Bonifacius) *ſe de ovibus Chriſti non eſſe, dicente Domino in Joanne, unum ovile, & unicum eſſe Paſtorem*; adeòque nec de Eccleſia Chriſti, cùm ovile Chriſti ſit Catholica Eccleſia, ut tradit Auguſtinus *tract.45. in Joan.nu.5.* & ſuas oves Chriſtus Romano Pontifici gubernandas, & regendas commiſerit, illis verbis Joan. *u.'.* *Paſce oves meas*: Et inde extra ſtatum ſalutis ſe eſſe conſiderent, uſquedum extra Eccleſiam cum Romano Pontifice communicantem putreſcunt.

Dicunt I. Appellatione Eccleſiæ Catholicæ venit collectio omnium Sectarum, quę Chriſtum confitentur.

5 R. Apertiſſimus hic error eſt; nam communis Patrum, & fidelium ſenſus eſt, omnes hęreticorum, & ſchiſmaticorum ſocietates, eſſe ab Eccleſiæ Catholicę corpore penitùs alienas. Nec ex Patribus aliquis hactenus docuit, aut credidit, Eccleſiam Catholicam, hæreſes, & ſectas tolerare, & in ejuſdem corporis compagem venire. Unde dixit Auguſtinus *de fide, & ſymbolo cap.10. Credimus, & Sanctam Eccleſiam utique Catholicam. Nam & hæretici, & Schiſmatici Congregationes ſuas, Eccleſias vocant: ſed hæretici de Deo falſa ſentiendo, ipſam fidem violant; Schiſmatici autem ſuis diſciſſionibus iniquis à fraterna charitate diſſiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Eccleſiam Catholicam, quæ diligit Deum; nec Schiſmatici, quoniam diligit proximum.* De *Symbolo ad Cathecumenos ſerm.1.cap.6. Ipſa eſt Eccleſia Sancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans; pugnare poteſt, expugnari non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa.*

6 Eadem eſt, & conſtans omnium Patrum ſententia Hæreticos extra Eccleſiam Catholicam eſſe. Iræneus *lib.3.cap.63.* ſcribit eos, *neque Eccleſiæ, neque Apoſtolorum, ſed ſuæ ſententiæ malæ eſſe diſcipulos*. Sanctus Cyprianus *lib.1.epiſt.6. &* 8. *Si autem grex unus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis non eſt? Item Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & Cathedra ſuper petram Domini fundata*; Quibus addit Lactantius *lib.4. cap.38. Sola igitur Catholica Eccleſia eſt, quæ verum cultum retinet; hic eſt fons veritatis; hoc eſt domicilium veritatis; hoc templum Dei, quò ſi quis non intraverit, vel, à quo ſi quis exiverit, à ſpe vitæ, ac ſalutis æternæ alienus eſt*; & Joannes XXII. *Conſt. Glorioſam la 3.Bullar.to. 1.§.15.* reprobans errores Fraticellorum duas Eccleſias fingentium, hæc habet: *Una eſt igitur Sancta, Univerſalis, Apoſtolica, atque Romana Eccleſia, extra quam ſalus eſſe non poteſt: quia natura non patitur, ratio non ſinit, & Divina Providentia non permittit, ut membrum, quod à totius corporis unitate ſejungitur, virtute, quæ à vertice in corpus influit, aliqualiter vegetetur.*

Hinc certiſſimè patet, extra Eccleſiam, quæ Romano Pontifici communicat, ſalutem non eſſe; adeòque hæreticos in ſuis ſectis ſalvari non poſſe. Quinimò, ſi quiſque ſalutem obtinere poſſet in ſocietate, & ſecta, quæ ab unitate, & obedientia Romani Pontificis eſſet aliena, fruſtrà eſset Eccleſia à Chriſto ſub Romano Pontifice inſtituta: fruſtra leges, ſacramenta, publicum miniſterium dediſset, aut certus Ordo in ea ab ipſo fuiſset conſtitutus, quod abſque hæreſis crimine affirmari non poteſt.

Dicunt 2. Catholici Romani hæreticos appellant Chriſtianos; hac ſanè ratio-

ne,

ne, quòd ipſorum Eccleſiæ ſint vera membra Eccleſiæ Chriſti.

7 R. Utique hoc titulo, quod Chriſtum colant, Chriſtiani appellantur; at cùm Eccleſiæ à Chriſto ſupra petram fundatæ non ſubdantur, ſi cum Catholicis conferantur, qui fidem non dimidiatam, ſed integram profitentur, & Romano Pontifici ſubiiciuntur, nec Chriſtiano quidem nomine ſunt digni, ut ait Tertullianus. *Hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt.* Hinc Lactantius *lib.4.cap.30. Chriſtiani eſſe deſierunt, qui, Chriſti nominè ammiſſo, humana, & externa vocabula induerunt.*

8 Ponderandum, quòd nemo eſt filius Chriſti, niſi matrem agnoſcat Eccleſiam à Chriſto fundatam. Hùc ſpectat illud Auguſtini *Serm.4. de Symbolo ad Cathecumenos cap.13. Si quis abſque Eccleſia inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum; nec habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere matrem.* Chriſtus non erexit Eccleſiam, quam moderni Proteſtantes confingunt, ſed Eccleſiam, *quæ non litigioſis opinionibus fingitur ſed divinis atteſtationibus comprobatur*, ut loquitur Auguſtinus *epiſt.185. ad Bonif.nu.4.* Divinis autem oraculis docemur, Eccleſiam à Chriſto ſupra Petrum fundandam *Matth.16. Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam*; eamque ſuper ipſum fundatam Joan.ult. *paſce oves meas, paſce agnos meos*; cujus ipſe Petrus caput extitit, & Magiſter, eſtque Romanus Pontifex ipſius Petri ſucceſſor, ex alibi dicendis. Videnda, quæ diximus *c.1 n.4. de unitate Eccleſiæ.*

Opponunt I. Societates hæreticorum, & Schiſmaticorum per ſacramentum baptiſmi filios Chriſto pariunt, teſte Auguſtino *lib.1. de baptiſ. contra Donatiſtas c.10.* Hinc Trident. *ſeſſ.7. can.4. de baptiſ. definit. baptiſmum collatum ab hæreticis in forma ſolita, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, eſſe verum baptiſmum.* Et inde baptizati ab hæreticis ad Romanam Eccleſiam accedentes, non rebaptizantur: ergo ipſorum Eccleſia eſt verè mater filiorum, & Sponſa Chriſti, ac membrum Eccleſiæ Catholicæ. Quod magis ex hoc evidens eſt, quòd S. Doctor ibi dicat, filios Chriſto à Donatiſtis generari, non ut ſunt ab Eccleſia diviſi, ſed quatenus ſunt cum ea conjuncti: Verba S. Doctoris: *quaſi verò ex hoc* (pars Donati) *generet, unde ſeparata eſt, & non ex hoc, unde conjuncta eſt; Juncta enim eſt in uno baptiſmate;* atque ita ſocietates illæ membra ſunt Eccleſiæ.

9 R. Negando antecedens. Etenim, qui extra Eccleſiam Romano-Catholicam ab hæreticis baptizantur, ab ipſamet Eccleſia, eorum miniſterio Chriſto generantur; quæ ancillarum; ſeù hæreſum, ſive communionum ſchiſmaticorum utero utitur, ut ex divino ſemine (baptiſmum dico) filios Chriſto ſuo Sponſo procreet, ut expreſsè ibi Auguſtinus: *Itaque eſt una Eccleſia, quæ ſola Catholica nominatur, & quidquid ſuum habet in communionibus diverſorum à ſua unitate ſeparatis, per hoc, quòd ſuum in eis habet, ipſa utique generat, non illæ;* & infra: *ergo ipſa generat, & per uterum ſuum, & per uteros ancillarum, ex eiſdem Sacramentis, tanquàm ex viri ſui ſemine, & cap.15. Eccleſia quippe omnes per baptiſmum parit, ſive apud ſe, ideſt ex utero ſuo, ſive extra ſe, de ſemine viri ſui, ſive de ſe, ſive de ancilla.* In baptiſmate itaque reperitur ſemen Chriſti, qui eſt Sponſus Eccleſiæ. Societates ſive hæreticorum, ſive ſchiſmaticorum, ſunt veluti Eccleſiæ ancillæ; hinc cùm baptiſmum conferunt, in ſuo veluti utero excipientes Chriſti ſemen, non ſibi, ſed Dominæ, hoc eſt, Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſola eſt Chriſti ſponſa, pariunt. Unde quotquot parvuli, recepto ab hæreticis baptiſmo, apud eos decedentes, ſalutem conſequuntur, non extra Eccleſiam Romanam, ſed in ipſa ſalvantur, cùm eadem ſibi per miniſterium ipſorum eos regeneret. Plura alia vide *cont.2. cap.4. n.25.*

10 Neque inferendum, hæreticorum ſocietates eſſe Eccleſiæ Catholicæ membra, ex quo cum eadem habeant quædam communia; quoniam nec id ſufficit, quando

non omnia retineant, & ab obedientia capitis ſint alienæ; nec eis ad ſalutem prodeſt, quandiù in hæreſi, aut ſchiſmate remanſerint. Audiatur Auguſtinus *enarrat. in pſal.54.n.19.* ad ea verba: *in multis erant mecum*, adverſus Donatiſtas, cæteroſque Hetherodoxos exclamans: *Baptiſmum habebamus utrique, in eo erant mecum: Feſta Martyrum celebrabamus, erant ibi mecum: Paſchæ ſolemnitatem frequentabamus, erant ibi mecum, ſed non omninò mecum: In Schiſmate non mecum, in hæreſi non mecum. In multis mecum, in paucis non mecum; ſed in his paucis, in quibus non mecum, nec eis proſunt multa, in quibus mecum:* Et ideò hęretici de Eccleſia non ſunt, ſed extra ipſam, ut dicendum *contr.2.cap.2. & 3.*

Opponunt 2. Quiſque ſive Judæus, Paganus, ſive hæreticus poteſt in ſua ſecta Deum, quem agnoſcit, ut ſummum bonum, ſuper omnia amare: Nam poteſt bonum inferius, & infimum diligere, ergo & ſummum; ac ſupremum ſibi per intellectum propoſitum; ergo quiſque in ſua ſecta, adeòque extra Eccleſiam Romano-Catholicam, poteſt ſalutem conſequi. Ponamus, quòd Deum ſic amet, tunc planè à Deo redamabitur, cùm dicat *proverb.8. Ego diligentes me, diligo*; & inde pro tunc erit Deo amicus, in quo ſtatu poteſt ad finem uſque vitæ perſeverare, & in eo decedere, & ita ſalvari.

11 R. Hoc argumento nihil Novatores adverſus Catholicam veritatem reportant. Unum ſupponunt, eos nimirum Deum ſuper omnia diligere, quòd falſum prorſus eſt; quoniam Deus ſeverè prohibet Idolorum cultum, Judaiſmum, hæreſim, ac ſchiſmata; qua itaque ratione ſuſtineri poteſt, eum ſuper omnia Deum diligere, qui contra voluntatem Dei operatur? Fortè amat qui odit? Diligit, qui offendit? Et Deus non dixit *Joannis 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit?*

12 Ex hoc etiam capite Pagani, Judæi, & hęretici Deum ſuper omnia amore amicabili (quidquid ſit de amore naturali) non diligunt, cùm careant fide Catholica, quę à Romana Eccleſia tenenda proponitur; hæc enim juxta Tridentinum *ſeſſ.6.cap.8. de juſtif. eſt humanę ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo; & ſine qua* ex Auguſtino *in Enchirid. cap.8. amor ſalutaris non ſtat*. Hinc amor ipſorum erga Deum non eſt ſupernaturalis; nam iſte debet eſſe à lumine fidei regulatus; quæ regula in memoratis non reperitur; licèt enim hęretici nonnulla credant, tamen, quia non omnia credunt, quæ credenda proponit Eccleſia Romano-Catholica, eorum fides non eſt ſupernaturalis, & divina, ſed purè humana, adeòque non ſufficiens regula ad amorem ſupernaturalem, & *ut oportet ad ſalutem*, ac ut amore amicabili à Deo redamentur. Hujuſmodi enim amor duo exigit, fidem ſupernaturalem objectum revelatum proponentem, & adjutorium gratiæ ordinis ſupernaturalis, ſine quo nullum opus (aliàs licèt bonum in linea naturæ) ad ſalutem valet. Legatur Trid. *ſeſſ.cit.can.* de amore naturali erga Deum, ſitne poſſibilis, agit Mauro *theol.to.2. lib. 6.quæſt.46.*

13 Quocirca Sectariorum diſcurſus nos minimè urget, ſed eos nos ex Auguſtino conſtringimus. Dicit enim *epiſt.141. ad popul.factionis Donatianæ n.5. Quiſquis ergo ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti unitate disjunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Serm.2. in pſal.88. ad fin. Amemus Dominum Deum noſtrum, amemus Eccleſiam ejus; illum ſicut Patrem, iſtam ſicut matrem; illum ſicut Dominum, hanc ſicut Ancillam ejus, quia filii ancillæ ipſi ſumus..... Nemo dicat: ad Idola quidem vado, arreptitios, & ſortilegos conſulo, ſed tamen Dei Eccleſiam non relinquo; Catholicus ſum. Tenens Matrem offendiſti Patrem. Alius item dicit: abſit à me, non conſulo ſortilegum, non quæro arreptitium, non quæro divinationes ſacrilegas, non eo ad adoranda Dæmonia, nec ſervio lapi-*

pidibus, ſed tamen in parte Donati (Lutheri, & Calvini) *ſum. Quid tibi prodeſt non offenſus Pater, quia offenſam vindicas matrem? Quid prodeſt, ſi Deum confiteris, Deum honoras, ipſum prædicas, filium ejus agnoſcis. .... & blaſphemas Eccleſiam ejus? .... Tenete ergo, Chariſſimi, tenete omnes unanimiter Deum Patrem, & Matrem Eccleſiam:* Unde, qui in Eccleſia Catholica non eſt, qui ab ea receſſit, tametſi dixerit, Deum ſuper omnia diligere, ipſum minimè amore ad ſalutem conferente diligit, quoniam matrem offendit, & fide ſupernaturali eſt deſtitutus; ac proinde ſalutem aſſequi non poteſt, niſi Eccleſiam, quæ cum Romano Pontifice communicat, eique paret, & conſentit (quæ ex dictis ſola ipſa eſt vera Eccleſia Chriſti) ingrediatur, vel ad ipſam redeat.

14 Dices: Simpliciores, & rudes adulti, qui apud Proteſtantes ſunt, non receſſerunt ab unitate Eccleſiæ Romano-Catholicæ, cùm in Eccleſia Lutherana, vel Reformata, ſine ſua culpa nati, & educati ſint; ergo ſaltem iſti extra Romano-Catholicam ſalvari poſſunt. Durum enim eſt, tot homines, qui bona fide amplectuntur ſectam aliquam, in qua nati ſunt, ab æterna ſalute excludere.

R. Hæc in patrocinium ſimplicium allegatur à Proteſtantibus excuſatio; Verùm nihil novi afferunt. Simplicibus reſpondet D. Auguſtinus *lib.1. de baptiſ. cap.5. Illi* (adulti) *qui per ignorantiam ibi* (apud hæreticos) *baptizantur, arbitrantes ipſam eſſe Eccleſiam Chriſti in iſtorum quidem comparatione* (qui certò ſciunt, eſſe hæreticam) *minùs peccant, ſacrilegio tamen ſchiſmatis vulnerantur: non ideò non graviter, quod illi graviùs.* Cùm enim *dictum eſt quibuſdam: tolerabiliùs erit Sodomis in die judicii, quàm vobis; non ideò dictum eſt, quia Sodomitæ non torquebuntur, ſed quia illis graviùs torquebuntur.* Unde ſimplices apud eos non eximuntur à ſacrilegio ſchiſmatis, & diviſionis ab Eccleſia vera; quamvis enim ipſi non erexerint Altare contra Altare, & hæretica Conventicula, adhuc tamen voluntariè in diviſione permanent, & ſuis prævaricatoribus adhærent. Et hinc non durum judicandum, quòd damnentur, ſi in ea decedant, ſicut damnantur maledici, fures, & homicidæ.

Dices. In eis crimen ſchiſmatis ex ignorantia proficiſcitur; propter quod hæretici poſitivi nominandi non ſunt, ſed ſolùm materiales, & negativi, ut DD. communiter, & probatur ex Auguſtino *Epiſt.43. ad Glorium*; ubi *cap.1.* hæc habet: *Sed, qui ſententiam ſuam, quamvis falſam, atque perverſam nulla pertinaci animoſitate defendunt; & præſertim, quam non audacia præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis, atque in errorem lapſis parentibus acceperunt; quærunt autem cauta ſolicitudine veritatem, corrigi parati cùm invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.* Ideò poſſunt ſperare ſalutem, eſto illi parti adhæreant, quæ diviſa eſt ab unitate Eccleſiæ, quæ cum Romano Pontifice communicat: eis enim ſufficit eſſe baptizatos, in Chriſtum credere, & bonis operibus operam dare.

15 R. Si ex ignorantia Simplices, & indocti errant, ex hoc in eis peccatum minuitur, ut ait ubi ſupra Auguſtinus; ſed cum in diviſione perſeverent, & ſint hæreticorum criminum hæredes, nullus eſt locus excuſationi: In eis enim ignorantia non eſt invincibilis, ſed vincibilis, quia, teſte Mauro *cit. lib.7. q.126.* Evidens eſt, ſolam Eccleſiam Romano-Catholicam eſſe prudenter credibilem, & credendam, cæteraſque ſectas prudenter credi non poſſe; atque ita impoſſibile moraliter eſt, ut aliquando dubium ipſorum conſcientiam nõ pulſet, ex Leytam *Synopſ. de Eccleſ. milit. diſcept.3. ſect.7. n.285.* Nec cognoſcant evidenter, ſe non poſſe prudenter quieſcere in ſuis ſectis, cùm nonnulla rationi deformia contineant, & ſciant eſſe novas, audiantque ex fama conſtanti, quàm antiqua, quàm longè diffuſa ſit religio Catholico-Romana, quàm in ea multi floruerint, & floreant gratia ſanctitatis, & mi-

raculorum illuſtres. Et inde debent à Doctoribus non ſuſpectis inquirere, & diligentiam adhibere ad hanc ignorantiam vincendam, ac Deum orare, ut à profana novitate ad antiquam, & immortalem Eccleſiæ Romanæ veritatem revertantur, ut ita erudiantur de ſtatu veræ religionis, & Eccleſiæ. Planè, hac diligentia præmiſſa, Deo interiùs illuminante, ita penetrabunt motiva religionis Romano-Catholicæ, ut cognoſcant evidenter hanc ſolam prudenter credi poſſe, & debere; & proinde ignorantia in illis non eſt invincibilis, nec excuſabilis à peccato, ſi negligentes ſint. Vide *contr.8.cap.ult.n.39.*

16 Hinc Mauro *ibi n.*41. concludit paucos eſſe adultos infideles, hæreticos, aut ſchiſmaticos purè materiales, ita ut vivant ſeparati ab Eccleſia Romana, & tamen toto vitæ tempore excuſentur à peccato poſitivo infidelitatis, hæreſis, aut ſchiſmatis; quoniam ſi eam diligentiam non adhibeant, & ſint negligentes, peccant peccato formalis infidelitatis, hæreſis, aut Schiſmatis, *Duabus enim ex cauſis* (ait Auguſtinus *in Enchirid. cap.*81.) *peccamus, aut non videndo, quid facere debeamus, aut non faciendo, quod debere fieri jam videmus; quorum duorum, illud ignorantiæ malum eſt, hoc eſt, infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos convenit, ſed profectò vincimur, niſi divinitùs adjuvemur*. Et ſtatim: *ille rogandus eſt, cui dicitur in pſalmo:* Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, *ut illuminatio pellat ignorantiam, ſalus infirmitatem*. Illis negligentibus aptatur illud ejuſdem Auguſtini *lib.3.de lib.arbitrio cap.*19. *non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras, ſed quod negligas quærere, quod ignoras*. Si verò diligentiam adhibeant, prout debent, à Deo (*qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joan.*1. & Lucæ XI. dixit: *quærite, & invenietis*) illuminantur ita, ut cognoſcant evidenter (evidentia morali) ſolam Religionem Romano-Catholicam poſſe, ac debere prudenter credi. Ideòque ſi credunt, jam fiunt Catholici: ſi non credunt, peccant peccato infidelitatis, & hæreſis, ac evadunt formaliter infideles, hæretici, aut Schiſmatici.

17 Quapropter eis, uſque dum voluntariè extra unitatem Eccleſiæ permanſerint, baptiſmus non prodeſt, ut expreſsè Auguſtinus *lib.2.contr.Creſcon.cap.*12. *Unde meritò creduntur, qui* (adulti) *extra Eccleſiam baptiſmum Eccleſiæ, perceperunt, non habere Spiritum Sanctum, niſi cùm ipſi Eccleſiæ vinculo pacis per connexionem charitatis adhæreſcunt.*

18 Fruſtrà itidem gloriantur de fide in Chriſtum; nam, dum uniuntur parti, quæ à communione Romanæ Eccleſiæ eſt diviſa, facti ſunt membra præciſa, nec vera, & viva fide uniuntur capiti Chriſto, cùm non jungantur Eccleſiæ Catholicæ, quæ eſt corpus Chriſti, juxta Paulum *ad Coloſ.*1. qui apud hæreticos ſolùm ſecundùm nomen invenitur, ut dixit Auguſtinus *in Enchirid.cap.*5. *Si diligenter, quæ ad Chriſtum pertinent, cogitentur, nominetenus invenitur Chriſtus apud quoslibet hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt; reipſa verò non eſt apud eos.*

19 Quibus nec ſufficit dicere: *nos bonis operibus inſudamus;* eis quippe reſpondet Auguſtinus *epiſt.*208. *ad Felician.n.*6. *Ab ea verò* (Eccleſia Catholica) *ſeparati, quamdiù contra illam ſentiunt, boni eſſe non poſſunt, quia etſi aliquos eorum bonos videtur oſtendere quaſi laudabilis converſatio, malos eos facit ipſa diviſio, dicente Domino: qui mecum non eſt adverſum me eſt, & qui mecum non colligit, ſpargit*. Maximè, quia fides ſupernaturalis eſt principium meriti ex Auguſtino *epiſt.*194. *ad Sixtum cap.*2.

20 Ad auctoritatem Auguſtini allegatam *ex epiſt.*43, *ad Glorium*, dicimus ex ſententia S. Auguſtini non mox inter hæreticos (formales) deputandos, qui à Parentibus hæreticis ſeducti, ſi quærant cauta ſolicitudine veritatem; quòd non agunt indocti apud Proteſtantes, licèt debeant per dicta *nu.*15. Sed in peſtifera, & ſacrilega præciſione voluntariè perſeverant, propter

pter quod membra non ſunt Eccleſiæ Catholicæ: De qua re redibit ſermo *contr. ſequenti cap.3.*

Dices. Simplices illi non adhærent parti, quæ ſit ſeparata ab Eccleſia Chriſti, & Catholica, ſed ſolùm ab Eccleſia Papiſtica.

21 R. Proteſtantes per calumniam, Eccleſiam Papiſticam vocant eam, quæ cum Romano Pontifice communicat. Verùm hæc ſola eſt verè catholica, cùm nulla hæreticorum ſecta, ſed illa ſolùm ſit toto Orbe diffuſa. Conſiderandum, quòd, vivente Petro, vera Eccleſia Chriſti fuit, quæ Petro paruit, & conſenſit. Hinc Simon Magus, ejuſque Sectatores, qui ſe ſepararunt ab Eccleſia, quæ Petro conſentiebat, & parebat, fuerunt hæretici, & rebelles ab Eccleſia Chriſti. Petro ſucceſſit Linus, & Lino vivente, vera Eccleſia fuit, quæ Lino conſenſit; propter quod Menander, Saturninus, & alii, qui ſepararunt ſe ab Eccleſia, quæ Lino conſentiebat, fuerunt hęretici, & ab Eccleſia Chriſti rebelles. Temporibus ſubſequētibus vera Eccleſia Chriſti fuit, quæ paruit Cleto, Clementi, cæteriſque Romanis Pontificibus ſucceſſoribus Petri; & inde Marcionitæ, Manichæi, Sabelliani, Ariani, Eutichiani, & ſimiles fuerunt hæretici; & currente ſæculo 16. Lutherani, Calviniſtæ, cæterique, qui ſe ſepararunt ab Eccleſia conſentiente, & parente Romanis Pontificibus, ſucceſſoribus Petri, fuerunt hæretici, & rebelles ab Eccleſia Chriſti. Ergo Simplices inter Proteſtantes adhærent parti, quæ eſt à vera Chriſti, & Catholica Eccleſia ſeparata.

22 Dices. Ab initio Petrus, Linus, Cletus, aliique Romani Pontifices manſerunt in fide Chriſti, ideò Eccleſia illis conſentiens, fuit vera Eccleſia Chriſti; conſecutis verò temporibus, Romani Pontifices defecerunt à fide Chriſti, & varios introduxerunt errores; & proinde Eccleſia ipſis conſentiens defecit à fide Chriſti, & periit.

R. Hic non eſt opus repetere, quæ de indefectibilitate Eccleſiæ diximus *cap.3.* Sed conſiderandum ſolùm, nullum eſſe hæreticum, qui eo diſcurſu non utatur. Ita Manichæi, Ariani, & quotquot (qui confeſſione, etiam recentiorum hæreticorum fuerunt hæretici) receſſerunt ab Eccleſia conſentiente Romanis Pontificibus, futili hoc prætextu, quòd Romani Pontifices cum Eccleſia ipſis conſentiente defeciſſent à fide Chriſti. Ergo dum Lutherani, & Calviniſtæ, omneſque hujus temporis Sectarii id dicunt, idem affirmant, quod illi dixerunt, & sēper omnes hęretici, ac rebelles Eccleſiæ Chriſti pronuntiabunt. Sicut autem illi adhærebant parti ab Eccleſia Chriſti ſeparatæ, ita & moderni adhęrent; conſequenter qui eis uniuntur, ſunt extra veram Eccleſiam. Videatur Mauro *citatus numer.8.*

Sed quid dicendum de adulto rudi inter eos nato, & educato, ſi decedat, priuſquam de Romana Eccleſia aliquid audiat, & dubitare incipiat de falſitate propriæ ſectæ?

R. In facta hypotheſi damnaretur, non propter peccatum hæreſis formalis, ſed propter alia peccata, juxta doctrinam Auguſtini *epiſt.*185.*n.*49. ubi exponens illud *Joan.*15. *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem peccatum non haberent;* ait: *utique non omne peccatum intelligi voluit, quandoquidem pleni erant multis, magniſque peccatis, ſed aliquod proprium peccatum, quod ſi non haberent, poſſent illis omnia dimitti, quæ habebant, ideſt, quòd in eum venientem non crediderunt.*

23 Conſiderandum hìc eſt, I. quòd non admittitur ex Doctoribus ignorantia invincibilis juris naturalis quoad Univerſaliſſima principia, ut: *Deus eſt colendus: bonum eſt faciendum: malum vitandum: parentes honorandi: quod tibi non vis, alteri ne facias,* & ſimilia, quæ inveniuntur inter præcepta Decalogi; nec quoad aliquas veritates ſecundarias, quæ ab ipſis principiis non multo labore deducuntur, & quaſi evidenter malitia conſpicitur; licèt quoad alias remotiores, & proinde, obſcuriores

non denegent; ratio eſt, quia lex naturæ cordibus noſtris eſt inſcripta, dicente Auguſtino in *pſal.*57 *n.*1. *manu formatoris noſtri in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit: quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc, & antequam lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt, ut eſſet, unde judicarentur, & quibus lex non eſſet data; Sed ne ſibi homines aliquid defuiſſe quererentur, ſcriptum eſt & in tabulis, quod in cordibus non legebant: Non enim ſcriptum non habebant, ſed legere nolebant*. Quare ignoratio circa tale jus vinci poteſt, & nemo, niſi ſua, & propria culpa, ea laborat: quia ſcilicet, aliis rebus animum intentum habet, & negotiis hujus ſæculi eſt implicatus; unde cæcitas illa eſt voluntaria, & excuſationem non habet.

24 II. Neq; admittunt ignorantiam juris poſitivi cum naturali conjunctum. Sic Apoſtolorum, & martyrum perſecutores in legem naturalem peccabant, quòd homines innoxios, & divinæ legis argumentis ſatis munitos interficerent: Et Saulus pariter, quòd nimio impetu ſęviret in diſcipulos Domini, & obſurdeſceret adverſus vocem Domini per Prophetas, & Apoſtoles tot miraculis confirmatam.

25 III. Quòd ignorantia invincibilis juris purè poſitivi conceditur, adeòut à peccato excuſetur, qui de illo nihil audierit; Ideò qui nullam de Chriſtiana religione notitiam habuit, excuſationem habet, non de omnibus peccatis, ſed de hoc tantùm, quòd in Chriſtum non crediderit. Du-hamel *to.*2. *de actib. humanis differt.* 1. *cap.*3. & ubi ſupra *epiſt.*185. S. Auguſtinus.

Hinc in propoſita hypotheſi, ſi cætera præcepta, quibus teneretur, exactè ſervaret, non damnaretur propter materiales errores circa fidei myſteria, ſed ſalvaretur, ut vult Seſſa *Scrut. Doctr. cap.*4. *art.*6. *n.*2. Si error non eſſet circa Myſteria de neceſſitate medii credenda. Sed meliùs dicendum, quòd in caſu Deus ex ſua bonitate eum illuminaret, ne cum erroribus prætactis, ſed catholica fide inſtructus, & ita in Eccleſia Catholica decederet.

26 Cæterùm videtur Lutheranos, Calviniſtas, alioſve hæreticos nullam habere de ſuæ infidelitatis errore excuſationem, ut poſſint dicere: *non vidimus, non audivimus*; cùm illis undique circumfuſa ſit Catholici luminis abundantia, & copia Doctorum Catholicorum, à quibus, ſi vellent, edocerentur; & Deo pulſante reſiſtunt, & voluntariè in errore obdureſcunt.

Opponunt 3. Cathecumeni, ſi moriantur contriti, contritione perfecta, ſalvantur, ut DD. Catholici concordant; at Cathecumeni non ſunt in Eccleſia Romano-Catholica; Non enim ſunt baptizati, & homines fieri membra Chriſti per baptiſmum dixit Florentinum in Inſtructione Armenorum, & Trid. *ſeſſ.*14. *cap.*2. decrevit, quòd *baptiſmus eſt janua, per quam quis ingreditur Eccleſiam*.

Item. Si excommunicatus, etiam denuntiatus, perfectè contritus, ante abſolutionem à cenſura (in caſu, quo confeſſarius haberi non poſſit) moriatur, ſalvus erit; Sed excommunicatus denuntiatus non eſt de Eccleſia, teſte Auguſtino *de unit. Eccleſiæ cap. ult.* ubi ait: *excommunicari, eſt inviſibiliter præſcindi ab Eccleſia*: ergo extra Eccleſiam Romanam ſalus obtineri poteſt.

Deinde in ſchiſmate, quo ipſa Romana Eccleſia decimoquarto ſæculo laboravit (in quo tres, Benedictus XIII. Gregorius XII. & Joannes XXIII. de Pontificatu contendebant) plures ex utraque parte doctrina, & ſanctitate floruerunt. Ergo, ſicut extra Eccleſiam poteſt eſſe vera ſanctitas, ita & ſalus æterna: Schiſmatici enim ad Eccleſiam non ſpectant, ut non ſemel dixit Auguſtinus. Et nos *contr.*2. *cap.*4. examinabimus.

27 R. Cathecumeni ſecundùm aliquos ſunt in Eccleſia inchoactivè, ſicut fætus in utero matris dicitur homo, & Novitii ſunt Religioſi. Secundùm alios ſunt de Eccleſia, quantum ad meritum, quatenus per votum, & deſiderium baptiſmi, gratiam, & fidem habent: Unde ſalutem conſequun-

quuntur non omninò extra Eccleſiam. Boivin. *de Eccleſ. diſp.1. q.5. dico* 4. Guarnieri *de Eccleſ. milit. lib.1. cap.8. n.5.* & Turrecremata *in cap. Nullius* 13. *q.2.* tradit, hac ratione eſſe ſepeliendos in Eccleſia.

Duo autem ſunt advertenda. I. duo eſſe genera cathecumenorum. Alii enim nullo pacto credunt, ſed tantùm permittunt ſe inſtrui de Religione Chriſtiana; Iſti, ſi moriuntur, non ſalvantur, quia fidem Catholicam non habent. Alii verò tanquam plenè inſtructi, & de omnibus articulis fidei edocti, jam credunt; & iſti, ſi moriantur perfectè contriti, ſalvantur: Ad Eccleſiam enim merito perfecto pertinent: ſicut de iis dicitur, qui nondum baptizati martyrium pro fide Chriſti ſuſcipiunt.

29 II. Quòd eſſe de Eccleſia tripliciter contingit. I. numero, & merito; qua ratione Fideles baptizati, & juſti ſunt de Eccleſia. II. numero tantùm, & ſic peccatores baptizati, & Fideles ſunt de Eccleſia. III. Merito ſolùm; & ita Cathecumeni, ſi juſtificati ſunt, ad Eccleſiam pertinent ex merito quodam inviſibili; non tamen numerantur, ut partes Eccleſiæ, cùm nondum per baptiſmum Eccleſię viſibili ſint incorporati. Hinc, cùm diximus, extra Eccleſiam Romanam non eſſe ſalutem, intelligendum ſemper eſt quoad eos, qui nullo modo ſunt de Eccleſia.

30 Ad 2. Fideles excommunicati denuntiati pariter pro tunc ſunt intra Eccleſiam affectu, & deſiderio, & ita ſalvari poſſunt licèt non ſint in Eccleſię externa communicatione, quod requiritur, ut quis ſit in Eccleſia viſibili. Vel, ut quidam tradunt apud *cit. Boivin. dico 3.* ſunt tantùm extra Eccleſiam in actu ſecundo, quia privantur ſuffragiis Eccleſiæ, nempe orationibus publicis, & externa Fidelium communione; reipſa tamen, & in actu primo per baptiſmum, fidem in Chriſtum, ac ſubjectionem ad Romanum Pontificem ſunt intra Eccleſiam. Quam ſententiam tenendam cenſeo propter doctrinam Auguſtini *lib. poſt collat. ad Donatiſ. cap.20. n.28.* ubi: *neque à populo Dei ſeparamus, quos, vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pænitendi locum redigimus*; & ſi tradi dicantur Sathanæ, hoc intelligendum eſt, quatenus Sathanas in eos fortiùs ſævit videns eos ſuffragiis Eccleſiæ deſtitutos: Vide *contr.2. cap4. n.24.*

31 Ad 3. dicendum, pro eo tempore eos, qui erant de obedientia illorum Pontificum, non fuiſſe formaliter, & culpabiliter, ſed ſolùm materialiter, & abſque peccato ſchiſmaticos. Nullus enim eorum detrectabat obedire Romano Pontifici, ſed cùm eſſet dubium, quis eorum eſſet canonicè electus, & quidam haberent rationes probabiles de electione canonica unius, & alii non minùs efficaces pro illa alterius, bona fide, & abſque peccato uni illi, & alteri alii adhærebant. Cæterùm ſervabant fraternitatis vinculum per ſubjectionem ad Eccleſiam, ac animum paratum ad ſequendum Papam indubitatum, & certum, quando Concilium generale, vel deponeret illos, & alius eligeretur, qui dubius minimè eſſet; aut declararet, quis ex illis de Papatu contendentibus legitimus foret, prout in facto contigit; quia poſtquàm in Concilio Conſtantienſi tres illi Pontifices fuerunt depoſiti, electus fuit Martinus V. & Schiſma ceſſavit, & à tribus illis Pontificibus Fideles receſſerunt, & Martino, ut vero, & legitimo Pontifici paruerunt, ut legitur de S. Vincentio Ferrerio, qui ante electionem Martini, Petrum de Luna, dictum Benedictum XIII. bona fide ſequebatur, ſed poſteà ab illo receſſit, & Martinum verum Papam, recognovit. Quod cùm idem Petrus agere detrectaverit, Schiſmaticus obiit. De quo latiùs *contr.8. cap.6.*

Propterea in caſu illo Pontificis dubii, Fideles non erant ab Eccleſia ſeparati, ſed eidem prompta ſubjectione uniti, propter quod mutuò mediatè communicabant inter ſe, quod affirmari nequit de iis, qui ſunt hæretici, & formaliter ſchiſmatici, cùm nec corpori Eccleſiæ ſubiiciantur, nec obe-

obedientiam Romano Pontifici canonicè electo præſtent, aut præſtare ſint parati; immò & ab ipſo corpore Eccleſiæ, & à ſingulis ejus membris ſe ſe præſcindunt, ſibique Paſtores conſtituunt; in quo ſtatu ſi deceſſerint, damnationem, non ſalutem conſequentur.

CAPUT VI.

An Theologia Scholaſtica ſit in Eccleſia Catholica utilis?

SUMMARIUM.

1 *Hæreticorum errores circa Theologiam Scholaſticam.*
2 *Quid, & quotuplex ſit Theologia?*
3 *Auctores Theologiæ ſcholaſticæ.*
4 *Theologia ſcholaſtica eſt Eccleſiæ utilis.*
5 *Philoſophia Theologo neceſſaria.*
6 *Probatur ex Patribus.*
7 *Dialectica Theologiæ inutilis non eſt.*
8 *Probatio ex Patribus.*
9 *Dialectica eſt peritia diſputandi.*
10 *Methodus ſcholaſticæ theologiæ utilis.*
11 *Paulus uſus eſt Dialectica, & n.16.*
12 *Poſitiva ſine Theologia ſcholaſtica non ſufficit.*
13 *Munus ſcholaſticæ Theologiæ.*
14 *Utilitas ſcholaſticæ communi Eccleſiæ conſenſu probata.*
15 *Chriſtus ſæpè ſylogiſmis uſus eſt.*
16 *Principia philoſophica contraria fidei vitanda.*
17 *Hæreſes qualiter ex philoſophia, & Dialectica natæ?*
18 *Abuſus philoſophiæ, & Dialecticæ à Theologis vitandi.*
19 *Patres ipſarum abuſum reprehendunt: nullus ſincerum uſum damnat.*
20 *Quæ ſecundùm ſubſtantiam ſunt utiles Eccleſiæ.*
21 *Plura in Theologia examinantur Paſtoribus, & Doctoribus neceſſaria.*
22 *Quæſtiones, etiam problematicæ utiles.*
23 *Theologis idonea ſæpè ſunt vocabula, etiam inſolita.*
24 *In Eccleſia in uſu ſemper aliqualiter fuit Theologia ſcholaſtica.*
25 *Quæ primariò, & per ſe Concluſiones deducit ex revelatis.*
26 *Quæ ſit Concluſio propriè Theologica?*
27 *An Concluſio Theologica ſit de fide?*
28 *Theologi ex auctoritate Patrum diſcurrunt probabiliter.*
29 *In hæreticis non eſt Theologia.*

1 HÆretici, Lutherani, & Calviniſtę implacabili odio in Scholaſticam Theologiam feruntur, ac ſcholis, & ſcholaſticis quibuſcunque Catholicis calumniari non ceſſant; ęgrè enim ferentes, quòd ejuſdem præſidio ipſorum fraudes, ac mendacia retundant, contendunt, eam haud eſſe viro Catholico dignam, ut hinc omnia tenebris impleant, ac faciliùs populos ſuis nugis ſeducant; quòd cùm obtinere ſe minimè poſſe conſiderent, ad convitia recurrentes, ſcholaſticam ſubtilitatem, ſcholaſticoſque Doctores diris, ac probris aperta injuſtitia aggrediuntur, & pulſant. Ita Vviclephus, ut *ex ſeſſ.*8. *Concilii Conſtantienſis* dicit: *Univerſitates, ſtudia, Collegia, Graduationes, & Magiſteria in eiſdem ſunt vana gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ, ſicut diabolus.* Lutherus *lib.2.de abroganda miſſa privata*, ſcholaſticam Theologiam vocat *inanem fallaciam*. Melanchon *Apologia contra Pariſienſes* eam appellat *prophanam Theologiam, quæ Evangelium obſcuravit, & extinxit fidem*. Calvinus *lib.3.inſtitu.cap.4.cap.9.* loquens de Univerſitatibus, inquit, *Papiſtas habere publicos idololatriæ conventus, & impietatis ſcholas*. Kemnitius eam vocitat *negotium perambulans in tenebris*. Bucerus de Angelico frequenter pronuntiabat: *tolle Thomam, & diſſipabo Eccleſiam*; & de Doctore ſubtili refert Sanderus apud Seſſam *Scrut.Doctrin.cap.3.art.16.n.5.* quòd hæretici in Anglia ſub Eduardo VI. Enrici VIII. Succeſſore, flammis tradiderunt Lombardi, Aquinatis, Scoti, cæterorumque doctiſſi-

ctiſſimorum ſcholaſticorum volumina, & libros; & hoc appellabant funus, & exequias Scoti, ac Scotiſtarum ut ibi Sanderus. *De anno* 1520. Hæretici Vuitembergenſes incluſos in feretro libros Theologię Scholaſticæ ad mediam Urbis plateam detulerunt, & ſequentibus miniſtris, ac officium mortuorum ludibrio canentibus, publico rogo tradiderunt; fortè inde ſperantes, nullum deinde in Eccleſia Catholica præſidium, Scholaſticæ Theologiæ arte, in die prælii ſibi cum Catholicis certò futurum. De qua re Annatus *apparat. ad Theol.poſit.lib.*1.*art.*2. Boivin.*Theol.p.*1.*q.*3. *prologi conc.*3.

Hac autem ratione hoſtes fidei Theologiam ſcholaſticam oppugnant, quòd à philoſophia, & dialectica aliquid ſubſidii recipiat. Verùm, quas artes indignas judicant commercio Theologiæ, eas ipſi maximè in auxilium evocant; dum pro decretis ſuis, quæ mera eſſe Dei reſponſa volunt, certamen ſuſcipiunt, ut inde malæ, ac deploratæ cauſæ præſidium aliquod comparent: Quæ enim falſa, & propter novitatem ſuſpecta eſt opinio, ea magno artificio, & calliditate opus habet, ut error furtim inter homines ſerpat, ut per Petavium *to.*1.*Theolog.dogm.prolegomen c.*6.*n.*7. Quas fallacias ipſi hæretici non adhibent ad Chriſtianam, & Catholicam fidem evertendam? Ipſi principiis dialecticæ ad circumveniendos rudes, nugaſque proprias evulgandas abutuntur.

2 Reſolutioni præmittitur, quòd hìc appellatione Theologiæ venit quædam ex principiis revelatis, & fide divina creditis concluſiva, & diſcurſiva ſcientia ad alias veritates indagandas, & myſteria fidei explicanda, ac confirmanda; ſoletque dividi in *poſitivam*, & *ſcholaſticam*. *Poſitiva* dicitur, quæ quaſi oratorio ſtylo aſſumit principia, quæ non probantur, ſed, vel creduntur, & ſupponuntur, ut ſunt reſpectivè. *Divina Scriptura, Traditiones Dominicæ, & Apoſtolicæ, Decreta Pontificum, Definitiones Conciliorum, & Patrum doctrina*: Ex illis diſcurrendo primarias concluſiones infert, & incumbit in accurata explicatione divinæ Scripturæ, eruendo legitimo ejuſdem ſenſu, & maximè litterali, ut ſcribit Eſparza *to.*1.*curſ.Theol.in proœmio art.*2.*tit.diſcur.Theol.*

Scholaſtica (ſic hodie dicta, quòd in ſcholis tradatur) idem præſtat, quòd poſitiva, diverſo tamen modo quatenus à Scholæ Magiſtris certa, ac majori cum methodo in diſtinctiones, quæſtiones, articulos, Concluſiones, probationes, objectiones digeſta, ac breviori probandi ſtylo ad artis Syllogiſticæ, & dialecticæ regulas magis accommodato, ſubtiliùs, & diſtinctiùs concluſiones, etiam remotas ex eiſdem principiis, Scriptura, Traditionibus, aliiſque enumeratis deducit; & interdum per accidens extraneis confirmat argumentis, & rationibus, ut ſic faciliùs iis, qui foris ſunt, Catholicam fidem perſuadeat, fallacias diſſolvat, & omni poſcenti de ea, quæ in nobis eſt fides, rationem reddat. Boyvin. *q.*2. Du-hamel *Theologia cleric.to.*1.*prolegomen.tit. de diviſ.Theologiæ*.

Quare Poſitiva, & Scholaſtica eſſentialiter non differunt; nam idem habent objectum, nempe Deum, ac eadem per ſe principia. Eſt ſolùm inter eas accidentalis differentia procedens ex diverſitate Methodi, cùm ſcholaſtica non fuſo ſtylo tradatur, ſed contracto rem probet, ratiocinationes more dialectico adhibeat, quæ fortiter inclinant intellectum, ac convincunt ad res credendas, non negandas: Non quòd res fidei rationibus naturalibus probari poſſint, ſed, vel quia tales comparationes producuntur, vel inſtantiæ contradicentium deciduntur, ut contra rationem fidem non eſſe appareat, licèt ſupra rationem exiſtat.

Theologia iterùm dividitur in *moralem*, *Polemicam*, ſeù *dogmaticam*, vel *Theoreticam*, & *Myſticam*, ſeù *Aſceticam*, vel *affectivam*. *Moralis* eſt, quæ mores ad fidei Chriſtianæ regulam ordinat. *Dogmatica*, quæ

quæ fidei dogmata, & myſteria Fidelibus exponit, & contra infideles defendit. *Myſtica*, quæ affectus in Deum dirigit, & movet.

Primus, qui ſacram *Theologiam* ad dialecticas diſputationes, & ſcholaſtica argumenta aliquantiſper aptaverit, ex Boyvin. cit. fertur fuiſſe Clemens Alexandrinus Origenis Magiſter circa annum 731. Joannes Damaſcenus apud Græcos omnium primus Theologiam in certum ordinem redegerat, quatuor libris comprehenſam, quos de fide Orthodoxa inſcripſit. Deinde anno 1145. augumentum recepit à Petro Lombardo, Patria Novarien. Epiſcopo Pariſienſi; quam quatuor itidem libris digeſſit, quos ſententiarum titulo donavit, ipſeque dictus Magiſter ſententiarum, ex quo Latinorum Patrum, & maximè Auguſtini in unum ſententias collegerit. Quem ſubinde ſecuti ſunt D. Thomas, D. Bonaventura, Alenſis, Scotus, Henricus, Ægidius, cæterique Doctores ſcholaſtici, qui pleniùs rem ipſam in ſcholis pertractarunt; Ideò

4 Dicendum: *Theologia ſcholaſtica*, ut de præſenti in ſcholis traditur: *eſt Eccleſiæ Catholicæ maximè utilis, & non nociva, & ſuperflua.* Contra hæreticos Catholici communiter.

Probatur. Ideò Scholaſtica Theologia nociva potiùs, & ſuperflua, quàm utilis Eccleſiæ cenſeretur, quia philoſophiæ, & dialecticæ uſum complectitur, ac methodum ſervat, ad quam Petrus Lombardus, D. Thomas, Scotus, & cæteri ſcholaſtici Doctores eam reduxerunt, in diſtinctiones nimirum, quæſtiones, articulos, concluſiones, probationes, objectiones, & ſimilia, ut contra eam uno ore Proteſtantes clamant. At nec uno, vel altero titulo inutilis eſt dicenda, ſed maximè Eccleſiæ perutilis, & tanti commodi, ut moraliter neceſſaria dici poſſit; quod ſic per partes oſtenditur.

5 Nam philoſophia plurium notitiam Theologo ſuppeditat, maximè ad revincendos hæreticos neceſſariam. Explicat quid ſit *proceſſio, generatio, perſona, hypoſtaſis, eſſentia, relatio, libertas, principium*, & ſimilia; ſine quorum limata, & exquiſita notione doctrina Catholica contra fidei hoſtes propugnari minimè poteſt. Quis Sabellianos, Arianos, Macedonianos: Quis Neſtorium, Eutichem: quis Lutheranos, Calviniſtas, ſimiliſve furfuris viros perdomaſſet niſi iiſdem in diſputationibus probè verſatus, & reſpectivè ſimilium terminorum peritia ſufficientiſſimè inſtructus? Hinc patet præſidium à philoſophia Theologiam recipere. Neque hac parte inutilis eſt, quòd hæc ſibi in adjutorium illam depoſcat, ejuſdemque principiis utatur ad hoſtes Eccleſiæ oppugnandos, ipſorumque evertenda ſophiſmata; Sed maximè utilis in fructum haud mediocrem ordinata eſt dicenda.

6 Quod olim dixerat Clemens Alexandrinus *lib. 1. ſtromat.* ubi: *philoſophiam*, ait, *ante Domini adventum, Græcis ad juſtitiam fuiſſe neceſſariam, nunc autem ad religioſam pietatem utilem eſſe, eò quòd prævia eruditio ſit iis, qui fidei per demonſtrationem fructum colligunt*. Et paucis interjectis: *liberales artes*, aſſerit, *ad philoſophiam conferre, tanquam ipſarum Dominam; Ita etiam philoſophiam ipſam ad Sapientiam comparandam conducere*; & *lib. 6.* Sapientem, ſeù Theologum, quomodo ſe gerere debeat, inſtruit; ut, cùm *primariò circa divinarum rerum ſcientiam occupetur, ex conſequenti tamen, ac veluti acceſſionis loco, in iis verſetur, quæ ad exercendos præparare poſſunt; tum ex unaquaque diſciplina, quod ad veritatem conducibile ſit, accipiat*, apud Petav. *d. loco cap. 4. n. 2. & 3.*

Hinc Auguſtinus uſum philoſophiæ Chriſtiano Theologo commendat *lib. 4. de doctrina Chriſti cap. 4.* ubi: *Philoſophi autem, qui vocantur, ſi qua fortè vera, & fidei noſtræ accommodata dixerunt, maximè Platonici, non ſolùm formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam, tanquam injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vindicanda.*

Pro-

Propter quod inutilis, qua parte philoſophiam ſcholaſtica Theologia importat, minimè notanda venit.

7 Dialectica pariter Theologiæ inutilis neutiquam exiſtit, ſed potiùs frugiferam reddit; Quippe Dialecticæ officium erga diſciplinam ſapientiæ, eſt eam ſubtilibus, ſinceriſque diſcurrendi regulis tutam ab adverſariorum vexatione, & ſoliditate ſecuram efficere. Licèt enim ad repellendos, reluctandoſque hæreticos divinis Scripturis, Traditionibus, & definitionibus Eccleſiæ, ut propriis principiis utatur, diſcurratque, maximèque in iſtis vim reponat, tamen non illis uti, nec ea adverſus ipſos tractare ſcienter arma poterit, ſi ſit dialecticæ rudis, à qua regulæ definiendi, ratiocinandi, aptatèque diſputandi procedunt. Hinc, ipſa præeunte, & monſtrante, cognoſcit, quemadmodum illorum artes, & fallaciæ infirmandæ ſint, ac falſa argumenta diſſolvenda. Nititur planè Theologia fidei, tanquā principio, & veritatis fundamento; ſed huic ratiocinando, & unum ex alio colligendo auxilium dialectica præbet. Cujus eſt, quid ex quoque conſequens ſit, & connexionem videre, repugnantia ſeparare, copulata jungere, dividere, definire, ratiocinari, & viam tam docendi, quàm diſcendi ſine errore præſcribere; quę omnia certa, & neceſſaria ſunt inſtrumenta doctrinæ, quibus deſtituti in varios incidunt errores.

8 Unde idem Clemens *lib.6.* dixit: *Sepimentum eſt dialectica, ut ne à ſophiſtis veritas proculcetur.* Baſilius *ad cap.1. Iſaiæ*: *Facultas*, inquit, *Dialecticæ muri inſtar eſt dogmatibus, quod ea non ſinit facilè diripi, & quorumlibet incurſioni patere*; & Arnobius *in conflictu cum Serapione* obiicienti hęretico, *Ceſſet ars Dialectica*, reſpondit: *Ars Dialectica in rebus obſcuris ingreditur, ut videatur eſſe verum, quod verum eſt.* Quoniam, ut loquitur Caſſianus *lib.1. de Incar.cap.6. rationi non obeſt ſermo rationis, & ſemper veritas ventilata plus rutilat; meliuſque eſt errantes diſputationis curatione corrigi, quàm cenſuræ ſeveritate damnari.*

9 Prodeſt Theologiæ dialectica, teſte Auguſtino, qui ubi ſupra *de Doctr. Chriſti cap.31.* hæc habet: *Diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ in litteris Sanctis ſunt, penetranda, & diſſolvenda plurimùm valet; tantùm ibi cavenda eſt libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi adverſarium*; Nec culpandus eſt Theologus Chriſtianus propter Dialecticę uſum ut idem Auguſtinus aperit *lib.1. contr. Creſcon.cap.13.* cui Dialecticam obiicienti reſpondet: *Quid eſt aliud Dialectica, quàm peritia diſputandi? Quòd ideò aperiendum putavi, quia etiam ipſam mihi obiicere voluiſti, quaſi Chriſtianæ non congruat veritati, & ideò me Doctores veſtri volunt hominem dialecticum meritò fugiendum potiùs, & cavendum, quàm refellendum, revincendumque cenſuris .... tu autem in me dialecticam criminatus es, quòd falleres imperitos, illoſque laudares, qui diſputando mecum congredi noluerant*; Quænam verò ab illa facultate diſcantur, exponit *lib.3.contra Academicos cap.13. & lib.cit. de Doctr.Chriſt.cap.29.* dicit eam valere *ad enigmata ſcripturarum ſolvenda*; *Lib.* verò *alleg.contr.Creſconium cap.20.* reſolvit: *Hanc artem, quam dialecticam vocant, quæ nihil aliud docet, quàm conſequentia demonſtrare; ſeù vera veris, ſeù falſa falſis, nunquam doctrina Chriſtiana formidat.*

10 Ea itidem parte, qua ſcholaſtica Theologia methodū enuntiatam comprehēdit, Eccleſiæ non inutilis, & ſuperflua, ſed utilis eſt: Diſputans enim Theologus *de eſſentia, de exiſtentia, de cauſis, de relationibus, de proprietatibus, & ſimilibus*, confuſionem, & æquivocationem tollit, & rei controverſæ veritatem oſtendit; ac repugnantium objectis reſpondens teſtatur fidei myſteria non contra rationem eſſe, licèt ſupra rationem ea admiremur.

Confirmat priora praxis Patrum, qui adverſus Eccleſiæ hoſtes in exponendis, aut defendendis fidei dogmatibus philoſophia & dialectica uſi ſunt; philoſophia quidem, quo-

quoniam ex ſignificato, quod de generatione philoſophia tradit, concluſerunt contra Arianos Verbum eſſe Patri æterno conſubſtantiale; hoc nimirum argumento, in quo major propoſitio eſt merè philoſophica: *quod ſecundùm ſubſtantiam ab alio generatur, ejuſdem eſt cum generante ſubſtantiæ. Atqui ex Scripturis Verbum à Patre generatur; ergo Verbum eſt ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ*. Dialecticà etiam, quoniam ex vero verum colligentes, *Spiritum Sanctum, etiam à Filio procedere*, negantibus Græcis, probarunt, hoc etiam diſcurſu, in quo utraque præmiſſa ex Sanctis Scripturis accipitur: *Filius ideò, quia accipere, & audire à Patre legitur, à Patre procedit; Sed Spiritus Sanctus in iiſdem ſcripturis à filio accipere dicitur, & audire: ergo procedit à Filio*. Ita Patres in Concilio Florentino ex regulis dialecticis contra Græcos intricata, & captioſa eorum argumenta enodarunt, quibus proceſſionem Spiritus Sancti à Filio oppugnabant.

Dicunt: Apoſtoli in tradendis ſacris ſcripturis eas facultates non adhibuerunt; ergo inutiles ſunt theologis.

11 R. Hæc eſt inſtantia iis familiaris, qui theologos Chriſtianos eas doctrinas dedecere concludunt. At objecto idem occurrit Clemens *lib.1.Strom. Verùm*, ait, *prophetici, ac dicentis Spiritus ſenſus, qui obſcurè loquitur, propterea quod non omnium eſt intelligens auditus, artificioſas ad perſpicuitatem diſciplinas exigit*, & *eodem lib. eſt*, inquit, *per ſe ipſa perfecta, & nullius indigens doctrina Salvatoris, utpote facultas, & Sapientia Dei. Porrò Græca philoſophia ad eam accedens, non potentiorem facit veritatem, ſed ſophiſticam adverſus eam impreſſionem imbecillem reddens propulſanſque doloſas contra veritatem inſidias, congruens vineæ ſepimentum, & vallum dicitur*. Quo circa ad hoc philoſophia, & dialectica in theologo exiguntur, ut fidei veritatem ab oppugnatoribus defendant, & ab ipſorum fallaciis præſervent.

Cæterùm Auguſtinus *lib.cit.contr.Creſcon. cap.14.* Paulum Dialectica eſſe uſum recenſet. Præmiſſo enim, quòd *dialectica, latinè diſputatoria vocetur, & Dialecticus diſputator*, ſubdit: *habes in hoc eodem teſtimonio, quod de actibus Apoſtolorum commemoravi, de ipſo Paulo ita poſitum; Diſputabat igitur Judæis in ſynagoga, & gentibus, & colentibus in foro. Cap.17.* narrat Chriſtum regulis dialecticæ reſpondiſſe Judæis, concluditque *cap.18. Si autem Chriſtum dixeris Dialecticum, laudabis dialecticam, quam mihi pro crimine objeceras*.

Dicunt: Theologo ſufficit poſitiva ſine ſcholaſtica Theologia.

12 Contra. Eo ferè modo ſat eſt poſitiva theologo abſque ſcholaſtica, quo militi ſufficiunt arma, ſine bellandi peritia. Arma quidem tam offenſiva, quàm defenſiva ex Scriptura, Traditionibus, Eccleſię auctoritate, ac Patrum doctrinis deprompta miniſtrat Theologo poſitiva; at ſcholaſtica Theologi manus docet ad prælium, & digitos ejus dirigit ad bellum, docens verſutias ſermonum agnoſcere, argumenta diſſolvere, arguere, rectè diſcurrere, ac rationem omni poſcenti reddere, inſtruenſque regulis connexionum, *quid ſit conſequens, quid non conſequens; quid repugnans*, ut idem Auguſtinus loquitur *c.34. d.lib. de doctr. Chriſti*. Sed militi non ſufficiunt arma, ſine bellandi peritia; Etenim miles rudis, & ad bellandum imperitus, licèt omni armorum genere munitus, ad primum ſæpè cedit, & cadit hoſtis aggreſſum. Ergo nec Theologo ſufficit ſine ſcholaſtica Theologia poſitiva; varioſque ut plurimum in errores offendet, quantumvis poſitivæ armis munitus, ſi ſcholaſtica non dirigatur, ejuſque non ſit regulis inſtructus; ſicut alii imperiti non pauci, qui fallaciis preſſi, ac poſcentibus rationem reddere ignorantes circa fidem naufragaverunt 1. *ad Timoth.1. erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa pſal.57.* Et inde patet, quanti commodi ſit Eccleſiæ, & Religioni defendendæ ſcholaſtica Theologia.

13 Quod totum, ſummaque ipſius utilitas

litas comprobatur muneribus, & officiis in commodum Eccleſiæ directis, quæ ipſa præſtat. I. Fidem ipſa, ſaltem diſpoſitivè gignit in adultis, explicando ſacram Scripturam, & proponendo myſteria revelata; *quoniam fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*. II. Fides per eam nutritur, quippe per diſcurſum theologicum apparet, quæ ex revelatis rectè concludantur. III. Fidem ipſa defendit, dum argumenta ex adverſo diſſolvit, tum, quæ hæreticorum, & Judæorum urget inſania, quibus Novum, & Vetus Teſtamentum opponit; tum ea Paganorum, & Atheorum, contra quos ad philoſophiam naturalem deſcendere cogitur (cùm nec Scripturas, nec Traditiones illi percipiant) ut inde contra rationem fidem non eſſe concludant. IV. Fidem roborat, quatenus Scholaſtici Theologi ad fidei veritates probandas, verbo Dei ſcripto, addunt Traditiones, Decreta Pontificum, & Conciliorum definitiones; Et dum hiſtoriam Eccleſiaſticam evolvunt, adhibent libros, & Commentaria veterum Patrum, ac adducunt comparationes, & ſimilitudines, quibus credenda elucidant, ut imbecillium, & fluctuantium fides magis roboretur. Proinde ſcholaſticæ Theologiæ elogium aptavit Auguſtinus *lib.14. de Trinit.cap.1. ut ſit id, quo fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur*. Fides itaque debet primò in mente Chriſtianorum generari; Secundò nutriri, aliàs ſine alimento citiùs periret; Tertiò defenſione eget ne fallacibus hæreticorum argumentis obruatur, & roborari tandem oportet, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, ut inquit Apoſtolus *ad Epheſ.4.* quæ omnia cùm à ſcholaſtica deriventur, ejuſdem utilitas, moraliſque neceſſitas eſt manifeſta.

Nec ideò negligenda eſt, quòd maximis philoſophicis, ac regulis dialecticis jungatur, propter quas in eam, & quidem ſtultè, muſſitant hæretici, quin potiùs ſtudio, & labore conquirenda; Siquidem juxta monitum Joannis Damaſceni *Dial. cap.1. Omnis artifex aliquibus inſtrumentis opus habet ad operum ſuorum effectionem. Porrò decet Reginam ancillarum quarumdam uti miniſterio. Accipiamus igitur doctrinas iſtas, tanquam veritatis famulas, & impietatem, quæ tyrannico Dominatu ſibi eas uſurpaverat, procul amandemus; neque bono malè utamur, nec ad circumveniendos ſimpliciores convertamus artem illam diſputandi; ac tametſi neutiquam variis ipſis ſophiſticis inventis veritas opus habeat, nihilominus ad evertendos malos illos pugnatores, & ad falſo nomine appellatam iſtam refellendam ſcientiam, illis utemur*. Apud D.Petavium *cap.4. nu.ult.*

14 Efficax recurrit argumentum utilitatis, quam affert theologia ſcholaſtica, ex quo ejuſdem ſit uſus communi Eccleſiæ conſenſu probatus: quam tot Locorum Univerſitates, & Collegia commendant: Romani Pontifices celebrant. Urbanus IV. *in Extravag. Laudabilis Deus*, Summam Theologicam D.Thomæ legendam in ſcholis diſpoſuit. Innocentius IV. Alexandro Alenſi præcepit, ut Summam ederet Theologiæ apud *Boivin.loc.cit.* Concilium Lateranenſe II. ſub Innocentio III. ut *in cap. damnamus de Sum.Trinit. & fid. Cathol.* reprobavit tractatum ab Abbate Joachimo editum contra Petrum Lombardum Scholaſticæ Theologiæ Compilatorem. Sacra Cong.Conc.ad ſeſſ.5.Trident. declarat eos ſatisfacere declarationi Concilii præcipientis lectionem Sacræ Scripturæ, qui docent Theologiam Scholaſticam, adeò ut alteram legere ſufficiat, ut refert Fagnan. *in 5.ad cap.quia nonnullis num.31. de Magiſtr.* Et Clemens V. in Concilio Viennenſi, aſſerentibus nonnullis, per baptiſmum culpam originalem parvulis remitti, ſed gratiam non conferri, concordantibus Theologis, quòd & culpa eiſdem in baptiſmo remittitur, & virtutes, ac gratia infunduntur quoad habitum, *opinionem ſecundam tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis* con-

conſonam, & concordem, ſacro approbante Concilio, duxit eligendam, ut in Clement. de Sum. Trinit. & fid. Cathol.

Quam quidem ſummopere comprobat uſus Eccleſiæ, quæ ad Concilia generalia profundiores, ſubtilioreſque Theologos advocare ſolet, ut, ipſis quæſtiones propoſitas appoſitè ventilantibus, & maturè examinantibus, definienda definiantur, & reiicienda reiiciantur: Quæ pariformiter eſt praxis Summorum Pontificum, cùm extra Concilia, dubia circa fidem, & mores ad Sanctam Sedem reportata decidunt prout legendum reſpectivè relinquo in Conſtitutione Innoc. X. *Cum occaſione*, edita contra quinque propoſitiones Janſenii relata *in Conſt. ad Sanctam Alex. VII. la* 28. *Bullar. to.* 5. in litteris Innoc. XI. quibus errores Moliniſtarum 28. *Auguſti* 1687. proſcripſit: in Conſt. Innoc. XII. *Cùm aliàs* 12. *Martii* 1699. adverſus propoſitiones Archiepiſcopi Cameracen. & ſæpè alibi.

Opponunt I. A Chriſto jubemur *Scrutari ſcripturas*. Joan. 5. & à Paulo ad Coloſſen. 2. inſtruimur: *Videte, ne quis vos ſeducat per philoſophiam, & inanem fallaciam*; ergo non eſt Eccleſiæ utilis ſcholaſtica Theologia, quæ principiis philoſophicis, & dialecticis regulis utitur: Siquidem utile Eccleſię neutiquam cenſendum, quod in ſacris Scripturis improbatur.

R. Poſita illa Salvatoris ſententia: *Scrutamini ſcripturas*, non ſunt à Theologia pęnitus excludendi Syllogiſmi, & argumentationes; Manifeſtum eſt enim, eum, qui ſcripturas perſcrutatur, etiam argumentando legere: Siquidem ſcrutari, diligentem inquiſitionem importat. Ea verba fuerunt dicta Judæis à Chriſto, ad examen ſcripturarum miſſis, ut ex eis recognoſcerent adimpleta eſſe *ſigna*, quæ ipſius adventum præmonſtrabant.

15 Quinimò ex hoc, quòd Chriſtus ad ſcripturas nos dirigat, inſtructos nos, vult, eum non raro ſyllogiſmis, & argumentatione uſum eſſe: Etenim *Matth.* 22. probans ſuam Divinitatem, & ſe Dei, & non Davidis tantùm filium eſſe, ſic concludit: *Si ergo David vocat eum (hoc eſt Chriſtum) Dominum, quomodò filius ejus eſt?* & *Lucæ XI.* ad probandum ſuum adventum, ait: *Si in digito Dei eiicio Dæmonia, profectò ergo in vos pervenit Regnum Dei, & Meſſiæ, toties à Prophetis promiſſum, & d. cap.* 22. *Matth.* ut probet à Judæis eſſe tributum Cæſari ſolvendum, ita diſcurrit: *Oſtendite mihi numiſma cenſus; at illi obtulerunt ei denarium, & ait illis Jeſus: Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei: Cæſaris: Tunc ait illis: reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Contra Sadducęos ibi probat immortalitatem animæ, & carnis reſurrectionem, & ex hoc infert: *ergo cùm Deus Abrahaam Iſaac, & Jacob, & non eſt Deus mortuorum, ſed viventium;* & alia hujuſmodi, quæ in ſermonibus Chriſti occurrunt. Proindeque non eſt in Theologo reprehendenda ars ſyllogiſtica, & Theologia argumentativa.

16 Ad illud Pauli. Ibi Apoſtolus unà cum Coloſſenſibus nos omnes monet, non ut à vera philoſophia temperemus, ſed ab ea caveamus, qua homines à vera in Chriſtum fide, retrahuntur; & propterea ſubjecit: *Secundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum;* prout etiam Auguſt. notavit *lib.* 1. *de moribus Eccleſ. cap.* 21. Nonnulli enim quædam axiomata aſſumunt, ut fidem noſtram rudioribus irrationabilem reddant; ita ad improbandam Angelorum, & animę rationalis creationem producunt illud: *a privatione ad habitum non eſt regreſſus;* & ad oppugnandum Sacramentum Euchariſtię: *accidentis eſſe eſt ineſſe*, & ſimilia, quę à philoſopho gentili omnia juxta naturalem imbecillitatem metienti diſputationibus inſeruntur.

Hujus generis argumenta Paulus reprobat, non verò, quæ fidem non evacuant, ſed potiùs ad eam corroborandam ſunt idonea. Ita ipſe multoties argumenta philoſophica in uſum habuit. 1. *ad Corinth.* 12. ut probet, non omnes in corpore myſtico

Ec-

Eccleſiæ Doctores, & Paſtores eſſe debere, hac utitur philoſophica ratione: *Sicut enim corpus noſtrum unum eſt, & membra habet multa. Si totum corpus eſſet oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? ad Roman.9.* Quærentibus cur Deus ſpecialiter aliquos prædeſtinet, & non alios, reſpondens ait: *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Et ſæpè alibi naturalibus ſimilitudinibus, & diſcurſu adverſus hoſtes fidei utitur; Ergo Theologo Catholico nec philoſophiæ, aut Dialecticæ uſus obiiciendus eſt; & opponens repellendus doctrina Auguſtini, qui Creſconio eumdem deriſoriè dialecticum vocanti, reſpondit, ubi *ſupr.cap.14.Cave, ne cuiquam dialecticam objeceris pro crimine, qua uſos Apoſtolos confiteris.*

Opponunt 2. Patres ſemper declamarunt contra philoſophiam, & dialecticam, & ex illis omnes fermè hęreſes prodiiſſe tradidere. Tertullianus *lib. de anima cap.3.* appellat philoſophos, *hæreticorum Patriarchas.* Ambroſius *in pſal.18.Nihil nobis,* ait, *cum philoſophia, ne fidem noſtram per elementa mundi huius traducat à vero; ne quis aſſertionem noſtram per philoſophiam deprædetur.* Et S.Bernardus: *philoſophorum ventoſa loquacitas, non bonus imber eſt, qui ſterilitatem magis intulit terris, quàm fertilitatem.* Idem eſt certum de dialectica: De Ario enim (qui, ut Socrates *lib.1.cap.5.* ait: *fuit dialectica loquacitate, & aſtutia præditus*) Sozomenus *lib.1.cap.15.* narrat: *Cùm acerrimus dialecticus eſſet, atque iſtiuſmodi diſciplinis imbutus, in abſurdos ſermones dilapſus eſt.* Sequitur Gregorius Nazianzenus *orat. 26. Qui in Eccleſiam irrepſiſſe dolet, captiones ſophiſticas, ac pravum artificium Ariſtotelicę artis, & huius generis alia, velut Ægyptiacas quaſdam plagas.* Apud Petavium ubi *ſupr.cap.3.* Similia paſſim afferunt cæteri Patres, quos longiùs eſſet retexere; qui proinde Theologiam Scholaſticam reprobant, quia illis facultatibus utitur.

17 R. Diſtinguendo antecedens. Patres tradidere omnes ferè hæreſes ex philoſophia, & dialectica prodiiſſe *per ſe*, nego: prodiiſſe *per accidens* conc. ant. Philoſophia *per accidens*, ſeù ex quorumdam hominum iniquitate, & malitia hæreſes peperit, quatenus ejus principiis uſi ſunt, ut impugnarent principia fidei; vel, quia contenderunt, nihil credi debere, quod ratione naturali, ac argumentorum vi probari non poſſet; atque ita, vel argumentorum ſubtilitate, aut evidentia demonſtrationis movebantur ad aſſenſum. In quo reprehenduntur ab Auguſtino *ſerm. 242.3. in diebus paſchalibus cap.1. in homine carnali,* inquit, *tota regula intelligendi eſt conſuetudo cernendi; quod ſolent videre, credunt, quod non ſolent, non credunt.*

Non ita Theologi utuntur philoſophia, non ipſam magiſtram credendi conſtituũt, non ducem habent, nec à naturali lumine rerum credendarum rationem repetunt, ſed auctoritate Dei revelantis ab Eccleſia propoſita ad credendum moventur: fide verò ſuppoſita, philoſophicis argumentis per accidens utuntur ad fidem tuendam, illuſtrandam, vel perſuadendam; tum, dum contra Athæos (qui nulla alia forma, quàm diſcurſu naturali convinci poſſunt) perſæpè pugnandi fertur occaſio, & Dei exiſtentiam probandi; tum dum Theologos provocant hæretici fidem noſtram philoſophicis principiis impugnantes; tunc enim non mirum, ſi ut philoſophica ipſorum diluant argumenta, ad philoſophicos diſcurſus recurrant. Ita dum Sectarii contra Catholicos ex philoſophia argumentantur, & probare conantur, v.g. *unum corpus non poteſt eſſe in pluribus locis: plura corpora non poſſunt ſe invicem penetrare; accidens non poteſt eſſe ſine ſubjecto,* & ſimilia, tunc Catholici coguntur obiter, & per accidens attingere philoſophiam, & ex eodem armamentario tela deſumere, ut hæreticorum fraudes, ac ſophiſmata enodent, & veritatem elucident. Dolendum ſanè, ſi Catholicis ex eo ad fidem propugnandam accipere non liceret, dum illi ad

ad eam oppugnandam aperta pertinacia philoſophia abutuntur.

18 Abuſus itaque philoſophiæ reprobatur, non verò ipſius uſus, ut optimè dixit Petavius. *cit.cap.4.nu.*15. Servandus proinde ſcholaſticæ Theologiæ uſus, vitandus abuſus (non enim propter bonarum rerum abuſum legitimo calumniandum eſt uſui) qua ſanctè contra hæreticos Theologi utuntur pro fide, & Eccleſia. Qui eos debent philoſophos vitare, quos Scriptura proponit, ut ait Auguſtinus *lib.*1. *de ordine cap.*11. *Divinæ Scripturæ non omninò philoſophos, ſed philoſophos hujus mundi evitandos, atque irridendos eſſe præcipiunt.*

Pariter non legitimus dialecticæ uſus à Catholicorum ſcholis eſt amandandus, ſed abuſus deſerendus. Quam hęretici ad Chriſtianam, & Catholicam fidem evertendam, ac circumveniendos ſimplices; rudeſque non ſemel fallaci ratiocinatione adhibuerunt, & inde ipſorum fraude, & malitia nonnullæ hæreſes prodierunt. Verùm, quam Scholaſtici ſcholaſticæ Theologiæ præſidio hęreſim non debellarunt? & adhuc non debellant, legitimè dialecticâ utentes ad perplexos ipſorum nodos, laqueoſque implicatos, fallacias, & ſophiſmata diſſolvenda? Principiis ſanè revelatis, Decretis Pontificum, Conciliorum definitionibus, ac Patrum auctoritatibus, tanquã *per ſe* propriis Theologia innititur, & *per accidens* argumentationibus utitur, ut quidquid ex revelatis ſequatur, ac ex vero verum conſequens ſit, recognoſcat, ut ex Auguſtino ubi ſupra *n.9.contra Creſconium.*

19 Hinc Patres in objectione producti cum cæteris n.6. & 7. laudatis conciliantur; quòd allegati in argumento abuſum philoſophiæ, & dialecticæ rejecerint, ac argumenta, & humana ratiocinia eo ſenſu eſſe removenda, & vitanda monuerint, ut eis non nitatur fides noſtra, nec propter rationem naturalem, ſed propter divinam auctoritatem ab Eccleſia propoſitam credatur; ubi illi (quorum teſtimonia in probationibus dedimus) eaſdem facultates germanè, & opportunè uſurpatas commendarunt.

20 Quapropter licèt ipſæ *per accidens*, vel propter abuſum non ſint Eccleſiæ utiles, *per ſe* tamen, & ſecundùm ſubſtantiam utiles ſunt. Peccant hæretici, quòd divinam revelationem, aut ſcripturis, aut traditione contentam arte dialectica convellere tentent; ſed Catholici piè utuntur illius regulis, ut ex articulis expreſsè revelatis inferant alios, qui in eis mediatè, ac virtualiter continentur. Catholicos illi propter artem diſputandi, & argumentationes ſugillant, & tamen ipſi nulli parcunt ſubtilitatis generi, quo & ſuam defendant opinionem, & catholicam veritatem proculcent. Quos inde, ut ad mentem redeant, regula corrigit ab Emanuele Caleca Græco præfinita apud D.Petavium *cap.5.num.4.* adverſus Nicephorum Græcoram ſyllogiſmos, & argumentationes à Theologia excludentem; *non univerſè*, ait, *argumentari eſſe malum, ſed tantummodò ad id, quod propoſitum eſt, non congruis uti principiis, ac putare fidem naturalibus demonſtrari principiis.*

Opponunt 3. Plura tractat ſcholaſtica Theologia ſcitu non neceſſaria, & circa nonnullas quæſtiones inutiles, aliaque merè de poſſibili occupatur; ergo Eccleſia nullum fructum percipit ex ipſa; & ita utilis ipſi non eſt.

Præterea Scholaſtica Theologia pluribus terminis utitur, qui in uſum antiquis Patribus non fuerunt, ut ſunt hujuſmodi: *materialiter, formaliter, entitas, ratio formalis, quidditas*, & ſimiles. Quinimò nonnunquam ſolæciſmis gloriatur, ut eſt terminus iſte: *Opus operatum*, quem adhibent ſcholaſtici, dum de Sacramentis agunt.

Deinde. Ante tempora Damaſceni, & Lombardi, Patres, & Paſtores, oves ſibi creditas abſque theologia ſcholaſtica docuerunt, fidem, ac hęreſes, quæ tunc natæ ſunt, morumque corruptelas expugnarunt. Ergò ſuperflua eſt, & ſufficit poſitiva.

Tan-

Tandem. Theologia ſcholaſtica utitur principiis, & rationibus philoſophicis, propter quæ eſt contra fidem, novitatis capax: Ergo eſt Eccleſiæ non utilis, ſed perniciosa.

21 R. Quando in Theologia ea ſæpè tractarentur, de quibus loquitur argumentum, id Theologorum curioſitati, & non Theologiæ ſcholaſticæ tribuendum eſſet, ad quæ ipſa non per ſe, ſed per accidens tantùm juvat. Cæterùm, quæ inutilia, & ſuperflua rudibus, & mulierculis videntur, ea ſcitu neceſſaria ſunt Doctoribus, & Paſtoribus, quorum eſt alios in lege Domini erudire, parvulis panem frangere, & eos, qui contradicunt arguere.

22 Ut plurimùm quęſtiones illę de poſſibili, nec non novæ, aliquæ perutiles ſunt, ut fides pleniſſimè explicetur. Ita illius quæſtionis examen: *an, ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc diſtingueretur realiter perſonaliter ab illo*, ponitur ad inveniendam rationem formalem diſtinctionis realis Spiritus Sancti à Filio. Quinimò ſæpè quæſtiones illæ novæ ſunt neceſſariæ propter hæreticos, qui novas, & anteà inauditas difficultates movent, dicente Auguſtino *lib.2. de dono perſev. cap.20. Didicimus ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentiùs defenderetur Scriptura Divina, quàm ſi nulla talis neceſſitas cogeret.*

Quin etiam veteres Patres plures tractarunt quæſtiones Scholaſticis ſimiles; inter quos eſt Auguſtinus, qui *lib.12. de Civit. Dei cap.15.* Difficilem quæſtionem, & implexam magis, quàm neceſſariam examinat: *An Deus ab æterno Dominus fuerit;* ſuper quo in utramque partem acutè, & ſubtiliter diſputat, ſed victus difficultate, irreſolutam ſuſpenſus reliquit. Inde ad poſteros monita dirigens, quid ſimilibus in controverſiis, quæ ad ingenii exercitationem agitantur, ſit Theologis agendum? *Sed ideò*, ait, *putavi ſine affirmatione tractanda, ut qui hæc legunt, videant à quibus quæſtionum periculis debeant temperare; nec ad omnia ſe idoneos arbitrentur, potiuſque intelligant, quàm ſit Apoſtolo obtemperandũ præcipienti: non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad temperantiam.* Qua ſententia monemur, ne ultra captum ingenii noſtri, vireſque in perplexis, ac reconditis quæſtionibus nitamur, maximè autem novis, & inuſitatis; non ut eas tractare, & utcumque de illis diſputare nefas ſit Theologo, ſed ut certò de illis decidere, ac temerè reſolutivè pronuntiare vereatur. Propter quod in varios plures errores novimus lapſos, & hæreſes natas lugemus, Hæreticis obſcura loca Scripturæ ad ſenſus pravos detorquentibus, dicente Auguſtino *tr.18. in Joan. n.1. Neque enim natę ſunt hæreſes, & quædam dogmata perverſitatis illaqueantia animas, & in profundum pręcipitantia, niſi, dum ſcripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè, & audacter aſſeritur.*

23 Ad 2. prædictis terminis alioquin inuſitatis, vel novis, uti Theologos non dedecet. Siquidem alii æquè ſignificantes, & expreſſivi non occurrunt, & illi ad clarè, & abſque æquivocatione explicanda myſteria adhibentur. Nec citra neceſſitatem id agitur, ſed cùm opus eſt nova quędam diſcutere, & erroribus hęreticorum obviam ire. Ita ex eis nonnulli adhibiti ſunt à Tridentina Synodo *ſeſs.6. de juſtif.* quod actum eſt pariter in Concilio Rhemenſi celebrato anno 1148. adverſus Gilbertum Porretanum realiter diſtinguentem Eſſentiam Divinam à perſonalitatibus, & attributis; & in Florentino contra Græcos oppugnantes proceſſionem Spiritus Sancti à Filio; quocircà jam multorum ſæculorum, ac Eccleſiæ uſu confirmati cenſentur. Videatur *contr.8. cap.fin. nu.40. & 41.*

Uti itaque vocibus, vocabuliſque, licèt extra regulas grammaticæ dummodò res clarè exponatur, & ab Eccleſia non reprobentur, reprehendendum non eſt, ſed

laudandum potiùs ingenium; & hùc ſpectat illu d Auguſtini *lib.4.de doctr. Chriſtiana cap.XI. Bonorum ingeniorum*, ait, *inſignem eſſe indolem, in verbis verum amare non verba. Quid enim prodeſt clavis aurea, ſi aperire, quod volumus, non poteſt? aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quando nihil quærimus, niſi patere, quod clauſum eſt?* Qui aliquoties barbariſmum excuſavit, vel probavit, ut in *pſal.36.ſerm.3.nu.6.* ad ea verba: tota die miſeretur, & fęneratur; *Fæneratur quidem*, ait, *latinè dicitur, & qui dat mutuum, & qui accipit: planiùs hoc autem dicitur, ſi dicamus fænerat. Quid ad nos, quid grammatici velint? Meliùs in barbariſmo noſtro vos intelligitis, quàm in noſtra diſertitudine vos deſerti eritis: ergo juſtus iſte tota die miſeretur, & fænerat.*

24 Ad 3. Annatus ubi *ſupr.art.3.* reſolvit perantiquum eſſe, & in Eccleſia viguiſſe ſemper aliqualem Theologiæ Scholaſticæ uſum quoad ſubſtantiam, licèt non ſub nomenclatura ſcholaſticę. Siquidem ſcholaſticæ Theologiæ munus eſt, res credendas explicare, & ex illis concluſiones varias methodicè per diſcurſum inferre, probare, & contradicentes arguere; propter quod Chriſtus ſuæ Eccleſiæ dedit Apoſtolos, Paſtores, & Doctores, qui neceſſarii erant ad res credendas, explanandas, & ſatisfaciendum poſcentibus rationem de ea, quæ eſt, fide in Eccleſia, quod fit præſidio Scholaſticæ Theologiæ, quæ eſt aptior ad contradictores revincendos, & res elucidandas magis, quàm poſitiva.

Dices. Ergo Theologia ſcholaſtica non modò eſt Eccleſiæ utilis, ſed etiam neceſſaria.

R. Concedimus ipſam, ut pręſcindentem à tali, vel tali methodo exacta, & ad artis Sillogizandi regulas, ac in quæſtiones, articulos, diſtinctiones, &c. in ſcriptis redactam, eſſe Eccleſiæ neceſſariam; ipſam verò ſub tali forma, & ut de præſenti in ſcholis traditur, non nocivam, ſed utilem contra Novatores ſtatuimus.

25 Ad 4. Dicimus ſcholaſticam Theologiam primariò, & per ſe ſuas concluſiones educere ex principiis revelatis fide divina creditis; ſecundariò verò, & per accidens interdum utitur principiis philoſophicis: ut, quando pugnandum eſt adverſus Athæos, & negantes Sacras Scripturas, & Traditiones, tunc ad philoſophiam, & rationem naturalem, aliaſque diſciplinas recurrit, eaſque ad arcem vocat, & in auxilium, ut ancillas: ut in ſuperioribus dictum eſt.

Nec novitas eſt in dogmatibus, ſed in ordine dumtaxat tradendi doctrinam, ut loquitur Durand. *to.1.Clype.Scotic.q.5.proemial.quæres ult.* vel explicandi veritatem.

26 Hìc advertendum I. quòd concluſio verè, & propriè Theologica illa eſt, quæ per diſcurſum deducitur ex principiis à Deo revelatis fide divina creditis: ita Theologica eſt, cùm ex duabus propoſitionibus de fide concluſio educitur, ut ex iſtis: *omnis homo habet liberum arbitrium, Chriſtus eſt homo; ergo Chriſtus habet liberum arbitrium*: vel, cùm ex una fide divina credita, & alia naturali, & certa; ut cùm dicitur: *omnis homo eſt riſibilis; Sed Chriſtus eſt homo. Ergo Chriſtus eſt riſibilis*. Dicitur *naturali, & certa*, quia ſi ex una tantùm de fide, & altera ſolùm probabili eſſet deducta, concluſio non eſſet propriè, & in rigore Theologica, ut hoc ſillogiſmo patet: *Omnis hoſtia ritè conſecrata continet verè, & realiter Corpus Chriſti: ſed hæc hoſtia per hunc Sacerdotem eſt ritè conſecrata: ergo hæc hoſtia continet verè, & realiter corpus Chriſti*. Hęc concluſio procedit ex majori, quæ eſt de fide, & ex minori, quæ eſt ſolùm probabilis tanquam ex cauſis (cùm probabile ſolùm ſit hunc Sacerdotem ritè conſecraſſe) Ergo, cùm concluſio ſequatur debiliorem partem, non poteſt eſſe alia, quàm probabilis; ac proinde non eſt certa; ergo nec in rigore Theologica, quę certa eſſe debet; cùm Theologia propriè dicta ſemper certò concludat, ut diſcurrit Annatus *art.6.*

Dicitur *in rigore Theologica*: Siquidem

in

in Theologia plures alię concluſiones ſunt, etiam Theologicæ, licèt non in ſenſu adeò ſtricto, ut eſt hujuſmodi: *Omnis dignitas tribuenda eſt Matri Chriſti, quæ poteſt abſque inconvenienti ipſi tribui. Sed eſſe conceptam abſque peccato originali eſt dignitas, quæ tribui ipſi poteſt abſque inconvenienti; ergo, concepta eſt abſque peccato originali*, Cognitio, quæ habetur de Concluſione eſt Theologica, licèt ex neutra de fide deducatur; ſed quia ſupponit revelationem de myſterio revelato, nimirùm quòd B. Virgo ſit Mater Chriſti, & traditur in Theologia, nec ſpectat ad alias ſcientias. Poncius *Theol. diſp.1.q.1.nu.5*.

27 An verò Concluſio ex duabus præmiſſis fide divinæ creditis, vel ex una de fide, & alia naturali, ſit de fide? Controvertitur inter Doctores; quantum ad deductam ex præmiſſis ambabus fide divina creditis, affirmat idem Poncius *diſp.27.q.7.nu.30*. reſolvens fidem divinam in nonnullis actibus eſſe formaliter diſcurſivam, maximè, dum pro præmiſſa habet revelationem divinam ut: *quidquid Deus revelat eſt verum: Sed Deus revelavit Antichriſtum futurum. Ergo Antichriſtus eſt futurus*. Concluſioni aſſentitur propter revelationem per illationem applicatam.

Mauro *Theol. to.2.lib.7.q.140.* reſolvit, quòd aſſentiri concluſionibus Theologicis ex hoc motivo, quia inferuntur ex duabus propoſitionibus de fide, vel, una de fide, & altera evidenti, non eſt aſſentiri illis aſſenſu fidei; quia ad actum fidei divinæ requiritur, ut ſit aſſenſus, quo aſſentiamur veritati à Deo revelatæ, ex hoc motivo, quia eſt à Deo revelata; non verò, quia eſt concluſio ex revelatis deducta.

Hinc Fideles poſſunt concluſionibus Theologicis aſſentiri, tum per actum purè theologicum, tum per actum fidei divinæ. Hoc ſecundo titulo aſſentiuntur, cùm aſſenſum præſtant ex hoc motivo, quòd à Deo ſunt ſaltem implicitè revelatæ. In primo verò ſenſu illis aſſentiuntur, non quia fuerunt à Deo revelatæ (hoc enim ſæpè non ſufficienter proponitur) ſed quia inferuntur ex præmiſſis revelatis.

28 Advertendum 2. quòd ex Sanctorum Patrum, & Doctorum Eccleſiæ auctoritatibus, Theologi concluſiones ſolùm probabiliter educunt; ex revelatis verò à Deo, certò, & neceſſariò concluſiones inferunt, & argumentantur. Siquidem Theologia nititur fidei Divinæ, & fides divina ſoli revelationi Prophetis, & Apoſtolis factæ innititur.

29 Advertendum 3. quòd in hæreticis non eſt Theologia, nec ipſi Theologi dici poſſunt, cùm in ipſis non ſit fides, à qua non minus Theologia eſſentialiter dependet, quàm aſſenſus concluſionis dependeat ab aſſenſu præmiſſarum, quo pereunte, ſcientiam pariter deſtrui neceſſe eſt. Ideò nulla apud eos eſt theologica concluſio, quamvis ex revelatis, ſeu ex Scriptura diſcurrant. Quoniam non diſcurrunt ex revelatis, per ipſos fide divina creditis, cùm ipſi fide careant, & ſint fidei Catholicæ hoſtes. Quare dum ex eis, Contenſonio teſte *lib.1.diſſert.1. cap.2.§.* Solvunt objecta, eſt in eis ſolùm Theologiæ cadaver, & auricalchum; vel aptiùs, eſt in illis dialectica ſophiſtica rebus divinis ſe ingerens, quibus non aſſentiuntur ex motivo ſupernaturali, ſed ex propriæ tantùm voluntatis electione; ex dicendis *cont.ſeq.cap.3.*

CONTROVERSIA II.

De membris Eccleſiæ Catholicæ.

ECcleſia ab Apoſtolo ſæpiùs dicitur corpus; nec corpus, niſi membris, externiſque partibus, inter ſe ſub eodem capite unitis, integrari, & coagmentari concipimus, ut in humano eſt certum. Idemque, & de myſtico, accommoda proportione, eſt dicendum. Ideò hic examen de membris Eccleſiæ inſtituitur, ut de veris, & legitimis ad tanti corporis compagem concurrentibus, ejuſdemque cum capite communicantibus, contra Acatholicos, pleniſſimè conſtet.

Eſt autem inter cæteras hæc differentia inter corpus naturale hominis, & Corpus myſticum Eccleſiæ; quòd membra corporis naturalis ſunt omnia ſimul: membra verò corporis myſtici non ſunt omnia ſimul, nec quantùm ad eſſe naturæ, nec quantum ad eſſe fidei, Spei, & charitatis. Ita, ex Turrecremata Guarnieri, *de Eccleſ. milit. lib. 1. cap. 2. §. 3. nu. 32.*

Hoc etiam ponderandum, quòd cùm Eccleſia dicitur una unitate fidei, ſpei, & charitatis, non eſt intelligendum, quòd unus numero habitus fidei, ſpei, &c. ſit in toto corpore Eccleſiæ, cùm ſint tot numero habitus diſtincti fidei, Spei, & Charitatis, quot numero ſunt Fideles, qui corpus Eccleſiæ conſtituunt; ideò cùm dicitur *una* fides Eccleſiæ, *una* ſpes, *una* charitas, non accipitur unitas ex parte unius numero ſubjecti earum, ſed ex parte objectorum, quatenus omnes fideles, qui numero, & merito ſunt in corpore Eccleſiæ, idem credunt, idem ſperant, & idem amant; proptereà uniuntur in uno credito, credendo, quidquid Deus revelavit, & Eccleſia credendum proponit: & in uno ſperato, & amato, quia idipſum ſperant, & amant, quod fides ſperandum, & amandum oſtendit.

CAPUT I.

An peccatores ſint membra Eccleſiæ Catholicæ?

SUMMARIUM.

1 *Error Donatiſtarum, & Sectariorum, circa membra Eccleſiæ.*
2 *Fideles peccatores ſunt membra Eccleſiæ Catholicæ.*
3 *Probatio ex Scripturis.*
4 *Probatio ex Auguſtino.*
5 *Sæpè nomine Mundi venit Eccleſia.*
6 *Etiam peccatores manifeſti ſunt in Eccleſia.*
7 *Sacramentum pænitentiæ eſt inſtitutum in remedium lapſis poſt baptiſmum.*
8 *Impii ſunt de corpore, non de anima Eccleſiæ.*
9 *Fides eſt forma corporis Eccleſiæ.*
10 *Malus Paſtor non eſt æquivocè membrum Eccleſiæ.*
11 *Impii non ſunt in Eccleſia, ut pili, & ungues, ſed ut membra viva, vita ſaltem imperfecta.*
12 *Impii poſſunt mereri de congruo, licèt non de condigno.*
13 *Falſæ prophetiæ dicuntur paleæ.*
14 *Fides infidelitate deperditur.*
15 *Fideles debent amare unitatem.*
16 *Peccatores per fidem ſunt filii Dei, non adoptivi.*
17 *Per gratiam ſanctificantem conſtituuntur filii adoptivi.*
18 *Eccleſia poſt reſurrectionem erit ſine macula, & ruga.*
19 *Peccatores per fidem uniuntur cum cæteris membris in uno credito.*

20 Cur

20 *Cur Eccleſia à malis denominationem non accipiat?*
21 *Soli prædeſtinati non ſunt membra Eccleſiæ.*
22 *Eccleſia tripliciter conſideratur; quantum ad eſſe finale, quantum ad eſſe animatum, & quantum ad eſſe formale abſolutum ad 24.*
23 *Eccleſia quantum ad eſſe finale conſtat ex ſolis prædeſtinatis.*

1 DOnatiſtæ apud D.Auguſtinum *li.3. contra epiſt.Parmeniani cap.*2.dixerunt, improbos Chriſtianos ad Eccleſiam non pertinere, quorum communione bonos pollui clamabant, & inde à Congregatione bonorum ſeparatos voluerunt. Quorum error fuit ſubinde à Lutheranis, & Calviniſtis renovatus, aſſerentibus ſolos juſtos ad veram Eccleſiam ſpectare, & inter illius membra computari; & inde definiunt Eccleſiam, quòd ſit *Convocatio juſtorum*: Verùm quia in ſententia Calvini nulli ſunt verè juſti, niſi qui ad æternam ſalutem ſunt prædeſtinati, ex ſyſtemate, ab eodem confictо, ſequitur veram Eccleſiam ex ſolis prædeſtinatis conſtare.

Doctrina verò Catholicorum errori Sectariorum planè oppoſita, eſt quòd Eccleſia Catholica non modò juſtos complectitur, verùm & impios tenentes fidem Catholicam, & ſub Romano Pontifice exiſtentes.

2 Dicendum. *Non ſolùm juſti, ſed etiam Fideles improbi ſunt membra Eccleſiæ Catholicæ.* Du-hamel *Theol.Cleric.to.*5.*lib.*1.*de Eccleſ.cap.*2. Becanus *to.*2.*opuſcul.lib.*2. *de Eccleſ.Romana opuſ.*4.*conc.*2. Guarnieri *de Eccleſ.milit.lib.*1.*cap.*2.*§.*3. Leytam *ſynopſ.de Eccleſ.milit.p.*1.*diſcept.*2.*ſect.*1.*n.*71. Boivin. *Theol.tom.*2.

3 Probatur 1. Eccleſia Catholica in Scriptura aſſimilatur areæ *Matth.*3. in qua non tantùm triticum, ſed etiam paleę reperiuntur. Aſſimilatur agro *Matth.*13. in quo eſt ſemen bonum, & Zizania. Aſſimilatur Sagenæ, *ibi*, ex omni genere piſcium congreganti. Aſſimilatur decem Virginibus *Matth.*25. quarum quinque prudentes, & totidem ſunt fatuæ. Ergo Eccleſia non modò bonum ſemen, frumentum, & Virgines prudentes, hoc eſt, juſtos, continet, verùm & Zizania, paleas, & Virgines fatuas, improbos nimirum, & peccatores, quamdiù Chriſti fidem profitentur, & viſibili eorumdem Sacramentorum participatione, ac doctrinæ profeſſione cum cæteris membris colliguntur, & ſub Papę obedientia uniuntur. Conſequentia ſequitur, quoniam per bonum ſemen juſti deſignantur, & per Zizania peccatores, ut *d.cap.*13. ex verbis Chriſti: *bonum ſemen hi ſunt filii Regni; Zizania autem filii ſunt nequam.*

Confirmatur. Illi ſunt in Eccleſia, qui poſſunt eiici ex Eccleſia. Sed Fideles improbi poſſunt eiici ex Eccleſia, ſi ab ea correpti, eam audire detrectent, juxta illud *Matth.*18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum. Si te non audierit, dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.*

Item. Paulus in Eccleſia plurimos peccatores cum bonis permixtos eſſe oſtendit; nam 1. *ad Corinth.*5. eos reprehendit: *omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* 2. *ad Theſſalonicen.*3. *Audivimus enim inter vos quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curiosè agentes..... Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur, & nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite, ut fratrem.* Paulus autem primo loco, ut ex *cap.*1. ſcribebat Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi; Secundo verò loco, ut item ex *cap.*1. Eccleſiæ Theſſalonicenſium. Ergo Eccleſia mixtos cum bonis, & juſtis habet peccatores, & improbos Chriſtianos.

Probatur 2. Joannes XXII. *Conſt. Glorioſam la* 3.*§.*15. *miſtos* in Eccleſia peccatores cum bonis pronuntiat; *in qua* (Eccleſia) ait, *velut in Arca animalia munda, atque immunda ſervantur, ſicut in area frumen-*

ta paleis permiſcentur; quemadmodum in Sagena boni piſces, & mali coeunt, ut in agro Zizania, & triticum ſimili germinatione ſuccreſcunt; nec tamen ipſam membrorum infirmantium immunditia polluit, extollit levitas, corrumpit nequitia, inſolentia ſcindit, ſed manens integra, atque perfecta, adoptionis filios fide generat, verbo nutrit, auctoritate defendit, penitentia purgat, patientiæ virtute ſupportat; ergo, &c.

4 Probatur 3. Conſtans fuit ſemper traditio Eccleſiæ, & mens Patrum, quòd peccatores, de quibus agitur, ſint membra Eccleſiæ. Quorum omnium teſtimonia recenſere neceſſe non putamus, ſed nonnulla tantùm ex Auguſtino ad plenam probationem producimus. Sanctus itaque Doctor, *epiſt.43. ad Glor. & Eccleſ. ad finem: Nemo delet de terra Eccleſiam Dei. Iſta totum Orbem replevit, & malos habet, & bonos. Tract. 6. in Joan. n.12. Nos fatemur in Eccleſia, & bonos, & malos eſſe, ſed tanquam grana, & paleam. Serm. 364. de Samſone n.2. Habet Eccleſia in ſe fortes, habet infirmos; habet juſtos, habet injuſtos. De unit. Eccleſ. cap.13. Neque enim nos ita dicimus, per totum Orbem diffundi Eccleſiam, ut in Sacramentis ejus ſolos bonos eſſe dicamus, ac non etiam malos; & cap. 14. Habemus innumerabilia teſtimonia, & de commiſtione malorum cum bonis, in eadem communione Sacramenti: Sicut Judas ab initio malus inter bonos undecim converſatus eſt. .... Eſt in Canticis Canticorum, quod de Sancta Eccleſia dictum eſt: Omnis Chriſtianus agnoſcit:* Sicut lilium in medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum. *Unde appellat ſpinas, niſi propter malignitatem morum? & eaſdem, unde filias, niſi propter communionem ſacramentorum? .... Eſt alia ſimilitudo apertiſſima de commiſtione malorum, & bonorum, intra eamdem Sacramentorum communionem, & connexionem, quam Dominus ipſe ponit, & exponit:* Simile eſt regnum Cœlorum Sagenæ miſſæ in mare, *quæ congregat omnia genera piſcium, &c. Nulla ergo malorum commiſtio terret bonos, ut propterea velint tanquam retia rumpere, & à Congregatione unitatis exire, ne homines, non pertinentes ad Regnum Cœlorum, in Sacramentorum conſortio patiantur.* Et alibi ſæpiſſimè commemorat peccatores cum bonis in Eccleſia eſſe permiſtos, ut Donatiſtas revincat, quòd Eccleſia, quæ in terris militat, non ex juſtis tantùm, ſed ex improbis quoque conſtet, illis aſſerentibus, non eſſe malos in Eccleſia tolerandos, ſed ab eis recedendum propter contagium peccatorum, ut apud D. Auguſtinum in *breviculo collationis contra Donatiſtas collat. tertii diei cap.8. n.14.*

Dicunt Proteſtantes. Juſti, & peccatores non in Eccleſia, ſed in mundo commiſcentur, quod probant ſimilitudine agri ex *Matth.13.* allegata, ubi per agrum, juxta expoſitionem Chriſti, mundus ſignificatur; *ager autem* (ait textus) *eſt mundus: Bonum ſemen hi ſunt filii Regni: Zizania autem filii ſunt nequam.*

5 Contra. Hoc ipſum Donatiſtę opponebant Auguſtino, *loco proximè cit. cap.9.* ibi. *Inde inter ſtrepitus, & interruptiones eorum, de Zizaniis, & tritico diſſenſio nata eſt, propter Mundi nomen, quo Donatiſtę nolebant intelligi Eccleſiam, quia ſcriptum eſt: ager eſt hic Mundus; & multa teſtimonia protulerunt, quibus Sancta Scriptura Mundum, non niſi malos commemoraſſet, ſicuti eſt:* qui dilexerit Mundum, non eſt charitas Patris in illo, *& cætera talia, ut quaſi ex hoc oſtenderent, Mundi nomine, Eccleſiam ſignificari minimè poſſe.* Donatiſtas verò aliis Scripturarum oraculis Catholici urgebant, ut ibi Auguſtinus; & *lib. poſt collat. ad Donatiſtas cap.8. & nolentes conſentire, Mundi nomine, Eccleſiam poſſe ſignificari contra verba Apoſtoli, qui dixit:* Deus erat in Chriſto, Mundum reconcilians ſibi; *& contra ipſius verba Domini, qui dixit:* non venit Filius hominis, ut judicet Mundum, ſed, ut ſalvetur Mundus per ipſum; *neque enim reconciliari Deo, & ſalvari per ipſum Mundus poteſt, niſi Mundi nomine intelligatur Eccleſia, quæ ſola, per eum Deo reconciliata, ſalvatur.* Et ita nomine Mundi in bono Eccleſia intelligitur, in qua boni, & mali

mali ſunt; ſicut intra eadem retia, permiſti boni, & mali piſces continentur. *Matth.*13.

Dicunt. In Eccleſia cum bonis mali non manifeſti, ſed occulti dumtaxat ſunt permiſti.

6 Contra. Idem Auguſtinus *lib.2.contra Gaudent. Donatiſt.cap.*4. peccatores non modò occultos, & incognitos, ſed & manifeſtos eſſe in Eccleſia oſtendit, allegata auctoritate S.Cypriani, & infra: *multò veriore venerabilis Cyprianus voce reſpondit, ſimul creſcentia non perire frumenta; Zizaniis non extra Eccleſiam, ſed in Eccleſia conſtitutis, nec occultis, atque incognitis, ſed planè notis, ac perſpicuis .... Cùm autem monet beatiſſimus ille, ne propter Zizania, quæ in ea ſunt, ab Eccleſia recedatur, non monet propter illa, quæ occultantur, ſed propter illa potiùs, quæ cernuntur. Ipſa enim ſunt, quæ poſſunt perturbare cernentes, niſi eos faciat ſapientia patientes.*

Dices. D.Cyprianus non abſolutè, & reſolutivè pronuntiat, & tanquam reverà ſint, ſed ſolùm quòd peccatores videantur eſſe in Eccleſia, ibi: *& ſi videntur in Eccleſia eſſe Zizania.*

Contra. Hæc eſt hæreticis ſolita fraus, ut auctoritates Patrum mutilas, & decurtatas ad propria commoda extorqueant; quos in caſu revincit idem Auguſtinus, & ex verbis Cypriani ad fatendum compellit, manifeſtos peccatores eſſe in Eccleſia; ibi: *etſi videntur* (inquit Cyprianus) *in Eccleſia eſſe Zizania. Videntur,* ait, *non ſuſpicatione creduntur, & ne quiſpiam putaret ita dictum,* videntur eſſe, *tanquam non eſſent, ſed eſſe viderentur, verbis conſequentibus, quid dixerit, aperit: non tamen impediri,* inquit, *debet, aut fides, aut charitas noſtra, ut quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Non ait: ſuſpicamur, putamus, credimus, opinamur, ſed cernimus. Ea quippe, etiam illi non aperta credebant, ſed apertè cernebant, qui dixerunt Patri-familias:* vis imus, & colligimus ea. Matth.*ubi ſupr.*

7 Probatur 4. Perinde eſt aſſerere Fideles peccatores non eſſe membra Eccleſiæ, ac dicere, in Eccleſia non eſſe Sacramentum Pœnitentię. Siquidem Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum eſſe in remedium eis, qui poſt baptiſmum peccarunt, definit Trident. *ſeſſ.*14.*cap.*1. *de pœnit.*ibi: *illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſtea in peccati ſervitutem, & Dæmonis poteſtatem tradidiſſent Sacramentum videlicet,* pænitentiæ, *quo lapſis poſt baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur.* Hæreticum autem eſt dicere, in Eccleſia non eſſe à Chriſto Domino inſtitutum Sacramentum Pęnitentiæ, ad reconciliandos lapſos poſt baptiſmum, ut expreſsè ex *canone* 1. *ibid.* ergo Fideles peccatores ſunt membra Eccleſiæ, qui poſt baptiſmum lapſi, per Sacramentum Pęnitentiæ Deo reconciliantur.

Opponunt 1. Illi non ſunt membra Eccleſiæ, qui non pertinent ad Corpus Chriſti. Sed Fideles impii non pertinent ad Corpus Chriſti; non enim habent Spiritum Chriſti: Unde dixit Apoſtolus ad *Roman.*8. *Si quis autem non habet Spiritum Chriſti, hic non eſt ejus.* Ergo non ſunt membra Eccleſiæ.

8 R.Negatur minor. Ad Corpus Chriſti pertinent, licèt in eis non ſit Charitas ad Deum, quæ eſt Eccleſiæ univerſali eſſentialis (quia Eccleſia Univerſalis non poteſt concipi charitate deſtituta, aliàs foret cætus ex hypochritis conflatus, quod eſt impoſſibile) non verò ſingulis membris; habent tamen fidem internam, cum externa ejuſdem profeſſione, conjuncta cum eorumdem Sacramentorum, & doctrinæ communione, ac ſocietate cum bonis, ſub Romano Pontifice, & legitimis Paſtoribus; in quibus, veluti externis vinculis membra ſunt inter ſe, & cum capite conjuncta; quare impii dici debent de corpore Eccleſiæ licèt non de anima; nam ſunt charitate deſtituti, Fides enim eſt forma Eccleſiæ juxta illud *Coloſſ.*1. *in fide fundati.*

9 Hinc auctoritas Apoſtoli probat ſolùm

lùm eos, qui non habent Spiritum Chriſti, gratiam nimirum ſanctificantem, (quę dicitur anima Eccleſiæ) non eſſe illius amicos. Et inde quia improbi ſunt extra ſtatum gratiæ, non ſunt amici Chriſti, nec habent animam Eccleſiæ; at non ſequitur, quòd non ſint membra Eccleſiæ, quoniam habent fidem inſuſam, quæ datur ex meritis Chriſti (conſequenter poſſunt dici in ipſa habere ſpiritum Chriſti) Et ipſa eſt forma (licèt non anima) corporis Eccleſiæ. Siquidem credere in Chriſtum eſt *initium hominis Chriſtiani* ex Auguſtino *de bono perſev.cap.2.* vide *infr.n.16.*

Quocirca notarunt Valemburcii *to.1.de contr.fid.tract.5.tit.prob.fidei per teſt.cap.2.* fidem eſſe fundamentum Chriſtianiſmi. Siquidem nihil per univerſa Evangelia frequentiùs narratur, inculcatur uberiùs, quàm fides. Hanc Chriſtus Dominus à ſuis auditoribus, & diſcipulis exegit verbis ſuis; & opera admiranda patravit, quibus ſimplices, & docti ad fidem commoverentur; & ad fidem annuntiandam, & promovendam, Doctores, & viros fideles Orbi Univerſo dedit.

Dices. Inde ſequitur, quòd impii membra Eccleſiæ ſint, ſed mortua, & non viva, quoniam carent charitate, quæ eſt vita animæ; adeòque, quòd ſint membra ſolùm æquivocè, non vera: Verum enim membrum eſt vitæ particeps.

R. Nonnullis Theologis, etiam graviſſimis videtur improbos eſſe in Eccleſia, ut dentes, ungues, & capillos, atque ita non vera eſſe membra.

Bellarminus dixit, peccatores non eſſe vera membra Eccleſiæ, ſi membrum conſideretur, ut eſt pars quædam vivi corporis, quoniam carent charitate, à qua viva membra conſtituuntur; eſſe autem vera membra, ut organa, & inſtrumenta operandi. In corpore enim myſtico, cujus anima eſt Spiritus-Sanctus, non viva ſolùm, ut in corpore naturali hominis, ſed & mortua membra poſſunt eſſe vera organa, & inſtrumenta operandi; quamvis enim in corpore naturali, non poſſit membrum mortuum eſſe inſtrumentum operationis, id tamen eſſe poteſt in corpore myſtico; Differentia eſt, quia in corpore naturali opera pendent ex bonitate inſtrumenti, cùm anima non poſſit benè operari, & opera vitæ exercere, niſi per inſtrumenta benè diſpoſita, adeòque viva; at in corpore myſtico opera non pendent ex bonitate, aut vita inſtrumenti: anima enim hujus corporis, hoc eſt, Spiritus-Sanctus æquè benè operatur per inſtrumenta bona, & mala, viva, & mortua. Ita Paſtores, licèt in peccato, validè Sacramenta conferunt, & Sacerdotes impii, tametſi illicitè, ritè conſecrant, & habentes juriſdictionem validè à peccatis diſpoſitos abſolvunt.

10 Verùm hujuſmodi reſponſio admittenda non videtur; non hoc titulo, quòd Sacramenta à Miniſtris peccatoribus validè non adminiſtrentur; quoniam validè ab eis miniſtrari negandum non eſt, dum omnia eſſentialia ſervent, juxta definita à Trid. *ſeſſ.7.can.12.* de baptiſmo; ſed hoc capite, quòd aliàs aliquo modo ſuſtineri poſſet inſania Joannis Hus, cujus error vigeſimus ſecundus fuit: *Papa, vel Prælatus malus, & præſcitus eſt æquivocè Paſtor*, ut ex *Conſt. Martini V. Inter cunctas la 1.Bullar. to.1.* nam ex *2. de anima*: membrum mortuum æquivocè habet rationem membri; & proinde Paſtor malus eſſet æquivocè Paſtor, quantùm ad rationem membri, ut eſt pars quædam vivi corporis: quod non benè ſonat, ut obſervat Guarnieri *de Eccleſ.milit.lib.1.cap.2.§.3.n.12.*

Nec valet dicere, quòd licèt Paſtor malus, quantum ad prædictam rationem ſit membrum mortuum, & æquivocè tale, ſit tamen verum membrum in ratione inſtrumenti, & organi operativi, quia ſub hac ratione conſtituitur per poteſtatem, ſive Ordinis, ſive juriſdictionis.

Non quidem hoc valet; aliàs non modò Papa malus in ratione inſtrumenti eſſet verum membrum, ſed etiam Epiſcopus manife-

niſeſtus hæreticus in forma Eccleſiæ ordinatus, eſſet verum membrum Eccleſiæ, cùm habeat poteſtatem Ordinis, ex dictis *contr.1.cap.1.n.25.* Immò ſequeretur, quòd peccator laicus habens fidem Catholicam nullo modo eſſet membrum Eccleſiæ: non quantùm ad rationem membri, ut hoc eſt pars vivi corporis: nec in ratione inſtrumenti operativi, quia laicus omni poteſtate, tùm ordinis, tùm juriſdictionis eſt privatus. Neutra autem ſequela admittitur, quia manifeſti hæretici non ſunt in Eccleſia, ex dicendis, in qua ſunt laici fideles, eſto mali.

11 Unde inſtantiæ reſpondetur, negando Fideles peccatores eſſe in Eccleſia, ut dentes, & pilos, ac eſſe membra mortua; quoniam, licèt non ſint viva vita perfecta, quæ præſtatur à charitate, adhuc tamen ſunt viva aliquali vita; & vitam, & motum excipere poſſunt: habent enim fidem infuſam, quæ eſt vita membri chriſtiani, licèt comparata ad charitatem ſit vita imperfecta. Hinc eſt, quòd hæretici, quia fidem non habent, omni prorſus vita, tùm imperfecta per fidem, tùm perfecta per charitatem carent. Et inde Judas Apoſtolus in ſua *epiſt.canonic.* de hæreticis dixit, quòd ſint *arbores bis mortuæ*, quatenus carent fide, & carent charitate. Quare cæteri peccatores fideles ſunt arbores ſemel mortuæ; quia, licèt careant vita perfecta charitatis, non carent tamen vita imperfecta fidei.

Dices. Tridentinum *ſeſſ.6.cap.7. de juſtificat.* Statuit, *fidem corporis ejus*, hoc eſt, Eccleſiæ Chriſti, *vivum membrum non efficere*. Et Joannes *epiſt.1. cap.3.* dicit: *qui non diligit, manet in morte*: quæ probant, peccatores, eſtò habeant fidem, eſſe membra mortua.

R. Tridentinum intelligitur de vita perfecta, ſicut antea dixit, quòd fides ſine charitate, *neque unit perfectè cum Chriſto*: nota illud *perfectè*.

12 Illud Joannis probat, quòd peccatores nequeunt habere actus meritorios de condigno: meritum enim de condigno præſupponit ſtatum gratiæ ſanctificantis, ut Theologi communiter, & ex Tridentino *ſeſſ.cit.cap.16.* & in hoc ſenſu opera eorum ſunt mortua; non verò probat, quòd peccatores ſint membra prorſus mortua; nam poſſunt proximè cum auxilio Dei habere actus meritorios de congruo, quos nequeunt habere, qui carent fide, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: ad hebræos 11.* & ex Auguſtino *de prædeſtinat. Sanctor. cap.3. Fides inchoat meritum*.

Opponunt 2. Impii ab Auguſtino *Serm. 252. in dieb.paſchalib.cap.5. & lib.2. contr. epiſt. Petiliani reſp.46.* & non raro alibi comparantur paleæ, juſti verò frumento, cum quo paleæ in Eccleſia manere non debent, juxta illud *Jeremiæ 23. Quid paleis ad triticum?* & Apoſtolus 2. *ad Corinth.6. Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras?* Ergo impii in Eccleſia non ſunt: juſti enim lux, & peccatores tenebræ dicuntur, proinde in eadem ſocietate eſſe non poſſunt.

13 R. Hujuſmodi etiam auctoritates olim à Donatiſtis fuerunt Catholicis objectæ, ad probandum malos non eſſe in Eccleſia; quos tamen non ſemel Auguſtinus auctoritatibus Scripturæ revicit, ut dictum eſt *nu.4.* Hinc, cùm auctoritates auctoritatibus non ſint in Eccleſia contrariæ, ſequitur adductas nihil adverſùs concluſionem urgere. Quare Jeremias ibi comparat falſas prophetias cum veris. Illas paleas appellat; triticum iſtas dicit. Verè enim paleæ ſunt omnia mendacia, nihil vigoris, nihil ſubſtantiæ continentia; veræ autem prophetiæ, quaſi ſolidum triticum, animos paſcunt, ſuſtentant, nutriunt; ita Tirinus *comment. ad cap.cit.* Nec agit de re, in quam à Donatiſtis trahitur; ideò reſolutioni non præjudicat.

Pariter auctoritate Pauli nihil adverſùs concluſionem reſultat. Siquidem Apoſtolus ibi monet Corinthios, ut omnem ſocietatem cum infidelibus, & hæreticis fugiant, ut ex præmiſſis conſtat: *Nolite*, in-

inquit, *jugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio juſtitiæ, cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras?* Undè cum infidelibus,& immundis immunditia idololatriæ, juſti ſocietatem non habent.

Deinde. Peccatores fideles dicuntur tenebræ non *abſolutè*, & *ſimpliciter*, quia habent lucem fidei, in qua aſſociantur cum juſtis, ſed *ſecundùm quid*, quatenus carent luce gratiæ ſanctificantis.

14 Cùm dicitur, quòd *perverſæ cogitationes ſeparant à Deo Sap.*1. utique perverſæ cogitationes contra fidem omninò ſeparant à Deo, quia per infidelitatem, etiam fides deperditur, ex Trid. *ſeſſ.cit.cap.*15. Aliæ verò perverſæ cogitationes (quæ ſint peccatum mortale) ſeparant à Deo, quantùm ad vinculum gratiæ ſanctificantis, non verò quantum ad vinculum fidei, quæ membrum Eccleſiæ conſtituit, licèt non uniat perfectè cum Chriſto ſine charitate, dicente Tridentino *cit.cap.*7. *Fides, niſi ad eam Spes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Chriſto, neque corporis ejus vivum membrum efficit.*

Inſtant ex Apoſtolo 1. *ad Corinth.*10. *unus panis, & unum corpus multi ſumus.* Sed panis non ex paleis, ſed ex frumento ſolùm efficitur. Ergo illi tantùm efficiunt unum panem, & unum corpus, qui repræſentantur in frumento; ſed iſti ſunt juſti dumtaxat, & non peccatores, ut ſæpè dixit Auguſtinus.

15 R. Similitudo Fidelium cum pane in eo valet, quòd ſicut multa frumenti grana unum panem efficiunt, ita omnes participantes de Sacramento Menſę Dominicæ amare debent unitatem. *Commendatur vobis*, inquit Auguſtinus *ſerm.*227. *in die Paſchæ* 4. *iſto pane, quomodò unitatem amare debeatis:* Et *ſerm.*229. *panis iſte indicat unitatem.* Ideò ſi eſt unus panis, de quo omnes participant, omnes *unam fidem, unam ſpem, & individuam charitatem* tenere debent, ibid. Auguſtinus; quare auctoritas non eſt ad rem.

Quinimò, ſi paritas de pane materiali tenenda eſt, ſequitur optimè improbos ſpectare ad corpus myſticum Eccleſię; nam improbi comparantur Zizaniis; Conſtat autem panem materialem ex granis, etiam loliaceis, cum triticeis permiſtis componi. Ergo & Corpus Eccleſiæ improbos cum juſtis comprehendit.

Opponunt 3. Peccatores non habent Deum Patrem; nam de illis dixit *Joannes* 8. *Vos ex Patre Diabolo eſtis.* Ergo neque habent Eccleſiam matrem; quia non habet Eccleſiam matrem, qui Deum non habet Patrem. Si autem impii matrem non habent Eccleſiam, non ſunt in Eccleſia,& ita nec ejus ſunt membra.

16 R. diſtinguendo antecedens. Peccatores nullo modo habent Deum Patrem, nego; aliquo modo, concedo antecedens. Utique peccatores non ſunt filii Dei adoptivi, quia non ſunt in ſtatu gratiæ ſanctificantis; ſunt tamen filii per regenerationem, & per fidem, dicente Apoſtolo *ad Galat.*3. *Omnes enim filii eſtis per fidem;* quam receperunt in baptiſmo, quo geniti, ſunt in Eccleſiæ ſinu.

Textus Joannis non intelligitur de peccatoribus quomodocunque, ſed de illis non habentibus fidem, & non credentibus, cum quibus loquebatur Chriſtus; unde ſubdidit: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Peccatores hujus generis, qui in Chriſtum non credunt, nullo modo ſunt filii Dei, nec ad Eccleſiam pertinent. Propterea conclusio poſita eſt de improbis fidelibus, habentibus fidem catholicam.

Dices. Credentes in Chriſtum, non filii ſunt, ſed poteſtatem habent, ut fiant filii Dei, juxta illud *Joan.*1. *quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine filii ejus;* ergo, &c.

17 R. Credentes in Chriſtum, ſed non fide viva, & charitate formata, planè non ſunt filii Dei adoptivi quia in hoc ſtatu ponuntur à gratia ſanctificante, ſed poſſunt proximè, ſi velint, cum auxilio Dei ponere quæ fides ad hoc requirit; ſed hinc non exclu-

cluditur, quin per fidem ſint filii in ſenſu lato, & non adoptivi.

Dices. Si per fidem ſunt filii, eis debetur hæreditas: quia filii habent jus ad hæreditatem.

R. Per fidem non habent jus, niſi fundamentale ad hæreditatem, quia fides *eſt fundamentum juſtificationis* ex Tridentino *ſeſſ.6.cap.8. de juſtif.* Juſtificatio autem fit per gratiam ſanctificantem, quæ facit filium adoptivum, cum jure proximo ad hæreditatem.

Opponunt 4. Credimus Eccleſiam *Sanctam*: Sancta autem non eſſet, ſi in ea cum juſtis eſſent mali permiſti; tunc enim non verificaretur, quòd non haberet maculam, aut rugam, ſine qua eſt Eccleſia Chriſti, ex Apoſtolo ad *Epheſ.5.* propter quod Auguſtinus dixit, malos non pertinere ad Eccleſiam *tr.6. in Joan.n.17. Quid ergo mali, qui non pertinent ad columbam?* lib.2.contra Creſconium cap.29. *Non autem exiſtimo quemquam ita deſipere, ut credat ad Eccleſiæ pertinere unitatem eum, qui non habet charitatem.* Ergo mali ad Eccleſiam non pertinent.

18 R. Eſt quidem Eccleſia *Sancta*, tum ratione capitis, ſcilicet Chriſti, tum ratione doctrinæ, & inſtitutorum Sacramentorum, juxta dicta *contr.1. cap.1.num.7.* tum ratione multorum membrorum, quæ in ea ſunt, quippe in ea multi ſunt juſti, & Deo chari. Neque Eccleſiæ præjudicat conſortium malorum, qui cum bonis permiſcentur, ut ait Auguſtinus in *pſal.138.n.27.*

Quinimò Eccleſia eſt, & dicitur Corpus Sanctum propter ſanctitatem fidei, quæ eſt in omnibus ejus membris, eſto peccatoribus. Hinc Apoſtolus *ad Rom.1.* vocavit ſanctos, omnes degentes Romæ, dicens: *Omnibus qui ſunt Romæ, vocatis ſanctis;* cùm tamen omnes non eſſent juſti, & membra viva vitâ gratiæ ſanctificantis; quia verò omnes fidem habebant, membra ſancta Eccleſiæ ab Apoſtolo appellantur. Ita in Symbolo dicimus: *Credo in Sanctam Eccleſiam*: in qua licèt omnes non ſint membra viva vitâ Charitatis, tamen ſunt ſancti ſanctitate profeſſionis, fidei, & Sacramentorum, & ideò membra Corporis Eccleſiæ, quæ in eſſe Corporis per fidem conſtituitur, dicente Apoſtolo *ad Epheſ.3. Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris.* Vide *cap.4.n.14.*

Illud Apoſtoli de Eccleſia, non habente maculam, aut rugam, ait Auguſtinus *l.2. retract.cap.18. non ſic accipiendum eſt, quaſi jam ſit ſine macula, & ruga, ſed quæ præparatur, ut ſit, quando apparebit etiamglorioſa; Nunc enim propter quaſdam ignorantias, & infirmitates membrorum ſuorum habet, ut quotidie dicat*: dimitte nobis debita noſtra; quod repetit *lib.poſt collat.cap.9.* ubi diſtinguens tempora Eccleſiæ, ſubdit; *non eam nunc eſſe talem, qualis poſt reſurrectionem futura eſt; nunc malos habere permiſtos, tunc omninò non habituram; ad illam ejus puritatem, non ad hujus temporis permiſtionem illa divina teſtimonia pertinere, quibus eam prædixit ab omni malorum permiſtione penitùs alienam.*

Nec obſtant auctoritates ejuſdem Auguſtini, quoniam ipſe, ut dictum eſt *n.4.* tenet expreſsè impios fideles eſſe in Eccleſia: Proinde ſunt exponendæ, ut ſibi non contradicant. Prima itaque intelligitur de malis, qui diſcredunt aliquos, vel aliquem articulum fidei, ut ſunt hæretici, qui in Eccleſia non ſunt, ex dicendis cum ipſo, ſequentibus capitibus.

19 Secunda verò, quòd, qui non habet charitatem, non pertinet ad unitatem Eccleſiæ, quatenus hoc importat, membra ipſius uniri adinvicem, & cum Chriſto per intellectum, & voluntatem, ſeù per fidem in uno credito, & per charitatem in uno amato; non verò, quòd non uniatur cum aliis per intellectum, ſeù per fidem, ſi idem credat, quod cæteri, vel, quòd in ea non eſt, tanquàm membrum animatum, & vivum vitâ per gratiam ſanctificantem. Qua ratione idem Auguſtinus *lib.4.de baptiſ.cap.3.* de malis pronuntiat: *videntur eſſe intus, ſed non ſunt;* & in hoc ſen-

ſenſu *lib.5.cap.27.*ait: *Eccleſia in Sanctis, & juſtis*. Cæterùm in ea eſt, ut membrum vivum, vitâ per fidem; aut, ut quibuſdam placet, tanquam habens per fidem aliquod vitæ initium; quatenùs peccator, Deo auxiliante, ſe movere poteſt ad acquirendam gratiam ſanctificantem (qua anima vivit) juxta dictamina, quæ præſcribuntur à fide. Vel mali non ſunt de anima, licèt de corpore Eccleſiæ ſint.

Dices, Si in Eccleſia ſunt non tam juſti, quàm improbi, ſequitur, quòd ſicut ratione juſtorum dicitur Sancta, ita ratione improborum dicenda ſit improba. Sed Eccleſia ſine hæreſi improba dici non poteſt. Ergo, quia improbi in ea non ſunt.

20 R. Negatur ſequela. Eccleſia enim accipit denominationem ab eo, quod eſt proprium Eccleſiæ, non verò ab eo, quod eſt commune aliis cœtibus hæreticorum, Paganorum, & Judæorum; proprium verò Eccleſiæ eſt habere Sanctos, ſeu juſtos, & ideò ab iſtis accipit ſuam denominationem; habere verò peccatores eſt commune Eccleſiæ, & aliis cœtibus; cum hac differentia, quòd, ſi in Eccleſia ſunt aliqui peccatores; in aliis cœtibus omnes homines ſunt peccatores; & ideò Eccleſia à peccatoribus ſuam denominationem non accipit. Ita ex Bellarm. Guarn. cit.

Ulteriùs conſidero, quòd Eccleſia non conſentit factis malorum, nec eorum peccatis maculatur, ut loquitur Auguſtinus in *pſal.138.n.29. Tu* (Deus) *probas, & ſcis, quia non conſentiam factis malorum, & illi me putant contaminari poſſe peccatis aliorum*. Sed eos tolerat pro bono pacis, prout idem *Epiſt.87. ad Emeritum nu.2. illud non eſt tacendum, etiam cognitos malos, bonis non obeſſe in Eccleſia; Si eos à communione prohibendi, aut poteſtas deſit, aut aliqua ratio conſervandæ pacis impediat*. Et quamvis non ſeparentur à populo Dei, erga eos non dormit Eccleſiaſtica diſciplina, ex eodem S. Doctore *lib. poſt collat. cap. 20. num. 28. Nec ideò tamen dormit Eccleſiaſtica diſciplina, ut corripiat inquietos; & ubi hoc facere pacis, & tranquillitatis Eccleſiæ gratia non permittimur, non tamen ideò Eccleſiam negligimus, ſed toleramus, quod nolumus, ut perveniamus, quò volumus, utentes cautela præcepti Dominici, ne cùm volumus ante tempus colligere zizania, ſimul eradicemus, & triticum*: Propterea ab iniquis Eccleſia iniqua non nominatur, quia eos nollet, ipſorum facta non probat, ſed eorumdem correctionem intendit, eoſque tantùm propter bonos tolerat.

Quæritur *An ſoli prædeſtinati ſint membra Eccleſiæ?*

R. Id docuit Calvinus, dicens, Eccleſiam eſſe convocationem prædeſtinatorum dumtaxat, in quo convenit cum Joanne Hus damnato in Concilio Conſtantienſi. Eccleſiam inviſibilem eſſe Calvinus dixerat; ideò eam ex membris inviſibilibus ſtatuit conſtitutam.

21 Adversùs quem faciunt adducta *contr.1.cap.2.* quibus probavimus Eccleſiã Chriſti eſſe viſibilem; quare ad eam & reprobi, qui habent fidem, ac exteriùs ſub legitimis Paſtoribus in Sacramentorum participatione, & publicarum precum communicant ſunt veræ Eccleſiæ membra. Quod patet ex Lucæ *3. Purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum; paleas autem comburet igne inextinguibili*. Area enim eſt vera Chriſti Eccleſia, ex Auguſtino in *pſal.8.n.1.* eamque in Evangelio eſſe areæ comparatam negarunt Donatiſtæ, ut ait Auguſtinus *d. lib. poſt collationem cap.10.* in qua non ſolùm eſt triticum, hoc eſt, qui tritico deſignantur, prædeſtinati nimirùm, quos Chriſtus in horreum ſuum, id eſt Cœlum, congregabit; Sed prætereà ſunt paleæ, ſeu reprobi, quos Chriſtus igni inextinguibili damnabit.

22 Item, ex Calvino ſequitur, oves non poſſe legitimos ſuos Paſtores, nec Paſtores ſuas oves recognoſcere (neque enim oves ſcire poſſunt, quinam ex iis, qui externo Paſtoratu funguntur, ſint de numero prædeſtinatorum; nec viciſſim Paſtores, quænam ex ovibus, à quibus audiuntur,

tur,

tur, & quas regunt, ad eum numerum pertineant) hoc autem eſt graviſſimum inconveniens, quia nullis omninò ſignis poterit cognoſci, quęnam, & ubi ſit vera Eccleſia; & ita non poterit Eccleſia rectè gubernari, & dirigi, contra ſyſtema Eccleſiæ à Chriſto inſtitutum, in qua Paſtores reliquit, ut eam regerent, & oves in finem ſupernaturalem dirigerent.

23 Ad uberiorem notitiam, notandum, quòd Eccleſia conſiderari poteſt, quantum ad eſſe *finale*, quantum ad eſſe *animatum*, & quantum ad eſſe *formale abſolutè*. Eſſe *finale* Eccleſiæ eſt ſtatus Patriæ, in quo planè ſunt, & erunt ſoli prædeſtinati, & ſub hac ratione ad Eccleſiam ipſi ſoli ſpectant. Eſſe *animatum* eſt ſtatus ipſius in via, ſed cum gratia ſanctificante conjunctus: Charitas enim eſt anima Eccleſiæ; ſub qua inſpectione ſoli juſti, eſtò non prædeſtinati, ad eam pertinent. Eſſe verò *formale abſolutè*, eſt ejuſdem ſtatus in via conjunctus cum fide interna, & externa profeſſione, ac obedientia ad Romanum Pontificem, & communione cum cæteris membris Eccleſiæ in actibus Religionis; Sub hac ratione fideles improbi, & peccatores ſunt vera membra Eccleſiæ, non veritate finis, vel animæ, ſed veritate eſſentiæ cùm habeant formam eſſentialem Eccleſiæ, fidem nimirum, & externam communicationem cum cæteris membris corporis myſtici. Quæ doctrina apta eſt ad plures auctoritates Auguſtini conciliandas.

24 Hinc ſequitur, quòd eſtò Fideles peccatores ſint membra mortua, morte gratiæ habitualis, non ſunt tamen mortua morte fidei. Inde fit, quòd licèt ſint membra Diaboli, ut peccatores, non tamen ut fideles, cùm habeant eamdem univocam fidem, quam habent juſti, eumdem cultum externum fidei, & idem caput ſupremum, cui ſunt uniti. Nec fides mortua extrahit eos à ratione veri membri, quia hæc fides non eſt mortua ratione ſui, ſeù in eſſe fidei, ſed tantùm ratione gratiæ ſanctificantis. Ita Lambrecht Scotus *Vienenſ. tractat. proœm. de fide diſputat. 1. quæſt. 7. numero 48.*

CAPUT II.

An hæretici occulti ſint vera membra Eccleſiæ?

SUMMARIUM.

1 *Hæreticus quis ſit?*
2 *Quid ſit pertinacia?*
3 *Hæreticus internus, & externus.*
4 *Oculti hæretici non ſunt vera membra Eccleſiæ, licèt putentur eſſe.*
5 *Eccleſia in re ſpectante ad fidem, & mores errare non poteſt.*
6 *Probatio ex Auguſtino, quòd hæretici non ſint vera membra Eccleſiæ.*
7 *Externa fidei profeſſio ſatis non eſt, & num. 17.*
8 *Probatio per rationem.*
9 *Membrum mortuum eſt impropriè membrum.*
10 *Hæretici occulti ſunt verè hæretici.*
11 *Solùm appellatione putativa vocantur fideles.*
12 *Objectiones ex Auguſtino.*
13 *Hæretici occulti ſunt in Eccleſia, ſicut humores mali in corpore.*
14 *Non ſunt uniti cum cæteris Fidelibus, vinculo fidei.*
15 *Objectio ex ratione.*
16 *Fides interna eſt forma Eccleſiæ.*
17 *Requiſita, ut quis ſit membrum Eccleſiæ.*
18 *Eccleſia habet ſuum materiale, & formale.*
19 *Eccleſia eſt abſolutè viſibilis.*
20 *De exiſtentia Eccleſię habetur certitudo infallibilis.*
21 *Romanus Pontifex credendus eſt caput Eccleſiæ.*
22 *Hęretici occulti juriſdictionem non habent.*
23 *Eccleſia, concurrente titulo colorato, & communi errore, ſupplet juriſdictionem.*

1 HÆreticus dicitur quicunque poſt ſuſceptam fidem catholicam cōtra

tra illam pertinaciter errat, Souſa aphoris. *lib.1.cap.8.n.2.*vel, qui negat aliquem articulum fidei ab Eccleſia, hoc eſt per Papam, ſeù concilium à Papa confirmatum, definitum, ſufficienterque propoſitum; aut reſiſtit Eccleſię proponenti aliquid eſſe fide divina credendum. Et inde ad rationem hęretici duo ſunt neceſſaria. Unum eſt error in intellectu, quod eſt hęreſis initium. Alterum, quod eſt hęreſis complementum, eſt pertinacia in voluntate illius, qui errorem pertinaciter retinet. Gonzalez *in 5.tit.7.cap.1.nu.5.*

2 Pertinacia duo importat; Unum prę-ſuppoſitivè, hoc eſt, actum intellectus, vel notitiam auctoritatis Eccleſiæ, ut proponentis aliquid eſſe fide divina credendum. Alterum formaliter, actum nimirum voluntatis reſiſtendi Eccleſiæ docenti, vel non ſubiiciendi proprium judicium ejuſdem auctoritati, Seſſa *Scrutin.Doctrin.c.1. art.5.n.20.* Hinc, ut quis ſit,& dicatur hęreticus, opus eſt, ut ab Eccleſia manifeſtatæ Catholicæ fidei doctrinæ reſiſtat, prout loquitur Auguſtinus *lib.4. de baptiſ. contr. Donatiſtas cap.16.* ibi: *Iſtum nondum hæreticum dico, niſi, manifeſtata ſibi doctrina catholicæ fidei, reſiſtere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit.* De iſto nanque verificatur, quòd ſit pertinax, conſentiatque adverſùs definitionem Apoſtolicæ Cathedræ in materia fidei ſibi manifeſtatam, ſufficienterque propoſitam.

3 Conſiderandum eſt, quòd ubi actus internus, fidei contradicens, per ſe tantùm accipitur, hoc eſt, prout in mente naſcitur, & conſummatur, ac extra non procedit, conſtituit hæreticum *per ſe occultum*, ſeù internum, ab excommunicatione immunem, ut plures docent cum Gonzalez *in 2.tit.23.cap.1.nu.11.* Ubi verò actu exteriori, verbis aut ſignis, nemine etiam audiente, vel vidente, mens explicatur, hæreticus externus *per accidens occultus* quis efficitur, excommunicatione Papæ reſervata ligatus; modò quæſtio de utroque hæretico, tam per ſe, quàm per accidens occulto procedit.

Nonnulli poſt Bellarminum, ut Leytam *ſynopſ. de Eccleſ.milit.diſcept.2.n.70.* Boivin. *Theol.Scoti 4.p.diſput.1. de Eccleſ.q.5. dico 6.* aliique tradunt occultos hæreticos, eos nimirum, qui interiùs ſolùm contradicunt articulis fidei, vel exteriùs etiam, ſed ſecretò, ſi ſunt baptizati, & in externa cum Fidelibus communione ſub legitimis Paſtoribus permaneant, eſſe in Eccleſia. Guarnieri verò *de Eccleſ. milit.lib.1.cap.7.* allegans Turrecrematam *Sum.de Eccleſ.lib. 4.p.2.cap.18.& 20.* negat occultos infideles eſſe membra Eccleſiæ licèt eſſe videantur; quæ eſt ſententia etiam Layman *Theol. moral.lib.2.tract.3.cap.11.n.6.* cum quibus.

4 Dicendum: *Hæretici occulti, licèt membra Eccleſiæ eſſe putentur, reverà tamen, & in effectu vera membra non ſunt.* Eſt contra Auctores primò citatos: Verùm ibi fuit à Boivin ponderatum, quòd quæſtio benè intellecta, eſt de voce.

Probatur prima pars. In hæreticis occultis concurrunt requiſita, ut putari, & exiſtimari poſſint membra Eccleſiæ. Sunt enim baptizati, externè fidem profitentur, obedientiam legitimis Paſtoribus præſtant, & in eorundem ſacramentorum participatione, ac publicis precibus, cum Fidelibus communicant. Ergo benè putantur eſſe membra Eccleſiæ. Siquidem,ut ait Bellarminus *lib.3.de Eccleſ.cap.10. in reſponſ.ad 4.* Eccleſia infideles occultos non numerat inter ſuos, & ipſi cæteris membris non uniuntur, niſi ratione profeſſionis externæ; quod ſufficit ſolùm ad exiſtimare, non verò ad eſſe, ut infr. *in 2.p.concluſionis.*

Dices. Hoc dato, tota Eccleſia errare poſſet; nam poſſet tota Eccleſia exiſtimare aliquos, qui eſſent hæretici occulti, eſſe ſua membra,qui reverà non eſſent. At falſum omninò eſt, quòd tota Eccleſia errare poſſit, ut dictum eſt *contr.1.cap.4.*Ergo occulti hæretici ſunt illius membra.

5. R.Diſtinguitur ſequela: tota Eccleſia errare poſſet in Doctrina ad fidem, & mores

res ſpectante, juxta adnotata loc.cit. vel in factis dogmaticis, & habentibus connexionem cum jure, negatur; in factis privatis, & particularibus non cum jure, & fide connexis, tranſeat. Eſt Eccleſia ab errore immunis, tam in doctrina ſpectante ad fidem, & mores, ut ibi diximus, quàm in Factis habentibus connexionem cum jure, adeò ut tota in iſtis errare non poſſit: In eis enim errare nequit Pontifex, per dicenda *contr.7.cap.6.* adeòque nec Eccleſia ipſum audiens. Putare autem, & exiſtimare aliquem internè, & occultè tantùm hæreticum, eſſe membrum Eccleſiæ, cùm reverà non ſit, non eſt Factum cum jure, aut fide connexum, ſed factum merè particulare, & privatum, ex errore cujus non ſequitur in Eccleſia error circa fidem, aut negatio fidei, ut notavit Guarnieri cit.nu.3. Verùm ſi res deferretur ad Tribunal Supremum Romani Pontificis, & examinanda ei proponeretur, dummodò hæreſis non eſſet merè interna, ſed exteriùs aliquo modo manifeſtata, certò, & ſine errore rem ipſe definiret, ut fuſiùs dicendum eſt loc. cit.

6 Probatur ſecunda pars. Quòd hæretici occulti non ſint vera membra Eccleſię, fuit ſenſus Auguſtini *lib.1.contr. Epiſ.Parm. cap.9.* ubi dicit, hęreticos etiam occultos, eſſe dealbatos tantùm nomine Chriſtiano: *nec ſolùm hæreticis quoquomodo*, ait, *ſaltem chriſtiano nomine dealbatis*. In *Enchirid.c.5.* ſcribit, eos nomine tantùm Chriſtianos eſſe; *Si diligenter, quæ ad Chriſtum pertinent, cogitentur, nominetenus invenitur Chriſtus apud quoslibet hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, reipſa verò non eſt apud eos*. Ubi ponderandum eſt illud *quoquomodo, & quoslibet*, tam manifeſtos, quàm occultos hæreticos complectens.

7 Nec obſtat, quòd occulti in iiſdem Sacramentis, & publicis precibus communicent, quia, ut loquitur *de unit. Eccleſ. cap.25.n.74. Multi tales ſunt in Sacramentorum communione cum Eccleſia, & tamen jam non ſunt in Eccleſia*. Si verò in Eccleſia non ſunt, nec inter membra vera Eccleſiæ computantur: quia corporis non eſt membrum, quod in corpore non eſt.

Maximè, quia illa communicatio, & externa profeſſio per ſe non ſufficit, ut quis ſit verum membrum Eccleſiæ. Ita ſi Judæus, vel Turca ſimularet ſe eſſe Catholicum, teſte etiam Bellarmino, in Eccleſia non eſſet, non modò quia careret baptiſmo, qui eſt janua, per quam quis ingreditur Eccleſiam, ex Trid. *ſeſſ.14.cap.2. de pœnit.* Verùm etiam, quia non haberet fidem internam neceſſariam, ex Auguſtino in *pſal.37.n.6.* ut quis ſit in corpore Eccleſiæ: *& nos*, ait, *in corpore ipſius ſumus, quod eſt Sancta Eccleſia: Si tamen fides noſtra ſincera ſit in illo, & ſpes certa, & charitas accenſa, ſumus in corpore ipſius, & membra ipſius*. Et hinc ſola externa profeſſio, non eſt ſatis ad membrum Eccleſiæ, ſed opus eſt fide interna de omnibus à Deo revelatis, eodem S.Doctore dicente *ſerm.27. de ſcriptur.cap.1. Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur*. Auguſtinus verò abſolutè loquitur, & abſque reſtrictione ad manifeſtos hæreticos, nec per nos textus ſunt limitandi, adeò ut de ſolis manifeſtis veniant intelligendi.

Quinimò idem S.Doctor occultos hæreticos apertè in Eccleſia non eſſe ſignificat *loc.cit.de unit. Eccleſ.* ubi loquens de hęretico manifeſto nuper ad Eccleſiam redeunte, tradit Eccleſiæ non incorporari, ſi fictè accedat, & occultè errorem retineat. *Quid, ſi ergo fictus accedat, atque adversùs veritatem, & Eccleſiam cor inimiciſſimum* (nota) *gerat, quamvis peragatur in eo illa ſolemnitas* (*reſtituendi eum viſibiliter communioni fidelium*) *numquid reconciliatur, numquid inſeritur? abſit. Sicut ergo jam denuò communicans nondum inſertus eſt, ſic & antequam viſibiliter excommunicetur, quiſquis contra veritatem, qua convincitur, & arguitur, inimicum geſtat animum, jam præciſus eſt*. Expreſsè hic ſermo eſt de hæretico, qui nec verbis neque ſignis errorem ſuum manifeſtat, ſed errorem adversùs veritatem

Catholicam occultat; hoc enim importat illud *cor inimiciſſimum*: & illud *inimicum geſtat animum*. De hoc Auguſtinus reſolvit, quòd antequam apertè ab Eccleſia excommunicetur, jam eſt ab unitate Fidelium præciſus, nec inſeritur corpori Eccleſię, niſi errorem deponat. Dictum eſt *apertè*, quia hæreticus occultus, ſi non ſit merè internus, eſt etiam ligatus cenſura Bullæ Cœnæ.

8 Probatur 2. eadem pars. Eccleſia eſt Congregatio hominum à Deo per evangelicam prædicationem convocatorum, veram fidem Chriſtianam ſub Romano Pontifice, & legitimorum Paſtorum regimine profitentium. At hęretici occulti veram fidem Chriſtianam non profitentur. Siquidem ipſi vera fide carent (peccato enim infidelitatis fides deperditur ex Trid. *ſeſſ.6.cap.15. de juſtif.*) Et quam veri Fideles exteriùs profitentur, veram fidem ipſi eſſe negant; & inde veram non profitentur, ſed tantùm profiteri ſimulant, atque ita non vera, ſed ſunt ſimulata, & apparentia membra Eccleſiæ.

Confir. Dum hęretici occulti exteriùs voce, & factis profitentur fidem, quam corde non retinent, non ſunt verè, ſed mendaces Fideles. Ergo nec ſunt verè partes Eccleſiæ, cùm hęc non fictorum, ſed realiter fidelium collectio ſit; propterea ad eam verè non pertinent, licèt putentur, vel appareant ſpectare: Sicut ad Rempublicam humanam (quæ eſt collectio verè animalium rationalium) verè, & realiter non ſpectaret Dęmon, ſi aſſumeret corpus habens externam figuram coloris, & lineamenta corporis humani, quia realiter homo non eſſet, eſtò eſſe appareret, & ſe ut homo gereret.

Dicunt. Hæretici occulti ſunt membra mortua, & arida, inſerta quidem corpori Eccleſiæ, ſed vita, & qualibet actione ſibi propria deſtituta. Ita Juvenin.

9 Contra. Ergo non ſunt vera membra Eccleſiæ, cùm non habeant nec vitam fidei, nec vitam gratiæ: Siquidem ex 2. *de anima* membrum mortuum, etiam in corpore naturali impropriè, & æquivocè habet rationem membri; quod autem eſt æquivocè, & impropriè membrum, non eſt verè, & realiter membrum.

10 Probatur 3. Hæretici occulti ſunt verè hæretici, ſicut peccatores occulti ſunt verè peccatores: *Ly* enim *occulti* non tollit, quia tales hæretici dicantur tenere pertinaciter aliquid contrarium veritati Catholicæ, aliàs non eſſent hæretici occulti: Ergo non ſunt vera membra Eccleſiæ; quæ *ex cap.firmiter de Sum.Trinit.& fide Catholica; eſt fidelium collectio*: hęretici autem occulti ſunt infideles juxta D.Thomam 2.2.*q.*11.*art.*1.& ita non ſunt de collectione Fidelium, & proinde nec membra Eccleſiæ.

Dicunt. Hęretici occulti profitentes fidem catholicam vocantur fideles, licèt fide interna careant; quoniam appellatione fidelium, & Catholicorum veniunt, qui fidem catholicam profitentur.

11 Contra. Ex hoc ſolùm ſequitur, quòd illi vocentur fideles appellatione ſolùm putativa, apparenti, & exiſtimativa. Siquidem qui verè ſunt, & fideles vocantur, non ſolùm externè fidem profitentur, ſed etiam internè credunt quidquid eſt à Deo revelatum, & ab Eccleſia propoſitum.

12 Opponunt I. Auguſtinus ſæpiſſimè ſignificat hæreticos occultos eſſe in Eccleſia, adeòque vera Eccleſiæ membra. Primò referunt eum *tr.3. in cap.2.epiſt. primæ Joannis n.4.Multi*, inquit, *intus ſunt*, *non exierunt*, *ſed tamen Antichriſti ſunt*.

Secundò *tr.61 in Evangel.Joan.nu.2.* ubi S.Doctor declarans, quomodo Judas unus eſſet ex diſcipulis Domini, & tamen figuram gereret hæreticorum, ait: *Unus ex vobis numero, non merito; Specie non virtute: conjunctione corporali, non vinculo ſpirituali; carnis adjunctione, non cordis ſocius unitate: proinde non qui ex vobis eſt, ſed qui ex vobis exiturus eſt*: Nullus autem poteſt exire, niſi qui eſt intus. Et infr.

Qui,

Qui, ait, *ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum, jam dixerat, ex nobis exierunt. At per hoc utrumque verum eſt, & ex nobis, & non ex nobis: Secundùm aliud ex nobis, ſecundùm aliud non ex nobis: Secundùm communionem Sacramentorum ex nobis, ſecundùm ſuorum proprietatem criminum non ex nobis*.

Tertiò. *De Civit. Dei lib. 1. cap. 35. Meminerit ſanè*, inquit, *in ipſis inimicis ſuis latere cives futuros, ſicut ex illorum numero etiam Dei Civitas habet ſecum, quamdiù peregrinatur in Mundo, connexos communione Sacramentorum, qui partim in occulto, partim in aperto ſunt*. Circa quæ ex Bellarmino obſervatur, quòd de inimicis, qui ſunt extra Eccleſiam, dicit eos eſſe Cives futuros, quia modò Cives non ſunt, ſed erunt tempore ſuo. De inimicis verò, qui latent intra Eccleſiam, non dixit Cives futuros, ſed præſentes; quoniam jam pertinent ad Eccleſiam, licèt pertineant ad numerum inimicorum.

Quartò *lib. 4. de baptiſ. capit. 10. Aut*, ait, *ſi Zizania ſola dicenda ſunt, quæ uſque in finem in maligno errore perdurant; & foris multa frumenta ſunt, & intus multa Zizania*. Quorum ſenſus eſt, quòd extra Eccleſiam ſunt multi hæretici manifeſti, qui tandem convertendi ſunt ad veram fidem, & intus in ipſa Eccleſia, ſunt multi hæretici occulti, qui nunquam fidem Catholicam recipient; ergo, &c.

R. Ex Auguſtino jam probavimus hæreticos occultos non eſſe vera membra Eccleſiæ; ideò auctoritates ex eodem minimè urgent.

13 Non prima; nam ex quo hæretici occulti, quantùm ad externam profeſſionem ſint intus, & quo ad eam non ſint extra Eccleſiam, non infertur, quòd ſint fideles, ſed ſolùm quod putentur tales; ſunt enim Chriſto contrarii. Unde ibi Auguſtinus dixit: *qui non eſt Chriſto contrarius, in corpore ipſius hæret, & membrum computatur; Nunquam ſibi ſunt membra contraria*: Et infra: *Sic ſunt in corpore Chriſti, ſicut humores mali. Quando evomuntur, tunc relevatur corpus*. Et ſtatim: *quid eſt, non erant ex me? non de carne mea præciſi ſunt, ſed pectus mihi premebant, cùm ineſſent*. Itaque quemadmodum humores mali non ſunt partes corporis naturalis, ſed à veris illius partibus ſeparati: & quando evomuntur, corpus levamen recipit: Sic hæretici occulti non ſunt partes corporis Eccleſiæ, ſed humores corrupti, ſeparati à veris membris; & quando evomuntur, hoc eſt, apertè extra Eccleſiam exeunt, ipſa relevatur à damnis, quæ eidem occultè exiſtentes inferebant. Deinde, ibi loquitur de malis, hoc eſt Fidelibus improbis, quos capite antecedenti, diximus eſſe membra Eccleſiæ.

14 Nec ſecunda, quæ potiùs concluſionem confirmat; nam Judam dixit eſſe unum ex nobis *ſpecie*, non *virtute*, hoc eſt, ſecundùm externam apparentiam, unus ex Nobis putatur, ſed reverà ex Nobis non eſt; ita hæretici occulti realiter membra Eccleſiæ non ſunt, licèt exiſtimentur ſecundùm communionem ſacramentorũ, & externam fidei profeſſionem, ſecundùm quam dicuntur ex Nobis, & corporaliter commiſti cum veris membris; at illa commiſtio ſatis non eſt, ad conſtituendum verum membrum Eccleſiæ, cùm, ut diximus, poſſit eſſe in Judæis, & Turcis, qui tamen membra Eccleſiæ non ſunt, quamquàm tunc eſſe putarentur.

Ad id, *nullus poteſt exire, niſi qui eſt intus*, dicendum, quòd nullus poteſt manifeſta ſeparatione exire, & ſeparari, niſi qui eſt intus, vel realiter, vel ſecundùm apparentiam, & exiſtimationem; propter hanc hæretici occulti intus cenſentur; de quibus dicitur extra apertiſſimè exire, dum externam etiam fidei profeſſionem relinquunt, & tunc ſunt apertiſſima ſeparatione ſeparati, & extra; quando priùs propter defectum fidei, erant utique ſimpliciter ſeparati, & extra, in foro Dei, licèt non ab Eccleſia cogniti. Quem ſenſum

admittunt verba Auguſtini in *pſal.*106. *nu.* 14. *Et illi non noſtri* (quia fide interna ſupernaturali deſtituti) *qui intus ſunt* (per apparentiam externæ communionis) *quando occaſiones invenerint* (recedendi manifeſtè) *exeunt* (& quidem in aperto)

Nec Tertia: nam Eccleſia habet connexos hæreticos occultos communione Sacramentorum, ratione cujus, tametſi putentur cives de præſenti, in re tamen actu non ſunt; quoniam, ut ſint tales, illa non ſufficit, ſed neceſſaria eſt etiam fides, quam ipſi non habent, ut ex *Laymaņ citat.*

Nec tandem quarta. Siquidem ſenſus eſt, quòd extra Eccleſiam ſunt plures Mahometani, Judæi, & hæretici, qui tandem converſione ad fidem, erunt frumenta Eccleſiæ, dicente Auguſtino *ubi ſupra: Si fortè noſtri ſunt in æterna præſcientia Dei, neceſſe eſt, ut redeant*; & intus ſunt multi Fideles, qui licèt ſint Zizania, & moribus improbi, fidem tamen catholicam retinent; & propterea ex *loc.cit.* ſunt membra Eccleſiæ; & dicuntur errare, quia errant, qui operantur malum *Proverb.*22. at non errore hæreſis, ſed errore practico, vel ſumpto errore pro imprudenter agere. Siquidem malè agens, imprudens eſt, per dicta *contr.*1.*cap.*4.*n.*8.

15 Opponunt 2. In hęreticis occultis eſt forma Eccleſiæ. Ergo ſunt vera Eccleſiæ membra. Probatur antecedens: Forma Eccleſiæ non eſt fides internæ, ſed externa: externa nimirum fidei profeſſio; importans confeſſionem doctrinæ ab Eccleſia propoſitæ, uſum Sacramentorum, communionem in actibus religioſis, & ad legitimos Prælatos obedientiam. Sed in hæreticis occultis eſt hujuſmodi externa profeſſio fidei, atque ita Fidelibus ejuſdem profeſſionis, & obedientiæ vinculo uniuntur, quod Eccleſiam univerſam unit, & in unum corpus redigit; ergo, &c.

16 R. negatur antecedens, & prima pars majoris. Interna itaque fides in Chriſtum, id eſt, unde hęc hominum Congregatio habet, quòd Eccleſia Chriſti ſit, dicente Auguſtino alleg.ſub *n.*7.*quod in corpore Chriſti ſumus, ſi fides ſincera ſit in illo: & de dono perſever.cap.*2. dixit, fidem initium eſſe hominis Chriſtiani; *Quod enim*, ait, *initium eſt verius chriſtiano, quàm credere in Chriſtum?* hinc qui fidem internam non habet, in corpore Chriſti non eſt, neque membrum Eccleſiæ.

Et inde patet, quòd ſola externa confeſſio fidei forma Eccleſiæ non ſit; etenim forma dat eſſe rei; pura autem fidei confeſſio eſſe Eccleſię non tribuit, aliàs ubicunque illa haberetur, haberetur Eccleſia; & quicunque fidem exteriùs profiteretur, eſſet membrum Eccleſiæ, quod falſum eſt ex allegato exemplo *num.*11. Et ulterius ſuadet paritas de homine, qui furtum non fecit, quod tamen ad evitanda tormenta id confitetur; qui, confeſſione ipſa non obſtante, verè fur non eſt, licèt eſſe putetur. Ita de hæretico occulto, fidem internam non habente, ſed exteriùs eam profitente verificatur, propter exhibitam profeſſionem, membrum Eccleſię putari, reverà tamen non eſſe; & hùc facit, quod dixit Auguſtinus *ſerm.*71.*de ſcript. cap.*19. *Sed nec ille dicendus eſt, eſſe in Eccleſia, & ad iſtam ſocietatem ſpiritus pertinere, qui ovibus Chriſti corporali tantùm commiſtione, ficto corde* (occulta hæreſi) *miſcetur*.

Quocircà externa fidei profeſſio verè non unit cæteris membris Eccleſiæ, niſi præſuppoſita fide interna, qua quis Chriſto capiti uniatur. Siquidem non poteſt quis verè eſſe unitus corpori Eccleſiæ, niſi per fidem Chriſto capiti ſit junctus, quamvis aliàs videatur, unituſque putetur.

Dices. Sola externa communio, & obedientia eſt forma Eccleſiæ; nam Eccleſia eſt Congregatio viſibilis; Sola autem illa externa communio, & obedientia, & non fides eſt viſibilis.

17 R. negando antecedens; quoniam Eccleſia non eſt quævis viſibilis Congregatio, ſed viſibilis Congregatio Fidelium, adeòque fidem habentium. Unde dixit

Lay-

Layman *cit.* duo neceſſaria eſſe, ut aliquis ſit Eccleſiæ viſibilis membrum: fidem, & externam profeſſionem cum obedientia Romano Pontifici: Defectu primi, hęretici occulti non ſunt membra Eccleſiæ; ſicut defectu ſecundi de ſchiſmaticis dicitur.

18 Ad hæc addendum, quòd Eccleſia habet ſuum materiale, & formale; materiale ſunt homines, qui viſibiles ſunt; formale internum, eſt fides interna, in ſe inviſibilis; externum verò eſt ipſa fidei profeſſio, uſus Sacramentorum, obedientia, ac ſubjectio Romano Pontifici, quibus in unum externum corpus, & ſocietatem fideles coaleſcunt. Unde Eccleſia viſibilis dicitur, non tam, quia homines ipſi viſibiles ſunt, ſed quia ipſorum ordo, profeſſio, & communio ſenſibus externis exponuntur. Diciturque abſolutè viſibilis, licèt fides interna in ſe inviſibilis ſit.

Dices. Niſi ſola externa profeſſio, & obedientia ſit forma Eccleſiæ, hæc minimè dici poteſt abſolutè viſibilis; abſolutè autem viſibilem diximus *contr.* 1. *cap.* 2. *n.* 8.

19 R. Et nunc idem repetimus; nam homo abſolutè viſibilis dicitur, quamvis ſecundùm animam non videatur; & de ſubſtantia materiali idem procedit, eſtò ejus partes præcipuę, materia, & forma ſint inviſibiles, & in ſe ſub ſenſu non cadant. Eccleſia abſolutè viſibilis eſt, propter externam confeſſionem fidei, quam homines voce profitentur; propter quod aliquo modo, & ipſa fides viſibilis dici poteſt; quemadmodum dolor internus de peccatis, qui eſt materia Sacramenti Pęnitentię (cujus materia, & forma ſenſibilis eſſe debet) ſenſibilis dicitur propter conjunctionem cum actu externo ſenſibilis gemitus, tunſionis pectoris, confeſſionis vocalis, &c.

Dices. Ergo Nos infallibilem certitudinem non habemus, de exiſtentia Eccleſiæ; non enim nobis certè conſtat eos, quos videmus, eſſe membra Eccleſiæ, ſi ſola externa profeſſio, & obedientia, non ſit forma conſtituens membrum Eccleſiæ: nam nobis certitudine infallibili non conſtat eos, quos videmus, habere fidem internam.

20 R. Negando conſequentiam. Nam credimus fide ſupernaturali Eccleſiam exiſtere; fides autem ſupernaturalis eſt omninò certa, & infallibilis. Verùm hìc diſtinctione opus eſt, quam ponderavit Beccanus *l.* 2. *opuſc.* 4. *de Eccleſ. conc.* 1. *n.* 3. aitque, dupliciter intelligi poſſe, nos fide credere Eccleſiam. Primò, ut fide credamus ſingulos homines, in ea exiſtentes, eſſe verè fideles, & interno affectu ſequi doctrinam Chriſti. Secundò, ut fide credamus in ea tradi, & conſervari doctrinam Chriſti. Prior ſenſus eſt falſus: Siquidem non credimus, quotquot nobiſcum ſunt in Eccleſia viſibili, verè fideles eſſe, quoniam plures poſſunt externè ſe ut fideles gerere, & internè hęretici eſſe. Secundus verus: Siquidem credimus eam doctrinam, quam externa voce profitentur homines, exiſtentes in Eccleſia viſibili, eſſe doctrinam Chriſti, & Apoſtolorum, ſine qua talis eſſe non poteſt. Quocircà infallibilem certitudinem habemus de Eccleſia; cùm ipſam eſſe teneamur credere; adeòque quòd in illa, plura & plura ſint membra, ſed non tenemur credere (excepto Romano Pontifice) hunc, vel illum hominem eſſe verum membrum Eccleſiæ.

21 Dixi: *excepto Romano Pontefice*, qui hęreticus eſſe non poteſt, ex aliàs dicendis. Hinc Pontifex certus, & indubitatus, credendus eſt, eſſe caput Eccleſiæ, & B. Petri ſucceſſor, juxta decretum in Conſtantienſi, prout in *conſt. Inter cunctas Martini V. la* 1. *Bullar. to.* 1. circa interrogationes faciendas hæreticis, aut de hæreſi ſuſpectis, *interrogatione* 24.

Opponunt 3. ii ſunt in Eccleſia, qui juriſdictionem habent in Eccleſia: neque enim, qui eſt extra Eccleſiam, habet aliquam in Fideles juriſdictionem; propterea PP. dixerunt, hæreticos (licèt validè ſacramenta conferant, ſi formam Eccleſiæ ſervent) nihil omninò auctoritatis, & juriſdictionis habere, quòd foris ſunt, non intus.

intus. Ita Auguſtinus in *Enchirid.cap:65.* dixit extra Eccleſiam non remitti peccata, & *cap.audivimus 24.q.1.§. Sin autem* dicitur: *ii, qui extra Eccleſiam ſunt, nec ligare poſſunt, nec ſolvere, nec reconciliando eccleſiaſticæ communioni reddere, nec excommunicando, ejus ſocietate privare.* Sed hæretici occulti juriſdictionem habent in Eccleſia: Epiſcopi enim, Parochi, & Sacerdotes approbati reſpectivè ligant, & abſolvunt, licèt interiùs, vel ſecretò fidei contradicant; neque ex ſuo jure excidunt, niſi cùm præbuerunt manifeſta infidelitatis argumenta; aliàs ſi occultus hæreticus nullam poſſet juriſdictionem exercere, redderentur incerti omnes actus, qui à juriſdictione dependent; quod non parum Eccleſiam Univerſam perturbaret, cùm ſemper poſſet dubitari, an illos exercens, propter occultam hæreſim, eſſet auctoritate privatus. Quæ incommoda non recurrunt, in ſententia admittente hæreticos occultos eſſe in Eccleſia. Ergo reverà in ea ſunt.

22 R. Negatur minor. Hæretici enim occulti ab integritate catholicæ fidei recedunt, & inde juriſdictionem perdunt per textum allegatum in *d.§. & cap.* in quo hæc etiam ſunt: *liquidò conſtat, eum, qui ab integritate Catholicæ fidei recedit, maledicendi, vel benedicendi poteſtatem non habere.*

23 Nec ex quo hæretici occulti propter hæreſim, priventur juriſdictione, ſequuntur incommoda in objectione ponderata. Quoniam adhuc actus à juriſdictione pendentes, ſub incerto non eſſent. Quamdiù enim tolerantur, valida reputantur, quę agunt: Eccleſia enim in commodum Fidelium, ſupplet juriſdictionem, dummodò in illis concurrat titulus coloratus, cum communi errore, hoc eſt, ut quis Parochus v.g. fuerit à legitimo Superiore inſtitutus, & communiter Parochus reputetur, licèt titulus ob vitium occultum ſit invalidus, ut dixi *Offic.Cur.Eccleſiaſt.cap.31. nu.13.* in quo conſentit *Guarnieri num.30.* At ibi in hoc cautè non proceſſit, quòd ſuppoſuerit Papam poſſe hæreticum eſſe, quod omninò negamus ex dicendis *contr. 7. capit.1.*

CAPUT III.

An hæretici manifeſti ſint membra Eccleſiæ?

SUMMARIUM.

1 *Hæreticus manifeſtus quis?*
2 *Hæretici manifeſti non ſunt membra Eccleſiæ.*
3 *Probatio ex Auguſtino.*
4 *Ex Conciliis.*
5 *Non ſubſiſtit diſtinctio de negantibus, & non negantibus articulos fundamentales.*
6 *Extrà Eccleſiam Romano-Catholicam nullus ſalvatur.*
7 *Probatio ex Scripturis.*
8 *Hæreſi fides amittitur.*
9 *Hæretici non aſſentiuntur myſteriis revelatis, propter revelationem divinam.*
10 *Virtutes acquiſitæ non diſtinguuntur ab infuſis, per ordinem ad objectum.*
11 *Facilitas in credendo non provenit ab habitu fidei infuſo: & à quo procedat?*
12 *Hæretici pro falſitate patiuntur.*
13 *Objecta credibilia ſunt ex ordinatione divina connexa.*
14 *Qua ratione fides major ſit in uno, quàm in alio?*
15 *Character baptiſmalis non conſtituit membrum Eccleſiæ.*
16 *In ſola Eccleſia Catholica fides cum charitate retinetur.*
17 *Hæretici ſunt ſubditi Eccleſiæ.*

1 Appellatione manifeſti hæretici, is venit, qui palàm, & apertè ſcienter adhæret erroribus, quos novit ab Eccleſia Catholica expreſsè fuiſſe damnatos; vel, pertinaciter negat articulum fidei ab Eccleſia, Papa nimirum, vel Concilio à Papa confirmato definitum, ſufficienterque propoſitum, ſive exteriùs, in Sacramentorum participatione, ac reliquis

Chriſtianæ Religionis, cum legitimis fidelibus communicet, ſive non.

2 Dicendum. *Hæretici manifeſti non ſunt membra Eccleſiæ*. Ita Catholici omnes, adversùs Sectarios.

3 Probatur. Conſtans ſemper fuit ſenſus Patrum, quòd hæretici manifeſti ſint extra Eccleſiam Catholicam. Ita Irenęus, Tertullianus, Hieronymus, Clemens Alexandrinus, Hilarius, ac alii cum Auguſtino, qui nedum locis productis *cap. ſuper. nu.6.* extra Eccleſiam ponit hęreticos, ſed id etiam repetit *de unit. Eccleſ. cap.24.* ubi reſpondens hæretico aſſerenti, ſe propter baptiſmum eſſe *in corpore Domini, ideſt in Eccleſia*, ait: *meliùs diceres de corpore Domini, hoc eſt de Eccleſia .... Nam & nos baptiſmum, quem habetis, de corpore Domini eſſe dicimus, hoc eſt, de Eccleſia, quamvis in ea ipſi* (Donatiſtæ, Proteſtantes) *non ſitis, ſicut omnes, qui non ædificant ſuper petram, ſed ſuper arenam*. Ergo non ſunt membra Eccleſiæ: cùm membrum corporis non ſit, qui extra corpus exiſtit. Hinc *in Enchirid. cap.5.* dixit, apud eos Chriſtum nomine tantùm eſſe: & *lib.1. contr. epiſt. Parmen. cap.9.* nomine Chriſtiano eſſe dealbatos; qui etiam, ſi conferantur cum veris Catholicis, nec Chriſtiani dicendi ſunt, ut loquitur Tertullianus.

4 Probatur 2. In Concilio Lateranenſi IV. ſub Innoc. III. *in cap. firmiter* definitur: *una eſt Fidelium Univerſalis Eccleſia*. Sed hæretici manifeſti non ſunt fideles: nam hæreſis juxta dicta cit. cap. n.10. ex D. Thoma eſt ſpecies infidelitatis. Ergo hæretici manifeſti membra Eccleſiæ non ſunt: carent enim forma, fide nimirum, à qua homines fideles ſunt.

Concilium Nicænum *I. can.8. de hæreticis revertentibus*, ſupponit Novatianos non fuiſſe in Eccleſia Catholica, ſed ab ea fuiſſe realiter ſeparatos: *De his*, ait, *qui ſe nominant Catharos, ideſt mundos, ſi aliquando venerint ad Eccleſiam, placuit Sancto, & magno Concilio, ut impoſitionem manus recipientes, ſic in Clero permaneant. Hæc autem præ omnibus eos ſcriptis convenit profiteri, quòd Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ dogmata ſuſcipiant, & ſequantur*.

In eodem Concilio, in ſymbolo anathemate damnantur; proindeque eiiciuntur ex Eccleſia contendentes, Verbum non eſſe conſubſtantiale Patri, ibi: *anathematizat Catholica: & Apoſtolica Eccleſia*.

Concilium Conſtantinopolitanum I. *can.7.* Statuit, recipiendos eſſe, qui ab hæreſi redeunt ad Eccleſiam; qui autem redeunt, certè extra Eccleſiam erant.

Dicunt. Loca, tum ex Auguſtino, tum ex Conciliis producta, intelligenda ſunt de hęreticis manifeſtis, qui negant articulos neceſſarios, & fundamentales fidei, non verò de iis, qui circa eos errant, qui nec neceſſarii ſunt, nec fundamentales, & proinde iſti ſunt membra Eccleſiæ.

5 Contra 1. Textus, in quibus Patres, & Concilia excludunt hæreticos ex Eccleſia Catholica, non diſtinguunt inter hæreticos, qui negant articulos fundamentales, & eos, qui illos articulos non negant, ſed abſolutè, & abſque exceptione de hæreticis loquuntur. Ita Nicęnum cit. *can.8.* præſcribit, *ut, qui ad Eccleſiam redeunt, ſuſcipiant, & ſequantur omnia Eccleſiæ Catholicæ dogmata*. Et Conſtantinopolitanum diſponit *d. can.7. ut recipiantur, omnem hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit, ut Sancta Dei Catholica, & Apoſtolica Eccleſia*. Ergo diſtinctio illa nulla prorſus, ſed planè ficta eſt.

Contra 2. Novatiani, & Teſſaradecatitæ (quos redeuntes idem Concilium præſcribit eſſe recipiendos) fatentibus Proteſtantibus, non negabant articulos fundamentales; etenim non errabant, aut circa Trinitatem, aut Incarnationem. Novatiani enim inter alia docebant: *poſt baptiſmum lapſos veniam conſequi non poſſe, quacunque peracta pœnitentia*. Teſſaradecatitę (dicti quartadecimani) dixerunt, *quartadecima occurrente luna, quocunque occurreret hebdomadæ die, Paſcha neceſſariò celebrandum eſſe*; qui tamen fuerunt extra Eccleſiam;

ſicut extra eam ſunt cæteri omnes, qui articulos ab Eccleſia definitos, cum pertinacia oppugnant. Et inde patet, excogitatum à Proteſtantibus diſtinctionis effugium, nihil eis prodeſſe.

Verùm diſtinctionem illam de articulis neceſſariis, & non neceſſariis familiarem Sectariis ex profeſſo oppugnant. Vvalemburgii *to.1 controv.tract.3. de art.neceſſariis*, circa quam nos nonnulla dedimus *contr.1. cap.5.n.2.* Et hìc iterùm ex iiſdem *tract.1. exam.3.§.13.nu.182.* notamus; quòd omnes omninò articuli, ita ſunt omnibus neceſſarii, ut, cognita propoſitione Eccleſiæ Catholicæ, nullus ſine præjudicio ſalutis contradicat. Hinc nullus articulus ab Eccleſia definitus, citra hæreſim cum pertinacia oppugnari poteſt, ut benè Du-hamel *Theol.Cleric.to.5 lib.1.de Eccleſ.diſſert.1. cap.3.nu.1.* Et licèt inter articulos, aliqui ſint neceſſarii neceſſitate medii, tamen præceptum eſt, ut nullus repudietur.

6 Probatur 3. Eugenius IV. in decreto edito in Concilio Florentino ſuper concordia Jacobitarum cum Romana Eccleſia, ut in ipſius *Conſt.Cantate la 23.Bullar.to. 1.§.5.* habet: *quoſcunque ergo adverſa, & contraria ſentientes* (articulis §.4. expreſſis) *damnat, reprobat, & anathematizat* (Sancta Romana Eccleſia) *& à Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, alienos eſſe denuntiat.* Et §.15. *Firmiter credit, profitetur, & prædicat, nullos intra Catholicam Eccleſiam non exiſtentes, non ſolùm Paganos, ſed nec Judæos, aut Hæreticos, atque ſchiſmaticos, eternæ vitæ fieri poſſe participes, ſed in ignem æternum ituros, niſi ante vitæ finem, eidem fuerint aggregati.* Ex quibus ſatis, ad exiſtentiam hæreticorum extra Eccleſiam.

7 Probatur 4. ex 1 *Joan.2. Ex nobis prodierunt* (hoc eſt, ex Eccleſia Chriſti emerſerunt hæretici, ſicut vomitus ex Stomaco) *ſed non erant ex nobis* (ſolidis, & conſtantibus Chriſtianis) *nam ſi fuiſſent ex nobis* (ideſt de hoc numero) *permanſiſſent utique nobiſcum, boc eſt in Eccleſia;* ergo, &c. Item ex Paulo 1. *ad Timoth.1.* ubi monet Timotheum, ut fidem ſervet ſinceram, & bonam conſcientiam habeat, quia plures qui eam amiſerunt, *circa fidem naufragaverunt*, hoc eſt, ut ait Chryſoſtomus, *navem, quæ eſt Eccleſia, perdiderunt.* Propter quod ab eodem Apoſtolo fuerunt excommunicati, ut diſcerent *non ampliùs blaſphemare*, ut ait textus: quælibet enim hæreſis eſt blaſphemia in Deum, qui eſt prima veritas, ut dixit Piconius in D.*Pauli ad cit.cap. & epiſt.n.20.in comment.*

Opponunt 1. hæretici ſunt fideles. Ergo tanquam membra includuntur in Eccleſia. Probatur antecedens. Habent fidem infuſam, quod Probatur 1. Aſſentiuntur myſteriis ſupernaturalibus à Deo revelatis, propter divinam veracitatem revelantem: ita Calviniſta, propter revelationem divinam, aſſentitur myſteriis Trinitatis, Incarnationis, Paſſionis Dominicæ, &c. Sed myſteriis ſupernaturalibus, à Deo revelatis aſſentiri non poteſt, niſi per fidem infuſam, & ſupernaturalem.

II. Hæretici eadem facilitate illos articulos credunt, quibus ante hæreſim fidem adhibebant. Ponamus, quòd quis Catholicus credens fide divina *Deum eſſe Trinum, & unum*, peccet contra fidem, non credendo aliquam aliam veritatem, quæ eſſet de fide, v.g. *non dari Sacramentum Altaris*: is experiretur ſe eadem facilitate credere Trinitatem, & propter eamdem rationem, ac anteà credidit. Ergo ſignum eſt, in illo eumdem fidei infuſæ habitum permanere; nam ubi idem eſt effectus, eamdem ibi cauſam eſſe perſpicuum eſt.

III. Hæretici diſcredentes aliquem, vel plures articulos fidei, experiuntur aliis articulis fidei, eadem firmitate, & abſque formidine, ſe adhærere, ac anteà: quandoque etiam mortem ſuſtinent. Ergo habent habitum ſupernaturalem fidei, quo adjuventur ad credendum: neque enim eorum intellectus eſt potentior intellectu Catholici ad credendum.

IV. Inter credibilia non adeſt neceſſaria connexio. Ergo poterit quis ab uno recedere,

dere, quin recedat ab alio; atque ita fidem circa aliud retinere, & proinde dici fidelis.

V. Poteſt fides eſſe major in uno, quàm in alio. Ergo unus ipsà poteſt credere unum articulum, quàm alius non credat. Ergo, &c.

8 R. negando antecedens cum probatione; nam hęreſi fides deperditur, ex Trident. *ſeſſ.6.cap.15. de juſtif.* Ideò licèt quis omnia à Deo revelata firmiter fide divina crediderit, tamen fidem deperdit, ſi poſteà unum pertinaciter non credat, juxta illud Jacobi 2. *quicunque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*; hoc eſt, qui ſcienter non tenet unum articulum fidei, etſi teneat reliquos, nullum credit, *ut oportet*, & fide divina ſupernaturali; quoniam hanc circa omnia amiſit eo ipſo, quò uni illi articulo credere noluit, per Tirin. *to.2.comment.ad d.locum Jacobi.* Ex ordinatione enim divina, ſeù moraliter, & demeritoriè, ita fides opponitur infidelitati, ſicut gratia opponitur cuicunque peccato mortali. Sicut igitur, qui non obſervat unum præceptum cujus obſervantia neceſſaria eſt ad conſequendam beatitudinem, amittit totam gratiam ſanctificantem, ita, qui unum tantùm articulum diſcredit, habitum fidei infuſæ totaliter deperdit.

9 Ad primam probationem dicitur, hęreticos non aſſentiri myſteriis revelatis, propter divinam veracitatem revelantem, aſſumptam, ut medium, & motivum formale debitè propoſitum, & applicatum ad credendum fide divina, quia non credunt propter divinam revelationem infallibiliter propoſitam. Ad hoc enim opus eſt recurrere ad infallibilem propoſitionem Eccleſiæ, tanquam ad certam regulam credendi; qui autem movetur ad credendum à propoſitione Eccleſiæ omnia credit, quæ ipſa proponit. Quod cùm hæretici non agant, nec illis myſteriis, quæ credunt, aſſentiuntur propter revelationem divinam (niſi de materiali) ſed ſolùm, quia ipſi volunt, proprio judicio, & vitioſo appetitui adhærentes; & inde credunt tantùm fide naturali, & mentiuntur Chriſto, cùm non credant quidquid ipſe revelaverit Eccleſiæ, & credendum ab Eccleſia proponitur.

Hinc Calviniſta v.g. non aſſentitur myſteriis ſupernaturalibus cum æſtimatione, ſed cum vilipendio, & contemptu divinæ auctoritatis. Etenim ſi propter reverentiam, & obſequium divinę auctoritati debitum crederet, eam ſuo privato judicio præferret, credens omnia, quæ Deus revelavit Eccleſiæ. Et ita non fide theologica, ſed naturali credit (ſiquidem proprium actus virtutis theologicę eſt, ut Deum pręferat cæteris omnibus, in contrarium occurrentibus) & objectum ſupernaturale (hoc eſt, cujus notitia habita eſt à Deo revelante, & ut eſt Auctor gratiæ) actu naturali tunc tantùm attingit.

10 Poſſet argumento occurri doctrinà etiam Scotiſtarum, qui ſcripſerunt, virtutes infuſas non diſtingui ab acquiſitis per ordinem ad objectum. Fides enim acquiſita (& idem de charitate, & ſpe) poteſt tendere in idem objectum terminativum, propter idem motivum, in quod poteſt fides infuſa; idque probant exemplo Catholici in hæreſim lapſi, qui poſt hæreſim experitur, ſe eodem modo credere v.g. *Deum eſſe Trinum, & unum propter divinam veracitatem revelantem*, ac antea credebat. Tum quia, poſt hæreſim nullam diverſitatem experitur in modo, quo tunc credit, & anteà credidit: aliàs per experientiam ſuam propriam poſſet certò cognoſcere, cùm rediret ad Eccleſiam, quòd fidem ſupernaturalem haberet; quod eſt contra definita à Tridentino *d.ſeſſ.6.cap.12. & can.16.* de qua re agit Poncius *Theol. diſput.26. qu.2.num.14.*

Cæterum poſt hæreſim, ei contradicenti alicui objecto ab Eccleſia propoſito, Deus non confert auxilium ſupernaturale ad actum, quem contra fidem elicit, licèt auxilium non deneget, ut ab hæreſi reſipiſcat,

cat,

cat, ſi velit, ut dixit Lambrecht, *Scotus Viennenſis tr.proem.diſp.4. q.ult.nu.23.* Unde negatur illa propoſitio: *myſteriis à Deo revelatis aſſentiri non poteſt, niſi fide infuſa:* hoc enim verum eſt, quoties aſſentitur, *ut oportet*, & modo à Chriſto ordinato, qui præcepit, ut audiretur Eccleſia, revelata proponens.

II. Ad ſecundam probationem dicitur, facilitatem, quam quis habet in credendo, non provenire ab habitu infuſo fidei, ſed ab acquiſito; juxta differentiam, quæ communiter à Theologis inter eos ponitur: quòd infuſus non facilitatem conferat, ſed det poſſe, & ſimpliciter ad operandum permanenter requiratur; acquiſitus verò neceſſarius ſit tantùm ad faciliùs agendum, & non ſimpliciter ad ſuos actus exigatur, ut cum Pontio *ibi nu.13. cæteri* Scotiſtæ.

Sed difficultas eſt, à quo habitu acquiſito illa facilitas procedat? Scotiſtæ *cum eodem ibi nu.19.* tradunt procedere ab habitu fidei acquiſito. Apud eos enim eſt incontrovertibile, per actus ſupernaturales fidei, generari habitum ordinis naturalis, & facilitatem ad credendum; quæ facilitas remanet in homine, etiam poſt lapſum in hæreſim; & propterea tunc etiam experitur eamdem facilitatem ad credendum, quam experiebatur antea.

Nec obſtat, quòd actus ſint ſupernaturales; quoniam non generant habitum naturalem, quà ſupernaturales, ſed quatenus ſunt exercitium, quo potentia aſſueſcit verſari circa tale objectum, in quo conveniunt cum actibus naturalibus. Difficultas enim, quam habet potentia tendendi in tale objectum, provenit, ex quo non aſſuevit verſari circa illud. Ergo, quando aſſuevit verſari, quocunque actu id egerit, habitum acquiſivit facilitantem, & conſequenter naturalem.

Mauro *to.2.Theolog.l.7.q.116. nu.6.* dixit, regulariter nos, priuſquam credamus fide divina noſtram Religionem eſſe veram, credere hoc idem fide humana; probatque experientia puerorum, & Infidelium, qui primò incipiunt credere propter auctoritatem humanam, vel Parentum, & Magiſtrorum, vel Prædicatorum, proponentium Religionem noſtram eſse veram; & ſic paulatim perveniunt ad hoc, ut credant fide divina propter auctoritatem Dei, & divinam revelationem, ſiſtendo in hoc: Per actus verò fidei humanæ acquiri habitum naturalem, qui poſt lapſum in hæreſim, in hæreticis perſeverat, & ab eo facilitas obtinetur. Hæc ex illo.

In utraque ſententia optimè argumento ſatisfit. Proindeque patet à facilitate in credendo, quam hæretici experiuntur, colligi non poſse in ipſis habitum infuſum fidei.

12 Ad tertiam dicimus firmitatem, & conſtantiam in credendo in hæreticis, prævio illo habitu naturali, provenire ex abundantia ſui ſenſus, & pertinacia ad ſuos errores. Hinc hæretici illi, qui pro ſuo errore mortem, vel tormenta ſuſtinuerunt, non fortes, & conſtantes in fide catholica, ſed pertinaces in ſuo errore dicendi ſunt. De quibus ſcripſit Auguſtinus *ſermone 328. de Sanct.cap.4. Omnes hæretici, etiam pro falſitate patiuntur, non pro veritate, quia mentiuntur contra ipſum Chriſtum.*

13 Ad quartam. Utique inter objecta credibilia, non eſt connexio neceſsaria, ex natura rei; verùm reperitur ex divina ordinatione, & ad conſervandam fidem infuſam connectuntur, adeò ut neceſse ſit, ut nullus articulus diſcredatur, aliàs cùm uni ſcienter diſsentitur, ceteris non aſsentitur propter motivum formale fidei, formaliter acceptum, ſed ſolùm materialiter uſurpatum; ſub qua ratione non ſpecificat actum ſupernaturalem fidei. Motivum enim formale, *ſeu ratio formalis, ſub qua* fidei eſt divina revelatio propoſita infallibiliter ab Eccleſia Catholica, à Pontifice nimirum, vel Concilio ab eo confirmato. Ideò qui aliter aſſenſum præbet, quàm propter revelationem divinam ab Eccleſia propoſitam, fide divina non credit.

14 Ad

14 Ad quintam. Dicitur, quòd unus fidelis poteſt planè, interiori actu, explicitè plura credere, quàm alter; & in hoc ſenſu poteſt fides in uno eſſe major, quàm in alio. Verùm nulli licet aliquem articulum ſufficienter propoſitum repudiare: Siquidem repudians tunc eſſet infidelis. Poſſet etiam fides ſic in uno major aſtrui, quã in alio, quatenus unus poſſet habere plurium veritatum definitarum notitiam, & circa eas plures actus explicitos fidei elicere, quas aliàs ſolùm implicitè crederet in hoc principio: *Credo quidquid Deus revelavit Eccleſiæ, & hæc credenda proponit.* Quod principium injuſtiſſimè ab hæreticis reiicitur.

Opponunt 2. Hæretici ſunt baptizati. Ergo ſunt membra Eccleſiæ, dicente Eugenio IV. in litteris ſuper concordia Armenorum in Concilio Florentino, ut in ejus *conſtitutione Exultate la* 19. *Bullar. tomo* 1. *Primum omnium Sacramentorum locum tenet Sanctum baptiſma, quòd vitæ ſpiritualis janua eſt: per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ.* Et Tridentinum *Seſſione* 14.*cap.*2.*de pænitentia* definit *per januam baptiſmi in Eccleſiam ingredi.*

15 R. negando conſequentiam. Ratio præciſa ubicunque ponatur, effectum tribuit. Caracter baptiſmi eſt in fidelibus damnatis, qui membra Eccleſiæ non ſunt. Ergo baptiſmus ratio præciſa, & ſufficiens non eſt, conſtituendi membrum Eccleſię, ut notatur ex Auguſtino *lib.*4. *de baptiſmo contra Donatiſtas cap.*16. de quo diximus *contr.*1.*cap.*5.*nu.*10. Unde per baptiſmum efficimur *membra Chriſti, & de corpore Eccleſiæ,* quatenus in ipſo infunditur nobis fides; quæ eſt forma conſtituens formaliter membrum Eccleſiæ, ut dictum eſt *cap.* 1 (quem Tridentinum appellat Sacramentum fidei) Cùm verò in hæreticis non ſit fides, ipſi membra Eccleſiæ non ſunt.

Dices. Fides poteſt eſſe in exiſtente extra Eccleſiam, dicente Auguſtino *libro* 1. *contra Creſconium cap.*29. *Fides una habetur ſine charitate, etiam extra Eccleſiam.* Ergo fides, non eſt forma conſtitue ns membrum Eccleſiæ, ſed baptiſmus.

16 R. Negatur conſequentia, nam Donatiſtæ Auguſtino teſte, erant baptizati, & extra Eccleſiam. Ergo baptiſmus non confert eſſe membrum Eccleſiæ. Solutio directa patebit ex capite ſequenti *n.*14.

17 Infertur dici poſſe, hæreticos propter caracterem baptiſmalem pertinere ad Eccleſiam non ut membra, & filios, ſed ut ſervos, & ſubditos; propter quod de jure tenentur legibus Eccleſiaſticis, licèt facto rebelles ſint; eoſque poteſt Eccleſia punire: Etenim ex rebellionis ſcelere commodum reportare non debent, ut notavit Engel colleg. *jur. canon. lib.*5 *tit.*32.*n.*20. Duhamel *cit. ad* 2.*ob.*

CAPUT IV.

An Schiſmatici ſint membra Eccleſiæ?

SUMMARIUM.

1 *Schiſma quid ſit?*
2 *Unitas Eccleſiæ triplex.*
3 *Schiſma purum, & miſtum.*
4 *Schiſmatici ſunt in potentia proxima ad hæreſim.*
5 *Schiſmatici formales, eſtò puri, non ſunt membra Eccleſiæ.*
6 *Probatur ex Auguſtino.*
7 *Et ex Hieronymo.*
8 *Calumnia Proteſtantium in Eccleſiam Romanam.*
9 *Thurificationis cultus Deo debitus, creaturis non exhibetur.*
10 *Licitè in Miſſa thurificantur Miniſtri, &c. & in exequiis corpora defunctorum, ad* 11.
12 *Ritè in funeralibus accenduntur lumina.*
13 *Altaria, & templa Deo eriguntur, eique offertur Sacrificium.*
14 *Schiſmatici carent forma adæquata conſtitutiva membri Eccleſiæ.*
15 *Diverſitas in particularibus ritibus non facit Schiſmaticum.*

16 Pa-

16 *Paſtores, & Fideles reſpiciunt Papam, ut centrum unitatis Eccleſiæ.*
17 *Quando ſeparatio a proprio Epiſcopo faciat Schiſmaticum?*
18 *Unitatem Eccleſiæ non retinet, qui ſeparatur à Romano Pontifice.*
19 *Capita ſubordinata in corpore Eccleſiæ non pugnant.*
20 *Cur Eccleſia dicatur Corpus Chriſti, & non Papæ?*
21 *Mali in Eccleſia ſunt bonis permiſti.*
22 *Schiſmatici ſimulant pietatem.*
23 *Cur fideles improbi ſint in Eccleſia, non verò ſchiſmatici?*
24 *Excommunicati Fideles non ſunt extra Eccleſiam.*
25 *Apud Schiſmaticos non eſt Charitas.*
26 *Baptiſmus in parte ſchiſmatica eſt validus.*
27 *Diſpoſitiones ad baptiſmum in adultis neceſſariæ.*
28 *Extra Eccleſiam peccata non dimittuntur.*
29 *Baptiſmus à Schiſmaticis collatus eſt baptiſmus Dei, & Eccleſiæ.*
30 *Baptizatis cum fictione, baptiſmus prodeſt, recedente fictione.*
31 *Diſcedens ab Eccleſia Catholica tempore Sedis vacantis eſt ſchiſmaticus.*
32 *Pontifex Romanus nequit eſſe Schiſmaticus.*
33 *Schiſma Antiochenum tempore Meletii, & Paulini à Proteſtantibus objectum.*
34 *Inſania Proteſtantium in Catholicos.*
35 *Infideles, &c. à Chriſto influxum accipiunt. ad 36.*

1 Schiſma vox græca, latinè ſciſſuram ſonat, qua inducitur illicita ſeparatio ab Eccleſiæ viſibili capite, & corpore. Hinc ſchiſma Eccleſiaſticum deſcribi poteſt: *Voluntaria ſeparatio ab Eccleſia Univerſali ſine jactura fidei;* ut, ſi quis credens omnia à Deo revelata, Romanumque Pontificem eſſe caput viſibile Eccleſiæ ei tamen, vel ex odio, aut aliàs obedire detrectat, quoad actiones ſpirituales, & proponenti quid credendum, agendùmque ſit.

Illud *quoad actiones ſpirituales* ponitur ad ſignificandum ſchiſma, non eſſe quamcunque ſeparationem à Papa, ſed ab ipſo, ut eſt Chriſti Vicarius, & Doctor Eccleſiæ, ac in iis, quæ ab ipſo, ut capite formaliter Eccleſiæ, & ex officio Paſtorali procedunt. Inde fit, quòd detrectans ei parere, ut eſt Princeps temporalis Bononiæ, Peruſiæ, &c. non ſchiſmaticus, ſed aptiùs rebellis dicitur. Quemadmodum non ſchiſmatici dicuntur illi Principes, qui ex odio in perſonam privatam Papæ, ejuſve Miniſtrum, ab ipſius politica, amicitia, ſocietateque civili recedunt, modò ejus auctoritati Pontificiæ nihil detrahant, ſed ſummo obſequio recipiant, quæ officium Paſtorale reſpiciunt. Cæterùm caveant, ne ſeceſſio in politicis, in diviſionem tranſeat à Pontifice, quà caput Eccleſiæ formaliter eſt.

Expreſſiùs ſchiſma fuit deſcriptum à D. Thoma 2.2. *quæſt.39.art.1.* quòd *ſit diviſio, per quam quis ab unitate Eccleſiæ ſe ſeparat, in quantum Eccleſia eſt corpus myſticum, conſtans ex univerſis fidelibus, ut membris, & Romano Pontifice, tanquam viſibili capite.* Cùm enim Eccleſia *una ſit*, ac proinde indiviſa, qui ſe ab hujuſmodi corpore, vel capite disjungit, ſchiſmaticus eſt.

2 Unitas verò Eccleſiæ triplex eſt. Prima *fidei*, qua membra Eccleſiæ, tanquam Corpus Chriſti myſticum, uniuntur capiti ſuo Jeſu Chriſto. Secunda *Charitatis*, qua membra Eccleſiæ vinculo pacis, & concordiæ uniuntur, inter ſe communicantes externa eorum unione, in uſu Sacramentorum, publicis precibus, actibuſque Religionis. Tertia *obedientiæ*, qua populus fidelis ſubiicitur Romano Pontifici, ac ſub ipſo legitimis Paſtoribus paret. Hæreſis dividit unitatem fidei; Schiſma unitatem charitatis; & tam hæreſis, quàm ſchiſma unitatem obedientiæ. Inde eſt, quòd ſchiſma, quà tale non eſt contra fidem, ſed contra charitatem dumtaxat, & obedientiam; quapropter is, qui credit, quòd priùs, ſi ab unitate Eccleſiæ recedat, eſt ſchiſmaticus, & non hæreticus, ſicut hæreti-

reticus quoque foret, ſi quidquam diverſum, & fidei repugnans poſteà crederet.

3 Ex hoc DD. Dividunt ſchiſma in purum, & miſtum, ut illud ſit *ſciens receſſus ab Eccleſia quoad obedientiam ſolùm*; aliud verò ſit *receſſus quoad obedientiam pariter, & credentiam, non quoad omnes articulos* (quia tunc eſſet Apoſtata) *ſed ſecundùm unam vel plures veritates catholicas ab Eccleſia definitas, & propoſitas*, & expreſsè Eymerius *2.p.direct. Inquiſit. quæſt.*48. Gonzalez *in* 5.*tit.*8. *cap.*2.*n.*3. Layman *Theol.moral.lib.*2. *trac.*3. *cap.*41.*n*4. Macedo *de clavib. Petri q. Proem. art.*3.*aſſert.*3. Seſſa *Scrutini. Doctrin. capit.*6. *art.*13.*nu.*16.

4 Cæterùm quamvis ſchiſmatici, quà tales non ſint formaliter hæretici, tamen ſi ſchiſma diuturnum erit, hæreſim infallibiliter admittent; nam legitur cap. *inter hæreſim* 24.*q.*3. nullum ſchiſma eſſe, quod aliquam ſibi non contineat hęreſim. Exemplum extat in Schiſmate Donatiſtarum, qui ab initio de factis contendebant, nimirum Cæcilianum fuiſſe traditorem, & à traditoribus (hoc eſt iis, qui Sacræ Scripturæ libros Tyrannis tradidiſſent) ordinatum Epiſcopum Cartaginenſem, & ex factis ad libitum confictis, ſumma temeritate concludebant, cum Catholicis non eſſe communicandum, quia ſceleratis adhærebant; & poſteà contra fidem erraverunt, tenentes Eccleſiam totam ubique defeciſſe, & puram in ſola remanſiſſe Africæ parte Donati: & Sacramenta à malis Miniſtris collata eſſe nulla; ideò rebaptizabant ab hæreticis baptizatos. Videatur Annat. *apparat. ad Theol. poſit. lib.*7.*art.*8.

Verùm, ut obſervat Pegna *comment.*73. *ad d. locum Eymerin.* Schiſmatici puri ſunt de hæreſi ſuſpecti: Siquidem videntur profiteri, quod extra Eccleſiam ſit ſalus, nec parendum ſit Rom. Pont.

De ſchiſmate Proteſtantium agunt Valemburcii *to.*1.*controv.p.*2.*tr.*9. *de unit. Eccl.* pluribus *libris*, & capitibus; *qui lib.*6.*cap.*13.*n.*12. diſtinguentes ſchiſma, ajunt, alterum eſſe, quod in laxiori ſignificatione uſurpatur, & alterum, quod in magis ſtricto, & proprio ſenſu ſumitur: juxta duplicem, quem ponderant, modum ſeparationis ab unitate Eccleſiæ. Vel enim, ſcribunt, ſeparatio ſumitur pro receſſu à priori unitate Corporis Eccleſiæ, ſiſtendo in eo, quòd ſit receſsus; vel, pro receſſu à priore unitate, ita ut ſimul erigantur privata conventicula à priori corpore Eccleſiæ ſeparata, vel erectis ſcienter adhæreatur, prout ea erexerunt Novatiani, Donatiſtæ, Græci, Proteſtantes, & alii plures. Priorem ſeparationem abſque congregatione conventiculorum ſegregatorum à corpore Eccleſiæ, tradunt conſtituere ſchiſmaticum in laxiori ſignificatione: ſeù propriè deſertorem efficere collectionis chriſtianæ ex lege charitatis neceſſariò conſervandæ, juxta Paulum *ad Hebr.* 10. ibi: *Conſiderate invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum, non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam*. Unde apud eos deſertor eſt, & non ſchiſmaticus, niſi in ſenſu amplo, qui idem credens, & recedens ab unitate Eccleſiæ, nec Altare ſacrilegum contra Altare erigit, nec erecto adhæret. Poſterior verò ſeparatio, cum cętuum in novum corpus Eccleſiaſticum erectione conjuncta ſchiſma eſt in ſenſu magis proprio, de quo ait Paulus 1. *ad Corinth.*12. *ut non ſit ſchiſma in corpore Eccleſiæ*. Et inde ſchiſmaticus propriè dicitur, qui dicta Conventicula, priore unitate relicta, erigit, aut erectis jungitur.

Ampliùs notatur, quòd ratio ſchiſmatis non conſiſtit totaliter in receſsu à priore unitate; quoniam ſi totaliter in hoc conſiſteret, nullus daretur receſsus à priore unitate ſine ſchiſmate; quod tamen eſt falſum: quia Chriſtianus deſerta Chriſtiana Religione (adeòque recedens à priore unitate) tranſiens ad Turcas, non eſt Schiſmaticus, ſed Apoſtata.

Neque, ut quis ſit Schiſmaticus; exigitur receſsus à priore unitate: Nam qui naſcuntur, & educantur in parte ſchiſmati-

mati-

matica, adhærentes conventiculis ſeparatis à priore unitate, ſunt ſchiſmatici: eſtò ipſi à priore unitate non receſſerint, in qua nunquam fuerunt: Etenim *non recedunt à fide, niſi illi, qui fuerunt in aliqua fide*, ut loquitur Auguſtinus *lib.1. de actis cum Felice Manich.cap.*8. Ibi S. Doctor urget Manichæos, tanquam recedentes ab Eccleſia, & fide catholica, & adhærentes Manichæo, qui nunquam fuerat catholicus, & à priore unitate receſſerat: à qua receſſerunt Chriſtiani illi, qui fidem catholicam deſerentes Manichæo adhæſerunt. Dicitur nihilominus Manichæus Schiſmaticus, quia abſtractis à priore unitate Eccleſiæ membris, conventicula inſtituit ſegregata ab unitate Catholica.

Quapropter, ut quis dicatur ſchiſma facere, duo requiruntur, eademque ſufficiunt. Primum, ut inſtituat privata conventicula. Secundum, ut illa privata conventicula inſtituantur ex deſertoribus prioris unitatis. Deſerere verò priorem unitatem de illis verificatur, qui ſpontè, & voluntariè priorem fidem deſerunt, & voluntariè à debito redeundi recedunt. Ita Lutherus, & Calvinus ſchiſma fecerunt, non tam, quia privata conventicula ex deſertoribus fidei catholicæ collegerunt, diviſa à communione Romanæ Eccleſiæ, verùm etiam, quia ipſi à priore unitate receſſerunt, relinquentes fidem catholicam, & illa conventicula erexerunt.

Verùm non eſt certandum de voce. Apud Patres idem eſt deſertor Romanæ Eccleſiæ, ac Schiſmaticus; idemque ſonat deſerere Romanam Eccleſiam, & ab ea ſeparari, & recedere. Unde in Canone I. Bullæ Cænæ excommunicantur ſchiſmatici, & ii, qui ſe à Pontificis Romani, pro tempore exiſtentis, obedientia pertinaciter ſubtrahunt, & recedunt: ideò utroſque in reſolutione complectimur.

Hoc capite agendum non eſt de ſchiſmaticis miſtis, quia quoad iſtos, cùm ſint formaliter hæretici, omnia ea procedunt, quæ capite præcedenti de hæreticis diximus, ſed de puris; neque de ſchiſmaticis materialibus, juxta differentiam adnotatam *contr.1.cap.5.nu.31*. Quibus notatis.

5 Dicendum. *Schiſmatici formales, eſtò puri, non ſunt membra Eccleſiæ Chriſti*. Eſt omnium Catholicorum contra Proteſtantes.

6 Probatur. Quòd ſchiſmatici formales, eſtò puri, non ſint membra Eccleſiæ Chriſti, eſt ſententia Auguſtini. Ergo non ſunt. Probatur antecedens. S. Doctor *de fid. & ſymb.cap.*10. *Hæretici, & Schiſmatici Congregationes ſuas Eccleſias vocant: Sed hæretici de Deo falſa ſentiendo ipſam fidem violant. Schiſmatici autem diſciſſionibus iniquis à fraterna charitate diſſiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Eccleſiam, quæ diligit Deum, nec Schiſmatici, quoniam diligit Proximum*. Hic Auguſtinus diſtinguit hæreticos, qui ſcienter fidem violant, diſſentiendo alicui veritati ab Eccleſia definitæ, ab iis, qui aſſenſum præſtant omnibus, quæ catholici credunt, & aliàs ab Eccleſia recedunt. At iſti ſunt ſchiſmatici puri, quos Auguſtinus inquit, ad Eccleſiam non pertinere. Ergo, &c.

Et quamvis eo loco videatur Auguſtinus agere de Schiſmaticis erigentibus nova conventicula, propter adjectam particulam *Congregationes ſuas*, tamen de aliis etiam ſentit ad Eccleſiam non pertinere. Siquidem *lib.1. de baptiſ.contr.Donatiſt.c.*8. *nu.*11. habet: *Quid ergo prodeſt homini, vel ſana fides, vel ſanum fortaſſè fidei Sacramentum, ubi lethali vulnere ſchiſmatis perempta eſt ſanitas charitatis? per cujus ſolius peremptionem, etiam illa integra trahuntur ad mortem?* Idem repetit *cap.9.& lib.1.contr. Creſc. cap.29. Fides una* (hoc eſt de iiſdem revelatis) *habetur à Schiſmaticis ſine charitate, etiam extra Eccleſiam*; & infr. *non exiſtimo quemquam ita deſipere, ut credat ad Eccleſiæ pertinere unitatem, eum, qui non habet charitatem*; hoc eſt, qui à capite, & membris disjungitur Eccleſiæ: communionem

Eccle-

Eccleſiæ in precibus, Sacramentis, ac publico ſervitio divino deſerens, licèt ſeparata non erigat Conventicula. Is enim ſchiſmaticus verè eſt, nec ad catholicam pertinet, *in qua ſola una fides cum charitate retinetur*, ut ibi loquitur. Et licèt eadem ſchiſmatici credant, ſocietatem tamen, & unitatem charitatis cum capite, & membris non habent: & inde extra Eccleſiam ſunt.

Hoc idem probant, quæ dixit lib. *Septemdecim quæſt. in evangel. Matth.* quò *qu.* 11. præmiſſa ſolutione, *quid inter hæreticos, & malos Catholicos hoc intereſt, quòd hæretici falſa credunt, illi autem vera credentes, non vivunt, ita ut credunt: Subdit: Solet autem etiam quæri, ſchiſmatici, quid ab hæreticis diſtent? & hoc inveniri, quòd ſchiſmaticos non fides diverſa faciat, ſed communionis diſrupta ſocietas*. Sed ſchiſmatici omnes ſocietatem diſrumpunt, & cum capite, membriſque Eccleſiæ in rebus ſpiritualibus, & ad Religionem chriſtianam pertinentibus, communicare detrectant. Ergo ſchiſmatici omnes ſunt extra Eccleſiam: & hinc membra Eccleſiæ non ſunt: Siquidem membrum corporis eſſe nequit, qui à corpore præciſus eſt.

Confirmat Hieronymus relatus in *d. cap. Inter hæreſim* 24. *q.* 3. *Inter hæreſim, & ſchiſma hoc intereſſe arbitramur, quòd hæreſis perverſum dogma habeat; Schiſma propter Epiſcopalem diſſenſionem, ab Eccleſia pariter ſeparat*. Et inde membrum præciſum efficit, & extrà Eccleſiam ponit.

7 Probatur 2. de ratione Eccleſiæ Chriſti eſt, ut reperiatur unio membrorum inter ſe, & membrorum cum Romano Pontifice viſibili capite. Cùm enim ſit unum corpus myſticum, oportet, membra inter ſe, & cum capite, eſſe vinculo pacis, & unitatis ita colligata, ut per externam communionem, & ſocietatem in rebus Religionis, & Obedientiæ, ad caput in unum Cętum redigantur. At Schiſma hanc unionem, & vinculum deſtruit, quoniam diviſionem inducit, & membra à corpore Eccleſiæ divellit. Propter quod omnes Schiſmatici formales ſe à Romana Eccleſia dividentes, eamque deſerentes extra Eccleſiam jacent, dicente Cypriano *de unit. Eccleſ. Qui Cathedram Petri, ſuper quam fundatur Eccleſia, deſerit, in Eccleſia eſſe non poteſt*.

Opponunt 1. Ideò ii, quos Pontificii ſchiſmaticos appellant, membra non eſſent Eccleſiæ Chriſti, quia ſe ſubduxerunt ab unitate Eccleſiæ, quæ communicat cum Romano Pontifice. Sed hæc ſeceſſio hoc minimè probat. Siquidem evincit ſolùm membris non accenſeri Eccleſiæ ſuperſtitioſæ; quam non niſi impius blaſphemus dixerit, eſſe Chriſti Eccleſiam, cùm juxtà articulum ſymboli Eccleſia Chriſti ſit Sancta. Sancta autem non eſt, ſed ſuperſtitioſa Eccleſia, quæ eſt de obedientia Romani Pontificis, quoniam ipſa cultum, & ritus ſuperſtitioſos admittit. In ea enim in Miſſa ſolemni thurificantur Altare, Reliquiæ, Templum, Laica-Poteſtas, Populus, & Clerici, & in exequiis corpora defunctorum: quibus, utpotè creaturis, ſimilis cultus minimè debetur, cùm ſolus Deus per thurificationem colendus ſit, dicente Greg. *homil.* 10. *in Evangel.* de Magis: *eum, quem adorant prædicant thure Deum*. Et apud Durant. *de ritibus Eccleſiæ lib.* 1 *cap.* 9. *nu.* 3. legitur ex Arnobio *lib.* 7. *quòd, etſi apud Gentiles ab initio in uſu non fuerit thus in ſacris incendere, ubi tamen thure ſacrificare cæperunt, ſuffitus thuris erat ſacrificii certum indicium, adeò ut Chriſtianos verè ſacrificare crederent, ubi ſummis digitis paululum thuris injeciſſent in Acerram, vel thuribulum*.

Item: In funere mortuorum lumina, & candelas accendit; quod item ſuperſtitionem ſapit; & propterea ne in cæmeteriis accenderentur, fuit interdictum in Concilio Eliberitano *can.* 34.

Item. Hominibus ſuis ſanctis templa erigit, & Altaria, & Sacrificia offert, conſequenter eis cultum tribuit ſoli Deo debitum, dicente Auguſtino *epiſt.* 102. *ad Deogratias quæſt.* 3. *numer.* 18. *Templum, Sacerdo-*

dotium, Sacrificium, niſi uni vero Deo deberi. Ergo, &c.

8 R. Hîc planè (& ſatis ad objectum eſſet) poſſet in Proteſtantes intorqueri, quod aliàs Auguſtinus *lib.20. contr. Fauſt. cap.21.* dixerat adversùs eum, inſultantem Chriſtianos, propterea quòd martyrum memorias celebrarent, ibi: *quod etiam hinc nobis calumniatur Fauſtus, quòd martyrum memorias honoramus in hoc, dicens, nos Idola convertiſſe, non tam me movet, ut huic calumniæ reſpondeam, quàm ut ipſum Fauſtum* (ipſos Proteſtantes) *oſtendam ſtudio calumniandi, etiam ab ipſius Manichæi vanitatibus exorbitare voluiſſe:* Exorbitant quidem, & ſolùm ad calumnias recurrunt, dum tanta animoſitate de Eccleſia Romano-Catholica obloquuntur; quæ ſola ex dictis *contr.1. cap.1.* eſt vera Eccleſia Chriſti, *Sancta, Catholica, Apoſtolica.* Ex cujus inſtitutione ritus thurificationis (de quo inſtantia) proceſſit, & in qua communiter recipitur. Et inde fit, ut non niſi inſolenter à Sectariis, ut ſuperſtitioſus declametur, dicente Auguſtino *epiſt.54. ad Inquiſit. Januar. cap.5. Si quid horum tota per Orbem frequentat Eccleſia: & hinc, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſima inſaniæ eſt.*

9 Nulla itaque in eo ritu eſt ſuperſtitionis umbra, ſed undique honeſtus, undique religioſus, ac honor eccleſiaſticus; qui ex ordinatione Eccleſiæ per thurificationem illis exhibetur, diverſus, aliuſque eſt à cultu, qui incenſatione Deo tribuitur; quoniam thurificatio immediatè Deo facta, eſt actus principalis Religionis, includens cultum Latriæ, quo profitemur Deum eſſe rerum omnium Auctorem, Gubernatorem, & ſupremum Dominum; iiſdem verò præſtita creaturis eſt actus ſecundarius ejuſdem virtutis; quinimò honor ipſis exhibitus, in ipſis non ſiſtit, ſed in Deum refertur, & recurrit, ut ex Baſilio notavit Durantus *ubi ſupra nu.ult.* Deus enim, non tam in ſe ipſo immediatè, quàm in rebus ad ipſum particularem reſpectum habentibus, honorari poteſt. Propterea ſacra hac cæremonia, nec cultus Deo debitus datur creaturis, neque ea ipſa actione Eccleſia proteſtatur eis divinitatem ineſſe.

10 Quare, dum in Miſſa incenſatur Altare, eccleſiaſticus hic honor ei exhibetur, quia in eo Corpus Chriſti conſecratur; dum Reliquiæ, quia eorum ſunt, qui fuerunt Templum Spiritus Sancti; dum Templum, quia eſt domus Dei, & in eo ejus majeſtas modo particulari reſidet; dum Magiſtratus, vel Principes, quia Cuſtodes ſunt, & executores juſtitiæ, quam Deus per eos adminiſtrari jubet; dum populus, quia eſt populus Dei, in quo ipſe habitat per fidem, & unionem charitatis; dum Clerici, quia in divinis miniſteriis, & officiis ſunt Miniſtri Dei; dum corpora Fidelium defunctorum, quia nati ſunt, & vixerunt in unitate Sanctæ Matris Eccleſiæ, ac piè creditur ex hac vita Dei amicos deceſſiſſe. Propterea talis honor non exhibetur iis, qui notoriè mortui ſunt in mortali culpa.

Hinc patet, quòd thurificatio illis facta, in cultum Dei ordinatur, eiſque honor tribuitur, propter modum particularem, quo Deum reſpiciunt, ejuſque obſequio ſunt mancipati; & ideò à quovis ſuperſtitionis nævo immunis eſt. Legatur Tridentinum *ſeſſ.22. can.7. de ſacrif. Miſſæ, & cap.5.* ubi definit cæremonias, *quas Eccleſia in Miſſa adhibet, eſſe officia pietatis, & non impietatis incitamentum*, ut blaſphemant Sectarii.

Verùm hoc obſervandum venit, quod ritu thurificationis, aliiſque cæremoniis ab Eccleſia inſtitutis, utpote cæremoniis veræ Religionis, non licet uti extra functiones, & miniſteria ſacra ab eadem ordinata. Proinde in eos animadvertit, qui præter ipſius inſtitutionem operantur.

11 Item conſideratur, quòd cultus ſuperſtitioſus eſſe poteſt, tum ex parte inſtitutionis, ut, ſi inſtitutus ſit inſtigatione dæmonis; tum ex objecto; quia is honor exhibetur membris diaboli; tum ex fine, quia inſtitutus eſt ad avertendum homi-

nem

nem à cultu veri Dei, & proteſtativus eſt Sectę, & falſæ Religionis. Quem nullatenùs licet aſſumere juxta Regulam communiter inter Catholicos receptam, quòd nullam ob cauſam ulloque prætextu poteſt quis licitè uti cæremoniis, propriis falſæ Religionis, quin falſam Religionem profiteatur, vel eam profiteri prudenter cenſeatur, ſuamque virtualiter neget.

12 Ad 1. Canon allegati Concilii emanavit ad extirpandas, funditùſque tollendas Gentilium ſuperſtitiones, quas novi Chriſtiani in locis Hiſpaniæ tunc retinebant. Gentiles enim putantes animas mortuorum aliquid ſentire, eas accenſis cereis, aliiſve ſuperſtitionibus adhibitis advocabant ad abditiſſima ſecreta, & ventura facta addiſcenda; quare à Concilio prohibita eſt cereorum accenſio more Gentilium. Cæterùm Canon cæremonias divini cultus non interdicit, ut obſervat Cabaſut. *notit. Eccleſiaſt.ſæcul.3. ad canon.24. d. Concil.nu.7.*

Hinc cerei in Eccleſia Catholica non ex ſuperſtitione in funeribus accenduntur, quaſi credat, vel in corporibus aliquid ſenſus ineſſe, vel animas eſſe ibi præſentes, aut poſſe nobis aliqua ventura prædicere, & opes conferre, ut falsò putant Sinenſes; ſed lumina ad alium finem accenduntur, ad ſignificandum nimirum, animas vivere, & ſuo tempore etiam corpora reſurrectura, noſtroſque defunctos filios non eſſe tenebrarum, ſed lucis æternæ, quæ poſt hanc vitam juſtis effulget, & quam tantopere Eccleſia iis precatur, & exoptat, ut expreſsè Bail. *Sum.Concilior.to.2.ſæcul.4. ad d.Canon.34.* & Durant. cit. *cap.23.nu.15.*

13 Ad 2. Negatur in Eccleſia Catholica templa, & Altaria erigi, ac Sacrificium Miſſæ Sanctis, & Martyribus offerri. Soli enim Deo verè, & propriè in memoriam Sanctorum templa, & Altaria eriguntur, atque ſacrificium offertur, ut expreſsè Tridentinum *ſeſſ.cit.ca.3.* & Auguſt. *ubi ſup. ac lib.8.de Civit. Dei cap.27. Quis*, ait, *audivit aliquando fidelium ſtantem Sacerdotem ad Altare, etiam ſuper Sanctum corpus martyris, ad Dei honorem, cultumque constructum, dicere in precibus: offero tibi ſacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos, & homines, & martyres fecit, & Sanctis ſuis Angelis cæleſti honore ſociavit, ut ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus*; & infra; *Nos itaque Martyres noſtros, nec divinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, nec ſacrificia illis offerimus.*

Nec obſtat, quòd Sanctorum nominibus Templa nuncupentur, & Baſilicæ ornentur; quoniam id, teſte Duranto *cit. cap.2.nu.3.* fit; vel, quia Deus illis in locis interceſſione Sanctorum, illuſtria quædam præpotentiæ ſuæ opera præſtitit; vel, quia illi ſuo ſanguine fuſo, loca illa Deo ſacrarunt: vel denique, quia divinæ Sanctorum virtutes itidem ad Dei gloriam, & honorem ſunt celebrandæ. Honoramus enim ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum cit. Durantus.

Opponunt 2. Puri Schiſmatici habent fidem; non enim ſunt hæretici, cùm omnia credant, quæ nos credimus, ut ex Auguſtino diximus *ſupr.n.6.* ergo ſunt in Eccleſia: nam hæc eſt Fidelium collectio; & D.Hieronym. ſuper *pſal.133.* dixit: *ibi Eccleſia, ubi fides*, quoniam ubi fides eſt, ibi eſt forma Eccleſiæ.

14 R.Habent utique fidem, ſed non mutuæ charitatis, & communionis vinculum cum membris, neque obedientiam ad Romanum Pontificem in actionibus ſpiritualibus, quæ ex integro neceſſaria ſunt, ad conſtituendum membrum Eccleſiæ, juxta dicta *nu.2.* ideò ſola fides non ſufficit. Nec de ſchiſmaticis dici poteſt, quòd ſint in Collectione Fidelium, quæ eſt Eccleſia: quippe ab ea collectione ſe ſubtraxerunt. Neque Hieronymus loquitur excluſivè ad unitatem Charitatis, & obedientiæ: propterea eſtò fidem retineant, tamen non habent adęquatam formam conſtitutivam membri; & hìc appoſitè illud valet: *bo-*

num ex integra cauſa: malum verò ex quocunque defectu.

Dices: nulla ferè eſt Eccleſia particularis, etiam Romano Pontifici communicans, quæ ritus, & conſuetudines aliquas diſſimiles non habeat, ab alia Eccleſia particulari inobſervatas; nec inde tamen dici poteſt, inter eas, vinculum Chriſtianæ ſocietatis, & pacis non eſſe, & non eſſe membra Eccleſiæ. Ergo illa mutua communio neceſſaria non eſt.

15 R. Eſt quidem certum non fieri ſtatim ſchiſma, eſtò in nonnullis ritibus ſit inter Eccleſias particulares aliqua diſſimilitudo, & diverſitas. Ita ex quo in quibuſdam quędam Feſta celebrari ſolita, in aliis non celebrentur, non ſequitur, inter eas eſſe vinculum ſociętatis abruptum, modò, tum in ritibus ab Eccleſia Univerſali receptis, tum in uſu Sacramentorum, tum profeſſione doctrinæ fidei, & morum, ac in obedientia Romano Pontifici communicent, & concordent; tunc enim tanquam membra eidem capiti connectuntur, à quo Eccleſiæ unitas attenditur. Ideò volens Chriſtus unitatem in Eccleſia ſervari, unum caput conſtituit, cui cæteri ſubjecti eſſent: *ut capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio*, ut loquitur Hieronym. *lib.*1. *adverſ.Jovinian.* à quo ſchiſmatici ſunt diviſi; ideò extra corpus exiſtunt, quod ſuo capiti unitum eſt.

Hoc unum; in materia rituum, & Cæremoniarum particularium, quæ in nonnullis Eccleſiis ſervantur, obſervandum eſt, quòd non ſervantur, contradicente Pontifice, ſed ipſo ſciente, & permittente.

Item, quòd in hac materia nullus debet ſibi judicium ſumere, condemnandi Eccleſiarum particularium conſuetudines, tanquam impias, & obſervationes, tanquam ſuperſtitioſas. Plures enim, corruptis affectibus præoccupati, vel, quæ non intelligunt, audacter blaſphemant, vel illius, quam oderunt, Eccleſiæ ritus, etiam religioſos, ſublatos eſſe volunt, prout Proteſtantes ſolent illos Romanæ Eccleſiæ injuriis, & maledictis mordere.

Opponunt 3. Non ſtatim ſeparatus eſt ab Eccleſia Chriſti, qui à Romano Pontifice communione ſegregatur. Ergo eſtò Schiſmatici ſeparati ſint à Romano Pontifice, non inde dicendi ſunt extra Eccleſiam Chriſti. Probatur antecedens. Qui ſeparatus eſt ab Epiſcopo Alexandrino, vel Anthiocheno, non eſt neceſſariò ſeparatus ab Eccleſia Chriſti, & unitate Eccleſię Catholicæ. Ergo, &c. conſequentia à pari videtur innegabilis.

16 R. Non eſt paritas à ſeparatione à Romano Pontifice, ad ſeparationem ab aliis Epiſcopis particularibus; quoniam Papa eſt caput viſibile Eccleſiæ Univerſalis: Petro enim, & in Petro Romanis Pontificibus dictum eſt: *paſce oves meas, Joan. ult.* & in Cathedra Petri Chriſtus collocavit centrum, & apicem unitatis Eccleſię, dicente Cypriano *epiſt.*55. *navigare audent ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem: unde unitas Sacerdotalis exorta eſt;* quod de aliis Epiſcopis nec legitur pronũtiatum, nec ſine hęreſi dici poteſt. Quare, ſicut diviſus à vite palmes fructum non affert, & areſcunt rivi, qui fonti ſunt non conjuncti, & in corpore membra illa non exiſtunt, quæ capiti non cohærent: ita in corpore Eccleſiæ minimè extant, qui à Romano Pontifice recedunt, ad quem omnes particulares Eccleſiæ Paſtores, & Fideles per Orbem, ut ad caput ſuum, & unitatis Eccleſiæ centrum referuntur; quemadmodum omnes lineæ punctum centri reſpiciunt.

17 Verùm obſervandum eſt, quòd ſeparatus à proprio Epiſcopo, & privata ſua Eccleſia, tunc ſchiſmaticus eſt, ſi cauſa diſceſſionis ab Epiſcopo ſit omninò cum illa à Papa ita conjuncta, ut qui ab Epiſcopo diſſentit, diſſentire omninò debeat à Pontifice: Nec tunc ex privata diſceſſione ab Epiſcopo, poteſt ſe à ſchiſmate liberare; non quòd diſceſſio ſit à privato Epiſcopo, ſed quòd ad Papam per Epiſ-

copum

copum pariter ſe extendat; & conſequenter diſſidentem à corpore Catholico avellat. Ita Macedo cit. *ver. ſecundum, an qui*. Exemplum eſſe poteſt in Donatiſtis, qui primùm ſe à communione Cæciliani, & eorum, quibus ipſe adhærebat, ſubduxerunt; adeòque à Romano Pontifice, cum quo Cæcilianus communicabat. Legendus Auguſtinus *de hæreſ. hæreſ. 69.* & Spondanus *ad an. 306.*

Dicunt Novatores. Eſtò Schiſmatici nolint communicare cum Romano Pontifice, adhuc affirmant, Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ, cui ſubeſſe non detrectant. Ergo non tollunt Eccleſiæ unitatem, neque ſunt extra Eccleſiam.

Confirmant. Eccleſia non eſt corpus Romani Pontificis, ſed Chriſti: ſi non ejus corpus, nec ipſe ejus caput. Sicut enim corpus naturale hominis, eſtò multa habeat membra, non tamen multa capita; ſic Eccleſia quamvis multis conſtet Fidelibus, non tamen plura habet capita. Ergo, ſi Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, illius non eſt Papa; & ita; qui non recedit à Chriſto, eſtò à Papa ſe ſeparet, non ſe à capite Eccleſiæ ſubducit, nec unitatem Eccleſiæ diſrumpit.

18 R. Negando conſequentiam, quoniam ad conſervandam, retinendamque unitatem Eccleſiæ, ſatis non eſt credere Chriſtum eſſe inviſibile caput, principale, & primarium Eccleſiæ, ſed opus item eſt, eſſe ſub obedientia Romani Pontificis: quippe Eccleſia non eſt quodcunque corpus, ſed corpus viſibile ex dictis *contr. 1. cap. 2.* Corporis verò viſibilis, caput viſibile eſt; ut de humano conſtat. Pontifex autem eſt caput viſibile Eccleſiæ, à quo in externa directione, & regimine ipſa viſibiliter gubernatur, quod alibi expreſsè reſolutum dabitur; Ideòque fit, ut à viſibili corpore Eccleſiæ ſit ſeparatus, qui à communione Pontificis ſeceſſit: Siquidem tunc præſcinditur ramus ab arbore, ſurculus à radice, rivus à fonte, radius à ſole; nec fieri poteſt, ut vivat membrum à capite ſeparatum, ut luceat radius à ſole diviſus; ut fluat rivus à fonte ſegregatus; ut creſcat ſurculus à radice extractus; ut frondeat ramus ab arbore avulſus; ut amet unitatem, qui ponit diviſionem.

Nec dicant, ſe non odio habere Chriſtum. Quoniam eſtò nomen Chriſti odio non habeant, Chriſtum tamen offendunt in corpore: offendunt in capite Romano Pontifice. Quinimò licèt ore Chriſtum ſe confiteri proteſtentur, facto tamen, & opere eum negant, cùm ejus Eccleſiam, & Vicarium crudeli odio proſequantur.

Ad confirmationem: Inſtantiam urgere minimè poſſunt puri ſchiſmatici, quia ſtatim ac negant Romanum Pontificem eſſe caput viſibile Eccleſiæ, ſchiſmati addunt hereſim, & per hæreſim, etiam extra Eccleſiam ſe conſtituunt, juxta dicta.

19 Quare inutilis eſt inſtantia: nec quęſtionem de nomine Proteſtantes excitarent, ſi odium adversùs Papam deponerent. Quòd capita ſubordinata non pugnent; nec ipſi poſſunt negare; nam mulier habet duo capita: vir enim eſt caput morale mulieris ad *Epheſ. 5. Vir caput eſt mulieris*, à quo externè gubernatur; & habet etiam naturale caput in ſuo corpore, à quo recipit influxum ſpirituum ſenſitivorum. Ita Eccleſia habet duo capita: Chriſtum pro inviſibili capite, & primario, & quoad internum influxum gratiæ; & Romanum Pontificem pro viſibili capite, & ſecundario, & miniſteriali, qui gerit vices Chriſti, Eccleſiam in externa gubernatione viſibiliter dirigens.

Nec obſtat quòd in corpore naturali duo capita eſſe non poſſint. Nam Eccleſia non eſt corpus naturale; ſed myſticum: Myſtici autem corporis plura capita myſtica, ſed ſubordinata eſſe poſſunt: Ità Religionis S. Franciſci, quæ eſt corpus myſticum, caput ſecundarium eſt Generalis, & ejuſdem Religionis caput viſibile primarium eſt Romanus Pontifex, & omnium caput ſupremum eſt Chriſtus. Quod & in corpore politico conſtat; etenim ca-

put ſecundarium Regni Neapolitani eſt Prorex, & primarium, Rex Carolus III.

20 Nec refragatur, quòd Eccleſia non dicatur corpus Papæ. Nam hoc ſolùm probat Papam eſſe caput ſecundarium, & miniſteriale Eccleſiæ: ab iſto autem non ſumitur denominatio, quæ accipitur à capite abſoluto, & principali; ita non propriè dicitur: Regnum Neapolitanum eſt ſtatus Proregis, benè verò Regis Caroli III. quia iſte eſt caput abſolutum, & primarium Regni; ille verò ſecundarium, & miniſteriale. Hinc cùm Chriſtus ſit propria auctoritate abſolutum, & principale caput Eccleſiæ quam fundavit, & conſervat, optimè dicitur: *Eccleſia eſt corpus Chriſti*: Verùm & dici poteſt: *eſt corpus Romani Pontificis*, nòn tanquam capitis inſtituentis, ſed tanquam Chriſti Vicarii, & capitis miniſterialiter Chriſto inſervientis in externa directione, & regimine Eccleſiæ. Guarnieri *de Eccleſ. lib.2.cap.26.nu.64.* Cæterùm quæſtio de voce non inſtituatur.

Opponunt 4. Doctrina Auguſtini eſt, Schiſmaticos eſſe in Eccleſia Catholica. Ergo negari non poteſt, eſſe membra Eccleſiæ. Probatur antecedens 1. in *pſal.36. ſerm.3.nu.19.* ait: *ſi boni ſumus, in Eccleſia Chriſti frumenta ſumus. Si mali ſumus, in Eccleſia Chriſti palea ſumus. In pſal.106.nu.14.* inquit: *ad populum enim Dei pertinent*. Ergo, &c.

Addo. Excommunicati ex dictis *contr. 1.cap.5.nu.20.* etiam ex ſententia Auguſtini ſunt in Eccleſia. Sed ſchiſmatici ſunt excommunicati. Ergo, hoc non obſtante, ſunt in Eccleſia.

21 R. negatur antecedens. Primum teſtimonium Auguſtini ſchiſmaticos directè ferit. Etenim ibi S.Doctor loquitur adversùs Donatiſtas, qui ab Eccleſię Catholicæ unitate eo pretextu receſſerunt, quòd malos toleraret; quos vel, ut in unitate retineret, vel ad unitatem reduceret, ſic eſt alloquutus: *Suſpicamini* (Donatiſtæ) *quid vultis de nobis Catholicis; Si boni ſumus, in Eccleſia Chriſti frumenta ſumus. Si mali ſumus, in Eccleſia Chriſti palea ſumus; tamen ab Area non recedimus.* Et *n.ſequen. Quare tu* (Donatiſta) *propter malos, ipſam Cathedram* (Petri) *dimiſiſti: redi ad pacem; redi ad concordiam, quæ te non offendit.*

Hinc cùm Auguſtinus ſæpè repetat, malos in Eccleſia eſſe bonis permiſtos, de malis fidelibus intelligit, ab hęreticis, & ſchiſmaticis diſtinctis, nec propter illos, boni, unitatem, à qua ſchiſmatici ſecedunt, relinquere debent; quoniam, ut loquitur *epiſt.28.ad Feliciam n.3. Nobis* (Deus) *imperavit Congregationem; ſibi autem ſervavit ſeparationem: quia ille debet ſeparare, qui neſcit errare.*

22 Secunda ejuſdem auctoritas mutilata datur; nam integer textus eſt: *ad populum Dei pertinent, etſi non per virtutem, certè per ſpeciem pietatis*: quaſi diceret, quia bonitatem ſimulant, & pietatem oſtentant, videntur ad Eccleſiam pertinere, ſed reverà ad eam non ſpectant. Unde *epiſt. cit.n.6.* dixit: *In Catholica Eccleſia, quæ non in ſola Africa, ſicut pars Donati, ſed per omnes gentes, ſicut promiſſa eſt, dilatatur, atque diffunditur in Univerſo Mundo.. Sicut enim dicit Apoſtolus fructificans, & creſcens, & boni ſunt, & mali; ab ea verò ſeparati, quamdiù contra illam ſentiunt, boni eſſe non poſſunt; quia etſi aliquos eorum bonos videtur oſtendere, quaſi laudabilis converſatio, malos eos facit ipſa diviſio.*

Dices. Fideles improbi ſunt ex reſolutis *cap.1.* membra Eccleſiæ, eſtò charitate ſint privati. Ergo, nec negandum eſt de ſchiſmaticis.

23 R. Negando conſequentiam. Diſcrimen eſt; quia Fideles improbi ſanè charitatem internam, qua conſtituuntur Deo uniti, & filii adoptivi ammittunt; at ex hoc præcisè non perdunt vinculum fraternæ ſocietatis cum membris Eccleſiæ ſub Romano Pontifice, quod ammittunt ſchiſmatici.

Propterea notandum eſt, quòd communio Eccleſiaſtica non conſtituitur ſolo fidei, & charitatis internę vinculo; ſed viſibi-

ſibilium particularium Eccleſiarum, & Fidelium conjunctio requirit ſub Romano Pontifice officia fraternitatis, & ſocietatis Eccleſiaſticę inter Fideles hinc inde exerceri ſolita; & quòd in uſu Sacramentorum, profeſſione doctrinæ in materia fidei, & morum, auditione miſſæ, &c. communicent, & concordent. In quibus fideles improbi communicant, boniſque cohærent. Schiſmatici verò diſſentiunt, & participationem reiiciunt. Propterea quãvis illi charitate interna ad Deum ſint deſtituti, retinent tamen effectum externum charitatis, pacem nimirum, & vinculum ſocietatis cum bonis; quem effectum ſchiſmatici oderunt, & odio fraterno pulſantur, dicente Auguſtino *lib.1.de baptiſ.cont. Donatiſt.eodem cap.11. Nulli ſchiſmata facerent, ſi fraterno odio non excæcarentur.* Ideòque ipſi nec internam, neq; externam charitatem habent. Siquidem ex Auguſtino *lib.2.cont.lit.Petil.cap.77. Charitas Chriſtiana, niſi in unitate Eccleſiæ non poteſt cuſtodiri:* atque ita, dum ſchiſmatici unitatem relinquant, ab Eccleſia opere, & facto ſeparantur, licèt aliud verbis oſtendant.

24 Ad additum. Reſoluta *cit.cap.* procedunt de excommunicatis fidelibus, qui membra verè Eccleſiæ ſunt. Siquidem eamdem fidem ſub obedientia Romani Pontificis retinent, & profitentur, ac in Eccleſia ſalvantur, ſi, priuſquàm ob defectum Sacerdotis à quo abſolvantur à cẽſura, ex corde de peccatis doleant, & in gratia decedant. Quòd verò commercio ſpirituali non gaudeant, ſintque privati participatione Sacramentorum, ſuffragiis publicis, & ſocietate cum aliis membris, hoc unicè probat, eos membra non eſſe, quoad motum, & operari externum, ſed manent vera membra, quoad eſſe; ſicut manus ligata, & podagrica eſt verum membrum corporis quoad rem, ſi ſit corpori unita, ut dixit Lambrecht. *Scot. Viennen.tr.proem. diſp.14.7.nu.60.* Quæ tamen verificari minimè poſſunt de Schiſmaticis, in quibus Cenſura Bullæ Cænę, qua ligantur, ſequitur ob inductam ſeparationem à corpore, & capite Eccleſiæ.

Opponunt 5. in parte ſchiſmaticorum, eorum etiam, qui Altare contra Altare erexerunt, per baptiſmum remittuntur peccata. Ergo eſt illic Spiritus-Sanctus, juxta verba Chriſti Matth.18. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Si autem in ea peccata remittuntur, communio, quam Romani appellant Schiſmaticam, eſt Eccleſia Chriſti: non enim præter Eccleſiam remiſſionem peccatorum Spiritus-Sanctus operatur, ex Auguſtino *lib.1.de baptiſ. contr. Donatiſt.cap.11.* Hinc ſi communio ipſorum eſt Eccleſia Chriſti, non eſt Eccleſia Chriſti communio de obedientia Romani Pontificis. Ergo ex quo ſchiſmatici ab Eccleſia, Romano Pontifici communicante, ſe ſubducant, non inde dicendi ſunt, eſſe extra Eccleſiam Chriſti.

25 R. Hoc ipſum à Donatiſtis contendentibus in ſola parte Africæ, quæ adhærebat Donato, eſſe Chriſti Eccleſiam, fuit Auguſtino loco cit. objectum. Quos S.Doctor urget, ut reſpondeant: *quæro, ut dicant, utrum dimittantur peccata, ubi charitas non eſt?....* & ſtatim: *Si ergo dicimus, non ibi dimitti peccata, quomodo renaſcitur, qui apud eos baptizatur? Quid eſt enim renaſci per baptiſmum, niſi à vetuſtate renovari; quomodò autem renovatur à vetuſtate, cui peccata præterita non dimittuntur?* Quòd apud Schiſmaticos charitas non ſit, ibi oſtendit: *An non eſt in ſchiſmate odium fraternum? quis hoc dixerit, cùm & origo, & pertinacia ſchiſmatis neceſſe ſit alia, niſi odium fratris?*

26 Quæſtionem Donatiſtæ ſolvere putarunt, ut ibi Auguſtinus, dicendo: *non eſt in ſchiſmate remiſſio peccatorum, & ideò nec regeneratio novi hominis, & propterea nec baptiſmus Chriſti;* Et inde inferebant, quòd pars Donati non erat ſchiſmatica, in qua per eos peccata per baptiſmum remittebantur.

Verùm hic errorem errore auxerunt, negantes valere baptiſmum extra Eccleſiam ab

ab hæreticis, vel ſchiſmaticis in forma à Chriſto inſtituta collatum; contra quos valere non ſemel Auguſtinus probavit, & expreſsè ibi *lib.5.cap.7. Nos autem baptiſmum, eos* (hæreticos, & ſchiſmaticos) *non juſtè, & legitimè poſſidere concedimus; non poſſidere autem non poſſumus dicere... baptiſmum ergo legitimum habent, ſed non legitimè habent; Quiſquis enim eum, & in unitate Catholica, & eo dignè vivens habet, & legitimum, & legitimè habet; quiſquis autem, vel in ipſa catholica, ſicut palea commixta frumento, vel extra* (inter hæreticos vel ſchiſmaticos) *ſicut palea vento ſublata, habet hunc baptiſmum, quidem legitimum habet, ſed non legitimè*. Propterea cùm ad catholicam unitatem redit non rebaptizatur, ut ibi *cap.8.* commemorat; *& ideò, cùm vel ad unitatem catholicam, vel ad vitam tanto Sacramento dignam convertitur, non aliud baptiſma incipit habere legitimum, ſed illud ipſum incipit habere legitimè: nec remiſſionem irrevocabilium peccatorum conſequitur baptiſma, niſi non ſolùm legitimum, ſed etiam legitimè habeatur*. Validus itaque eſt baptiſmus apud Schiſmaticos in forma Eccleſiæ receptus; *qui tunc prodeſt ad remiſſionem peccatorum, cùm quis reconciliatus unitati, ſacrilegio diſſenſionis exuitur, quo ejus peccata tenebantur, & dimitti non ſinebantur*, ut ibi cit. lib.1.cap.12. S.Doctor.

27 Id etiam ad infirmandum objectum conſiderandum occurrit, quòd qui à ſchiſmaticis baptiſmate tinguntur, vel ſunt pueri, vel adulti, laborantes invincibili ignorantia de ſeceſſione à catholica unitate; vel adulti, ſchiſmati reluctantes in caſu neceſſitatis baptizati, vel, adulti ſchiſmaticis voluntariè adhærentes. Quantum ad pueros relegantur, quæ diximus *contr. 1.cap.5.nu.9.* quæ de primi, & ſecundi generis adultis etiam verificantur; de quibus Auguſtinus ibi *lib.6.cap.5.* ait: *poteſt tamen tradere ſeparatus, ſicut poteſt habere ſeparatus; Sed quàm perniciosè habere, tam perniciosè tradere: ille autem, cui tradit, poteſt ſalubriter accipere, ſi ipſe non ſeparatus accipiat: Sicut pleriſque accidit, ut Catholico animo, & corde ab unitate pacis non alienato, aliqua neceſſitate mortis urgentis in aliquem hæreticum irruerint, & ab eo Chriſti baptiſmum, ſine illius perverſitate perciperent, & ſive defuncti, ſive liberati, nequaquam apud eos remanerent, ad quos nunquam corde tranſierant*. Iſti, ſuppoſita in eis diſpoſitione ad baptiſmum (quæ in adultis eſt tum conſenſus ipſum ſuſcipiendi, tum fides de præcipuis fidei noſtræ myſteriis, tum dolor de peccatis, non originali, ſed actualibus ut tradit Abellus *Sum.p.2.tr.1.cap.2.ſect.5. nu.3.*) fructuosè baptiſmum recipiunt, hoc eſt, non tam ipſius baptiſmi characterem, ſed etiam gratiam. Siquidem ad fructuosè ipſum recipiendum in adultis neceſſaria eſt fides, & dolor allegatus; ad validitatem verò ipſius, ſatis eſt ſeria voluntas ipſum ſuſcipiendi, ex Auguſtino *lib.2.contr. lit.Petiliani cap.35.& cap. majores diſt.54.*

28 Nec inde dicatur extra Eccleſiam dimitti peccata; quoniam, ut *loc.cit.* ex Auguſtino notavimus, per baptiſmum filii ab Eccleſia ipſa Catholica ſibi, & ſuo ſponſo generantur: eſt enim janua in Eccleſiam Chriſti, ex Tridentino *ſeſſ.14.c.2. de pænit.* Quæ ſchiſmaticorum, vel hæreticorum miniſterio utitur, ut loquitur Auguſtinus *cit.lib.1.de baptiſ.cap.16. cùm tales à ſpiritalibus evangelizantur, & Sacramentis imbuuntur, tanquam per ſe ipſam Rebecca* (Eccleſia) *eos parit, ſicut Eſau. Cùm autem per illos, qui non caſtè annuntiant Evangelium, tales in Dei populo generantur: Sara quidem* (Eccleſia) *ſed per Agar*. Et *l.2.contr. Creſcon.cap.21. Baptizant ergo*, ait, *quantum attinet ad viſibile miniſterium, & boni, & mali: inviſibiliter autem, per eos ille baptizat, cujus eſt, & viſibile baptiſma, & inviſibilis gratia*.

29 Neque repetant nos eorum baptiſmum acceptare; quia ut ait Auguſtinus *d.lib.1.cap.14. non baptiſmum veſtrum acceptamus: quia non eſt baptiſmus ille ſchiſmaticorum, vel hæreticorum, ſed Dei, & Eccleſiæ, ubicunque fuerit inventus, & quocunque*

que

que translatus. Et *cap.*12. *Qui extra Eccleſiæ communionem* (baptizantur) *in baptiſmate Eccleſiæ baptizantur; quòd ubicunque Sanctum, eſt per ſe ipſum, & ideò non eſt eorum, qui ſe ſeparant, ſed ejus, unde ſe ſeparant*.

30 Quantùm ad adultos tertii generis, eos nimirum, qui ſcienter ſchiſmati communicant, iſti ſi ſeriò baptiſmum velint, validè à ſchiſmaticis baptizantur, characterem recipientes ſine fructu gratiæ ſanctificantis, quia cum fictione, ſeù indiſpoſiti, corde in malitia, & ſacrilegio perſeverantes ad baptiſmum acceſſerunt; qui eis tunc prodeſt, cùm ad unitatem Eccleſiæ veniunt, dicente Auguſtino *d.cap.*12. (adducto exemplo de fictè baptizato inter Catholicos) *qui baptiſma Chriſti, quod non amiſerunt, qui ſe ſeparaverunt, inimicus charitatis, & pacis Chriſti in aliqua hæreſi, aut ſchiſmate accepit; quo ſacrilego ſcelere peccata ejus non dimittebantur, cùm ſe correxerit, & ad Eccleſiæ ſocietatem, unitatemque venerit, non iterum baptizandus eſt; quia ipſa ei reconciliatione, ac pace præſtatur, ut ad remiſſionem peccatorum ejus in unitate jam prodeſſe incipiat Sacramentum, quod acceptum in ſchiſmate prodeſſe non poterat*. Tunc enim quoad effectum gratiæ reviviſcit; & hinc patet, in Eccleſia, & non extra, peccata per ipſum dimitti.

31 Quæritur I. An vacante Eccleſia Catholica, per mortem Pontificis, diſceſſio ab ea ſit ſchiſma?

R. Affirmativè; quia diſceſſio eſt à vera Eccleſia Chriſti. Non enim per illius obitum talis eſſe deſinit, & qui ab ea diſcedit, ſeparatur à Chriſto Domino, cui ipſa, ut capiti vivo, & æterno intimè per fidem, & charitatem unitur. Macedo *cit. verſ.Tertium*, allegans Valentiam, & Palao.

32 Quæritur II. An Romanus Pontifex poſſit eſſe ſchiſmaticus?

R. Negativè. Sicut ipſe, ex prærogativa Romani Pontificis, habet ut hæreticus eſſe non poſſit, ut ſuo loco dicam, ita, ex titulo capitis viſibilis Eccleſiæ obtinet, ut à ſuo corpore ſeparari minimè valeat, nec odio feratur in totum corpus Eccleſiæ: de natura enim capitis eſt, ut membris communicet, & in ipſa influat. Neque Deus id unquam permittet, qui voluit unitatem Eccleſiæ, à capite viſibili attendendam eſſe. Idem Macedo *verſ.Quartum*.

An verò Cathecumeni ſint membra Eccleſiæ?

Vide allegat. *Cap.6:contr.1.num.26.*

33 Proteſtantes, ut ſimplices magis implanent, duo infarciunt. Primò, ut hinc oſtendant, poſſe in ſua diviſione ab Eccleſia ſalvari, recurrunt ad ſchiſma Antiochenum, inter Meletium, & Paulinum, in quo ipſi fuerunt; qui tamen, & ex adhærentibus illis, plures ſalvati ſunt. De quo Schiſmate Petavius *rational. temp.p.* „ *1.lib.6.cap.5.* hæc habet: Anthiochia in „ tres factiones erat ſciſſa; nam alii Eu- „ ſtathiani erant, à Magno illo Euſtachio „ dicti, qui Anthiochia ab Arianis eje- „ ctus eſt; Alii Meletiani, à Meletio, „ quem Arianorum conſortio pollutum „ quàmlibet Catholicum averſabantur „ iſti. Alii denique Ariani, quibus præ- „ erat Euzojus. Eò itaque cùm veniſſet „ Lucifer Calaritanus, Paulinum Euſta- „ thii Presbyterum, in parte catholica fe- „ cit Epiſcopum. Ita tres in ea Urbe fue- „ runt Epiſcopi. Spondanus verò ad *an-* „ *num 362.nu.40.* hæc alia narrat: Itaque Lucifer Anthiochiam pergit, ubi, diffidentibus adhuc partibus orthodoxorum Euſtathianorum, & Meletianorum, ſed in unum revocari poſſe ſperantibus, ſi utriſq; gratus eligeretur Antiſtes, Paulinum creavit Epiſcopum, ſanctum quidem, & dignũ eo munere virum, ſed tamen in quem acquieſcere plebs utraque non poſſet. Hicque tunc fuit ſtatus Eccleſiæ Anthiochenę, ut in ea tres eſſent Epiſcopi, nempe Euzojus, qui Arianis præerat; Meletius, qui orthodoxis, ſed quo cum haud omnes communicarent, quòd ipſe aliquando Arianis conſenſiſſet; ac demum Paulinus, cui parebant orthodoxi Euſtathiani, perpetui veritatis defenſores.

Verùm, quod attinet ad Arianos illius ſchiſmatis, iſti planè ſalutem non eſſent aſſecuti, niſi priùs, ejurato errore, quem contra fidem tenebant, negantibus *filium eſſe Patri conſubſtantialem*. Propter quod eos, & ipſi Proteſtantes hæreticos accenſent.

Quantum verò ad Meletium, & Paulinum, ipſorumque conſortes, omnes erant catholici; propterea ipſorum Schiſma, non illius generis fuit, ut per ipſum ponerentur extra Eccleſiam; quoniam nec à corpore Eccleſiæ, neque ab ejus capite Romano Pontifice ſe ſubducebant, controverſia inter eos ſolùm Epiſcopi electionem reſpiciente. Et ideò, qui in eo ſic clauſerant diem ſuum, non extra Eccleſiam Catholicam ſalutem obtinuerunt.

Quod totum obſervarunt Valemburcii „ *cit.lib.1.de unit.Eccleſ.cap.19.num.2.* Fieri „ poteſt, ajunt, ut in electione Epiſco„ pi, quæ, & quatenus à jure poſitivo Ec„ cleſiaſtico dependet, diverſę exoriantur „ controverſiæ, ſuper validitate electio„ nis, quæ etiam viros doctos, & mode„ ratos teneant ſuſpenſos, potentibus in„ ſuper hanc, aut illam partem defenden„ tibus. Quamvis autem hujuſmodi con„ tentiones ſoleant vocari ſchiſmata, non „ tamen ſemper ad ea pertinent; de quo„ rum explicandis malis hìc agitur. Inter „ Meletium, & Paulinum fuit de Epiſco„ patu Anthiocheno non modica conten„ tio. Illius patrocinium ſuſcipiebat O„ riens: hunc protegebat Occidens. In „ Eccleſia Anthiochena alii ſequebantur „ Meletium, alii Paulinum. Orientis,& „ Occidentis in communione perſtabant, „ atque unitatem Corporis Chriſti con„ ſervabant. Neque Meletius,neque Pau„ linus ab unitate corporis Eccleſiaſtici „ recedebant, quamvis uterque conten„ tione illaudabili, populum Anthioche„ num in partes divelleret. Populo qui„ dem hìc nihil imputari poterat, cujus „ non erat judicare de contentione Epiſ„ coporum, quamdiù uterque Orienti, „ & Occidenti communicabat. Fortè nec „ Paulino, nec Meletio gravis tribuenda „ eſt culpa, poſtquam tot, tantoſque in „ unitate permanentes invenerunt, quo„ rum ſequerentur judicia. Hæc illi.

Sed quàm falsò ex hoc ſchiſmate ad proprium Proteſtantes deſcendant, non eſt, qui judex non ſit. Nam par ratio non eſt, cùm à corpore, & capite Eccleſiæ, fide etiam offenſa, ſe ipſos fecerint alienos. Eum autem, qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianam ſalutem habere non poſſe dixit Auguſt. *de unit. Eccleſ.cap.2.* membris verò Chriſti haud ipſi accenſentur, quoniã ab unitate receſſerunt, ſine qua ipſa non conſiſtunt, ut ibi per hæc Auguſt. *membra verò Chriſti per unitatis charitatem ſibi copulantur, & per eamdem capiti ſuo cohærent, quod eſt Chriſtus Jeſus.*

34 Secundò (quod & exſcribere nos pudet) cauſam, ſuique ſchiſmatis, & ſeceſſionis culpam reportant in Leonem X. qui in Lutherum anathema dixit. Quinimò nobis Catholicis ſeparationem, & ſchiſma tribuere non verentur, quaſi illud à Leone fuerit inchoatum, abſtrahendo ſe, ſuoſque à communione cum Proteſtantibus, & Reformatis, ut ex Calvino doloſiſſimè repetit Hulſemannus apud allegat. Valemburcios *lib.3.cap.5.& 6.* Ubi per calumniam, eos ſimilia recenſere aptiſſimè probant, nec aliud agere, quàm quod olim fecerunt Donatiſtæ, qui à ſententia Melchiadis Romani Pontificis, in cauſa Cæciliani, adversùs Donatum pronuntiata, ad Imperatorem appellarunt. Et ultrà proceſſit temeritas, ut judici crimina objecerint, prout ſcribit Auguſt. *epiſt.103. ad Vincentium Rogatiſtam cap.4.n.13. epiſt.105. ad Donatiſt.cap.2.n.8.lib. de unic. baptiſ.contr. Petilian.cap.16.* & ſæpiſſimè alibi. Hæc ipſa fuit praxis Lutheri, qui ad Concilium Generale, contra ſententiam Leonis appellavit, ut ex ejuſdem Leonis Conſt. *Exurge la 40.§.7.Bullar.to.1.* Adversùs quem, ac ſibi cohęrentes appoſitè uſurpatur illud Auguſt. *d.cap.2. epiſt.105.* in Donatiſtas

aliàs

aliàs productum: *quomodo*, ait, *poteſt malus litigator laudare judices, quibus judicantibus victus eſt?* ac aliud ipſius in *pſal.* 139.*n.* 13.*Laborant homines loqui mendacium, nam veritatem tota facilitate loquerentur*.

Juſtiſſimè namque in Sedis Apoſtolicæ refractarium, hoſtemque Catholicæ Eccleſiæ Leo ſententiam pronuntiavit: res ita eſt certa, ut nullum prudentibus ſuperſit dubium. Verùm vix ſingula paternæ charitatis officia recenſeri poſſunt, quæ præceſſerunt, quæque Romanus Pontifex egerat, eum ad pacem, & unitatem Eccleſiæ iteratò, & inſtanter invitans, ut expreſsè in *d.Conſt.* At ſemper obaudiens, pertinax, & in malum obfirmatus, nec ad cor rediit, neque Patris monita, neque Paſtoris vocem adimplevit, ſed extra Ovile aberrans diviſionem inſtituit, ſuſtinuitque, Altare abominationis erigens, contra Altare à Chriſto fundatum; quem proinde Pontifex, ut hæreticum damnavit, ſinguliſque Chriſti fidelibus toto Orbe diffuſis, & Romanæ Cathedræ communicantibus vitandum propoſuit, vitarique mandavit. Propter quod ſponte ipſe cum coeuntibus ſibi, priore unitate Eccleſiæ relicta, ut aliàs Donatiſtæ, remanſit membrum à corpore, & capite avulſum, palmes à vite præciſus, & rivulus à fonte ſubductus.

Dices. Schiſmatici, Hæretici, Judæi, & Pagani ſunt membra Chriſti; nam eorum etiam, Chriſtus eſt caput; in eos enim influit auxilia ſupernaturalia, quibus poſſunt vitam æternam acquirere, ſi velint; influere autem eſt proprium capitis. Ergo ſunt pariter membra Eccleſiæ, cujus Chriſtus eſt caput ad Coloſſ.1. *ipſe eſt caput Corporis Eccleſiæ*.

35 Reſp.Negari minimè poteſt eos influxum auxiliorum, quibus diſponantur ad fidem, & Charitatem ſupernaturalem accipere ex meritis Chriſti, juxta decretum Alex.VIII. quo hanc propoſitionem in ordine quintam, proſcripſit: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum*, &c. Ideò, etſi ex illo influxu Chriſtus ſit illorum caput, & ipſi aliqua ratione membra illius, non ſunt tamen membra Eccleſiæ: cùm plus ad hoc requiratur, fides nimirum interna cum externa communicatione. Unde Chriſtus in eos influit auxilia ſupernaturalia, ut fiant membra Eccleſiæ; ita calor naturalis influit in cibum, ad hoc, ut convertatur in ſubſtantiam aliti.

36 Etiam Angeli ſunt membra Chriſti; nam ad *Epheſ.*1. *Ipſum dedit* (Deus) *caput ſuper omnem Eccleſiam*: nempe, *viſibilem*, & *militantem*, quæ eſt hominum viatorum; ac *triumphantem*, quæ ſimul Angelos comprehendit: & tamen Angeli membra non ſunt hujus Eccleſiæ viſibilis. Ex hoc diſcurras ad inſtantiam.

CONTROVERSIA III.

De Judice Controverſiarum.

EXamen inſtituitur, non de Judice in rebus politicis, quoniam hujuſmodi juri civili reſervatur, ſed de Judice Controverſiarum, quæ ſolent circa fidem, & Religionem excitari. Proteſtantes quoque agnoſcunt neceſſitatem, ut in Eccleſia unus ſit, qui, exortis dubiis in materia fidei, ſua deciſione finem imponat, cui refragari non liceat, aliàs perpetuò lites durarent, & in Republica Eccleſiaſtica de pace actum eſſet; quæ & in Regnis, Rebuspublicisſque politicis, inter ſubditos cuſtoditur, quòd ultimo, & ſupremo Tribunali non careant, cujus judicio partes acquieſcere teneantur. Verùm ſibi non cohærent, à veritate penitùs alieni, in determinando Criterio, in quo ſint controverſiæ decidendæ, ut notum ſequentibus erit.

CAPUT I.

An præter Verbum Dei ſcriptum admittendæ ſint Traditiones Apoſtolico-divinæ, ſeu Verbum Dei traditum, ut altera fidei regula, vel norma?

SUMMARIUM.

1 *Hæretici hoſtes divinarum Traditionum.*
2 *Traditio ſumitur pro actione tradentis, & pro re tradita.*
3 *Traditiones aliæ ſunt Dominicæ, & Divinæ.*
4 *Aliæ puræ Apoſtolicæ.*
5 *Aliæ Eccleſiaſticæ.*
6 *Auctores agentes de Traditionibus.*
7 *Tenendæ ſunt Traditiones Dominicæ, ut alia fidei regula.*
8 *Probatur exemplis.*
9 *Parvulos eſſe baptizandos conſtat Traditione.*
10 *Ex qua habetur, quòd forma baptiſmi ſit:* Ego te baptizo, &c.
11 *Eccleſia aliquando fuit ſine Verbo Dei ſcripto.*
12 *D. Paulus Traditiones commendat.*
13 *Probatur ex Auguſtino.*
14 *Probatur ex Baſilio.*
15 *Probatur ex Conciliis.*
16 *Probatur ex Scripturis.*
17 *Teſtimonium Apoſtoli allegatur.*
18 *Sedes Apoſtolica omne dubium tollit.*
19 *Romani Pontifices ſunt Traditionum Dominicarum Cuſtodes.*
20 *Senſus textus ex Deuteronomio:* non addetis, &c.
21 *Teſtamentum aliud ſcriptum, aliud nuncupativum.*
22 *Verba Matthæi:* Hic eſt Sanguis meus, &c. *Traditionibus non nocent.*
23 *Idem dicitur de illis Pauli* ad Galat. 1. licèt nos, aut Angelus, &c.
24 *Traditiones Phariſæorum reprobatæ.*
25 *Sine Traditione non habetur ſufficiens notitia credendorum.*
26 *Scriptura dogmata omnia fidei continet, vel explicitè, vel implicitè.*
27 *Scriptura nobis commendat Traditiones, & jubet, ut audiamus Eccleſiam.*
28 *Scriptura non eſt diminuta.*
29 *Cur Scriptura ſit obſcura?*
30 *Textus Joannis:* Scrutamini Scripturas, *Traditionibus favet.*
31 *Scriptura eſt in ſuo genere ſufficiens, ut homo perfectus ſit.*
32 *Neceſſaria ad ſalutem, adæquatè continentur in Verbo Dei ſcripto, & tradito.*
33 *Ex particulari affirmativa, non ſequitur negativa Univerſalis.*

34 *Ex aſſiſtentia Spiritus Sancti in Eccleſia integrum Verbum Dei ſcriptum, & traditum.*
35 *Dominicæ Traditiones ſunt iuris poſitivi divini.*
36 *Eccleſia in jure divino diſpenſare non poteſt.*
37 *Ex D. Hieronymo nihil adversùs Traditiones producitur.*
38 *Sæpè Sacra Scriptura accipitur pro Verbo, etiam tradito.*
39 *Variæ Traditionum diviſiones, ad 41.*

1 PRoteſtantes docent, omnia ad ſalutem neceſſaria clarè, & perſpicuè doceri in Sacra Scriptura: ac eum articulum neceſſarium non eſſe, ſi eo modo in ſcriptura non reperiatur; & inde ſolam Scripturam ſtatuunt regulam credendorum, reiicientes hinc, tum Traditiones divinas, tum Romani Pontificis auctoritatem. Propter quod tot hæreſes adversùs fidem catholicam ſunt excitatæ.

Ad quos revincendos pręſens caput diſcutitur, ut videatur, an præter Verbum Dei ſcriptum, ſeù libris canonicis cõſignatum, admittendum ſit, tanquam altera fidei regula, Verbum Dei non ſcriptum, ſeù traditum, vel Traditiones Dominicæ, & Divinæ, reſervando ad *cap.*4. examen circa definitiones Romani Pontificis, qui viva, & ultimata regula eſt, proponendi infallibiliter res fidei, & morum.

De Divinis dumtaxat Traditionibus agendum eſt, quia de iſtis eſt difficultas. Nam & Proteſtantes admittunt Conſtitutiones, & Ordinationes Paſtorum ſuorum, diſciplinis Eccleſiaſticis comprehenſas, quæ alio nomine vocantur Traditiones Eccleſiaſticæ. Admittunt etiam plures Traditiones Apoſtolicas, ut parvulos eſſe baptizandos: baptizatos ab hæreticis rebaptizandos non eſſe; quod ex Traditione Apoſtolica haberi, docet Auguſtinus infra citandus.

2 Traditio immediatè ſignificat actionem tradentis, vel atteſtantis: cujus actionis terminus eſt illud ipſum, de quo fit atteſtatio, ſive quod traditur, qualis eſt doctrina, quæ per atteſtationem, ſeù Traditionem innoteſcit. Quæ atteſtatio poteſt fieri; tam de doctrina, quæ ſcripto traditur, quàm de ea, quę ſolo verbo, vel ſermone commendatur. Verùm in præſenti loquimur ſolùm de Traditione, ſeù doctrina non ſcripta, quæ à primo Auctore in litteris non eſt relata, licèt eadem poſteà ab aliis ſcripta ſit.

Aliter dividuntur Traditiones, prout ſunt actiones tradentis, & aliter, prout accipiuntur pro re tradita. Prout enim ſunt actiones tradentis, reſpiciunt ſuos Auctores: res verò tradita materiam complectitur, tanquam terminum ejuſdem actionis, ut eſt doctrina fidem, Sacramenta, morum diſciplinam, ritus, & cæremonias ſacras, & religioſas reſpiciens; quę in libris canonicis expreſsè ſcripta non legitur.

3 Ex parte Auctorum Traditio, alia eſt divina, ſeù Dominica, alia purè Apoſtolica, & alia Eccleſiaſtica propriè.

Divina, eſt doctrina fidei, & morum non ſcripta in libris Canonicis, ſed à Chriſto, docente immediatè Apoſtolos, procedens, vel à Spiritu Sancto iiſdem dictata, & ab eis viva voce Eccleſiæ tradita, & in poſteros ad nos uſque tranſmiſſa, quæ ſemper in Eccleſia pro revelata à Deo habita eſt: ut, *quòd Beata Maria Virgo fuerit ſemper Virgo*: quòd *quatuor tantùm ſint Evangelia*: quòd *parvuli ſint baptizandi*: quòd *baptizati ab hæreticis, rebaptizandi non ſint*: quòd *hæc ſcriptura ſit Divina, contineat verbum Dei*. Et ſimilia.

Dicitur non *ſcripta*, non quòd nullibi ſcripta ſit, quia reperitur in nonnullis Conciliis, vel in operibus Sanctorum Patrum, ſed quòd expreſsè non contineatur in libris canonicis, ſeù ſacris Bibliis, à Canonicis Auctoribus conſcriptis.

4 Apoſtolica propriè, eſt doctrina circa ritus, quæ ab Apoſtolis, ex inſtinctu Spiritus Sancti, primò viva voce profecta eſt,

eſt, & ab ipſis ad nos uſque per majores intermedios, quaſi de manu ad manum transfuſa; nec in eorum libris, & epiſtolis ſcripta continetur, ut eſt *jejunium Quadrageſimæ: quatuor temporum inſtitutio: obſervatio diei Dominicæ loco Sabbati*, variæq; aliæ ad diſciplinam, conſuetudines, & ritus per ipſos inſtitutos, ſpectantes.

Dicitur *propriè*, quia Divina Traditio quandoque dicitur Apoſtolica, ſeù Apoſtolico-Divina, non quòd Apoſtolos habeat Auctores, ſed quòd per Apoſtolos, ut Chriſti Præcones, ſeu Nomine Chriſti loquentes, viva voce fuit Eccleſiæ tradita; quæ tamen eſt propriè divina, & Dominica, quia à Chriſto, vel Spiritu Sancto immediatè dictata.

Quare traditio purè Apoſtolica dicitur, non tanquam à Deo inſtituta immediatè, ſed quia ab Apoſtolis, ex Auctoritate propria Paſtorali, ad regimen Eccleſiæ proprio nomine loquentibus, aſſiſtente tamen Spiritu Sancto, deſcendit.

5 Eccleſiaſtica in ſenſu proprio illa eſt, quæ nec à Chriſto, neque ab Apoſtolis, ſed poſt Chriſti in Cęlos aſcenſum, & Apoſtolorum, ex hac vita diſceſſum, eſt ab Eccleſiæ auctoritate, aut praxi, vel Prælatis inchoata, ut *conſecratio Altarium, Templorum, &c. aſſervatio Euchariſtiæ pro infirmis: aliquorum jejuniorum, & Feſtorum obſervantia, abſtinentia à carnibus, ovis, & lacticiniis certis diebus: Beneficiorum inſtitutio; & aliæ conſuetudines*, Eccleſiæ, quæ vim legis obtinuerunt.

Dicitur *in ſenſu proprio*, quia, cùm Eccleſia tradat, aſſeveret, & proponat, ſe ab Apoſtolis accepiſſe, tum Verbum Dei ſcriptum, tum non ſcriptum, & traditum, tum utriuſque verum ſenſum, hæc traditio, teſtificatio, & propoſitio dicitur Eccleſiaſtica reſpectu Eccleſiæ, à qua provenit, ſed res ipſa propoſita eſt traditio Divina, vel Apoſtolica: non enim per eam aliquid tradit, anteà non traditum, ſed quod ab aliis accepit.

6 De Traditionibus abundè ſcripſerunt Valemburcii *to.1. contr. tr.6.* Annatus *apparat. ad Theol. poſit. lib.3. art.1.2. & 3.* Bail. *to.1 apparat ad Sum. Concil. de tripl. verb. Dei tit. An præter tot libros canonicos, &c.* Seſſa *Scrutin. Doct. cap.2. art.10.* Poncius *curſ. Theol. diſp.28. quæſt.1. conc.7.* Laurea *de fide diſp.4. pluribus articulis, & ſſ.* quibus præmiſſis.

7 Dicendum: *Præter Verbum Dei ſcriptum datur, & admittendum eſt, & non ſcriptum, ſed traditum, ſeù Traditiones Apoſtolico-Divinæ, altera fidei regula.* Contra Proteſtantes, Catholici omnes.

8 Probatur. Multa ſunt in Eccleſia credenda, & tenenda, & reverà tenentur, ac fide divina creduntur, quæ non expreſsè in Sacra Scriptura continentur: ſed ea Eccleſiæ conſtant per Verbum Dei non ſcriptum, ſeù doctrinam à Chriſto Domino oretenus, vel à Spiritu Sancto Apoſtolis dictatam, & litteris ab ipſis non conſignatam. Et in Eccleſia Dei creduntur inter alia, iſta.

1 Quòd *B. Maria Deipara fuerit ſemper, etiam poſt partum Virgo.*

2 Quòd *parvuli ſint baptizandi, etiam ante uſum rationis.*

3 Quòd *baptizati ab hæreticis in forma Eccleſiæ, non ſint rebaptizandi.*

4 Quòd *ad valorem baptiſmi hæc ſit adhibenda forma, ore prolata:* Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

5 Quòd *Paſchatis feſtum ſit die Dominico, poſt 14. Martii lunam, celebrandum.*

6 Quòd *ipſa Scriptura Sacra ſit à Deo revelata, & in ea contineatur Verbum Dei.*

7 Quòd *verum illius, & legitimum ſenſum habeamus.*

8 Quòd *quatuor Evangelia: Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis ſint Scriptura verè Divina; non verò quatuor alia nomine Sanctorum Petri, Andreæ, Bartholomæi, & Thomæ edita.*

9 Quòd *è quatuor libris Eſdræ, duo ſint verè Divini: alii verò duo Apochryphi.*

10 Quòd *è quatuor Machabæorum libris, duo ſint verè Canonici, & divini; alii*

verò duo apochryphi.

11 Quòd *Pauli epiſtolæ ad Timotheum v.g. ad Titum, ad Philemonem ſint verè Paulinæ, & Canonicæ: non verò ejuſdem ad Senecam aliæ.*

12 *Quòd Sancti ſint invocandi.*

13 Quòd *imagines licitè adorantur;* De quibus pluribuſque aliis nulla expreſsè in ſcripturis mentio fit, ſed ea omnia nobis credenda proponuntur, per doctrinam à Deo Apoſtolis traditam, ab ipſis in litteris canonicis non ſcriptam; in qua noſtra talium dogmatum fides fundatur. Quod eſt, ipſam eſſe aliam noſtræ fidei, & morum, cum verbo Dei ſcripto, regulam.

Confirmatur. Fide Divina credimus, in una ſingulariſſima eſſentia Divina, eſſe tres perſonas inter ſe realiter diſtinctas, & tamen nomen perſonæ in ſcripturis canonicis expreſſum non reperitur. Item credimus, Filium eſſe Patri conſubſtantialem, prout definitum eſt in Concilio Nicæno *primo*, nec tamen vox conſubſtantialis in Scripturis expreſsè ponitur. Item credimus, panem, & vinum ex vi verborum conſecrationis, tranſubſtantiari in Corpus, & Sanguinem Chriſti, juxta definita in Tridentino *ſeſſ.13.cap.4.de Euchariſtia*, & tamen vocula hæc *tranſubſtantiatio* in Scriptura expreſsè non habetur. Item credimus, Spiritum Sanctum procedere, etiam à Filio: quod tamen in Scriptura adeò explicitè non continetur. Item, credimus *Eccleſiam Sanctam Catholicam, & Sanctorum communionem*, & tamen, licèt ſymbolum quoad ſubſtantiam, & ſenſum contineatur in ſcriptura, in ea expreſsè non legitur hoc, *Catholica*, & *Sanctorum communio*. Ergo præter Verbum Dei ſcriptum, admittendum eſt Verbum Dei traditum, quo hujuſmodi, & ſimiles fidei veritates nobis proponantur: neque enim quidquam fide divina credi poteſt, quod à Deo non ſit revelatum.

Dices. Ex ſola Scriptura poteſt probari parvulos eſſe baptizandos, ex illo Joan.3. *niſi quis renatus*, &c. & quòd forma baptiſmi ſit: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, juxta illud *Matth.28. baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Ergo Traditiones ſuperfluunt.

R. Licèt hæc ex ſola ſcriptura probari poſſent, non tamen omnia enuntiata, & ſimilia, de quibus in ea nulla fit expreſſio.

9 Verùm, ut ex illo textu probari poſſet parvulos eſſe baptizandos, deberet conſtare de vero illius textus ſenſu, nimirum, quòd ibi agatur de baptiſmo, quod negavit Calvinus apud Tirinum *comment. to.2.ad d.locum;* de quo ſenſu, non ex ſola Scriptura, ſed ex ipſa conſtat Traditione, &c.

10 Nec ſecundum. Quoniam, ut ex ſola Scriptura probetur, quòd in baptiſmo ſit illa forma adhibenda, deberet ex illa conſtare, quòd Chriſtus præceperit, ut Apoſtoli baptizantes dicerent: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. At hoc ex Scriptura non conſtat, ſed ex ſola Traditione, & praxi Eccleſiæ. Nam ſicut Chriſtus dixit: *baptizantes eos in nomine, &c.* ita *Joann.16.* dixit: *ſi quid petieritis Patrem, in nomine meo, dabit vobis;* tamen hoc dicendo planè non præcepit, ut quoties quis Patrem rogaret, diceret: *ego peto hoc, vel illud in nomine Chriſti*: atque ita ex puræ Scripturę verbis non conſtat, quòd Chriſtus præceperit, ut præfata adhiberetur forma in collatione baptiſmi, ſed ex ipſa Traditione ſenſum ſcripturæ explicante; ſicut ex illa habetur, quòd forma illa ore ſit pronuntianda, & mente eam dicere non ſufficiat.

11 Probatur 2. Tempore, quod præceſſit Scripturam novi Teſtamenti, non fuit Eccleſia ſine regula, quæ infallibiliter proponeret credenda, & agenda: erat enim tunc vera Eccleſia (licèt incipiens) Sancta, Chriſtianæ legis obſervatrix, & per Apoſtolos, evangelica doctrina, & Sacramentorum adminiſtratione gubernata; Sed tunc regula illa fuit ſola Traditio, ſeù doctrina ſine ſcripto tradita; cui, utpote revelatæ æquè cum ſcripta debetur reveren-

rentia, & obſequium. Ergo divina Traditio tenenda eſt, ut altera fidei noſtræ regula. Antecedens eſt certum; ſiquidem multo tempore prædicarunt, tam Chriſtus, quàm Apoſtoli Evangelium viva voce, priuſquam ſcripto illud committeretur; nam Matthęus, qui primus omnium ſcripſit, nonniſi octavo anno poſt mortem Chriſti evangelium ſuum ſcripto conſignavit, anno nimirum 41. priuſquam Apoſtoli diſpergerentur in Orbem ad prędicandum. Ita Spondanus *ad ann.41. & 42. nu.4.* Commentator *in Lucium dextrum ad d.an.41.* Tirinus *to.2.comment. in præfat. ad evangel.Matth.* Tunc autem tam credenda, quàm agenda, viva tantùm voce ſine ſcripto ab Apoſtolis communicabantur. Quibus Chriſtus Dominus *Matth.28.* libros ſcribere non præcepit, ſed docere, & baptizare: *docete omnes, baptizantes, &c. docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis;* quamvis poſteà, Deo revelante, plures libros conſcripſerint; ſub ætate ab Adamo, uſque ad Moyſem (qui ſcripſit Pentateuchum) fuit Eccleſia Sancta, erantque & tunc præcepta Dei, & ceremoniæ, & ſacrificia pro illius temporis conditione offerenda, & tamen nulla tunc habebatur Sacra Scriptura, ſed ſolùm Verbum Dei per Traditionem de uno in alium transfundebatur. Ergo perperàm omninò Novatores reſiſtunt, quòd etiam Verbum Dei non ſcriptum, ſit regula, & norma proponens veritates Fidei, &c.

Dicunt. Pro eo tempore ita fuit; at poſtquàm fuerunt in libris canonicis divinæ revelationes repoſitæ, ſola ipſa ſcriptura regula eſt proponendi res fidei, & Religionis.

12 Contra 1. Nam Paulus anno à morte Chriſti 21. Theſſalonicenſibus ſecundò ſcripſit (quibus primùm epiſtolam direxit anno à Chriſti morte 20.) eiſque *cap.2.* præcepit: *tenete Traditiones, quas accepiſtis, ſive per ſermonem* (viva voce) *ſive per epiſtolam noſtram* (ſcripto nimirum) Ergo non modò, quæ ſcripſit, obſervare mandat; verùm &, quæ viva voce ipſis communicavit.

Contra 2. Ut notatum eſt ſupr. *num.8.* multa planè in Eccleſia fide divina creduntur, quorum expreſsè, explicitèque non meminit Scriptura. Quòd D. Auguſtinus probat de quibuſdam noſtræ fidei myſteriis; etenim *lib.2.contr.Maximin.Arian.c.3.* eum oppugnantem divinitatem Spiritus-Sancti iſtis contorquet: *Obiicis mihi, quòd dicam Spiritum-Sanctum æqualem eſſe Filio,* ait: *dico planè: da, inquis, teſtimonia, ubi adoratur Spiritus-Sanctus,* infra: *quaſi non ex iis, quæ legimus, aliqua etiam, quæ non legimus, intelligamus? Sed ne quærere multa compellar; tu ubi legiſti Patrem Deum, ingenitum, vel innatum? & tamen verum eſt.* Circa quod Petavius *to.2.Theol.dogmat.lib.2.cap.6.num.4.* ex Gregorio Nazianzeno ſcripſit: *pleraque Catholicæ profeſſionis dogmata, non ſcriptis expreſsè tradita eſſe, ſed ex iis colligi.*

13 Probatur 3. Patres unanimi conſenſu admittunt in Eccleſia Chriſti, præter Scripturam Sacram, doctrinam aliquam fidei non ſcriptam, quam ex ore Chriſti, vel revelatione Sancti-Spiritus acceptam, Apoſtoli Eccleſiæ voce, non ſcripto tradiderunt. Singulorum teſtimonia referre nimis eſſe operoſum, ne moroſum dicam, ideò videnda remittimus ad allegatos. Nobis ſatis hic ſit unius, vel alterius, & maximè ex Auguſtino quædam producere; cujus auctoritati, & Proteſtantes plurimum deferunt, licèt ejuſdem doctrinam ſępiſſimè in malum detorqueant.

Itaque S. Doctor I. agens de baptiſmo parvulorum lib.1. *de peccat.merit. & remiſ. cap.26. Porrò,* ait, *quia parvulos baptizandos eſſe concedunt, qui contra auctoritatem universæ Eccleſiæ, proculdubio per Dominum, & Apoſtolos traditam, venire non poſſunt.* De quo agit etiam *lib.4. de baptiſ.contr.Donatiſt.cap.23.* II. loquens de conſuetudine adverſùs Donatiſtas, de non baptizandis baptizatis ab hæreticis *lib.2. de baptiſ.contra Donatiſtas cap.7. Hanc ipſam conſuetudinem*

(de

(de illis non rebaptizandis) *credo*, inquit, *ex Apoſtolica Traditione venientem; Sicut multa non inveniuntur in libris eorum, neque in Conciliis poſteriorum; & tamen, quia cuſtodiuntur per Univerſam Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur*.

III. *Lib.5.cap.23.* ibi: *Conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum* (Apoſtolorum) *Traditione exordium ſumpſiſſe, credenda eſt, ſicut ſunt multa, quæ Univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur*.

IV. De eadem conſuetudine baptizandi parvulos, hæc habet *lib.4.cap.24. Etſi quiſquam in hac re auctoritatem divinam quærat*, inquit, *quod Univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum, rectiſſimè creditur*; & paſſim alibi, utrumque Traditionem ab Apoſtolis manaſſe profitetur.

Prætereà, de Traditionibus tritum eſt illud ejuſdem Auguſtini *epiſt.54.ad Inquiſit. Januar.cap.1.* nec tamen ideò prætermittendum; *Illa*, inquit, *quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe obſervantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccléſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retineri*; Quàm expreſsè Auguſtinus de Traditionibus, & quidem Divinis, mentem ſuam aperuerit, conſtat; Siquidem tam Traditio de baptizandis pueris, quàm alia de valore baptiſmi ab hæreticis collati, divini juris fecit, & ad fidem pertinens; utrumque enim fuit etiam definitum à Tridentino *ſeſſ.7. de baptiſ.* primum *can.13.* & ſecundum *can.49.*

Quòd autem ad fidei normam, & regulam Apoſtolicæ Traditiones adhibeantur, ſintque firmiſſima regula explorandæ veritatis, dixit idem *lib.5. de baptiſ. contra Donatiſt.cap.26.* referens hanc Cypriani ſententiam: *quòd autem nos admonet* (Cyprianus) *ut ad fontem recurramus, ideſt, ad Apoſtolicam Traditionem, & inde canalem in noſtra tempora dirigamus, optimum eſt, & ſine dubitatione faciendum*.

Productæ Auguſtini ſententiæ præſtantiſſimæ ſunt; & ſatis manifeſtæ, ut mirum ſit, quòd Proteſtantes divinas Traditiones haud horreant inficiari, & ex integro pervertant: ſed quid mirum? ab inſanis, niſi captioſa, & mendacia expectandum.

14 Confirmatur. D. Baſilius *lib. de Spiritu-Sancto cap.17.* habet: *Dogmata, quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus ex doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum Traditione in myſterio*, ideſt, *in occulto tradita, recipimus; quorum utraque parem habent vim ad pietatem*: Et S. Epiphanius *hæreſi 61. Oportet autem*, ait, *& Traditione uti. Non enim omnia à Scriptura Divina poſſunt accipi; quapropter aliqua in ſcripturis, aliqua in Traditione Sancti Apoſtoli tradiderunt*.

15 Probatur 4. ex Conciliis. Nicænum II. Congregatum adverſùs Iconoclaſtas, ſacrarum Imaginum oppugnatores, contentionem in ſua definitione decidit, ubi Patres. *Fatemur autem unanimiter nos Eccleſiaſticas Traditiones ſive ſcripto, ſive conſuetudine valentes, & decreta retinere velle, quorum de numero eſt imaginum effiguratio.* Et infra: *Servamus Traditiones, quas ſuſcepimus.* Et ſtatim: *qui auſi fuerint aliud ſentire, aut docere, aut more impiorum hæreticorum Eccleſiaſticas Traditiones contaminare, &c. ſi fuerint Epiſcopi, aut Clerici deponuntur, ſi Monachi, aut laici, communione privantur Ball.cit.ad d.Concil.tit. definitio Sanctæ, &c.*

Verùm, quantum ad illud *Eccleſiaſticas* videnda ſunt adnotata ſupra *nu.5.* ne de voce quæſtio excitetur, & per æquivoca procedatur. Item expreſſiùs Synodus Tridentina *ſeſſ.4.* quò decrevit, veritates fidei in Verbo Dei tam ſcripto, quàm non ſcripto contineri: *Perſpiciens*, inquit, *hanc veritatem, & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto Traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut*

ab

ab ipſis Apoſtolis Spiritu-Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt; Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros tam veteris, quàm novi Teſtamenti (cùm utriuſque unus Deus ſit Auctor) nec non Traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu-Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pietatis affectu, & reverentia ſuſcipit, & veneratur. Conſiderantes itaque Patres Tridentini, eamdem vim, & auctoritatem apud Eccleſiam habere Verbum Dei, ſive ſcriptum ſit, ſive ſolùm traditum, ac utroque credenda, & agenda contineri, utrumque Synodus ſuſcepit, & *anathema* dixit in ſcienter contemnentes.

Et quamvis Proteſtantes dictis Conciliis perperàm fidem non habeant, adhuc eis apparere debet, communem ſenſum Eccleſiæ ſemper omni ætate fuiſſe, dari divinas Traditiones; quod quidem ad minùs ęquè moraliter debet conſtare eſſe certum, ſicut moraliter eis conſtant ea, quę hiſtorici bonæ famę ſcribunt, abſque ulla dubitatione, ac controverſia, ut *quòd Julius Cæſar imperaverit: quòd Roma fuerit à duobus fratribus condita*, &c. adeòut imprudentiſſimè hæc negarent. Major autem planè imprudentia eſt, quòd Divinis Traditionibus contradicant, cùm Patres Orthodoxi, & ſanctiſſimæ vitæ, cum tota antiquitate de illis teſtimonium reddant, ut ex Pontio *cit. nu.* 8. Cæterùm non tam eſt moraliter certum, quàm veritas fidei, dari Divinas Traditiones, nobis ab Eccleſia, ut Verbum Dei propoſitas.

16 Probatur 5. ex Scriptura I. Paulus *d. epiſt. 2. cap. 2. ad Teſſalonicens: Itaque fratres*, ait, *ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram*; quo declaratur, tenendam eſſe doctrinam ſcriptam, & non ſcriptam, ut particula disjunctiva *ſive* oſtendit; ſed doctrina non ſcripta, Traditionibus divinis continetur. Ergo tenendæ ſunt Traditiones divinæ.

Hinc conſtat illos contravenire præcepto Apoſtolico, qui alterutram doctrinam reſpuunt. Ad ſalutem autem neceſſarium eſt, præceptis Apoſtolicis non contravenire; quibus Proteſtantes, Traditiones divinas abnegantes, prorſus reſiſtunt.

Quòd verò dicant, omnia, quæ per ſermonem Theſſalonicenſes didicerunt, eſſe ſcripta, ubi legitur? Omnia ſcribi potuiſſe, Catholici non contradicunt; ſed ſingula fuiſſe litteris conſignata, nunquam Sectarii probabunt.

17 II. Primæ ad Corinthios 11. idem Paulus: *laudo autem vos, fratres, quòd per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*. Item; *cætera, cùm venero, diſponam*. Hìc Apoſtolus laudat Corinthios ſua præcepta tenentes, & ulteriorem diſpoſitionem promittit. Quęnam verò fuerint illa præcepta ante epiſtolam tradita, quænam diſpoſitiones poſt adventum tradendæ, nullibi Apoſtolus expreſſit: Ergo, quando illa ſcriberet Apoſtolus, cùm diſpoſitiones de novo promitteret, erant aliquæ Traditiones non ſcriptæ tenendæ. Ergo tunc alia ſcripſerat, diſtincta ab aliis, priùs viva voce traditis, & poſteà etiam tradendis.

III. Secunda ad *Timoth.* 1. Timotheo Apoſtolus committit: *formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in fide, & dilectione Chriſti Jeſu*; Ergo nedum Timotheo præcipitur, ut obſervet, quæ legit in epiſtolis, ſed illa pariter, quæ viva voce à Paulo audivit. Et hinc conſtat, in Scriptura mandatum haberi, etiam de credendis Traditionibus, ſeù Verbo Dei non ſcripto.

Dicunt: Unde ſciendum eſt, quales articulos, & præcepta, Apoſtoli, ut à Deo revelata, ſine ſcripto tradiderint?

R. Conſtat ex ipſo Apoſtolorum teſtimonio, qui teſtes eorum omnium fuerunt, quæ audierunt à Chriſto, & à Spiritu-Sancto edocti fuerunt, juxta illud *Actor.* 1. *Et eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, uſque ad ultimum terræ*. Sicut enim ipſis ſuis diſcipulis, iſtis, aliis atte-

atteſtantibus pervenit, Sacram Scripturam eſſe Verbum à Deo revelatum, ſic pari modo ab eiſdem fuit Eccleſiæ communicatum, Traditiones Divinas eſſe Verbum Dei traditum.

18 Verùm in caſu dubii, & ubi Patres diſſentiunt, ad fontem recurritur, ad Sedem nimirum Apoſtolicam, ad quam in quæſtionibus fidei, & morum, controverſiarum deciſio ſpectat, prout fuit ſemper totius Eccleſiæ praxis; in qua id conſtanter, & religiosè ſervatum eſt, ut quoties orta ſit controverſia aliqua, vel difficultas in materia fidei, aut rebus ad mores, & diſciplinam eccleſiaſticam pertinentibus, toties Sedes ipſa Apoſtolica conſulta ſit. Cujus rei fidem faciunt innumera propè reſponſa, & Decreta à Romanis Pontificibus facta, & petentibus data, ut doctè Abelly *Sum.par.2.tr.2.ca.3.ſect.5.§.1. de legibus*.

19 Hinc ſcribit Laurea *cit.art.5. nu.129.* Etſi olim ab omnibus Eccleſiis Apoſtolicis (hoc eſt, ab Apoſtolis fundatis) Traditiones erant petendæ, maximè tamen à Romana; nunc verò ab iſta ſola petendę ſunt; idque pluribus probat, & maximè ex enuntiata praxi, & ſtylo conſultandi Romanam Sedem, quæ ab hęreſi ſemper immunis fuit, & illibatam fidem ſervavit, ut ex Chronicis patet; advertitque auctoritatem Auguſtini *d.lib.6. de baptiſ. contra Donatiſtas cap.23. Conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano* (de non baptizandis hęreticis) *ab eorum* (Apoſtolorum) *traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt*. Conſuetudinem autem illam Cypriano oppoſuit Stephanus Papa eidem reſcribens, *nihil innovandum, præter id, quod traditum eſt*. Quocircà *art. 1.nu.20.* Romanos Pontifices appellat veros, legitimoſque Traditionum Dominicarum, & Apoſtolicarum Cuſtodes; propter quod ex eorum propoſitione, ſive extra Concilia, ſive ipſis confirmantibus Concilia, tam de Verbo Dei ſcripto, quàm tradito infallibiliter conſtat.

Opponunt 1. Traditiones in Scriptura prohibentur, 1. *Deuteronom.4. non addetis ad verbum, quod vobis loquor*. II. *ad Galat. 1.* expreſsè Paulus dixit: *licèt nos, aut Angelus de Cęlo evangelizet vobis, præter id, quod evangelizavimus vobis anathema ſit.* III. *Matth.15.* Chriſtus ſic Phariſęos increpat; *quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter Traditionem veſtram?* Ergo Scriptura Traditiones interdicit; nam docere aliqua præter ea, quæ ſcripta ſunt, eſt addere; addere autem Scripturæ interdicitur.

20 R. negatur antecedens. Primam auctoritatem Proteſtantes producunt ad probandum, nullas eſſe admittendas Traditiones, aut leges Eccleſiaſticas. Verùm, Deus ibi non vetat omne additamentum, aliàs interdicti eſſent, tam libri veteris Teſtamenti poſt Deuteronomium ſcripti, quàm Novi ab Apoſtolis exarati, quod ſine novæ hæreſis crimine planè Proteſtantes non affirmabunt. Neque Judæi unquam putarunt inhibitum ſibi à Moyſe, ne leges novas, ſi Reipublicæ utiles, aut neceſſariæ eſſent, inſtituere, & condere poſſent; quia plurimas pro ratione temporum de novo inſtituerunt, & religiosè obſervarunt. Ita *Eſter 9. Feſtum ſortium: Judith. ult. Feſtum victoriæ. 1. Machabæorum 4. Feſtum dedicationis templi* inſtituta ſunt, & alia feſta Moſaycis fuerunt addita. Ergo & ibi, & Apocalypſ. *ult.* non quævis additio Scripturæ prohibetur, ſed ſolùm, per quam Verbum Dei corrumpitur, vel alteratur; quod non fit per divinas Traditiones, quæ ſunt Verbum Dei, nec per Eccleſiaſticas ad regimen Eccleſiæ inſtitutas. Prætereà Deus *d. loc. & cap.* præcepit Judæis, ut obedirent Sacerdotis imperio, leges nimirum Eccleſiaſticas ordinantis. Addendum, quòd Eccleſia non addit Scripturæ Traditiones Divinas, ſed eas accepit cum ſcriptura ab Apoſtolis.

Deinde conſcriptis libris veteris Teſtamenti, adhuc Judæi quàmplurima dogmata fidei credebant in Scriptura non expreſſa, ſed ſolùm tradita, *nimirum libros omnes in ſuo ſcripturarum canone relatos, eſſe*

divinos: dari remedium aliquod pro tollendo originali peccato pro fœminis, ac maſculis diem octavum nondum conſecutis (pro eis enim non erat circumciſio, quæ *Geneſ.*17. fuerat pro maſculis octo dierum præcepta) & ſimilia. Hinc allegatus textus perperàm adversùs divinas Traditiones adducitur.

Maximè, quia ſpecificè ponitur ad continendos hebræos in cultu veri Dei, cùm enim proclives eſſent in cultus idololatricos, ritusque ſuperſtitioſos, ſeù Ceremonias Gentilium (qui Beelphegor aſinum, canem Hecatæ, porcam Cereri proleſque vivas Moloch immolarent, & alia aliis diis) eis per illud *non addetis* prohibetur tale quid attentare, etiamſi id in Dei veri honorem dirigere vellent, nulla eis relicta poteſtate, vero Deo immolandi, niſi animalia illis in lege præſcripta, aut inducendi cultum aliquem novum alium à Deo præſignatum. Quocircà Deut.*c.*12. concludit textus: *quod præcipio tibi* (non dixit: quod ſcribo) *hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* Vide Tirinum *comment.ad d.lib. & cap.* Unde vetatur humana additio, quæ fit ſine auctoritate Dei.

Idcircò ſenſus illorum verborum, *non addetis*, &c. eſt, ut non doceatur aliquid, ut à Deo revelatum, quod revelatum non ſit (unicè enim tanquam à Deo revelata proponi debent, quæ Deus revelavit, ſive in ſcriptura contineantur, ſive per Traditionem habeantur) vel quidquam, quod Verbo Dei opponatur.

Dices. Scriptura teſtamentum Dei appellatur à *Trident.ſeſſ.cit.* & *Matth.*26. dicitur: *hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti.* Atqui teſtamentum ſcriptura fit. Ergo omnia in Scriptura continentur, aliàs non teſtamentum abſolutè dicendum eſſet, ſed pars teſtamenti; quoniam, ſi integrum eſſet, ſingula contineret; ſi verò ſingula continet, admittendæ minimè ſunt Traditiones.

21 R. major non loquitur excluſivè ad divinas Traditiones; quinimò teſtamentum Dei complectitur Verbum Dei, tam ſcriptum, quàm non ſcriptum. Commune enim eſt apud omnes, teſtamentum, aliud eſſe ſcriptum, aliud nuncupativum, quod verbis fit. In teſtamento Dei plura sūt ſcripta, nonnulla nō ſcripta: ergo integrum teſtamentum Dei complectitur, & ſcriptum, & nuncupativum; non quòd ſint duo teſtamenta (licèt vetus, & novum duo ſint) Voluntas enim & mens Dei, nobis conſtat per verba, quorum alia fuerunt ſcripta, & alia non ſcripta. Unde Scriptura in hoc ſenſu eſt integrum teſtamentū Dei, quatenus multa expreſsè dicit, & alia implicitè, nobis commendans, ut teneamus Traditiones, & remittens, ut audiamus Eccleſiam. Sicut enim Parentes, teſtamento dant filiis tutores, quos ſequantur, ita Deus filiis ſuis dedit Eccleſiam, quam audire debent interpretantem Scripturam, juxta ſenſum per Traditionem acceptum, & tendentem in bonum Eccleſiæ.

Deinde. Deus Teſtamento veteri potuit addere novum Teſtamentum; impedit, quòd in Novo voluntatem ſuam ſcripto, & non ſcripto manifeſtaverit?

22 Illud Matthæi non urget. An indè licet arguere, nullum aliud eſſe Verbum Dei ſcriptum, vel non ſcriptum, præter illa Cœnæ Dominicæ verba? Non planè Proteſtantes concesſerint.

Deinde. Senſus illorum verborum eſt, quòd Chriſtus ſuo Sanguine, confirmavit novum fœdus, inter Deum, & hominem, ſuamque ultimam voluntatem, qua nobis legavit bona ſpiritualia, & cœleſtem hæreditatem, hac conditione, ut præcepta ejus impleamus, & Sacramentis ab eo inſtitutis legitimè utamur, ut legit Tirinus *to.*2. *comment. ad d.locum.* Sed ex hoc, quid ad Traditiones improbandas? Quinimò conſideretur: *Si fuit calix novi teſtamenti* cùm Chriſtus ſacrām cœnam inſtituebat: ergo & fuit novum teſtamentum eodem tempore: ergo teſtamentum Domini Jeſu tunc fuit nuncupativum, & non ſcriptum, quia nec-

necdum ſcripſerant Auctores canonici; atque ita textus allegatus nihil Traditionibus nocet.

23 Ad auctoritatem Apoſtoli ad Galat. dicimus, nihil concludi adversùs catholicam fidem de Traditionibus; ſiquidem Paulus non ait, quod *ſcripſimus* vobis, ſed quod *evangelizavimus* verbo, vel ſcripto. Pauca enim ad Galat. ſcripſerat, ſed evangelizaverat multa. Ideò traditio divina non eſt, præter id (hoc eſt contra) quod evangelizavit Paulus, ſed de his potiùs, quæ Galatis prædicavit. Audiant Proteſtantes D. Auguſtinum *tr.98. in Jo.nu.7. admonitio*, ait, *Beatiſſimi Apoſtoli de veſtris cordibus non recedat: Si quis vobis evangelizaverit, præter quod accepiſtis, anathema ſit; non ait: pluſquam accepiſtis, ſed præter quod accepiſtis, nam ſi illud diceret, ſibi ipſi præjudicaret, qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes, ut ſuppleret, quæ illorum fidei defuerunt; ſed qui ſupplet, quod minus erat, addit, non quod inerat, tollit*. Per quæ patet ad ultimam propoſitionem objecti.

24 Nec auctoritate Matthæi plus obtinent; quoniam Chriſtus non dixit: Traditionem *meam*, ſed *veſtram*, hoc eſt, à Phariſæis inventam. Plures enim erant Phariſæorum Traditiones; ut, *quòd non lotis manibus manducandum non eſſet. Marci 7.* quòd *die ſabbati non liceret infirmos curare*: quòd *jurare per templa, vel Altare nihil eſſet, Matt.23.* & aliæ ſimilis generis, quę inveniuntur apud Evangeliſtas. Inter quas aliquæ erant indifferentes, *ut non manducare, niſi lotis manibus*: aliæ illicitæ, *ut illicitum non eſſe jurare per Templum, & Altare*; & aliæ ex ſe bonæ, ut illæ *de frequenti jejunio*: omnes tamen arguit Chriſtus, quia in his omnibus obſervandis vanam gloriam, & ſanctitatis opinionem Phariſæi quærebant, juxta illud Matth. *d.cap.23. Omnia opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus*. Superſtitioſè enim quædam minutiora obſervabant, omittendo præcepta Dei; inde eſt, quòd d.loco Matth. dicuntur *Duces cæci excolentes calicem, camelum autem glutientes*. Unde Chriſtus reprobat ſolùm Traditiones Phariſaicas, & Gentilium, non Moſaycas, & Divinas.

Opponunt 2. Scriptura clarè, & perſpicuè continet omnia ad ſalutem neceſſaria; proptereà Chriſtus *Jo.5.* dixit; *Scrutamini Scripturas*, & Paulus 2. *ad Timoth.3. omnis ſcriptura divinitùs inſpirata, utilis eſt ad docendum*. Ita Chriſtus, & Apoſtoli uſi ſunt ſcriptura pro regula. De Chriſto patet *Lucæ 24. ò ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ v.27. & incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant*. De Apoſtolis Actor.2.nu.2. dicitur: *Paulus introivit ad nos, & per ſabbata tria diſſerebat eis de Scripturis*. Ergo evidens eſt, quòd Scriptura continet omnia, quæ ſufficiunt ad viam ſalutis.

Reſp. Proteſtantes hujuſmodi diſcurſus optimè urget: Si Scriptura continet omnia, quæ ſunt omnibus ſimpliciter neceſſaria adeò clarè, & evidenter, ut, ipſis auctoribus, quiſque poſſit ex Sacris Bibliis lectis, & auditis, ea omnia colligere, & credere, quæ obtinendæ ſaluti ſufficiunt, cur inter ſe non conveniunt, in aſſignandis articulis neceſſariis (quos fundamentales appellant) ſed in varias opiniones abeunt? ut notavimus *contr.1. cap.5. nu.2.*

Deinde: Proteſtantes docent ſymbolum Apoſtolorum continere explicitè omnia ſingulis ad ſalutem neceſſaria: ergo ſecundùm eos totum vetus, & novum teſtamentum, niſi quatenus idem dicit, non eſt credendum: Nam ideò Traditiones Divinas non admittunt, quia Scriptura perſpicuè omnia continet ſaluti neceſſaria; ſed ſicut novum, & vetus teſtamentum, ſine hæreſi repelli nequit, propter reverentiam debitam Deo revelanti, & Eccleſiæ proponenti, ſic nec Traditiones divinę ſine præjudicio ſalutis repudiari poſſunt, quoniam ſunt Verbum Dei non ſcriptum, à Catholica Eccleſia propoſitum.

25 Quare negatur antecedens: Non enim Sacra Scriptura, quidquid omnibus

neceſſarium eſt ad ſalutem, explicitè, & clarè continet, adeò ut opus non ſit Traditione, & explicatione Eccleſiæ, ut obtineri poſſit verus ſenſus articulorum neceſſariorum, & quorum fides explicita ſit omnium ſaluti neceſſaria, neceſſitate medii; quod expreſsè in libris canonicis, & ſymbolo Apoſtolorum ſcriptum non legitur. Licèt enim aliqua, quæ in Scriptura, & ſymbolo habentur, ſint neceſſaria neceſſitate medii, & quædam neceſſitate præcepti, tamen diſcrimen, & quænam illa ſint, Traditione, & propoſitione Eccleſiæ nobis conſtat. Verùm ſine præjudicio ſalutis, nihil, quod Scriptura, & ſymbolum exhibent, fas eſt ſcienter repudiare, quia Verbo Dei, ab Eccleſia propoſito, contravenire non licet.

26 Quocircà, ſi velint, Sacram Scripturam, ſive explicitè, ſive implicitè illud totum continere, quod omnibus eſt neceſſarium ad ſalutem, Catholicos habent conſentientes; qui eo ſenſu dicunt, in Scriptura haberi omnium dogmatum veritatem. De qua planè, cùm Traditiones ſervandas commendet, & Eccleſiam audire jubeat, ac quædam principia, & articulos fidei expreſsè proponat, qui aliquorum plurimorum articulorum principia, fontes, & ſeminaria ſunt, omni verborum proprietate affirmatur in ipſa, tanquam in radice, & principio omnia ad fidem, & mores contineri, ut poſt Valemb. dixit *Seſſa cit.cap.2.art.10.nu.10.*

27 Et hinc Scriptura inſufficientiæ argui non poteſt, ut nobis obiiciunt Proteſtantes: qui hac ipſa propoſitione in Traditiones inſurgunt: *Quodcunque non eſt propoſitum in Scripturis, non eſt credendum:* Verùm adversùs eos minorem ſubnectimus: *ſed Traditiones proponuntur in ſcripturis: Ergo Traditiones ſunt credendæ.* Ideò omne, quod creditur ſive explicitè, ſive implicitè, eſt in Scripturis propoſitum; nihilque credendum eſt fide divina, quod non ſit à Deo revelatum.

Dices: Obſtat dictum Auguſtini ſignificantis omnia expreſsè in Scriptura reperiri, *lib.2.de doctr. Chriſti cap.9. In iis enim*, ait, *quæ apertè in Scriptura poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moreſque vivendi.*

R. Propter duo Auguſtinus id dixit. Primò. Quia in apertè poſitis invenimus multos articulos, qui neceſſitate, vel medii, vel præcepti neceſſarii ſunt ad ſalutem. Item S. Doctor dicit *fidem*, non omnem fidem.

Secundò. Quia in apertè poſitis nobis commendantur Traditiones; & remittimur ad Eccleſiam (de utroque enim eſt in Scriptura apertum præceptum, ut eam audiamus) catecheſim, ſeù inſtructionem, juxtà doctrinam Apoſtolis revelatam, non ſcriptam de aliis ad fidem, & mores pertinentibus recepturi, ac documenta percepturi.

Eſt in ſcriptura expreſſio Patris, & Spiritus Sancti, at in ea expreſsè non legitur profeſſio illa fidei, qua credimus in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ſed Traditione ea ad nos venit, ut ex Baſilio ſcribit Petavius *to.3.Theol.dogmat. l.1 c.1. de Eccleſiaſtic. Hierarch.* quorum fides explicitè eſt adultis neceſſaria, neceſſitate medii, ad ſalutem, ut docent Theologi *tract. de fide*, & dixi *lib.2. Cautelæ Confeſſarii c.14. nu.7.*

Dices: Ergo Scriptura diminuta eſt, ſi non continet ſatis expreſsè, & clarè omnia neceſſaria; quod dicendum non eſt, ne Verbo Dei ſcripto tanta imperfectio tribuatur.

28 R. negatur conſequentia. Siquidem nulla ſcriptura, & doctrina dici, aut videri debet diminuta, ſi contineat omnia, & eodem modo, quo expediens eſt ad fines, ab ipſius Auctore intentos; qua ratione quidem Scriptura omnia neceſſaria continet, eſtò non omnia explicitè, aut tam clarè, ut volunt hæretici, & quia difficile ſit multa intelligere, ac opus non ſit Traditione, & interpretatione Eccleſiæ. Sicut non ideò verba Chriſti fuerunt diminuta, & imperfecta, quia, quæ dixit parabo-

rabo-

rabolicè, & obſcurè, poterat proferre ſine parabolis; & clariùs, ſi voluiſſet; quod non fecit, quia expediens non erat, in ordine ad fines, ab ipſo intentos; de quorum bonitate, nonniſi inſipiens dubitaret, ut optimè Poncius *cit. concl.*7. & planè juxta doctrinam Auguſtini *epiſt.*187. *ad Voluſian. cap.*1. ibi: *tanta eſt Chriſtianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidiè proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia......non quòd ad ea, quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta in eis perveniatur difficultate*. Unde ex ipſius etiam mente, quoad ea pariter, legenti aliqua occurrit difficultas; quam ſanè deponit, ſi Traditioni, & propoſitioni cedat Eccleſiæ, cujus eſt de vero ſcripturæ ſenſu judicare.

29 Convenit in hoc ipſum Proſper *ſent.* 67. qui ex Auguſtino dixit: *bonæ ſunt in Scripturis Sanctis profunditates; quæ adhoc teguntur, ne vileſcant; ob hoc quæruntur, ut exerceant; ob hoc autem aperiuntur, ut paſcant*. Hinc Petavius *to.*1. *Theol. dogmat.ca.*1. *in præfat.de Trinit.n.*6. dixit, contra hujus ętatis hæreticos valere ſcripturam ſacram ex profeſſo, ac deſtinato Dei conſilio perobſcuram eſſe, nec explicatu facilem (cuilibet privato) etiam in his, quæ ad dogmata, fideique capita ſpectant, ac majora præſertim, & in quibus Chriſtianæ Religionis, ac ſalutis ſumma vertitur.

30 Ad auctoritatem *Jo.*5. Eà Traditiones tenendas eſſe docemur. In veteri teſtamento *Deuteron.*32. hæc ſunt; *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi Pſal.*43. *ubi ſunt mirabilia ejus, quæ narraverunt Patres noſtri*. In novo *d. Cap.ad Theſſalonicenſ.* & alibi *ex dictis nu.*17. quibus apertè commendatur doctrina aliqua, ſeù inſtructio à majoribus petenda, non ſcripta, ut patet; ergo tradita: ergo Traditio ex ipſo ſcripturæ ſenſu tenenda eſt, & de neceſſitate ſalutis credenda.

31 Illud Pauli 2.*ad Timoth.* ineptè adverſùs divinas Traditiones allegatur. Paulus dixit: Scriptura eſt *utilis* ad obtinendam ſalutem, quod non negamus; at non dixit: eſt ſufficiens. Interrogatus, an grammatica ſit utilis, ut homo ſit perfectè doctus, affirmabit; at non inde inferre poterit: ergo eſt ſufficiens, ut ſit perfectè doctus: ad hoc enim, & alię ſcientię ſunt neceſſariæ.

Dices: Ergo aliqua ratione Scriptura eſt inſufficiens, & inutilis, quia multa non poſſunt ex ſcriptura doceri.

R. Negatur conſequentia: Scriptura enim in ſuo genere eſt ſufficienter utilis, ut homo ſit perfectus; patet exemplo: homo eſt ſufficiens generare perfectum hominē; inde tamen non ſequitur, hominem ſolùm generare perfectum hominem, excluſis cæteris cauſis ad generationem concurrentibus. Licèt enim rectè dicatur homo ſufficiens quia generat hominem, tamen non hoc ita intelligitur, quòd ſit ſimpliciter, & abſolutè ſufficiens, quaſi nulla indigeat concauſa ad generandum hominem, ſed quòd ſit ſufficiens in ſuo genere. Ita Scriptura eſt ſufficiens, ut homo ſit perfectus, ſed ſufficiens in ſuo genere, non ſimpliciter, & abſolutè ex Gravina *to.*1.*lib.*3.*præſcript.*2.*controv.*2.*ad* 1. ut excludat Traditiones.

Dices. Auguſtinus *tract.*49.*in Joan.nu.*1. ſcribit: *multa Dominum Chriſtum, & dixiſſe, & feciſſe, quæ ſcripta non ſunt: electa ſunt autem, quæ ſcribuntur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur*; ergo ſcriptura eſt abſolutè ſufficiens.

32 R. ibi Auguſtinus agit de illis rebus, quæ miracula Chriſti concernebant. Vel, oſtendere voluit D. Joannem ſcripſiſſe ea omnia, quæ ſufficerent ſaluti credentium, quantùm ad illum articulum fidei, quem S. Apoſtolus *cap.* 10. aſſumpſerat corroborandum, hoc eſt, Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei, in quem credere eſt omnibus neceſſarium ad ſalutem; non verò egit de omnibus ſaluti neceſſariis. Conſiderandum quo fine, & contra quos Patres ſcribunt, ut inde eorum mens pateat.

Deinde. *Si electa ſunt, quæ ſcribuntur*, ergo plura erant revelata, è quibus illa ele-

electa ſunt, & quæ non ſunt ſcripta; electio enim eſt acceptio unius, relicto altero. Ita Valemburc. *cit.n.*10.

33 Ad loca ex Luca, & Actibus dicimus, ex illis probari Scripturam eſſe regulam fidei, quod non negant Catholici, ſed eam pro regula fidei recognoſcunt: Nec quæritur hìc, an ſcriptura ſit regula fidei? quod concedimus; ideò fruſtrà probatur. Sed illud quæritur, an Scriptura ſit ſola regula fidei, quod negamus, & à Proteſtantibus non probatur. Ex Scriptura utique probatur Chriſtum veniſſe, ac ipſius Paſſionem, & Reſurrectionem, aliaque plura, ſed ex particulari affirmativa non ſequitur negativa Univerſalis, hoc eſt, ſine illa, nihil probandum eſt ex Traditionibus; nam & ipſi Proteſtantes tenentur, ut minimum admittere, ex Traditione probari, hos potiùs libros, quàm alios eſſe canonicos.

Opponunt 3. Traditiones obnoxię ſunt oblivioni, & mutationi, & reverà plures funditùs fuerunt immutatæ, & abrogatæ, ut conſtat de trina immerſione in Baptiſmo, quam Eccleſiæ conſuetudo paulatim mutavit, & ad ſimplicem aſperſionem redegit, & de communione ſub utraque ſpecie, quæ non celebrantibus, ſub una tantùm ſpecie decreta eſt, in Conſtantienſi, & Tridentino *ſeſſ.*21.*cap.*2. de diſpenſatione à Papa in jejunio Quadrageſimæ cum magnis Principibus, & ſimilibus, quæ Traditione conſtant.

34 R. Poſſent hæretici retorſione urgeri. Eiſdem enim, periculis quibus, inſpecta humana induſtria, ſubſunt Traditiones, eſt ipſa Scriptura ſubjecta; quoniam, ſi loquamur de ipſa ſcriptura autographa, hoc eſt, originali, ſeù ſcripta ab Apoſtolis, certè ad omnes Nationes, non potuit pervenire, nec ab omnibus illis intelligi in ea lingua, qua ſcripta eſt; conſequenter neceſſe fuit, ut ab aliquibus in aliam linguam transferretur, & tranſcriberetur, qui tum in interpretatione, tum tranſcriptione potuiſſent errare. Quemadmodum ergo nullum præjudicium oblivionis, & alterationis in Verbo Dei ſcripto timeri poteſt, propter aſſiſtentiam Spiritus Sancti, propter quam in Eccleſia integrum Verbum Dei ſcriptum conſervatur; ſic propter eamdem Spiritus Sancti aſſiſtentiam, in ea incorruptum Verbum Dei traditum cuſtoditur. Neque enim promiſſio Eccleſiæ facta, quòd ſit *columna, & firmamentum veritatis*, reſtricta eſt ad veritatem ſcriptam, ſed etiam traditam complectitur, cùm abſolutè, & ſimpliciter de ea id ſit enuntiatum, & à Chriſto ſimpliciter promiſſum: *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Quinimò ad ea pericula in utroque vitanda, Chriſtus reliquit in Eccleſia Romanum Pontificem regulam vivam, & indefectibilem, Judicemque ſupremum controverſiarum fidei, cujus eſt omnia probare, & diſcernere, quinam libri ſint canonici? quinam ſenſus Scripturæ? quænam Traditiones Dominicæ? quæ purè Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticæ? ac idem cæteris infallibiliter communicare.

35 Quare negatur antecedens de Traditionibus Dominicis. Conſiderandum eſt Dominicas Traditiones eſſe juris poſitivi Divini, Auctorem Chriſtum, & Spiritum Sanctum habentes, juxta dicta *num.*3. Quæ autem ſunt de jure Divino ſunt à poteſtate creata immutabilia; cùm ea, quæ à Chriſto ordinata ſunt, à nullo hominum mutari poſſint, aut alio modo, quàm ex ejus præſcripto, ac voluntate tractari; Quocirca allegatæ in objectione fuerunt Traditiones purè Apoſtolicæ, vel Eccleſiaſticæ; adeòque juris poſitivi humani ab Eccleſia diſpenſabilis, & pro rerum, ac temporum varietate mutabilis, in quo DD. concordant. Et dicam *contr.*8.*cap.*6.*n.*103.

36 Ideò diſcrimen, an Traditio ſit Divina, vel purè Apoſtolica, & Eccleſiaſtica à Romana Sede repetendum eſt, ex Irenæo *lib.*3.*cap.*2. & Auguſtino dicente *lib.contr. epiſt.fundamenti cap.*5. *Ego evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoneret auctoritas*; & expreſsè ex teſtimonio Eccleſiæ recipiendas eſſe Traditiones non ſcri-

ſcriptas dixit *lib.2.de baptiſm. contr. Donatiſtas cap.7.* Cæterùm à poſteriori colligitur eas eſſe ſecundi generis, quoties videtur in ipſis ab Eccleſia diſpenſatum. Neque enim in Eccleſia auctoritas eſt, ut variet Traditiones Dominicas, quæ fidem reſpiciunt, mores, & Sacramentorum ſubſtantiam; licèt accidentales ritus, & cæremonias, ac Traditiones merè Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas immutare valeat; Unde Tridentinum *loco cit.* dixit: *Declaret, hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeù ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret;* ubi ponderanda eſt particula, *ſalva illorum ſubſtantia*, qua ſignificatur, nullam in Eccleſia poſſe cadere diſpenſationem, circa materiam, formamque Sacramentorum, tametſi eorum ritus, & cæremoniæ ſint ipſius auctoritati permiſſæ.

Opponunt 4. D.Hieronymus Traditiones non ſcriptas reiicit; in caput enim 23. *Matth.* ait: *Quod de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Idem habet D. Auguſtinus *lib.2. de peccat.merit.& remiſ.cap.ult.ubi de re obſcuriſſima,* inquit, *diſputatur, non adiuvantibus claris Scripturæ teſtimoniis, cohibere ſe debet humana præſumptio;* ergo, &c.

37 R. Ex textu Hieronymi nihil adversùs Traditiones producitur: Ibi S.Doctor intendebat reiicere ſententiam particularem, quam quidam nitebatur ex libro apochripho probare Zachariam, quem Judæi occiderunt inter Templum, & Altare, fuiſſe Zachariam patrem Joannis Baptiſtæ; Unde volens probationem ex libro apochripho deſumptam repellere, dixit: *hoc, quia de Scriptura auctoritatem non habet, ſed ex libro apochripho eadem facilitate contemnitur, qua probatur.*

Dices. Medius terminus, quo Sanctus Doctor utitur eſt Univerſalis; & ſi argumentum ipſius ad debitam formam reduceretur, major deberet eſſe: *quidquid non probatur ex Scripturis* (licèt veniat ex libris apochriphis, vel Traditione) *eadem facilitate contemnitur, qua probatur,* &c.

R. diſtinguitur antecedens: eſt Univerſalis juxta mentem S.Doctoris conceditur: præter mentem ipſius negatur. Finis Sancti Doctoris, ut diximus, fuit probationem ex libro apochripho reiicere; ad quem finem obtinendum libros apochriphos reprobavit, adhibito medio illo, *quod de Scripturis,* &c. ſatis univerſali ad inferẽdam concluſionem. Ideò trahendus diſcurſus non eſt adversùs Traditiones, quas ipſe non ſemel admiſit, *in epiſt.ad Marcellum in Dialogo adversùs Luciferianos cap.4.* & alibi ſæpè. Et inde major in illis terminis negatur; & poteſt in iſtis concludenter aptari: *quidquid non probatur ex Scripturis, ſed tantùm ex libris apochriphis,* &c.

Neque ex Auguſtino quidquam Proteſtantes reportant. Utique, quando clara deſunt in quæſtionibus fidei Scripturæ teſtimonia, cavenda eſt judicandi temeritas. Verùm clara ſunt teſtimonia Scripturæ pro Traditionibus, ut ſæpè diximus, & pro audienda Eccleſia, quæ nobis proponit, etiam Verbum Dei non ſcriptum.

38 Vel poſſet dici cum *Bail.loc.cit. verſ. Tertiò inſiſtunt*, quòd eo loco ab Auguſtino Sacra Scriptura non concipitur tam contracta, & conſtricta ratione, ut pro iis ſolùm ſtet, quæ in libris canonicis Scripturę expreſſa ſunt, & palàm explicata; neque enim hujuſmodi eſſe poteſt ſenſus Auguſtini, qui multa, & quidem multa ad fidem ſpectantia, ex Traditione probavit, ut in conflictu adversùs Donatiſtas; ſed accipitur ſecundùm generalem, amplamque ſignificationem, qua complectitur omne Verbum Dei ab Eccleſia acceptum, ſive ſit in corpore Bibliorum conſcriptum, ſive ſolo verbo traditum. Quoniam potiſſima, & major pars divinarum revelationum, nobis communicatarum, eſt ſcripto expreſſa in ipſis Bibliis, propterea nomine Sacræ Scripturæ Sancti Auctores ſæpè compre-

hendunt, etiam à Deo revelata, quæ extra Sacram Scripturam, ſeù libros canonicos, ſed in eodem divini Juris gradu, habentur. Et hic nota: cùm in rebus ad fidem ſpe-ctantibus dubia occurrunt, ad quæ clarè Scripturæ, hoc eſt, revelationis ſcriptæ, vel traditæ teſtimoniis non adjuvemur, debemus ab judicio temperare, & Sanctam Romanam Eccleſiam audire juxta literam Auguſtini, qui *lib. 3. q. in Leviticum qu. 31.* ſcripſit: *non omnia ſcripta eſſe, quæ Deus locutus eſt eis, per quos nobis Sancta Scriptura miniſtrata eſt.*

39 Obſerva. Traditiones ex parte materiæ, aliæ ſunt perpetuæ, quæ inſtitutæ ſunt, ut ſemper durent: ut ſunt *omnes divinæ, & ad fidem, & ſubſtantiam Sacramentorum pertinentes*, ac illæ *morum*, ad *actus ſcilicet, virtutum*, & *vitiorum ſpectantes*; & aliæ, quas ad perpetuam praxim inſtitutas eſſe continuata docet obſervantia: ut *celebratio Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, jejunium quatuor temporum, Quadrageſimæ*, & aliæ temporales, quæ valent ad certum tempus: ut *obſervatio quarumdam cæremoniarum: de trina immerſione*, olim in baptiſmo ſervari ſolita: *de communione ſub utraque ſpecie*, à laicis aliquando ſervata, &c.

40 Item reſpectu loci, aliæ ſunt Univerſales, quæ toti Eccleſiæ obſervandæ commendantur: ut *omnes divinæ*, ac *Paſchatis, Pentecoſtes*, & ſimilium majorum Feſtorum obſervatio; *uſus aquæ Benedictæ, & exorciſmorum: jejunia Quadrageſimæ*, & *quatuor temporum*, &c. & aliæ particulares, quæ unam, vel particulares aliquas Eccleſias tantùm reſpiciunt; qualis eſſe nequit divina Traditio, cùm divina omnes Eccleſias attingat; ſed ſolùm purè Apoſtolica, vel Eccleſiaſtica. Sic Traditio particularis erat olim Romæ, obſervatio jejunii die Sabbati, dicente Auguſtino *epiſt. 54. ad Januar. cap. 2. cùm Romam venio jejuno Sabbato; cùm hic Mediolani ſum, non jejuno.*

41 Item ex modo, quo preſcribuntur, aliæ ſunt neceſſariæ, quæ traduntur in forma præcepti: ut uſus *aquæ miſcendæ calici: Paſchæ celebratio Dominica* prima poſt lunam quartamdecimam Martii: *Dominicæ ſanctificatio: jejunium Quadrageſimale*, &c. & aliæ liberæ, quæ traduntur per modum conſilii, & ad libitum obſervari, & non obſervari permiſſæ; qualis eſſe poteſt Eccleſiaſtica propriè, & aliqua purè Apoſtolica (cùm divina ſit immutabilis, & neceſſaria) ſic liberæ ſunt v. g. iſtæ: *aſperſio luſtralis aquæ: efformatio crucis in fronte: converſio faciei ad Orientem, dum oratur*; quæ ommittuntur ſine peccato, dummodò abſit contemptus. Vide allegatos.

CAPUT II.

An Sacra Scriptura ſit Judex Controverſiarum fidei?

SUMMARIUM.

1 *Regula, & norma confundi non debent cum Judice, & n. 27.*
2 *Sacra Scriptura non eſt Judex controverſiarum fidei.*
3 *Probatur ex munere Judicis.*
4 *Probatur ex Scripturis.*
5 *Deſcenſus Chriſti ad Inferos à Calviniſtis negatus.*
6 *Judex infallibilis quæritur, ne erretur.*
7 *Litera plures occidit.*
8 *Scriptura per ſe in errorem non ducit, ſed per accidens.*
9 *Senſus literalis duplex;* Grammaticalis, *&* Theologicus, *& quinam?*
10 *Item duplex ſenſus Literalis Theologicus,* proprius, *&* metaphoricus.
11 *Quid ſenſus myſticus Scripturæ?*
12 *Et quotuplex?*
13 *Ejuſdem textus Scripturæ eſſe poſſunt plures ſenſus Literales.*
14 *Regula inveniendi in Scriptura ſenſum Literalem.*
15 *In baptiſmo, ore pronuntianda ſunt verba:* Ego te baptizo, &c.
16 *Hæreſes natæ, ex quo Scripturæ bonæ intelli-*

telliguntur non benè.

17 *In civilibus lex non eſt Judex decidendarum litium.*

18 *Scriptura eſt regula mortua, & norma, juxta quam Judex debet ſententiam pronuntiare.*

19 *Chriſtus adverſùs Judæos pluribus teſtimoniis probavit ſe eſſe Filium Dei.*

20 *Scriptura eſt obſcura.*

21 *Quoad verba clara eſt, non quoad ſenſum.*

22 *Qua ratione Scriptura dicatur lucerna lucens?*

23 *Beroenſes non conſuluerunt Scripturam, ut Judicem.*

24 *Paulus* ad Galat.4. *non provocat ad Scripturam, ut Judicem.*

25 *Judicium ſumi poteſt, tum pro deciſione litis, tum pro norma judicandi.*

26 *Occultorum judicium ſoli Deo convenit.*

27 *Deciſiones Eccleſiæ valorem habent à verbo Dei tradito, vel ſcripto.*

28 *Judicium aliud legis, aliud Judicis.*

29 *Syſtema controverſiæ Auguſtini cum Maximino Ariano.*

30 *S.Clementis, & D.Leonis teſtimonia à Sectariis mutilatè producta.*

31 *Scriptura eſt infallibilis norma Controverſiarum fidei.*

32 *Diſcrimen inter decidere quæſtionem per modum Judicis, & per modum normæ.*

33 *Papa, ut habens aſſiſtentiam Spiritus Sancti, errare non poteſt.*

34 *Papa decidens cauſas fidei, non eſt Judex in cauſa propria.*

35 *Hæreticus eſt, qui reſiſtit judicio Eccleſiæ, quæ nobis ſcripturam, & Traditiones proponit.*

TRadunt Proteſtantes, ut diximus cap. proximè præterito, omnia ad ſalutem neceſſaria clarè, & perſpicuè doceri in Scriptura; & inde concludunt, aliquem articulum non eſſe neceſſarium, ſi eo modo in ſcriptura non reperiatur: contra quos ſatis ibi dictum. Proinde ſtatuunt, ſolam ſcripturam eſſe Judicem, omnemque deciſionem controverſiarum fidei, & Religionis ex ſola Scriptura petendam eſſe, ut per ſe ſufficiente ad omnes controverſias finiendas; eſt enim vox Dei, qui ſupremus Judex eſt, quem omnes timere, & revereri debent, ac ejus judicio ſtare, & parere, ut referunt Valemburgii *tom.1.tr. gener.de contr.fidei tr.1.exam.2.§.1.num.7.& tr.2.method.Auguſtiniana p.2.cap.4.§.10.n.1.*

1 Cæterùm hæc quæſtio, quæ graviſſima eſt, facilè expediretur, ſi terminis Proteſtantes non abuterentur; unicuique enim notum eſt, aliud eſſe regulam, aliud operarium, vel artificem; aliud eſſe legem, aliud eſſe Judicem; aliud Judicem, aliud Legislatorem. Qui dicunt, ſcripturam ſolam eſſe Judicem Controverſiarum confundunt legem cum Judice, niſi per Judicem intelligant normam, regulam, & menſuram, ſecundùm quam judicatur, & Judex ſententiam pronuntiat; quem ſenſum Catholici concedunt, quoniam ſcriptura ſivè explicitè, ſivè implicitè continet omnia ad ſalutem neceſſaria, & fidei dogmata. Verùm quia non omnia expreſſè continet, ſola ſcriptura non eſt norma adæquata, nec ſufficit ad probandos articulos fidei, ſed opus eſt Traditionibus Divinis, ut altera fidei regula. Et neceſſe eſt alio judice, qui controverſias in materia fidei, & morum, ac de vero ſenſu ſcripturæ ſubortas ultimatè decidat, quod agit Romanus Pontifex ex dicendis *cap.5.*

2 Dicendum. *Sacra Scriptura non eſt Judex infallibilis Controverſiarum fidei, & Religionis.* Ita adverſùs Proteſtantes Catholici omnes, Valemburgii cit. Becanus *to.5. Opuſc.3.de jud.Controver.* Leytam. Synopſ. *de Eccleſ.milit. diſcept.4.* Lambrecht. *Scot. Viennen.diſp.1.q.7.to.proemial.n.17.*Guarnieri *de cap.Eccleſ.milit.lib.2.cap.21.§.1.*

3 Probatur. Munus Judicis, & quidem ſupremi, & infallibilis, eſt ita ſententiam deciſivam pronuntiare, ut uterque litigantium clarè intelligat pro qua parte ſit lata, ad effectum, ut partes in judicio acquieſcant, & controverſia finiatur; aliàs niſi id fiat, à lite non ceſſabunt, ſed uterque

que ſuam cauſam æternùm proſequetur: hoc enim eſſe munus Judicis, & Tribunalis ſupremi, ac ea intentione,& fine ad Judices recurri, nulli dubium eſſe poteſt, niſi de voce quæſtionem moveat; At Sacra Scriptura non ita inter litigantes ſententiam pronuntiat: cùm enim viva non ſit, partes litigantes nequit audire. Ergo nec eſt, nec eſſe poteſt Judex Controverſiarũ in materia fidei, & Religionis. Major eſt certa, minor verò, & à Lutheranis,& Calviniſtis concedenda eſt. Quoniam à multis annis, ipſi de nonnullis articulis fidei inter ſe litigant, ut *de reali præſentia Corporis Chriſti in Eucbariſtia: de numero Sacramentorum: Canone librorum Scripturæ*, & aliis; & tamen neutra pars adhuc Scripturam pro legitimo ſuo Judice agnoſcit litẽ dirimente, ſed pugnat eodem ardore, & incertitudine, ut ſibi quælibet vindicet auctoritatem ſcripturæ, pergentque uſque ad diem judicii, niſi Romanæ Eccleſiæ ſententiam audiant: quoniam ſcriptura jam de veritate fidei ſe ipſam aperuit, & quod obſcurè dixit, quantum eſt ex parte ipſius, obſcurum manet.

Dicunt. Neceſſe non eſt, quòd Judex clarè ſententiam proferat: Nam Deus non ſemper clarè ſententiam pronuntiat.

Contra. Conſideranda eſt differentia inter Judicem, & Legiſlatorem. Legiſlator enim, etiamſi aliquando obſcurus, aut ambiguus ſit in ferendis legibus, habet Tribunalia, in quibus decidi poſſunt controverſiæ, quæ [illegible]iri poſſunt ex obſcuritate legum, aut Conſtitutionum, & ita non facit contra ſuum officium, & ſufficienter eſt publico bono proviſum. Judex verò cùm debeat dirimere controverſias, ſi obſcurè in iis dirimendis loqueretur, nunquam lites finirentur; & hinc debet ita clarè pronuntiare, ut litigantes intelligant clarè veritatem judicii, ut ſic, vel ceſſent à litigando, vel, ſi viri boni ſint, ceſſare debeant.

Quare licèt Deus, quatenus eſt Legiſlator, non ſemper clarè loquatur; tamen, ut Judex Controverſiarum eſt, ſemper clarè pronuntiat, ut conſtat in Controverſia, quam illi Moyſes proponit *Num.9.* quid faciendum eſſet cum iis, qui propter immunditiam legalem non poterant cũ aliis celebrare Paſcha. Ad quod Deus clariſſimè reſpondit *v.11.* nimirùm, quòd tales impotentes celebrare Paſcha *die* 14. menſis *primi*, celebrent *die* 14. menſis *ſecundi*, ut optimè Beccanus *cit.§.1 argu. Beccani* ex offic. *Judicis*, ubi alia ponit exempla, & poſt ipſum Guarnieri *cit. à n.*4. & ideò patet, officium Judicis eſſe, ut ſemper clarè, & ſine obſcuritate ſententiam pronuntiet.

Confirmatur. Proteſtantes contra ſenſum Romanæ Eccleſiæ ex verbis Matth.26. *comedite, & bibite ex eo omnes*, dicunt apertè à Chriſto Laicis præceptam eſſe communionem ſub utraque ſpecie. Sed oſtendant, cur non ſit ungendum caput, & facies lavanda, cùm jejunatur, dicente Matth.6. *cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava?* Item, cur non ſervent illud ejuſdem Matth.10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis veſtris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta?* Diſcrimen ſanè ex Scriptura nunquam afferent; nec ſufficienter docebunt, non eſſe obſervanda cętera, ut ſonant, ſi ex textu illo 26. *Matth.* tale præceptum concludunt.

4 Probatur 2. Scriptura multa, quoad ſenſum obſcura, & difficilia continet, propter quod nonnulli, ea proprio judicio interpretantes, in errorem labuntur, dicente Petro *epiſt.2.cap.ult. ſunt quædam difficilia* (in Epiſtolis Pauli) *quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteri Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem*: Ergo Scriptura non eſt Judex controverſiarum: Siquidem Judex obſcurè non loquitur, ſed clarè ſententiam pronuntiat, liteſque dirimit; ad quem effectum eligitur, & ad eum recurritur.

Dicunt. Quamvis ſenſus Scripturæ in uno textu ſit obſcurus, & intellectu difficilis, tamen in alio poteſt eſſe clarus, & mani-

manifeſtus; & ita obſcura ex locis apertioribus explicanda ſunt juxta phraſim Auguſtini *lib.3.de doctr. Chriſt.cap.26. ubi apertiùs ponuntur, ibi diſcendum eſt, quomodò in locis intelligantur obſcuris:* hinc ſcriptura per locum, qui clarus eſt, poteſt ſententiam ferre de alio, qui eſt obſcurus.

Contra 1. Hoc planè Catholicis opponunt Novatores, ſed fruſtrà. Nam ſi ita eſt, cur ipſi hac via finem non ponunt controverſiis, quas inter ſe habent? Cur, cùm contendunt de aliquo textu ſcripturæ, qui obſcurus eſt, ad alium non recurrunt, qui clarus eſt? Vel ſi id agunt: cur altercationes inter eos non ceſſant? Hìc ſilent, cum nihil ad rem valeant reſpondere.

5 Contra 2. Non rarò evenit, ut idem textus Scripturæ, qui uni parti litigantium clarus, & manifeſtus apparet, ab altera obſcurus, & intricatus judicetur; nec alius detur, ad quem pro ſolutione, vel intelligentia recurratur. Sic lis eſt inter nos, & Calviniſtas de vero, ac locali deſcenſu Chriſti ad inferos: Nos illum credimus, & duplici teſtimonio affirmamus: altero ex ſymbolo Apoſtolorum: *deſcendit ad Inferos:* altero ex *cap.2. Actor. non derelinques animam meam in Inferno;* utrumque clarum, & perſpicuum eſſe ſuſtinemus cum Auguſtino *epiſt.164.cap.2.* Calviniſtæ verò illum negant, & fallaci ſua expoſitione, utrumque teſtimonium reddunt obſcuriſſimum. Primum enim hoc ſenſu (& quidem omninò blaſphemo) exponunt; *deſcendit ad Inferos*, hoc eſt, *pertulit in Cruce diros cruciatus damnati, & perditi hominis, ut coactus fuerit, urgente anguſtia, exclamare: Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Ita Calvinus *lib.2.inſtitut.cap.16.§.10. & 11.* Secundum verò ita intelligunt: *non derelinques cadaver meum in ſepulcro.* Sic Beza *in Commentario*, animam in cadaver, Infernum in ſepulcrum contra proprietatem verborum cõmutans, ut notat Tirinus *Comment. ad d. locum*. Quid autem in caſu agendum eſt? Quis Judex eſt adhibendus ad componendam controverſiam? non ſcriptura, nec quidem in alio textu. Siquidem ſi ipſam conſulimus, nihil aliud ipſa dicet, quàm anteà dixit: nullum nec quidem tota eſt additura: De eo autem, quod anteà dixit, Controverſiam Calviniſtæ moverent: ergo per id, quod priùs dixit, controverſia finiri non poteſt; & cùm nihil novi addat, ſed in antiquis terminis maneat, certè per illam lis perpetuò durabit, & Sectarii nunquam ad concordiam vocabuntur, niſi Judicem alium admittant, & quem Catholici audiunt, recipiant.

Nec eſt generale, quòd textus obſcurus per clarum explicetur. Siquidem plurimi adſunt, qui per alios explicari nequeunt. Nec Auguſtinus de omnibus loquitur; quippe ibi *lib.2.cap.6.* addit iſtud adverbium *ferè:* nihil enim, ait, *ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.* Ideò neceſſaria eſt externa auctoritas, & regula viva, quæ dubia decidere certò poſſit; quæ etiam circa intelligentiam ſcripturæ ſæpiſſimè oriuntur.

Quinimò, dum obſcurus per clarum intelligitur, hìc non agit partes Judicis, cujus eſt ore ſententiam proferre, ſed ſolùm eas normæ, & regulæ mortuæ, dirigentis in cognitionem ignoti.

6 Probatur 3. Ille non poteſt eſſe Judex infallibilis controverſiarum fidei, qui ducit hominem in errorem, & eſt occaſio diffidendi, & diſcordandi: nam propterea quærimus Judicem infallibilem, ne erremus. Sed ſæpè Scriptura, ſi nudam illius litteram ſpectemus, & eum contendamus ſenſum eſſe, quem externa littera, & ſecundùm ſonum grammaticalem præſentat, in errorem ducit, & eſt occaſio erroris juxta illud ad Corinth.3. *littera occidit.* Scripturæ enim figuratas locutiones ad litteram accipere, ſervitus miſerabilis eſt, loquitur Auguſtinus *ubi ſupr. de doctr. Chriſt. cap.4. cavendum eſt, ne figuratam locutionem ad litteram accipias; ad hoc enim pertinet,* quod ait Apoſtolus: littera occidit, ſpiritus autem vivificat; *Cùm enim figuratè dictum ſic*

acci-

accipitur, tanquam propriè dictum ſit, carnaliter capitur. Et de utilit. credendi cap.3.ſecundùm allegoriam traditur, cùm docetur, non ad literam eſſe accipienda quædam, quæ ſcripta ſunt, ſed figuratè accipienda. Legendus eſt etiam *lib.1.retract cap.14.nu.1.* ubi commemorat, ſe aliter ea Apoſtoli verba expoſuiſſe in *libro de Spiritu, & littera:* datam verò expoſitionem non retractat, ſed potiùs comprobat.

7 Ita litera occidit Hebræos, qui omnia, quæ in Moyſe, & Prophetis figuratè prædicta erant de Chriſto, intelligebant ſecundùm externam literam; & ſenſum internum ſub externa littera latentem, à Spiritu Sancto intentum nonpercipiebant.

Nec ſolos Judæos, ſed etiam hæreticos litera occidit. Sic Sabelliani, teſte Auguſtino *de hæreſib.hæreſi* 41. dicebant, non eſſe tres Divinas Perſonas, ſed unam tantùm, eamque propter diverſa officia vocabant *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Patrem*, quatenus eſt auctor omnium creaturarum: *Filium*, quatenus ex Virgine aſſumpſit humanam naturam: & *Spiritum Sanctum*, quatenus ſanctificat nos per ſuam gratiam; & inde inferebant, Patrem eſſe paſſum: propterea etiam Patri-paſſioni dicti ſunt. Sed unde adeò manifeſtus error? Ex litera occidente: Secundùm enim externam literam uſurpabant illud *Joan.* 10.*Ego, & Pater unum ſumus*; ex quo colligebant, Patrem, & Filium (adeòque & Spiritum Sanctum) eſſe unum quoad perſonam; Cùm tamen ſecundùm ſenſum Eccleſiæ, & veritatem fidei, ſint unum quoad Eſſentiam, & tres quoad perſonas.

Item. Ariani apud cit.S.Doctorem *hæreſi* 49.dixerunt, Chriſtum non eſſe Deum, ſed Deo inferiorem: explicantes ſecundùm externam litteram verba Chriſti *Joan.* 14.*Pater major me eſt*, hoc eſt, abſolutè major. Cùm tamen fidei, & Eccleſiæ ſenſus ſit, Chriſtum, ſecundùm humanitatem eſſe minorem Deo Patre, ut ex allegato textu, & ſecundùm divinitatem æqualem, juxta illud: *ego, & Pater unum ſumus.*

Item Macedoniani loc.cit.Auguſt. *hæreſ.* 52. ex litera occidente, negabant Spiritum Sanctum eſſe Deum; nam ſecundùm literam intelligebant textum Apoſtoli 1. *ad Corinth.2.Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei:* ex quo ſic diſcurrebant; *qui ſcrutatur, quærit: qui quærit, dubitat: qui dubitat, ignorat; qui ignorat, non eſt Deus.* Ergo Spiritus Sanctus, non eſt Deus. Eccleſia verò locum illum: *Spiritus omnia ſcrutatur*, ſic exponit. *Omnia penetrat, & comprehendit;* quo ſenſu dicitur etiam Deus omnia ſcrutari 1. *Pauli* 28. *omnium corda ſcrutatur Deus.* Vide Tirinum *in Comment. ad d. locum.*

Item. Pelagiani *hæreſi* 87. ubi ſupr. inter alia negabant peccatum originale, concludentes ex litera occidente, peccatum Adæ non poſteris, ſed ipſi ſoli nocuiſſe: ſecundùm enim literam accipiebant illud Ezechiel.18. *Filius non portabit iniquitatem Patris:* Cùm tamen ſenſus illius ſecundùm mentem Eccleſiæ Catholicæ ſit: Filius, qui non eſt particeps peccati Patris, non portabit Patris iniquitatem. Si autem particeps eſt, portabit. Nunc autem conſtat, poſteros fuiſſe participes peccati primi Parentis, juxta illud ad Rom.5. *in quo omnes peccaverunt.* Deus enim iniit pactum cum Adamo, tanquam capite, & radice totius poſteritatis, ut, ſi ipſe non ſervaret præceptum de non guſtando fructu vetito, tam ipſe, quàm poſteri eſſent rei, & tanquam tranſgreſſores ejicerentur de Paradiſo: quod & factum eſt. Propter quam legem poſterorum voluntas continebatur moraliter in Adamo, & hujus peccatum dicebatur voluntarium ipſis, non in propria perſona conſideratis, ſed ut conſtituti erant in primo Parente, ut optimè Theologi, cùm agunt de peccato originali; de qua re videatur Poncius *Theol.diſp.*18.*qu.*4. *num.*18.

Alia non deeſſent exempla, ſed ſatis productis probatum eſt, ſæpè in Scriptura literam occidere, & in errorem ducere; proindeque Scriptura Judex eſſe non poteſt

teſt Controverſiarum, ſed alius quærendus eſt.

Dicunt 1. Ex parte Sacræ Scripturæ error non provenit: eſt enim infallibilis,nec errorem continet, aliàs, ut loquitur Auguſtinus *lib.1.de doctr.Chriſt.cap.37. titubabit fides, ſi Divinarum Scripturarum vacillat auctoritas.*

2. Communiter in Eccleſia recipitur ſenſus literalis Scripturæ, hoc eſt, qui per literam, & verba immediatè ſignificatur; ergo falſum eſt, ſcripturam ſecundùm literam acceptam in errorem ducere.

8 R. Eſt planè infallibilis, ſed illud conſtare nobis non poteſt, niſi ex hypotheſi, quòd ab hæreticis, vel à librariis corrupta non ſit; id verò conſtare nobis haud poteſt,ſublata auctoritate Eccleſiæ, per quam etiam nobis conſtat de vero ejus ſenſu. Pariter *per ſe* non inducit in errorem, ſed eſt verax, etiamſi non monſtretur (hoc eſt, *propter obſcuritatem non penetretur*, ex Aug. *lib.5.de geneſ. ad lit.cap.9.*) Neque enim Scriptura ideò obſcura,ſublimis, & profunda eſt, ut homines fallat, ſed ad alios optimos fines id actum eſt: ad exercitium nimirum noſtræ humilitatis,& ne ipſa contemnatur. Ait enim idem Auguſt. *d.lib.2.& cap.6.de doctr.Chriſt. Ita obſcurè quædam dicta* (Scripturæ) *denſiſſimam caliginem ob ducunt. Quod totum proviſum eſſe non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio revocandum, cui facilè inveſtigata plerumque vileſcunt.* Ideò error *per ſe* non refunditur in ſcripturam, ſed *per accidens*, ratione nimirum pertinaciæ, quod eſt propriè hæreticorum; vel, infirmitatis, & debilitatis intellectus humani, qui res adeò altas, & obſcuras penetrare nequit. Exemplum eſt in Auguſtino, & Hieronymo, qui olim accerrimè pugnarunt, quo ſenſu Paulus *ad Galat.2.* loquatur de ſimulatione Petri. Nec controverſia ex ſola Scriptura ab eis finiri potuit: neque id ex eorum malitia, pertinacia, inani gloria, & ignorantia actum eſt: nam erant ambo viri humiles, & docti. Unde ergo? ex debilitate intellectus non penetrantis ſcripturam, non ſatis clarè ſuam mentem, ad utriuſque captum proponentem. Proinde opus eſt alia auctoritate, & Judice, qui res obſcuras exponat, & litibus finem faciat; alioquin infirmitati hominum, in re adeò neceſſaria,non fuiſſet à Deo ſufficienter proviſum, quod ſine errore ſuſtineri non poteſt. Siquidem Deus in Regno ſuæ Eccleſiæ Tribunal reliquit à quo Controverſiæ de fide, & moribus decidendæ eſſent;aliàs Eccleſia deterioris conditionis foret Regnis temporalibus,in quibus pro civilibus cauſis Tribunalia ſunt erecta, & Judices conſtituti.

9 Ad 2.Ponderetur, duplicem eſſe ſenſum literalem, *Grammaticalem* unum, & alium *Theologicum*. Primus eſt, quem reſpiciunt Grammatici. Secundus, quem Theologi. Grammatici reſpiciunt in ſcriptura ſenſum illum, quem primò ex ſua vi verba Scripturæ ſignificant: ſeù eum, qui intelligentibus res protinùs occurrit; qui proinde obvius dici ſolet. Theologi verò illum in Scriptura quærunt ſenſum literalem, qui eſt ſub ipſis Scripturæ verbis primariò, & per ſe à Spiritu Sancto intentus. Grammaticalis aliquando poteſt eſſe falſus, & de iſto intelligitur Paulus dicens: *litera occidit*, & in errorem ducit: ſed theologicus ſemper verus eſt. Quod patet, cùm de Chriſto dicitur: *vicit Leo de Tribu Juda*: Senſus grammaticalis eſt,quòd Chriſtus ſit verus Leo, hoc eſt, animal rugibile, quod propriè dicitur Leo; & hic ſenſus eſt falſus; ſenſus verò theologicus eſt,quòd Chriſtus ſit homo deſcendens ex tribu Juda, eminens inter alios homines fortitudine, & potentia, ſicut Leo eminet inter animalia, & hic eſt verus.

10 Cæterùm ſenſus literalis Theologicus eſt duplex, alius *proprius*, & alius *metaphoricus*. Primus eſt,quem verba accepta ſecundùm conſuetam, & primariam hominum inſtitutionem ſignificant; ita cùm dicitur: *Chriſtus eſt homo*, ſenſus literalis proprius eſt, quòd Chriſtus ſit verus homo: ſiquidem vox *homo*, juxta proprieta-

tem

tem verborum, & communem hominum inſtitutionem verum hominem ſignificat.

Metaphoricus verò eſt; quem faciunt voces uſurpatæ ad ſignificandum aliquid, præter propriam earum inſtitutionem, & ſignificationem. Sic Chriſtus Dominus dicitur tantùm metaphoricè, *Vitis, Agnus, Leo, Petra*. Neque enim ſenſus literalis eſt tantùm, quem verba quoquomodo exprimunt, ſed quem verba, ſive propriè, ſive metaphoricè accepta, faciunt proximè, & immediatè, ex intentione dicentis. Quocirca in omni ſermone dicitur is eſſe ſenſus literalis, quem voces, & ſecundùm primam impoſitionem propriè, vel ſecundùm orationis contextum impropriè, ſive per ſimilitudinem, & analogiam ſignificant. Circa quod ſi controverſia oriatur, non poteſt à ſcriptura decidi, quę ſemper idem diceret; ideò opus eſt alio Judice.

11 Præter ſenſum literalem datur ſenſus *myſticus*, ſeù *ſpiritualis*, & is eſt, qui per verba remotè, ac immediatè ſignificatur; proximè verò per res ipſas, quas voces ipſę ſignificant. Sciendum enim eſt, quòd ſenſus ſcripturæ aliud non eſt, quàm intelligentia verborum ipſius; vel id, quod Spiritus Sanctus nobis ſignificare intendit: Spiritus autem Sanctus non tantùm vocibus, ſed interdum etiam rebus ipſis utitur ad alias res indicandas, ut patet ex variis parabolis, quas Chriſtus Dominus frequenter uſurpavit. Sic prohibitio illa de non comminuendis oſſibus Agni, ſenſu literali, de Agno Paſchali: Myſtico verò, de Meſſia intelligitur: Agnus enim Paſchalis fuit figura Chriſti Domini.

12 Hic verò ſenſus myſticus, & ſpiritualis (qui in hiſtorico, & literali, velut anima in corpore, continetur) triplex diſtinguitur. Si res, quæ myſticè vocibus ſignificantur, pertineant ad Eccleſiam militantem, & fidem, eſt *allegoricus*; ſi ad morum inſtructionem, & officia charitatis, eſt *moralis*, ſeù *Tropologicus*. Si verò ad ſpem futurorum, eſt *Anagogicus*. Quos omnes ſenſus Lyranus metricè comprehendit, ut infra,

Litera geſta docet: quid credas, Allegoria.
Moralis, quid agas: quid ſperes, Anagogia.

Et eos omnes, ait Caſſianus *collat.* 14. *cap.* 8. unica voce Jeruſalem manifeſtari. Eadem enim *Jeruſalem* quadrifariam poteſt intelligi; *Secundùm hiſtoriam, Civitas eſt Judæorum. Secundùm allegoriam, Eccleſia Chriſti; Secundùm anagogen, Civitas illa Cæleſtis, quæ eſt mater omnium noſtrùm: Secundùm tropologiam, anima hominis, quæ frequenter cum homine, aut increpatur, aut laudatur à Domino.* Hæc ille.

Quos omnes ſenſus, primùm videtur fuiſſe diſtinctos ab Auguſtino *lib.* 1. *cap.* 1. *de Geneſ. ad lit.* ubi ait: *In libris omnibus ſanctis intueri oportet, quæ ibi æterna intimentur* (& eſt Anagogicus) *quæ facta narrentur,* (& eſt hiſtoricus, vel literalis) *quæ futura prænuntientur* (& eſt allegoricus) *& quæ agenda præcipiuntur, vel mandantur;* & eſt moralis.

13 An autem ejuſdem textus ſcripturæ poſſint eſſe plures ſenſus literales?

Negant Novatores, contendentes, unum tantùm eſſe ſenſum literalem Sacræ Scripturæ; & hunc omnibus ita apertum eſſe, ut vel ipſi plebeculę pateat. Quod ſi ita eſt: cur poſſident aurum, & argentum? contra præſcriptum *Matth.* 10. Cur injurias non ſuſtinent, ut Chriſtus *Matth.* 5. præſcribit?

Adversùs quos affirmamus, cum Fraſſen diſquiſit. *Bibil. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 14. Du-hamel *to.* 4. *Theol. cleric. tr.* 2. *de ſcript. Sacr. cap.* 9. Conſentit Auguſtinus *lib.* 12. *confeſſ. cap.* 31. *& lib.* 3. *de doctr. Chriſt. cap.* 27. *Quid*, inquit, *in divinis eloquiis largiùs, & uberiùs potuit divinitùs provideri, quàm ut eadem verba pluribus intelligantur modis?* Et patet ex verbis illis: *ego hodie genui te*. In quibus triplicem ſenſum literalem agnoſcit D. Paulus. Actorum enim 13. vult, illis ſignificari glorioſam Chriſti ex mortuis Reſurrectionem. Ad *Hebr.* 1. æternam Chriſti ge-

generationem; & *cap.6.* ita uſurpat, ut Chriſtum à Patre ad Sacerdotium æternū promotum fuiſſe demonſtret. Ubi videas unam, eandemque ſententiam, etiam teſtimonio Pauli tres admittere ſenſus, eoſque diverſos, & non myſticos, ſed literales.

Cùm verò quilibet Scripturæ locus habeat ſenſum literalem, vel proprium, vel figuratum, & metaphoricum, ut idem Fraſſen reſolvit *n.*11. dubium eſt, an etiam in quovis textu reperiatur ſenſus myſticus? Et ibi *n.*12. negativè reſpondet cum Sancto Auguſtino *lib.*12. *contr. Fauſtum cap.*39. referens etiam Hieronymum ſæpiſſimè reprehendere Origenem, quòd allegoria ubique inquirat, & quidem ita, ut hiſtoriæ *veritatem ſæpè videatur tollere;* ut videri poteſt in *Epiſtola ad Pammachium*, & *Occanum.*

14 Regula verò, qua genuinus ſcripturæ ſenſus literalis poſſit deprehendi, eſt, quòd ipſius verba, ut ſonant, accipienda ſunt, neque ad metaphoras, aut ſenſus improprios inflectenda, niſi ex eiſdem propriè acceptis, ſenſus aliquis abſurdus eliceretur: habetur ex Auguſtino *lib.*8. *de Geneſ. ad lit. cap.*2. ubi. *Sanè inquam, quiſquis voluerit omnia, quæ dicta ſunt, ſecundùm literam accipere, ideſt, non aliter intelligere, quàm litera ſonat, & poteſt vitare blaſphemias, & omnia congruentia fidei Catholicæ prædicare, non ſolùm ei non eſt invidendum, ſed præcipuus, multùmque laudabilis intellector habendus eſt;* alia S. Doctor recenſet *d. lib.* 3. *de Doctrin. cap.*10. Videndus Fraſſen allegat. *nu.*19. & Lauræa *de fide diſp.*3. *art.*3. *&* 6. *§.*5. rem planè examinat. Apud quos extra dubium eſt, ex Pontificum, & Conciliorum Decretis, certiſſimè conſtare de ſenſu literali, & myſtico ſcripturæ. Propterea, dum controverſia de textu aliquo oritur, an intelligendus ſit literaliter, an verò myſticè, ad Eccleſiam, hoc eſt, ad Papam, qui eſt Eccleſiæ magiſter, confugiendum eſt, prout ſæpè factum legimus, ex dicendis *cap.*5.

Hinc conſtat, quàm inſulsè Hetorodoxi, tum plures ſenſus à ſcriptura allegent, unicum literalem agnoſcentes, tum ad alium Judicem à ſcriptura diſtinctum, in dubiis fidei, recurrere renuant, & recurrentes ſugillare non ceſſent: Quam digreſſionem notandam duxi, utpotè ſatis neceſſariam ad rem, de qua in præſenti agitur.

15 Probatur 5. Sunt in Sacra Scriptura nonnulla teſtimonia, quorum verus, & legitimus ſenſus haberi non poteſt, niſi ex traditione, & auctoritate Eccleſiæ: ergo, ſi oriatur controverſia circa hujuſmodi teſtimonia, ſola ſcriptura non poteſt eſſe Judex, ſed oportet confugere ad traditionem, & auctoritatem Eccleſiæ. Exemplum eſt *Matth.*28. Chriſtus dicit: *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Senſus verus, & legitimus eſt, quòd in baptiſmo pronuntiari debeant hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* Vel, *baptizetur Servus Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* (qua forma utuntur Græci) &, quòd validus non ſit baptiſmus, ſine tali prolatione collatus. In quo nobiſcum ſentiunt, & Adverſarii. Sed, ſi quis negaret hunc eſſe ſenſum, ac diceret, opus non eſſe vocaliter pronuntiare hæc verba: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* Sed ſufficere, ut quis, dum baptizat, ea mente retineat, ac intentionem habeat baptizandi, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* Sanè ex ſola ſcriptura revinci non poſſet. Siquidem verba iſta *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* non exprimunt vocalem intentionem trium perſonarum divinarum adhiberi oportere: nec poteſt ex ſcriptura demonſtrari, Chriſtum, in conferendo baptiſmate, illorum verborum prolationem imperaſſe, ut notat Juvenim *comment. Hiſt. de Sacram. diſſert.* 2. *de baptiſ. qu.*4. *cap.* 1. *n.*8. Unde ergo conſtat id opus eſſe? ex traditione, & Eccleſiæ auctoritate. Quod ſi iſtud non recipias, quovis præſidio carebis

bis adverſùs eum, qui vocalem prolationem non eſſe neceſſariam ſuſtineret.

Item, unde tibi conſtat, quòd hæc verba: *Vos debetis alter alterius lavare pedes Jo.* 13. præceptum non ſignificent? non ex Scriptura, cùm ex ea potiùs obligationem importare videantur, propter verbum *debetis*, quod quidem debitum apud omnes concludit: ergo ex Traditione, & Eccleſiæ auctoritate, quæ nunquam eam lotionem, ut neceſſariam uſurpavit; quod planè non egiſſet, ſi divino præcepto putaſſet ſe ad illam obligari. Alia exempla occurrunt, ex quibus aliqua commemoravimus ſupr. *nu.3.*

16 Probatur ult. Qui nimis cortici literæ adhærent, quive Scripturam ſolo Scripturæ ductu interpretari, & intelligere ſtudent, præcipites in errorum, & hęreſum deliramenta ſæpè labuntur, ut dixit Auguſtinus *Epiſt.*120. *ad Conſentium cap.3. omnes hæretici, qui eas* (Scripturas Sanctas) *in auctoritate recipiunt, ipſas ſibi videntur ſectari, cùm ſuos potiùs ſeciuntur errores, ac per hoc, non quòd eas contemnant, ſed quòd eas non intelligant, hæretici ſunt*. *Tract.*18. *in Joan.nu.*1. *Neque enim natæ ſunt hæreſes, & quædam dogmata perverſitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, niſi, dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè, & audacter aſſeritur*. *Lib.7. de Geneſ. ad lit.cap.9. Nec ob aliud ſunt hæretici, niſi, quòd Scripturas Catholicas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones, contra earum veritatem, pervicaciter aſſerunt*. Quare, ad hujuſmodi evitandos errores, regulam tradit. *Lib.1.contr.Creſconium cap.33. Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas; ut quoniam Sancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, eamdem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonſtrat:* ergo ex mente S. Auguſtini non ad ipſam Scripturam in obſcuritate quæſtionis, ſed ad ipſam Eccleſiam, ſine ulla prorſus ambiguitate, recurrendum eſt.

Ex quod ſic diſcurri poteſt. Sacra Scriptura imponit, ut in obſcuris de fide controverſiis, Eccleſiam ſine ulla dubietate conſulamus, & non ſolam Scripturam. Calvinus autem, & Lutherus contendunt, ut in hujuſmodi obſcuritate quæſtionis, ſola ſcriptura, & non Eccleſia conſulatur: cui ergo parendum eſt? certè, iſtis omninò relictis, Deo nobis per ſacras literas loquenti: ergo non ſcriptura, ſed Eccleſia Judex infallibilis eſt.

Opponunt 1. Chriſtus, pro indaganda fidei veritate, mittit nos ad Scripturam Joan. enim 5. dixit: *Scrutamini Scripturas*; quaſi dicat, ſi vultis ſcire, quod ego ſim verus Meſſias, & Filius Dei, legite ſcripturam, quæ teſtimonium perhibet de me; ergo ſcriptura eſt Judex controverſiarum fidei, & religionis.

17 Retorquetur argumentum. Etiam in civilibus pro veritate Juris recurritur ad leges civiles, & tamen leges iſtæ, ut eſt commune, non ſunt Judex, ſed ſolùm norma, & regula mortua, ac inanimis, ſecundùm quam Judex debet ſententiam pronuntiare. Quinimò ſæpè lex eſt obſcura; quandoque una alteri legi contraria; nec tum lex Judex eſſe poteſt, ut patet: ſed opus eſt Judice diſtincto, qui contra, vel pro claro ſenſu legis judicet. Idem dicitur in caſu. Quare.

18 R. Diſtinguitur antecedens. Mittit nos ad Scripturam, tanquam ad Judicem, vel regulam vivam ultimò dirimentem fidei, & religionis controverſias, negatur; tanquam ad normam, & regulam inanimem, & mortuam, ſubdiſtinguitur, ad normam, & regulam adæquatam negatur; inadæquatum, & partialem conceditur antecedens. Et nos fatemur ſcripturam eſſe normam, & regulam fidei, ſecundùm cujus dictamen debet Judex, in dubiis ad fidem, & religionem pertinentibus, ſententiam dicere; verùm non eſt norma, & regula adæquata; ſiquidem plu-

plures ſunt controverſiæ, quæ ſola ſcriptura decidi non poſſunt, ſed opus eſt traditionibus, ut diximus capite priori, ſtatuentes eas cum ſcriptura pro norma, & regula adæquata, in rebus fidei tenenda.

Neque eſt regula viva, ultimatè controverſias decidens; etenim ſi textus ſcripturæ obſcurus ſit, vel, queſtio de vero ipſius ſenſu oriatur, ipſa non poteſt litem dirimere; quod nec Sectarii negare poſſunt: ergo opus eſt alio Judice, & regula viva, quæ dubium tollat, & ſenſum legitimum ultimatè aperiat.

19 Hinc cùm Chriſtus *loc.cit.Joan.* miſit Judæos ad ſcripturas, ad has non ut Judicem, ſed ut teſtimonium ſuæ divinitatis eos provocat. Sciendum enim eſt, quòd Chriſtus, Judæis negantibus, ipſum eſſe Filium Dei, pluribus teſtimoniis ſe eſſe oſtendit. Primò, teſtimonio Baptiſtæ *Joan.1.Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei* 2.Teſtimonio miraculorum, quæ patrabat. *Joan.5.Ego autem habeo teſtimonium majus Joanne: ipſa opera, quę ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me*. 3.Teſtimonio Scripturarum Veteris Teſtamenti: *Scrutamini*, inquit, *Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quę teſtimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*; quaſi diceret, ſi non vultis recipere duo priora teſtimonia, licèt efficaciſſima ſint, tamen non poteritis relinquere teſtimonium ſcripturarum, de quibus adeò gloriamini. Ipſæ planè, ſi eis attenditis, perhibent teſtimonium de me, quòd ſim Meſſias à Deo promiſſus. Quare ergo non creditis? Ideò textus adversùs nos nihil omninò probat.

Dices. Scriptura per ſe clara, & perſpicua eſt: eſt enim lucerna lucens in caliginoſo loco 2.*Petri cap.1.& pſal.18.Præceptum Domini Lucidum, illuminans corda*: ergo ad quid opus eſt alio Judice? propter quod Beroenſes *Actor.17.* diligenter Scripturas inveſtigabant, an, quæ Paulus prædicabat, ita ſe haberent.

20 R.1. Negatur Scripturam ubique per ſe eſſe claram, & apertam; ſiquidem in pluribus eſt obſcura, teſte illo Eunucho *Actor.10.Quomodo poſſum intelligere, niſi aliquis oſtenderit mihi?* Ubi verò clara eſt, ſub ratione ſolùm normæ, & regulæ inanimis id ei competit. Nec agit partes Judicis, cùm Judex viva voce poſſit repetere, quod dixit, dum norma, & lex idem ſemper, & eodem modo obſcurè, vel clarè exprimant.

Quinimò, ſi Scriptura per ſe adeò clara eſt, cur Calviniſtæ, & Lutherani ita inter ſe uſque modò altercantur, in intelligendis Scripturæ locis, ut *de præſentia reali Corporis Chriſti in Euchariſtia*, aliiſque? ergo, neceſſe eſt, fateantur, quòd Judex talis controverſiæ non ſit ſcriptura, ſed alius à Scriptura diſtinctus.

21 R.2. Diſtinguitur antecedens. Per ſe clara eſt quoad literam, & verba conceditur; quoad ſenſum, qui à Spiritu Sancto intenditur, negatur univerſaliter. Quoad hunc enim in multis locis eſt obſcura. Sic eſtò litera, & verba hujus Scripturæ: *Hoc eſt corpus meum*, ſint clara, non ſolùm Hæreticis, verùm & Judæis, Turcis, ac Paganis, ſufficienter de regulis grammaticę inſtructis, tamen ſenſus illius eſt nimis obcurus; propter quod tot controverſiæ inter Hæreticos excitatæ ſunt de ſenſu illius Formæ. Calvinus ea verba intelligit in ſenſu metaphorico, adeò ut ſenſus per eum ſit: *Hic panis eſt figura corporis mei*, & inde ait, Sacramentum Euchariſtiæ continere figuram Corporis Chriſti. Lutherus verò ſic uſurpat, ut corpus Chriſti ſit ſimul cum pane ſub ſpeciebus Euchariſticis; & Corpus Chriſti non ſit in Euchariſtia, niſi in actuali tantùm uſu, & ſumptione: Quos cum ſuis erroribus damnavit Tridentinum *ſeſſ.13.can.1.2. & 3.* Quare ſenſus Catholicæ Eccleſiæ eſt, quòd poſt conſecrationis verba, deſtructa ſubſtantia panis, Corpus Chriſti verè, & realiter eſt ſub ſpeciebus Euchariſticis; ſub quibus tamdiù eſt, quamdiù in eo ſtatu ſunt, ſub qui-

quibus deberet connaturaliter eſſe ſubſtantia panis, ſi ſub illis eſſet: ut notat Poncius cit. *diſp.44.q.9. num.*84. Du-hamel Theolog.Cleric. *tom.3.diſſert.3. capit.5. quæritur* 4.

22 Scriptura ibi à D.Petro non abſolutè lucerna nuncupatur, ſed quaſi *Lucernæ* comparatur *Lucenti in caliginoſo loco*, ideſt, in nocte, & tenebris hujus ſæculi, exiſtenti ſupra candelabrum publicæ, atque infallibilis auctoritatis Eccleſiæ, ut legit Ambroſius *lib.7. in Lucam cap.*52. apud Tirinum *comment.in d. loc. Epiſtolæ*. Ideò Scripturæ claritas, ab Eccleſiæ propoſitione, & interpretatione pendet.

Aliter textum exponunt alii Doctores apud Beccanum *cap.1 nu.*72. qui tradit ex eo nihil aliud colligi poſſe, quàm Prophetiam veteris Teſtamenti eſſe obſcuram reſpectu noſtri, & lucere in caliginoſo loco, quatenus per umbras, figuraſque cęremoniarum exhibebat Chriſtum, non pręſentem, ſed futurum. Sed quid ad controverſiam præſentem?

23 Nec textus ex *Actor.*17. favet Sectariis, quoniam Beroenſes divina Scripturarum teſtimonia, non ut Judicem, ſed tanquam teſtimonium conſuluerunt; cùm enim audiſſent Paulum citare quędam teſtimonia veteris Teſtamenti, quibus docebat Chriſti mortem, & reſurrectionem; ſcrutabantur, an iis ipſis teſtimoniis conſentanea eſſent, quæ ab eo divulgabantur: non quidem ex intentione, quaſi dubitarent de morte, & reſurrectione Chriſti; cùm jam ſatis confirmata eſſet ab Apoſtolo per virtutem miraculorum (2. *ad Theſſalonic.*1.) ſed ut magis in fide confirmarentur, ſi reperirent ea, quæ Paulus prædicabat, multò ante per Prophetas fuiſſe prævisa, & præſignificata, ut ubi ſupr. Beccanus *num.*138.

Opponunt 2. D.Paulus in controverſia cum Galatis, de ceſſatione legalium, provocavit ad ſcripturam, ut Judicem, volens enim ad *Galatas* 4. veritatem oſtendere, dixit: *Sed quid dicit Scriptura? Eiice ancillam, & filium ejus, non enim heres erit filius ancillæ, cum filio liberæ*: ergo, &c.

Confirmatur. Qui in controverſiis fidei, & religionis explicat judicia Domini, ille loco ipſius fungitur munere Judicis ſupremi, & infallibilis. Sed Scriptura id agit: ergo ſcriptura, &c. major patet; etenim Deus eſt ſupremus, & infallibilis Judex controverſiarum. Iſajæ 33. dicitur: *Dominus Judex noſter, Dominus legifer noſter. Jacobi* 4. *Unus eſt Legiſlator, & Judex, qui poteſt perdere, & liberare*. Idem verò eſt, ſive Deus viva voce, ſive ſcripto ſuam ſententiam pronuntiet. Minor etiam liquet variis Scripturæ teſtimoniis, in quibus verbum Dei, ejuſque præcepta appellantur *judicia Domini*.

24 R. Negatur antecedens. Ibi Apoſtolus non ad Scripturam, ut ad Judicem appellat, ſed ab ea teſtimonium accipit, ut veritatem confirmet. Siquidem ipſe *cap.*5. ut Judex ſententiam dedit illis verbis: *Ecce ego Paulus dico vobis, quòd ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*.

25 Ad confirmationem. Accepto judicio pro ſententia Judicis, aut actuali deciſione controverſiarum, quam Judex facit inter partes litigantes, falſum eſt ſcripturam explicare Judicia, ſeù præcepta Dei: quoniam, orta ſuper illis controverſia, litem dirimere non poteſt, cùm idem, & eodem modo ſemper dicat. Accepto verò judicio pro lege, norma, vel præcepto, planè explicat Dei Judicia, quia comprehendit legem, & normam, quę ab Judice ſervanda eſt, in deciſione ferenda, non totalem, ſed partialem, quippe totalis, & adæquata norma, integratur ex ſcriptura, & Traditionibus: nam omnia Apòſtolis revelata, ab eis non fuerunt ſcripta, ut ex Auguſtino dictum eſt *cap. præter nu.*38.

Quòd autem in Scriptura pro eodem ſumantur *judicia, & Dei præcepta*, patet *Exodi* 24. *Moyſes narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia*: hoc eſt præcepta judicialia, de quibus *cap.*21.22.*&* 23. actû

erat,

erat, quę ad juſtitiam exercendam ſpectabant, ut allegat Beccanus *cap.3.n.11.*

26 Teſtimonia producta ex Iſaja, & Jacobo non agunt de Judice controverſiarũ fidei, & religionis inter litigantes, ſed de Judice factorum, & conſcientiarum, quas Deus ſolus judicat: textus Jacobi eſt apertus: *Unus*, inquit, *eſt Legiſlator, & Judex, qui poteſt perdere, & liberare. Tu autem, quis es, qui judicas proximum?* Occultorum enim judicium, non homini, ſed ſoli Deo convenit.

27 Quare omnia Scripturæ teſtimonia, quæ adversùs nos adduci poſſunt, nihil aliud petunt, quàm, quòd à ſcriptura (non excluſis tamen Traditionibus divinis) tanquam à norma, vel regula debeat peti doctrina de fide, & moribus, & quòd ipſa ſit norma, juxta quam judicat Eccleſia, & controverſias dirimit; quæ Pontificum, Conciliorumque fuit praxis, à quibus in controverſiis decidendis conſideratum eſt, quid ex ſcriptura deduceretur, & per Traditiones haberetur, ut litibus finem ponerent. Unde, ſi petatur, quęnam ſit cauſa, quòd agnoſcamus Arium, Sabellium, & alios Hæreticos meritò damnatos eſſe, & pro hæreticis habendos? Reſponſio eſt in promptu; ex parte Judicis, cauſa legitima damnationis Hæreticorum alia non eſt, quàm deciſio, & auctoritas Eccleſiæ, ſeù Romani Pontificis: ex parte verò normæ eſt auctoritas verbi Dei, ſive ſcripti, ſive traditi; propter quod Eccleſiæ deciſiones valorem habent.

28 Pariter conſiderandum eſt, quòd duplex eſt Judicium, Legis, & Judicis. Lex dicitur judicare, quia qui peccat in legem, per ipſam legem jam morti eſt adjudicatus, quoad reatum, ſeù obligationem, licèt Judicis ſententia non ſit lata. Judex vero dicitur judicare, quia in legis tranſgreſſores profert ſententiam mortis, quoad executionem. Exemplum eſt in committente homicidium, qui eo ipſo momento, quo illud committit, condemnatur à lege, tanquam mortis reus, & poſteà condemnatur à Judice, ut mortem reipſa ſubſtineat. Ita, qui in Chriſtum non credunt, ſunt quidem judicati per legem, dicente *Joan.3. Qui non credit, jam judicatus eſt*; quatenus æternæ damnationis eſt reus, propter legis tranſgreſſionem, ſed nihilominus in die Judicii à Chriſto judicabitur, qui in eum ſententiam publicè feret damnationis, quoad executionem.

Quæ omnia aptiſſima ſunt ad ſingula diſſolvenda objecta à Sectariis ex Scriptura adversùs reſolutionem confarcinata:

Opponunt 3. Auguſtinus *lib.2. contra Maximinum cap.14.n.3.* in controverſia; an Filius divinus ſit *homouſion*, ſeù conſubſtantialis cum Patre Æterno: Maximino id negante, ad ſcripturam provocavit, dicens: *Sed nunc, nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris: Scripturarum Auctoritatibus, non quorumque propriis, ſed utriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione, concertet*: ergo, ex Auguſtini ſententia, Scriptura eſt controverſiarum Judex.

Confirmant ex *Epiſtola* 10. *D. Leonis ad Flavianum*, qui de Eutychete loquens, aſſerit: *in rebus ipſis obſcuris, ad ſacras litteras recurrendum*. Propterea ex S. Clemente *Epiſtola* 5. tradunt, *eum Scripturam appellare integram, & firmam veritatis regulam*. Si autem integra eſt: Ergo & adæquata; ac proinde ſola ſufficiens, & alià non indigens.

29 R. Poterat Auguſtinus Verbum Dei in Concilio Nicęno propoſitum, ut mediũ probando aſſumere, ſed ex benignitate voluit aliam viam ingredi, ut magis conſtaret, hæreticos omni fundamento deſtitui; ideò hac phraſi cum Maximino uſus eſt: inter nos diſputatio eſt, quid ſit Homouſion? ego provocavi ad Concilium Nicęnum, quod tu, ſciens ab eo damnari, ut Judicem non admittis.. Tu provocaſti ad Concilium Ariminenſe, quod ego non admitto, utpote ab Eccleſia rejectum; ergo,

go, ut litem finiamus, quæ inter nos eſt, diſputemus ex Scriptura, non quacumque, ſed ex illa, quam ambo admittimus. Et inde habetur, quod Auguſtinus in eo genere litis paratus fuerit cum adverſario, ex ſola ſcriptura, tanquam ex partiali norma, diſputare, omiſſa pro tunc auctoritate Niceni, & proinde dixit (ſed nunc) ut, ex principiis ab adverſario admiſſis, ipſum etiam torqueret. Sic etiam Catholici, in materia de libero arbitrio, vel de Eccleſia ex ſola ſcriptura, tanquam ex partiali forma, parati ſunt cum Lutheranis diſputare; ubi tamen iſti non acquieſcunt, Eccleſiæ judicio debent parere.

30 Textus D. Leonis ex integro non producitur, ſed mutilatus à Sectario datur, prout ex Coſtero in *Apolog. pro 2. p. Enchir. contra Gomarum Calviniſtam*, notavit Seſſa *Scrutin. Doctrin. cap. 2. art. 10. num. 13.* reportans S. Pontificem reprehendere Eutichetem, non quòd Scripturas non legerit, ſed quod doctioribus, & ſapientioribus non crediderit, privatumque, & proprium ſenſum judicio Eccleſiæ prætulerit.

De germano itidem ſenſu teſtimonii S. Clementis patet apud *cit. nu.* 15. Gomarus fuit Traditionibus infenſus; verùm eas Sanctus Pontifex admittit: ibi legitur: *Cùm enim*, inquit, *ex divinis Scripturis integram* (in ſuo genere) *Quis*, *& firmam regulam veritatis ſuſceperit, abſurdum non erit, ſi aliquid etiam ex Traditione, ad aſſertionem veri dogmatis, conferat.*

Opponunt 4. Qui primariò, & infallibiliter terminat, & definit quæſtionem de Eccleſia, & ejus capite, ille eſt ſupremus, & infallibilis controverſiarum Judex: ſed ſola Scriptura primariò, & infallibiliter terminat, & definit quęſtionem de Eccleſia, & ejus capite: ergo ſola ſcriptura, &c. Probatur minor: Catholici ex ſcriptura probant Eccleſiam eſſe infallibilem, & Pontificem eſſe Caput illius: ergo ſola ſcriptura, &c. ergo ſola ipſa eſt Judex: neque alius eſſe poteſt Judex: non Pontifex: Tum quia, de ipſo eſt quæſtio; nemo autem eſt Judex in cauſa propria. Tum quia, Pontifex eſt fallibilis, *quia omnis homo mendax ad Rom. 3.* Scriptura verò eſt infallibilis: ergo ſcriptura, & non Pontifex, eſt controverſiarum Judex. Ita Gardius Calviniſta apud Beccanum *cap. 3. n. 2.*

31 R. Argumentum nil plus concludit, quàm quòd, qui per modum Judicis terminat quæſtionem de Eccleſia, & ejus capite, ſit infallibilis controverſiarum Judex; qui verò per modum normæ eam quæſtionem terminat, ſit ſuprema, & infallibilis norma illius controverſiæ. Scriptura autem, ſolùm per modum normæ, terminat illam quæſtionem: ergo eſt illius controverſiæ ſuprema norma, non verò Judex.

Dicitur *illius controverſiæ*, quia falſum eſt ſcripturam eſſe ſupremam omnium controverſiarum normam. Siquidem, ut ſæpè dictum eſt, duplex eſt norma, ſcriptura, & Traditio: quędam enim controverſiæ terminantur per ſcripturam, & quędam per Traditiones.

32 Differentia verò, quæ reperitur inter terminare quęſtionem per modum Judicis, & per modum normæ, eſt quòd Judex terminet per modum cauſę efficientis; & inde quod ſemel dixit, poteſt repetere; atque adeò, ſi quid obſcurè ſemel ab eo dictum eſt, poteſt clariùs ab eo poſteà explicari. Norma verò terminat per modum cauſæ exemplaris, & menſuræ; propter quod ſemel dictum non repetit; ac proinde, quod ſemel ab ea obſcurè dictum eſt, manet obſcurè dictum, quantum eſt ex ejus parte: exemplum ponitur; quòd, ſicut aliud eſt Architectus, qui domum ędificat, & aliud Idea, ſecundùm quam ędificat; ſic aliud eſt Judex, qui effectivè definit controverſiam; & aliud norma, ſecundùm quam controverſia definitur, & terminatur.

Quapropter Catholici, ex Scriptura tanquam ex norma, probant Eccleſiam eſſe infallibilem. Quòd verò Romanus Pontifex ſit illius caput, non quidem prima-

marium (quod eſt Chriſtus) ſed ſecundarium, ſeù Vicarium, probant partim ex ſcriptura, partim ex traditione, ex dicendis ſuo loco.

33 Utique ſcriptura eſt infallibilis norma, tamen cùm in quibuſdam ſit obſcura, *quoad nos* eget Judice, qui infallibiliter decernat, quis ſit ejus legitimus ſenſus. Hic verò Judex eſt Romanus Pontifex ſive in Concilio, ſive extra Concilium; qui licèt, quatenus filius Adæ poſſit errare, tamen, quatenus habet aſſiſtentiam Spiritus Sancti, in rebus ad fidem, & mores pertinentibus ipſum errare eſt impoſſibile, ſed eſt infallibilis; ſicut, ob directionem Spiritus Sancti, omnes fuerunt Prophetæ, & Apoſtoli, de qua re expreſſiùs *contr.*7.

34 Cùm verò additur, quòd ubi quæſtio ſit, an Pontifex ſit Judex controverſiarum, ipſe in hac ipſa quæſtione Judex eſſe non poſſit, quia nemo eſt Judex in cauſa propria: ergo in controverſia, an Scriptura ſit Judex controverſiarum, ipſa judicare non poteſt. Vel, ſi ipſa per Sectarios judicet, deſinant conqueri de Papa. Verùm, Papa non judicat in cauſa propria, ſed in cauſa Eccleſiæ, defendens poteſtatem, quam ſibimet collatam credit Eccleſia. Et ita non defendit cauſam propriam, ſed ordinationem Divinam, qua ipſe conſtitutus eſt Eccleſiæ Caput; prout alibi fuſiùs.

Dices: ergo eodem modo ſcriptura eſſe poteſt ſui ipſius Judex.

R. Negatur ſuppoſitum. Priùs probandum eſt, quòd ſit Judex.

Inſtant. Hoc inde probatur, quòd ſtatim quis Hæreticus cenſetur, ac negat veritatem aliquam, in Scriptura revelatam.

35 R. Hoc item probaret Traditionem divinam Judicem eſſe, quod Sectarii non admittunt; nam Hæreticus etiam eſt, qui traditiones divinas inficiatur. Ideò

R. Planè hęreticus eſt negans veritatem, quæ ſit expreſſa in Scriptura, vel ex manifeſta traditione conſtet: non verò ſi obſcurè in illis habeatur. Quoniam ſi expreſſa non ſit, ſed implicitè tantùm, & obſcurè jaceat, non certò conſtat, quòd in illis ſit contenta, & revelata; conſequenter, licèt ſit de fide *quoad ſe*, non eſt tamen de fide *quoad nos*, ſeù nos non obligamur ad illam expreſsè credendam: propterea hęreticus nondum eſſet, qui eam negaret, quia non reſiſteret judicio, & propoſitioni Eccleſiæ, quæ reſiſtentia ad hæreſim eſt neceſſaria, dicente Auguſtino lib.4. de baptiſ.contr.Donatiſt.cap.6. *Iſtum nondum hæreticum dico, niſi, manifeſtata ſibi doctrina Catholicæ fidei, reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit*. Si verò ſit expreſſa in Scriptura, vel in Traditionibus manifeſta, eſt ſufficienter per Eccleſiam propoſita; cùm Eccleſia Scripturam, & Traditiones nobis proponat; ut definitum etiam legitur à Tridentino *Seſſ.*4. *de Canon.Script.* Ac proinde hæreticus foret, illam quiſquis negaret, quia Eccleſiæ reſiſteret.

Dices. Hæreticus ergo eſt, non qui reſiſtit Verbo Dei revelato, ſed qui reſiſtit Eccleſiæ judicio, & propoſitioni.

R. Negatur conſequentia. Ideò enim hæreticus eſt, qui Eccleſiæ judicio reſiſtit, quia ei reſiſtens, reſiſtit Verbo Dei, toties Eccleſiam commendanti, & dicenti Matt. 18. *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*. Tum quia, Eccleſia Dei Verbum proponit; & hinc contradicens Eccleſiæ in cauſa fidei, veritati à Deo revelatæ contradicit.

Repetunt. Qui tenet, & ſequitur quod Scriptura dictat, non poteſt errare: ergo Scriptura infallibiliter dirigit, & eſt Judex.

R. Sequitur dumtaxat, quod ſit norma infallibiliter proponens veritatem. Si enim quæſtio excitaretur, an Scriptura ſit Verbum Dei, vel, de legitimo ejus ſenſu, ipſa judicare non poſſet, quia de ipſa controverteretur. Quare equidem in ſenſu compoſito errare non poteſt, qui tenet, quod Scriptura dictat; verùm multi errant, & clamant ſe tenere, & ſequi, quod ſcriptura dictat, cùm tamen non ſequantur, nec teneant, niſi quod privata, erronea,

nea, & mendax perſuaſio ipſis ſuggerit: cujuſmodi ſunt omnes hæretici; qui ideò errores contra fidem admiſerunt, quia privata potiùs perſuaſione errori obnoxia regi, quàm auctoritate publica Eccleſiæ duci voluerunt; non enim ſingulis fidelibus promiſſa eſt infallibilitas apprehendendi fidem ex Scriptura, ſed promiſſiones factę ſunt Eccleſię Capiti, ne fideles omni vento doctrinæ circumferantur.

CAPUT III.

An Spiritus privatus ab Acatholicis aſſertus, ſit Judex controverſiarum, de rebus fidei, & Religionis?

SUMMARIUM.

1 *Opinio Sectariorum de Spiritu privato Judice controverſiarum fidei.*
2 *Spiritus privatus Acatholicorum non eſt Judex controverſiarum.*
3 *Spiritus privatus ad hæreſes aditum parat.*
4 *Spiritus privatus, à Deo, Eccleſia, naturali dictamine, & Auguſtino reprobatus.*
5 *Ex Spiritu privato incommoda quàm plurima emergunt.*
6 *Sacræ Scripturæ interpretatio ex privato Spiritu prohibetur.*
7 *Spiritus probandi, an ex Deo ſint; & qua ratione id cognoſcatur!*
8 *Hæretici factis negant Chriſtum in carne veniſſe.*
9 *Hæretici in circulo vitioſo agitantur.*
10 *Catholici Romani à circulo vindicantur.*
11 *Cauſa movens ad acceptandam fidem.*
12 *Duo, in diverſo cauſæ genere, ſunt ſibi mutuò cauſæ.*
13 *Fides divina reſolvitur in revelationem Dei, ut in rationem formalem intrinſecam motivam credendi.*
14 *Reſponſa ad loca Scripturæ ab hæreticis objecta.*
15 *Hæreſis Cerinthi, & Baſilidis.*
16 *Auxilium Spiritus Sancti, Unctio ab Auguſtino nominatur.*
17 *Internum auxilium Dei neceſſarium ad credendum.*
18 *Heterodoxi non ſunt oves Chriſti.*
19 *Fides baſis eſt, & fundamentum.*
20 *Tranquillitas conſcientiæ undè habeatur?*
21 *Interpretatio auctoritativa Scripturæ eſt reſervata Romano Pontifici.*
22 *Abſque teſtimonio Eccleſiæ regulariter non creditur fide divina.*
23 *In controverſia de neceſſitate Circumciſionis D. Petrus deciſionem dedit.*
24 *Spiritus Sanctus ducit Eccleſiam in omnem veritatem.*
25 *Auxilium divinum eſt cauſa partialis effectrix aſſenſus fidei.*
26 *Ad credendum fide divina non ſufficit externa propoſitio.*
27 *Datur regula externa viva credendi.*
28 *Ad credendum eſt neceſſaria in voluntate pia affectio.*
29 *Interna illuminatio intellectus nequit eſſe difformis externæ propoſitioni Eccleſiæ.*
30 *Requiſita, ad actum fidei divinæ.*
31 *Regulariter nullus illuminatur ad fidem, niſi prævia notitia Catholicæ religionis.*
32 *Rudes, & parvuli tenentur parentibus obedire.*
33 *Auctoritas Pontificis ad diſcernendam veram a falſa doctrina, non eſt purè humana.*

1 HEterodoxi argumentis Catholicorum convicti ab inſtituto recedunt ſuſtinendi ſolam Scripturam eſſe Judicem controverſiarum, in materia religionis, & fidei: Inde Judicem controverſiarum conſtituunt Spiritum privatum, ſeù internam inſpirationem à Spiritu Sancto procedentem ad diſcernendum ex ſcriptura, quid verum ſit, quid erroneum; quinam ſint articuli omnibus, & ſingulis neceſſarii; qui verò non?

De hoc Spiritu, Reformati hæc ſcribunt, apud Valemburcios *to. 1. controv. 1. append. de tripl. ratione creden. ſect. 2. §. 1. n. 13. Singulos Chriſtianorum, ſi debitè invocaverint*

rint Spiritum Sanctum, poſſe ſine errore, ex Sacra Scriptura lecta, vel audita, quorumcumque hominum, etiam Conciliorum generalium doctrinam expendere, & dijudicare, vera, an falſa ſit propoſita. Item, *non eſſe aliam rationem cognoſcendi, & amplectendi veram fidem, quam, debitè invocato Spiritu Sancto, conſulere Scripturam, ſive legendo in ea verbum Dei, ſive audiendo ex ea verbum Dei.* Quapropter Reformatus interrogatus. I. Quid credat? Reſpondet verbum Dei. Interrogatus II. Unde cognoverit eſſe verbum Dei? Reſpondet, quia, debitè invocato Spiritu Sancto, accepi gratiam à Deo, & Spiritus Sanctus teſtatus eſt in corde meo, hoc eſſe verbum Dei, quod credo, & taliter eſſe intelligendum, uti credo.

Quocirca conſtat eos nomine ſpiritus privati intelligere internam privatam teſtificationem, & illuminationem Spiritus Sancti, lecta, vel audita Scriptura.

Cum quibus concordant etiam Libertini, ſeù Quintiniſtæ; ſed in eo diſſentiunt, quòd iſti divinas Scripturas eſſe ridendas, ſequendumque ſolùm eſſe *Spiritum vivificantem* pronuntient, undè & ſpirituales dici volunt.

Paræus Calviniſta à cæteris Sectariis diſtat, quòd hunc privatum ſpiritum ad infallibiliter diſcernendum ex Scripturis, quid verum ſit, vel non, ponat ſolis electis convenire; omneſque, & ſolos electos, qui ſcripturas legunt, vel audiunt, certos infallibiliter eſſe de ſcripturæ ſenſu, divinaque ipſius auctoritate.

Adversùs quos ſunt univerſi Catholicæ Eccleſiæ Doctores, cum cit. Valemburciis, Beccanus *to.1.opuſcul.opuſculo* 10. Leytan *Synopſ. de Eccleſ.milit.diſcept.1.ſect.2.* Lambrech *Scot.Viennen.q.7.n.17.* Du-hamel *to.4.Theol.Cleric.diſſert.2.cap.2.concl.1.* Scarfò *Sacr.Stromat.ſtromate* 11. Porter *ſecur. Evang. p.2.diſt.4.art.4.* Guarnieri *de Eccleſ.lib.2.cap.21.§.2.* Seſſa *Scrutin.doctrin.cap.2.art.9.n.2.* aliique, cum quibus.

2 Dicendum. *Spiritus privatus Acatholicorum non eſt infallibilis Judex controverſiarum, de rebus fidei, & religionis.*

Probatur. Vel privatus ille Spiritus, occultuſque Spiritus Sancti inſtinctus, ad diſcernendam veram fidem à falſa, eſt cōmunis omnibus Chriſtianis, vel non: Si ſecundum quæ in iſtis erit regula fidei, qua myſteriis revelatis fidem dent? nulla planè; & ita eo ſpiritu deſtituti, erunt extra ſtatum ſalutis; nullus enim ſine fide ſalvari poteſt ex Apoſtolo ad *Hebr.*11. Si verò communis eſt; ergo, non amplius erit privatum Dei donum. Tum quia, ſi eſt omnibus communis, undè inter Sectarios tanta diſſenſio? Fortè Spiritus Sanctus auctor eſſe poteſt diſſenſionum, & erroris? Abſit: horrendum eſt, & hoc cogitare. Ergo ſpiritus privatus Judex non eſt controverſiarum fidei, ſed potiùs controverſias auget, redditque perpetuas.

3 Confirmatur. Hoc ſpiritu admiſſo, ad hæreſes, & Schiſmata amplus aditus patet. Siquidem undè hęc nata, niſi, quia quot capita, tot ſententiæ? Neque ullus ampliùs poterit, ut hæreticus damnari. Diſcurramus juxta erronea Calviniſtarum & Lutheranorum principia. Dicet quis, ex Calviniſta, vel Lutherano, factus Arminianus, vel Socinianus, ſe magno ſtuſtio evolviſſe Sacras Scripturas, & ex eis, invocato Spiritu Sancto, didiciſſe, ſibi non licere in conſcientia, in eorum communione permanere, & inde alia privata conventicula erexit. Hunc Lutherani, & Calviniſtæ hæreticum dicunt. Inſtat ille, quare ego, & non vos? Reſpondent, quia noſtrum judicium eſt infallibile. At ille contra clamat, veſtrum fallibile; nam ego, non vos, interiùs infallibiliter ex ſcripturis, ſum à Spiritu Sancto edoctus. Quis litem erit deciſurus? Sola Scriptura non ſufficit: eorum ſpiritus eſt contrarius. Dicendum ergo omnes mentiri, cùm occinunt Spiritum Sanctum infallibiliter teſtificari in cordibus eorum, quando ex ſcripturis, & juxta ſcripturas judicant: ergo, &c.

Addo contra Calviniſtas. Si omnibus, & ſolis electis communis eſt ille ſpiritus, erantne electi, de quibus Chriſtus *Lucæ* 22.dixit. *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos*? Si erant electi, habebant eumdem ſpiritum, quem Petrus: cur ergo Petro jubetur, ut eos confirmet? Si reprobi, quomodo fratres? hìc hærent; ſed cedant veritati.

4 Amplius. Hujuſmodi ſpiritus reprobatur à Deo, ab Eccleſia, à dictamine naturali, & Auguſtino: ergo Judex eſſe non poteſt, &c. Reprobatur à Deo, Ezechiel 13. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident*; hoc eſt, in cauſis venditant, quod ipſis ſuggerit, non Spiritus Dei, ſed privata perſuaſio, prurigo ſuperbiæ, appetituſque corruptus, juxta Tirinum *comment. in d. locum*.

Reprobatur ab Eccleſia. Quæ Montanum, & Maximillam illicò, ut hæreticos proſcripſit, quò prophetare, hoc eſt, ſuas falſas revelationes privatas manifeſtare cęperunt. Et in omnibus patet, quos, tanquam hæreticos ipſa damnavit. Qui omnes, eſtò contraria credentes, allegant ſe per internum inſtinctum, Spiritu Sancto debitè invocato, ea ex ſcriptura accepiſſe.

Ita Sabellius allegabat ſe intus edoceri, in divinis unam tantùm eſſe perſonam, ſicut una eſt natura. Arius, Filium non eſſe Patri conſubſtantialem. Macedonius Spiritum Sanctum non eſſe Deum. Photinus Chriſtum eſſe purum hominem; & ut alios taceam, quæ abſurda non dixerunt, Lutherus, & Calvinus? Quæ obſcęna, prætextu orationis quietis, ad ſuos privatos ſenſus nonnulla contorquens Sacræ Sripturæ teſtimonia, non evulgavit, & commiſit Michael de Molinos, ab Innocentio XI. cum ſuis erroribus reprobatus? ejus propoſitiones proſcriptæ rem oſtendunt, ut notavi. *Obſervat. doctrinal. adverſùs Quietiſtarum errores*.

Reprobatur à dictamine naturali; nam ſi daretur ſpiritus ille privatus, aut revelaret ſingulis verum, vel falſum? ſi falſum: non eſſet audiendus, nec à Deo venire cenſendus, ſed ab antro tartareo prodiiſſe. Si verum: ergo verum revelaret Lutheranis, revelans eis in Euchariſtia eſſe realiter Corpus Chriſti cum pane: verum item revelaret Calviniſtis, eis revelans, ibi non eſſe Corpus Chriſti, niſi figurativè, ſed panem. Et hinc Spiritus ille ſibi contradiceret, ſimul contradictoria revelans; ſed hoc reprobat ipſa naturalis ratio; ſiquidem Spiritus Sanctus repugnantia, & contradictoria inſpirare non poteſt omninò: eſt enim ſpiritus veritatis, à quo non eſt contradictio, ex Auguſtino *lib.12.Confeſ. cap.25*. ergo & contradicentem ſibi ſpiritum illum privatum damnat.

Tandem. Reprobatur ab Auguſtino, qui loc.cit. in ſpiritum privatum invehens, ajebat. *Domine tremenda ſunt judicia tua, quoniam veritas tua, nec mea eſt, nec illius, ſed omnium noſtrùm, quos ad ejus communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, ut nolimus eam habere privatam, ne privemur ea. Lib.11.cap.2.contr. Fauſtum*, eum reſpondentem teſtimonia ex ſcriptura adverſùs ſe producta, falſata eſſe, & non veræ ſequentibus urget: *Sed dicas: inde probo hoc illius eſſe* (nempe Pauli) *illud non eſſe canonicum ſcilicet, aut authenticum, quia hoc pro me ſonat, illud contra me. Tu es ergo regula veritatis? quidquid contra te fuerit, non eſt verum? quid ſi alius ſimili inſania exiſtat, & dicat: Immò illud, quod pro te ſonat, falſum eſt; hoc autem, quod contra te eſt, verum eſt? quid acturus es? quò te convertes?* Et expreſſiùs *lib.32.cap.29. Manicheos*, quorum quiſque ſe Judicem controverſiarum ſtatuit, arguit, quòd id agerent, *ut omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas, & ſuus cuique animus auctor ſit, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet; ideſt, ut non auctoritati Scripturarum ſubiiciatur ad fidem, ſed ſibi Scripturas ipſe ſubiiciat: non ut illi ideò placeat aliquid, quia hoc illi placuit*.

Adverſùs itaque teſtimonia adeò manifeſta nequit Novatorum Spiritus ſtare, quem

quem ipſi nonniſi inſanè Judicem controverſiarum producunt, cùm ſit ſpiritus erroris, non veritatis, ab Iſaja deſcriptus *cap.19.* dum dixit: *Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis*; cui aptamus illud Daniel.5. *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minùs habens*.

5 Probatur 2. Si Spiritus privatus eſſet controverſiarum Judex Deus malè conſuluiſſet ſuæ Eccleſiæ; at hoc abſque manifeſto errore dici non poteſt: ergo ſpiritus privatus, &c. Probatur ſequela, nam tunc in Eccleſia nunquam terminarentur controverſiæ de fide, & erroribus, eſſentque perpetuæ: unuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundans, hæc poſſet repetere: ego oratione Spiritum Sanctum conſului, à quo intus inſtructus accepi, ex ſcriptura me hoc debere credere, non illud: hos articulos eſſe neceſſarios ad ſalutem, non alios: Sed hoc quid aliud eſt, quàm paci Eccleſię, hominumque ſaluti non eſſe à Deo benè proviſum; ſiquidem fas cuique foret ab alio in negotio fidei diffidere, determinando res fidei, & inde rixas movere.

Nec dicendum; poſſet juriſdictione Eccleſiæ ad unitatem reduci; nam unuſquiſque ſive Sutor, ſive Sartor, Lanius, aliuſque infimæ plebis homuncio, negans in Eccleſia juriſdictionem, ſuperari non poſſet. Qui enim fallaci hac ratiocinatione uteretur: *non teneor ulli injuſtæ juriſdictioni parere: Sed, implorato Spiritu Sancto, ex Scriptura judico injuſtam eſſe juriſdictionem, quæ me cogere intendit, ut à fide recedam, quam in conſcientia cognoſco concordare cum Scripturis*: à Sectariis reprehendi non poſſet. Omnes iiſdem utuntur principiis, omnes unicam rationem amplectendi fidem ponunt; nam omnes ſcrutantur ſcripturas. Omnibus proinde parata ſunt eadem perfugia ad internum inſtinctum, ſuppoſita ſcriptura.

Ubi verò uni negatur, planè idem de aliis dicendum. Quò enim Sacræ Scripturæ legit Calviniſta ſibi Spiritum Sanctum aſſiſtere, ne erret in fidei rebus, quod etiam non præſumatur à Lutherano, Sectariiſque aliis?

Fortè non vident nefas eſſe, tanti momenti rem, quanta eſt æterna, & pendens ex ea ſalus animarum, & Eccleſiæ tranquillitas, committere opinionibus, & hominum inventis, hoc eſt, in perpetua contentionum velitatione relinquere? Hoc ex Judice à Sectariis ſtatuto pullulat, plurimaque incommoda emergunt, recenſita à Valemburciis, *cit.loc.ſect.2.§.5. num.106.* Ideò alia eſſe debet regula, infallibiliter dubia religionis decidens: ab omnibus, tenenda, niſi à vero in rebus fidei aberrare eis placeat. Quæ verò ſit, dicendum *cap.ſequen.*

6 Probatur 3. Apoſtolorum Princeps *Epiſt.2.cap.1.* docet, non ex privato cujuſque ſenſu, & ingenio eſſe ſcripturas interpretandas: ait enim. *Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit*: ergo, dum circa fidem, vel mores controverſia excitatur, non eſt reſolutio à ſpiritu cujuslibet privato petenda; eo enim prætextu, quiſque non ſcripturas, ſed ſcripturarum ſenſus, interpretationeſque, quales ſibi placent, ſequitur.

Dicunt, ſe ſacræ Scripturæ intelligentiam non refundere in ingenii acumen, & vim propriæ ratiocinationis: quoniam vis naturalis ſufficere non poteſt, ad eruenda ex ſcripturis, quæ credenda ſint: Siquidem revelata ſunt ſupra rationem: ſed reſolvere in peculiarem inſtinctum Spiritus Sancti, debitè invocati; ſeù, ut loquuntur, in judicium diſcretionis, quod unicuique, audita ſcriptura, & debitè invocato Spiritu Sancto, competit ad diſcernendum ex ſcripturis, verum à falſo. Hinc tradunt, ſe non propria auctoritate, ſed internè motibus, & illuſtrationibus Spiritus Sancti munitos, occultiſſima Sacræ Scripturæ loca intelligere, & lites dirimere.

Contra. Unde prudenter ſibi perſuadere infallibiliter valent, ſe debitè invocaſſe

Spi-

Spiritum Sanctum, motuſque illos internos à Spiritu Sancto procedere, & non à Sathana, qui nonnunquam ſe transformat in Angelum lucis? Quotquot communem Romanæ Eccleſiæ fidem deſeruerunt, errorumve fuerunt Magiſtri, vel ſequaces, id aſſerunt, & tamen inter ſe diſcordes sūt, circa credenda: ergo eorum deciſiones Deo minimè adſcribendæ, quia non eſt Deus diviſionis; ſed quiſque determinat, quod privata, erronea, & mendax perſuaſio ſibi ſuggerit: hoc quidem manifeſtiſſimum eſt, ſi tanta ſectarum multitudo, & deciſionum diverſitas in rebus credendis ponderetur. Firmum itaque eſt Acatholicorum Doctoribus, tantum unicuique tribuentibus, convenire illud Jerem. 14. *Seductionem cordis ſui prophetant nobis;* & aliud 23. *Viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini.*

7 Quapropter audiant, quid Joannes dicat *Epiſt. 1. cap. 4. Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſint.* Præcepit *Spiritus Sanctus ne omni ſpiritui credamus, & cauſam, cur hoc præceperit,* dixit: *quoniam multi pſeudoprophetæ prodierunt in mundum: jam ibi ſunt omnes hæretici, omneſque Schiſmatici*, ut ait Auguſtinus *Sermon. 182. de verb. Epiſt. 1 Joan. 4.* Duplicem verò modum idem Joannes ibi ponit, unde recognoſcendus eſt ſpiritus veritatis, unde Spiritus erroris. Primus eſt *verſ. 6. qui novit Deum*, ait, *audit nos; qui non eſt ex Deo, non audit nos. In hoc cognoſcimus Spiritum veritatis, & ſpiritum erroris.* Audiant Sectarii, quid dicat Scriptura. Spiritus veritatis in hoc cognoſcitur eſſe veritatis, ſi Papæ, & Paſtoribus ſub eo, à Deo conſtitutis, obediat, ne omni doctrinæ vento circumferatur; ſpiritus autem erroris, per hoc eſſe erroris diſcernitur, ſi declinet ab obedientia Papę, & Paſtorum cum Papa communicantium. A quorum obedientia, cùm ipſi receſſerint, eorum ſpiritus non veritatis, ſed erroris eſt.

Secundus eſt *verſ. 3. Omnis Spiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt.* Et hic audiamus Auguſtinum *tr. 6. in d. loc. Joan. 4. Solvere factis intelligitur ..... ille venit colligere, tu venis ſolvere. Diſtringere vis membra Chriſti, quomodo non negas Chriſtum in carne veniſſe, qui diſrumpis Eccleſiam Dei, quam ille congregavit? Contra Chriſtum ergo venis, Antichriſtus es.* Unde ex Auguſtino, etiam Proteſtantibus grato, ſcripturam explicante, ſpiritus, qui Chriſtum ſolvit, ex Deo non eſt. Spiritus autem privatus Reformatorum, Eccleſiam, quæ eſt Corpus Chriſti, diſſolvit; plures enim conſtituit; ergo ex Deo non eſt.

Dicunt ibi Joannes *verſ. 2.* inquit. *Omnis ſpiritus, qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſse, ex Deo eſt;* ſed Novatores non negant Chriſtum in carne veniſſe: ergo eorum ſpiritus ex Deo eſt.

8 Reſpondet loco allegato Auguſtinus *nu. 12. ergo ſpiritus, qui eſt apud hæreticos, ex Deo eſt, quia confitentur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe.* Hic (Hæretici) *erigunt ſe fortè adverſùs nos Catholicos, & dicunt. Vos non habetis Spiritum ex Deo, ſed nos confitemur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe: iſte autem* (Joannes) *illos negavit Spiritum Dei habere, qui non confitentur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe:* Et ſtatim: *omnes ergo hæreſes Spiritum Dei habent? non ergo pſeudoprophetæ ſunt? nulla eſt ergo ibi deceptio? nulla eſt ibi ſeductio? Certè Antichriſti ſunt, qui ex nobis exierunt:* & infra: *Quiſquis ergo non habet charitatem, negat Chriſtum in carne veniſſe. Hic nunc interroga omnes hæreticos: Chriſtus venit in carne?* Venit: *hoc credo, hoc confiteor. Immò hoc negas. Unde nego? Audis, quia hoc dico? Immò ego convinco, quia negas. Dicis voce, negas corde: dicis verbis, negas factis. Quomodo inquis, nego factis? Tu non habes charitatem, quia pio amore dividis unitatem. Ergo hic intelligite Spiritum ex Deo. Tollis te ab unitate orbis terrarum, dividis Eccleſiam per ſchiſmata, dilanias Chriſti Corpus: ergo ipſe eſt Spiritus Dei, qui dicit Jeſum in carne veniſſe: qui dicit, non lingua, ſed factis: qui dicit, non ſonando, ſed amando. Ille autem non Spiritus Dei, qui*

negat

negat Jeſum Chriſtum in carne veniſſe: negat & ipſe non lingua, ſed vita, non Verbis, ſed factis. Interrogent Proteſtantes Arianos, Macedonianos, Novatianos, alioſve ante ſua tempora hæreticos, an confiteantur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, quid reſponſuros eſſe cenſebunt? Se id confiteri, prout ibi teſtatur Auguſtinus. Propterea Spiritus, qui eſt apud ipſos, ex Deo eſt? planè cum Auguſtino, & ipſi inficiantur: quoniam eſtò lingua fateantur Chriſtum in carne veniſſe, factis tamen reſiſtunt; ſiquidem Chriſtus venit ad congregandam unam Eccleſiam, ipſi autem eam ſuis erroribus, & Schiſmate diviſerunt, & ab unitate receſſerunt; & inde Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, in partes ſecarunt.

Singula hæc agunt Novatores, voce Chriſtum confitentes, ſed factis omninò contradicunt. Chriſtus propter amorem generis humani de Cęlo deſcendit: ſuo Sanguine Eccleſiam fundavit, ipſi ab ejus amore recedunt, qui proximum oderunt, qui ſchiſmate Eccleſiæ unitatem lacerant; quibus aptari poteſt, quod de Marcione hæretico dixit Tertullianus *lib.4. de carn. Chriſt.cap.4.Tu quidem non amaſti, cùm ab Eccleſia, & Chriſti fide receſſiſti*.

9 Probatur 4. Sectarii privato ſuo ſpiritu in Judicem controverſiarum conſtituto, in vitioſo circulo agitantur, quo eò præcisè revertuntur, unde ſunt profecti; ratione proinde carent, qua probent ſuas nugas. Interrogati enim unde *cognoſcant Scripturam Sacram divinam, ſeù verbum eſſe Dei?*

Reſpondent *ex interna unctione, & teſtificatione Spiritus Sancti de hujus Scripturæ veritate*. Si iterùm petatur: unde cognoſcant internam unctionem, & teſtificationem eſſe à Spiritu Sancto? Reſpondent *ex hac Scriptura* Joan.50. *Oves meæ vocem meam audiunt*. Et hęc Scriptura *unde conſtat, quòd ſit divina? Ex interna teſtificatione Spiritus Sancti: Et hæc teſtificatio unde conſtat, quòd ſit à Spiritu Sancto? Ex Scriptura jam recitata*, inquiunt; & ſi iterùm petatur; idem ſemper reſpondent, & ita in vitioſo circulo oberrant, probantes Scripturam per Spiritum, & Spiritum per Scripturam: perinde ac ſi quis diceret, *Mater eſt proba, quia filius dicit: & filius eſt probus, quia mater dicit*. Vel, *Turcica Eccleſia eſt vera, quia Alcoranus dicit; & Alcoranus eſt verus, quia Turcica Eccleſia dicit*. Unde dicendus ſpiritus erroris, juxta illud Pauli 1. ad Timoth. 4. *Spiritus autem* (non hujus, aut illius privati, ſed publicus Eccleſiæ) *manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus* (in quibus ſumus) *diſcedent quidam à fide* (omnes Acatholici diſceſſerunt ab unitate fidei, quam habebant cum Romana Eccleſia) *attendentes Spiritibus erroris*. Et hinc audiant Auguſtinum in *pſal.139.nu.13.* ad illa verba. *Caput circuitus eorum. Quid eſt circuitus eorum? Ut circumeant, & non ſtent, in gyrum eant erroris, ubi iter eſt ſine fine. Qui enim in longum pergit, aliundè incipit, aliundè finit: Qui in gyro it, nunquam finit. Ipſe eſt labor impiorum*; Qui demonſtratur in alio pſalmo (11) evidentiùs: *In circuitu impii ambulant*: ergo eorum Spiritus Judex controverſiarum minimè eſt, cùm ſit ſpiritus erroris.

Dicunt. Hoc idem urget Catholicos Romanos probantes Scripturam per Eccleſiam, & Eccleſiam per Scripturam. Siquidem interrogati, unde ſciant Scripturam eſſe divinam? Reſpondent, *quia Eccleſia ſua infallibili auctoritate id dicit*. Cùm iterùm quæritur, *undè ſciant Eccleſiam, quæ id dicit, habere infallibilem auctoritatem?* Reſpondent, *quia Scriptura id dicit, ut eam audiamus, jubet, & docet eſſe columnam, & veritatis firmamentum*. Si denuò interrogentur, per idem reſpondent; adeòque circulum committunt, & eodem vitio laborant, quod Proteſtantibus opponunt.

10 R. Negatur antecedens. Hoc ad ſolutionis notitiam ſupponendum, quòd circulus tunc juxta Philoſophos committitur, cùm unum per aliud, & hoc per illud probatur apud eum, qui neutrum concedit, & de utroque æquè dubius eſt. Ita ſi quis neget,

neget, & matrem, & filium eſſe probos, circulum committo ei probando matrem eſſe probam, quia filius dicit, & filium probum, quia Mater dicit. Ratio eſt, quia utrumque illi ignotum, & incertum eſt; probatio autem procedere debet à notis ad ignota; vel, à conceſſis ad inconceſſa, ut ex Ariſtotele certum eſt.

Modò, Catholicus de religione agere poteſt apud Gentilem, & apud hęreticum; ſi Gentili, qui nec Eccleſiam, nec Scripturam admittit, probaret, vel ſcripturam eſſe divinam, quia Eccleſia dicit, & Eccleſiam eſſe infallibilem, quia ſcriptura dicit, per circulum curreret, quia Gentilem æquè utrumque latet. Dum verò unum per alterum probat apud eum, qui alterum admittit, & alterum negat, in circulo non revolvitur. Ita, quia Calviniſta admittit Scripturam, & negat infallibilitatem Eccleſiæ: optimè fine circulo convincitur dicendo: Scriptura, quam tu admittis, dicit Eccleſiam eſſe infallibilem: ergo reverà infallibilis eſt.

Quare Catholici in circulo non agitantur. Siquidem non probant Eccleſiam per Scripturam, aut Scripturam per Eccleſiam apud eos, qui utrumque negant, ſed qui alterutram admittunt. Hæreticos enim, qui negant Traditionem, Eccleſiæ infallibilitatem, & Pontificem, convincunt ex Scripturis, quas non negant. Urgent enim hæc teſtimonia, *2. ad Teſſalon. 2. Tenete Traditiones 1. ad Timoth. 3. Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis. Lucæ 22. Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos*, & ſimilia.

Modus iſte probandi uſitatus eſt. Phariſæi admittebant Moyſem, & negabant Chriſtum: quos Chriſtus *Joan. 5.* convincit his verbis. *Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi, de me enim ille ſcripſit.*

Manichæi admittebant Chriſtum, & Evangelium: reiiciebant verò vetus Teſtamentum. Quod revincit Auguſtinus in *lib. contra Fauſtum*, ex quo non ſemel in novo teſtamento teſtimonia ex veteri producantur.

11 Alio item modo Catholici à circulo vindicantur. Conſiderandum eſt aliud eſſe loqui de actu fidei ſecundùm ſe, & aliud de cauſa impellente, & inducente ad fidem: quæ ſunt prorſus diverſa: ut patet exemplo. Eſt Paganus qui legit, vel audit Evangelium. Peto ab illo, an credat, quę legit, vel audit? Negat ſe credere, quia ſunt obſcura, & intellectui nihil apparet, propter quod convincatur ad credendum. Repeto; ſufficit auctoritas Dei, qui illa revelavit. Subdit, hoc æquè obſcurum eſt: Urgeo, ſatis eſt teſtimonium Eccleſiæ, quæ illa proponit. Ait, ſed hoc item obſcurum. Denuò inquiro, an ſaltem paratus ſit credere, & velit imperare intellectui, ut credat? Affirmat, ſi afferantur motiva, quæ prudenter ſuadeant eſſe à Deo revelata, quæ leguntur in Evangelio, & Eccleſia proponit. Produco illi, 1. ſanctitatem doctrinæ 2. modum illum mirabilem, quo fides fuit per orbem univerſum annuntiata, per rudes nimirùm, pauperes, & inermes Apoſtolos. 3. Sanguinem tot martyrum pro illius defenſione fuſum. 4. Conſenſum tot populorum, & nationum doctrinam illam, ut divinam acceptantium. 5. Stupendam tot Gentilium Philoſophorum, Doctorum, & Principum ad eam converſionem. 6. Tot miracula per totum Orbem, pro illius confirmatione patrata. 7. Providentiam, & bonitatem Dei, qui non patitur tot populos, tot miraculis viſis, in errore verſari. His, & ſimilibus permotus, ait ſe judicare, prudenter credi poſſe, & debere, quæ in Evangelio continentur, ac ſe etiam velle deinceps credere, quæ anteà non credebat. Ea enim motiva talia ſunt, ac tanta, ut quemlibet prudentem convincant ad judicandum, doctrinam Evangelicam eſſe à Deo, & imprudens ſit, quicunque id non judicat.

In hoc Pagano duo ſunt aſſenſus. Alter, quo per motiva credibilitatis perſuaſus eſt, ut velit credere Evangelium. Alter quo actu

actu jam illud credit. Hic non nititur motivis extrinſecis credibilitatis, ſed ultimò reſolvitur in Dei revelationem, ut in rationem formalem motivam credendi. Unde, ſi ab eodem quæratur: credat ne, quæ Evangelium continet? Ait, credo: & quare? quia Deus revelavit. Si iterum interpellatur; cur jam ea credat, quæ anteà credere nolebat? quis eum induxit, ut nunc velit credere? Reſpondet, allegata motiva; quibus auditis, imprudentiſſimus fuiſſem, ſi non credidiſſem.

Item, Catholici circulum evitant alio modo. Nam ſi à Reformato Catholicus interrogetur de actu fidei ſecundùm ſe, an credat Scripturam eſſe divinam? Reſpondet affirmativè; & cur? propter ſolam auctoritatem Dei revelantis; & in hoc actu fidei non procedet ulteriùs, quia motivum formale credendi eſt ſola Dei revelantis auctoritas. Item, an credat Eccleſiam Dei eſſe infallibilem? Fateatur, quare? propter eandem Dei revelantis auctoritatem. Hic nullus apparet circulus.

Dices. At nonne eſt revelatum in Scriptura, Eccleſiam eſſe infallibilem? Utique; ergo, ajunt, credunt Eccleſiam infallibilem, propter revelationem factam in ſcriptura. Aliunde credunt, Scripturam eſſe à Deo revelatam, quia id ab Eccleſia proponitur: ergo loquendo etiam de actu fidei ſecundùm ſe, ſcripturam probant per Eccleſiam, cujus teſtimonio certi ſunt de revelatione: Et Eccleſiam per Scripturam; in ipſa enim eſt revelata; & inde in circuitu ambulant.

12 R. Planè ſcriptura commendat Eccleſiam, & viciſſim Eccleſia proponit Scripturam. Verùm nullum circulationis vitium eſt, credere uni propter aliud, & alteri viciſſim propter illud, dum fit ſub diverſa ratione, & in vario genere cauſæ, ut in caſu contingit. Credunt enim Eccleſiam eſſe propter ſcripturam, ſeù propter revelationem Dei, in Scriptura, ut in norma inanimi, factam, tanquam propter cauſam formalem credendi; & credunt ſcripturam propter Eccleſiæ teſtimonium, tanquam per regulam dirigentem, & conditionem proponentem, ſine qua non crederetur. Quapropter Eccleſia Scripturæ, & viciſſim ſcriptura, mutuas ſibi præſtant operas, ſed ſub diverſa ratione. Sic in phyſicis duo ſunt ibi mutuò cauſæ, cùm eſt diverſa agendi ratio. Ita vapor eſt cauſa pluviæ, & viciſſim è pluvia vapores in ſublime tolluntur. Item, Joannes venit, ut teſtimonium perhiberet de lumine, hoc eſt, de Chriſto; ac viciſſim Chriſtus teſtimonium perhibuit Joanni.

13 Hinc Theologi dicunt fidem noſtrã, ut in rationem formalem intrinſecam motivam credendi, ultimò reſolvi in revelationem Dei in ſcriptura, vel Traditionibus contentam, & in auctoritatem Eccleſiæ, tanquam in regulam vivam, externã proponentem, & dirigentem. Quod receperunt à D. Auguſtino *lib. contr. Epiſt. Manich. cap.* 5. dicente. *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas*. Ubi Auguſtinus non loquitur de fide ipſa ſecundùm ſe; nam in hoc ſenſu quidem credebat Evangelio, propter revelationem Dei, aliàs fide divina non credidiſſet; ſed de inductione ad acceptandam fidem; & inquit ſe auctoritate Eccleſiæ, proponentis Evangelium, indnci, & moveri ad recipiendam fidem Evangelii. Ut dixi *contr.* 1. *ca.* 1. *n.* 28. Et dicam *contr. ult. cap. final. num.* 69.

At repetit Paræus Calviniſta, ſe ſcripturam probare per ſpiritum privatum, & privatum ſpiritum per ſcripturam, non apud eum, qui utrumque negat, ſed qui alterum negat, alterum admittit: ergo, ſi hac ratione Catholici circulum vitant, ita de Sectariis dicendum.

R. Via, quæ Catholicis favet, Sectariis bona eſſe non poteſt, ut tutò currant. Catholicorum ergo probatio ſæpe locum habet. Nam multi admittunt ſcripturam, & negant Eccleſiam infallibilem, ut Novatores, qui juxta dicta convinci poſſunt. At nullus mortalium ſpiritum illum privatũ con-

concedit, non Paganus, non Judæus. Catholici commentum eſſe evidentiſſimè probant. Lutherani contendunt cæteros à ſua ſecta alienos, eo privari. Idem de Lutheranis, & à ſe diſſidentibus aliis, Calviniſtæ: ergo effugium, ad quod recurrunt, locum apud eos habere eſt impoſſibile.

Opponunt 1. Quilibet fidelis ſufficienter inſtruitur à Deo, per ſpiritum privatū, ſeù internum Sancti Spiritus afflatum: ergo ſpiritus privatus Judex controverſiarū eſt dicendus. Probatur antecedens variis ſcripturæ teſtimoniis. 1. Iſajæ *cap. 59. Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo. 2. Joan. Epiſt. 1 cap. 2. Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos, ſed ſicut unctio ejus docet nos de omnibus, & verum eſt.... & ſicut vos docuit, manete in eo*. 3. Item ibi *cap. 5. Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*. 4. Idem, *in Evangelio cap. 3. Spiritus, ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis*. 5. Idem ibi *cap. 10. Oves meæ vocem meam audiunt. 6. Ad Rom. 8. Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus Filii Dei. 7. Prima ad Corinth. 2 Spiritualis judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur. 8. Joan. 5. Ego non ab homine teſtimonium accipio. 9. Matth. 16. Caro, & Sanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cælis eſt*. Ergo de vero ſcripturæ ſenſu, & circa dubia fidei, quis ſufficienter inſtruitur per ſpiritum privatum, & ita recurrendum eſt ad teſtimonium internum.

Confirmant. Quem Apoſtoli ſtatuerunt ſupremum controverſiarum Judicem, eūdem, & nos agnoſcere debemus; ſed Apoſtoli ſummum controverſiarum Judicem agnoverunt Spiritum Sanctum, ex ſcripturis loquentem. *Actorum enim* 15. in controverſia, an circumciſio eſſet converſis ad fidem neceſſaria? dixerunt: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*: ergo, &c.

14 R. Negatur antecedens. De falſitate conſtabit ad ſingula reſpondendo. Ad primam auctoritatem: Verba Iſajæ, ut legit Cornelius à lapide in *d. locum*, ſunt Dei ad Eccleſiam. Quare *Spiritus hic*, primò ait, *eſt fidei, & veritatis, qui aſſiſtit Eccleſiæ, ejuſque Capiti Romano Pontifici, ne in fidei definitionibus erret*. Secundò, *Spiritus hic eſt charitatis, & ſanctitatis*. Eccleſia enim Sancta eſt, & ſine charitate eſſe nequit; nec errare poteſt in credendo, propter dependentiam, & directionem à Romano Pontifice; & ideò in ea ſemper erunt Fideles (quamvis hic, vel ille poſſit deficere, & defecerit) qui in unitate fidei conſerventur, ſupremoque viſibili capiti adhęreant, ejuſque definitiones firmiter teneant. Ut dixi *contr. cit. cap. 4. n. 4*.

15 Ad 2. Ibi non agitur de acquirenda fide, ſed de ipſa conſervanda. Joannes loquitur de iis, qui jam in fide inſtructi erant; patet ex verbo; *manete*, & ex præcedenti, *quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat*. Prædicatio ab initio audita, & de fide credita, eſt unctio illa, quam acceperant Fideles, in cujus perſeverantia eos cupiebat Apoſtolus adversùs hęreſes, tum Cerinthi Chriſti divinitatem, tum Baſilidis veram Chriſti humanitatem negantiū. Utramque S. Joannes ſuo Evangelio, & dicta Epiſtola evertit. Quare ibi Joannes non excludit inſtructionem Doctorum Eccleſię ſed Pſeudoctorum dumtaxat. Aliàs ad quid Deus in ſua Eccleſia poſuit Doctores, & Paſtores? Ad quid ipſe Joannes ea prolixa Epiſtola inſtrueret? Hæc videant Libertini negantes omnem Scripturam.

16 R. 2. Cum S. Auguſtino *tr. 3. in cap. 2. d. Epiſt. nu. 13. Unctionem habebant, quibus loquebaris?* (Sancte Joannes) *Tu dixiſti; quia unctio ipſius docet vos de omnibus. Ut quid talem Epiſtolam feciſti? quid illos tu docebas? quid inſtruebas? quid ædificabas?* Reſpondet Auguſtinus. *Jam hic videte magnum Sacramentum, Fratres. Sonus verborum noſtrorum aures percutit, magiſter intus eſt, nolite putare quenquam hominem diſcere aliquid ab homine. Ad monere poſſumus per ſpiritum vocis noſtræ; ſi non ſit intus, qui doceat, inanis fit ſtrepitus noſter*.

Auxilium itaque Spiritus Sancti unctio dicitur ab Auguſtino, quod neceſſarium eſt

eſt ad credendum; licèt enim verbum Dei ab Eccleſia proponatur, non tamen poteſt homo credere fide divina, niſi intus per ſupernaturalem gratiam à Deo adjuvetur. Et Deus, qui intus mentem illuminat, eo modo illuminat, ut ordinem docendi ab ipſo inſtitutum non tollat, ſed regulariter ſupponat; & Romano Pontifici aſſiſtit, ut nobis credenda infallibiliter proponat; eumque audire, ac ſub eodem aliis Paſtoribus obedientiam præſtare tenemur; & ex debita ei obedientia, vult veritatem Spiritus ſui illuminantis cognoſci, juxta illud *Lucæ* 10. *Qui vos audit, me audit.*

17 Ad 3. Non negamus neceſſarium teſtimonium Dei, ut credamus; ſed dicimus de illo teſtimonio ordinariè nobis ſufficienter non conſtare, niſi ſit conforme externo Eccleſiæ teſtimonio, & propoſitioni; aſſenſus enim fidei neceſſariò requirit propoſitionem Eccleſiæ, proponentis verbum Dei; qui enim credit, tenet Deum revelaſſe, & hoc tenet ex teſtimonio Eccleſiæ: ergo ex Eccleſiæ teſtimonio, habet teſtimonium Dei in ſe.

Ad 4. Senſus eſt, quòd viribus naturæ homines non merentur inſpirationes Spiritus Sancti, & Dei gratiam prævenientem, quæ vocat ad fidem, ſed ipſe ex ſua miſericordia vocat, quos vocat; hoc autem non excludit, quin, ut credant, debeant audire teſtimonium externum Eccleſiæ (quod etiam eſt ex Dei gratia) ſed illud neceſſe eſt, juxta illud Apoſtoli *ad Rom.* 10. *Quomodò credent, ſine prædicante?*

18 Ad 5. Oves Chriſti, quæ ſunt? quas Chriſtus Petro commiſit. *Joan.* 21. *Paſce oves meas.* Quomodo autem oves iſtæ audiunt vocem Chriſti? Si audiant ordine ab ipſo conſtituto, & ita per ejus Vicarium, Romanum Pontificem; quod ipſe Chriſtus explicat *d. cap.* 10. Lucæ. *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* Propterea oves Chriſti, ſunt Catholici audientes vocem Romani Pontificis, & tunc à Chriſto internè docentur. Heterodoxi verò non oves Chriſti, ſed Diaboli ſunt pecudes. Eccleſiam enim non audiunt, ſed ejus teſtimonium peſſundant.

19 Ad 6. Hæc interna Spiritus Sancti teſtificatio non tollit teſtimonium externū, & publicum Eccleſiæ; ſicut nec in civilibus teſtificatio luminis naturalis in nobis (quæ in unoquoque neceſſaria eſt ad diſcretionē veri, à falſo) tollit publica magiſteria, & externas inſtructiones. Quinimò illud ſupponit, ſiquidem nullus conſtituitur Filius Dei adoptivus, niſi per gratiam ſanctificantem, quæ adultis non infunditur, niſi ad eam actibus ſupernaturalibus ſint diſpoſiti, quos actus ille fidei præcedit, cùm fides ex Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 8. radix ſit, & fundamentum juſtificationis: actus verò fidei, abſque teſtimonio Eccleſiæ proponentis, non habetur. *Nam fides ex auditu.*

20 Notandum hìc eſt, quòd teſtimonium illud Spiritus Sancti, quo menti, & cordi noſtro teſtatur, nos eſſe filios Dei, aliud non eſt, quàm experimentum pacis internæ, & tranquillitatis conſcientiæ, quæ oritur ex horrore peccati, amore Dei, promptitudine ad obediendum ei, & Spiritus Sancti motibus obtemperandum, ac nobis notum non eſſe gravi aliquo peccato teneri. Ex quibus non certitudo fidei naſcitur, ita ut per ea certi ſimus, & infallibiliter credamus nos eſſe filios Dei, ut contendunt hæretici à Trid. *d. ſeſſ. cap.* 9. damnati. Licèt enim ſigna, quando, & quatenus ſunt à Spiritu Sancto, certa ſint, & infallibilia; tamen quatenus nobis exhibentur, non ſunt niſi conjecturaliter, & moraliter certa, quia certi non ſumus, an à Spiritu Sancto procedant, an à ſpiritu malo, ſe in Angelum lucis transformante: & hinc de noſtra juſtificatione ex illis non poſſumus colligere, niſi certitudinem conjecturalem. Ut notavit Tirinus in *d. loc.* Apoſtoli, & Piconius *comment. ad cit. textum.*

Ad 7. Vir ſpiritualis, ſeu perfectus, non judicat omnia, independenter ab infallibili magiſterio Eccleſiæ, ſed diſcernit ſpiritualia à temporalibus juxta regulas fidei, & auctoritate publica accepta; & hoc modo

do à nemine judicatur, vel condemnatur, ſed tutò judicat omnia; Non enim judicatur à Fidelibus, cùm ab iis non diſſentiat. Incredulis autem eſt ſuperior. Cæterùm, cùm Apoſtolus ait ſpiritualem judicare omnia, agit de judicio diſcretionis, quatenus, dependenter à regulis fidei, ab Eccleſia auditis, diſcernit hæreſim à fide, mendacium à veritate, & ſpiritualia à terrenis, non verò de judicio auctoritatis. Unde, ſi nova quæſtio ſuboriatur circa fidem, aut agatur de interpretatione ſcripturę, non quilibet ſpiritualis infallibiliter judicat, ſed ſolùm Romanus Pontifex, cui ſũt factę promiſſiones nõ errãdi circa fidẽ.

Dices. Nonnulli Patres interpretati ſunt Sacram Scripturam, quorum interpretationes admittuntur in Eccleſia: ergo falſum eſt Pontificem dumtaxat poſſe ſcripturam interpretari.

21 R. Diſtinguitur antecedens, infallibiliter, judicialiter, & auctoritativè, negatur; tantùm doctrinaliter, & probabiliter, conceditur. Duo ſunt genera interpretationis. Unum magiſtrale, ſeù doctrinale, cùm per inveſtigationem rationis, quæritur ſenſus legis; & hanc poteſt facere quilibet doctus; & eſt interpretatio ſolùm probabilis. Aliud eſt auctoritativum, cui ſtatur auctoritate interpretantis; & hæc interpretatio dicitur neceſſaria, neceſſitat enim, ſive obligat ad tenendum ſenſum, datum per eum. Hoc genere interpretationis ſolus Pontifex ſcripturam interpretatur. Ad quem ſpectat, & opuſcula Doctorum in his, quæ ad fidem pertinent, approbare, vel reprobare, ut habetur *in ca. Si Romanorum 16. diſt.*

Ad 8. Chriſtus non recipit teſtimonium ab homine, ſed nos recipimus teſtimoniũ hominum de Chriſto. *Joan.* 1. legitur *Fuit homo miſſus à Deo, &c. ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Actor. 1. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Joan. 15. *Vos teſtimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum eſtis.*

22 Ad 9. Petrus anteà audiverat teſtimonium Joannis Baptiſtę, ipſumque Chriſtum, & ejus miracula viderat. Hinc habuit teſtimonium externum, & internum. Deinde D. Petro quidem non caro, & ſanguis, ſed Pater revelavit; ergo non ſpiritus privatus, qui ſecundùm Sectarios in ſingulis reſidet, ſed ille, ob quem Beatus appellari meruit. Tum quia, nimis præſumunt, ſe D. Petro pares conſtituendo. Tandem, non negamus Deum poſſe per ſe ipſum immediatè inſtruere hominem ſine teſtimonio Eccleſiæ, ut Apoſtolos docuit, & Prophetas; ſed dicimus id via ordinaria non facere, ac voluiſſe, ut crederemus per verbum Apoſtolorum, & Eccleſiæ teſtimonium. Propterea *Matth. ult.* Apoſtolis commiſit, ut Evangelium prędicarent. Actor. *cap.* 8. Eunuchum docuit per Sanctum Philippum: *cap.* 9. Saulus inſtruitur per Ananiam. *Cap.* 10. Monetur Cornelius Centurio vocare S. Petrum, ut ab eo diſcat res fidei: & generaliter, ut quis fidem acquirat, oportet, ut primùm audiat verbum Dei, dicente Paulo *ad Rom.* 10. *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti*, hoc eſt per Evangelii prædicationem: *Quomodo autem audient ſine prædicante?* ergo homines, ſine prędicante, vel proponente, credere non poſſunt.

23 Ad Confir. Negatur minor: Apoſtoli enim non conſtituerunt Spiritum Sanctum Judicem, ut loquentem per ſcripturas, aut unumquemque privatum; non enim dixerunt: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & Scripturæ:* aut *viſum eſt nobis, & Scripturæ:* vel, *viſum eſt Spiritui Sancto huic, aut illi particulari revelanti:* Sed, *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, hoc eſt, viſum eſt nobis,* qui publico docendi munere fungimur, *inſpiratis, & directis à Spiritu Sancto;* qui per ſe immediatè ſententiam non protulit, ſed in controverſia ipſi fuerunt Judices: quod pro nunc ſatis eſt ad ſatis faciendum inſtantiæ. Verùm alibi dicendum à Petro, ut capite cæterorum, ſententiam definitivam prodiiſſe; in cujus ſententiam cæteri

tran-

tranſierunt, ut notat Spondanus *Epiſt.ad an.*51.*nu.*3. Hinc, eo audito, *tacuit omnis multitudo*, ut ait *textus*: licèt ex humilitate ipſe conſenſerit, quòd decretum nomine Concilii ederetur, ex obſervatis à Fagnan. in 1. *ad cap. Antigonus de pact.n.*42.

Dices. *Jeremiæ* 31. dicitur. *Non docebit vir ultra, proximum ſuum*. Etenim Spiritus Sanctus docet nos omnem veritatem, juxta textum *Joan.*16. Ergo externum hominum teſtimonium neceſſarium non eſt, ſed ſat eſt internum Spiritus Sancti.

R. Nonnulli textum Jeremiæ accipiunt, non de hoc viatorum ſtatu, ſed de futuro beatifico, in quo non docebit ultra vir proximum ſuum, ita Annatus *apparat. ad Theol.poſit.lib.*1.*art.*5.*in fin.* Tirinus verò *coment.ad d.locum* exponit pro tempore legis Evangelicæ, adeò ut in eo opus non ſit prolixa, & moleſta inſtructione externa, qualis à Rabbinis adhiberi ſolebat in Synagogis ad perſuadendum hominibus veram unius Dei cognitionem, fidem, cultum, & amorem; ſed in dicto propter majorem illuminantis gratiæ copiam facili negotio, etiam rudes, & pueri, Deo auxiliante, inducuntur ad credendum myſteria, eis externè propoſita.

24 Ad illud Joannis. Concedimus Spiritum Sanctum docere Eccleſiam omnem veritatem, ut nunquam erret. Negamus verò Spiritum Sanctum, ducere unumquēque fidelem in omnem veritatem, ita ut non erret, etiam ſi non ſequatur Romanum Pontificem, qui eſt *regula* viva fidei, controverſiaſque de fide, & moribus, Spiritu Sancto aſſiſtente, infallibiliter decidit. Hinc qui ab ejus ſenſu procul eſt, & propoſitione recedit, falsò ſibi perſuadens à Spiritu Sancto *agi*, & moveri, criminaliter errat, *regulam* vivam, & viſibilem non complectens.

Opponunt 2. Poſita per Eccleſiam externa propoſitione myſteriorum fidei, neceſſaria eſt ex parte voluntatis pia affectio, & ex parte intellectus illuminatio Spiritus Sancti, aliàs nec voluntas poſſet intellectui imperare, ut firmiter adhæreret veritati, quam ex motivis credibilitatis, Deo auxiliante, judicat eſſe à Deo revelatam, nec ipſe intellectus poſſet infallibilem fidei actum elicere; & quicunque aliàs crederet, non fide ſupernaturali, ſed naturali aſſentiretur; ſed hoc quid aliud eſt, quàm convenire cum hæreticis reſolventibus fidem, & deciſionem dubiorum in materia religionis, in internum inſtinctum Spiritus Sancti, quo dicunt ſe interiùs doceri? ergo reverà, etiam in ſententia Catholicorum ſpiritus privatus regula, & Judex eſt controverſiarum fidei.

25 R. Conceditur major: ſed tum minor, tum conſequentia negatur. Auxilium Spiritus Sancti eſt planè neceſſarium ad credendum, & firmiter adhærendum revelatis, ſed eſt ſolùm cauſa partialis effectrix fidei, totalis enim effectiva comprehendit etiam intellectum. Verùm nobis etiam opus eſt regula externa, qua credenda ab iis, quæ non ſunt credenda, ſecernamus; eaque nobis proponit Eccleſia, quòd non eſt hæreticis adhærere.

26 Circa quod notandum eſt, duos fuiſſe errores oppoſitos. Unus eſt Pelagianorum, & Semipelagianorum, qui dixerunt ad credendum ſufficere gratiam externam ſeù externam propoſitionem Eccleſiæ, & Prędicatorum Evangelii, abſque interna illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti; & hic error fuit damnatus in Concilio Auraſicano 11.*can.*7. & contra quos ſæpiſſimè egit Auguſtinus. Alius eſt Recentiorum Hæreticorum, negantium externam regulam vivam infallibilem credendi, & decidendi dubia fidei, ac dicentium non eſſe neceſſariò acquieſcendum judicio Eccleſiæ; ſed unicam regulam infallibilem, ut dictum eſt, eſſe interiorem illuminationem Spiritus Sancti, ſeù privatam perſuaſionem. Utrumque nos hæreticum dicimus, & omninò deteſtamur, nonnulliſque rem profundiùs exponimus, cum Mauro *to.*2.*oper.Teolog.lib.*7.*q.*114.*numero* 21.

27 Primò. Datur regula externa viva, certò, & infallibiliter ultimò decidens controverſias fidei, proponenſque pro toto mundo res credendas, Romanus nimirùm Pontifex. Dicitur *pro toto mundo*, quia ſufficientes ad proponendum objecta fidei, jam firmata, & ſtabilita in Eccleſia, pro omnibus in aliqua Diœceſi exiſtentibus, sũt Epiſcopi Catholici, tam per ſe ipſos, quàm per Parochos, & Prædicatores, ab iiſdem inſtitutos, & miſſos. Ipſi enim tenentur docere doctrinam fidei ſuos populos, juxta illud *Actorum* 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Tum quia, Apoſtolis Chriſtus commiſit, ut docerent, & prædicarent Evangelium; Apoſtolis autem ſuccedunt Epiſcopi ex Trid. *ſeſ.* 23. *cap.* 4. Dicitur *ultimò*, quia dum Concilia generalia controverſias decidunt, ſemper id agunt, cum ſubordinatione ad Romanum Pontificem, à quo confirmationem petunt, ut ex praxi conſtat, & alibi dicturi ſumus. Vide Lauræam de fide *diſp.* 8. *art.* 2. *§.* 2. *& art.* 4.

28 Secundò. Ad credendum ultra propoſitionem Eccleſiæ, neceſſaria eſt in voluntate pia affectio, ſeù interna accenſio Spiritus Sancti, & in intellectu ejuſdem interna illuminatio, de veritate myſteriorum, quæ eſt generalis gratia, à Deo omnibus fidelibus conveniens.

29 Tertiò. Interna illuminatio difformis eſſe nequit, & contraria externæ propoſitioni Eccleſiæ. Nullum enim eſt aliud illius gratiæ interioris certum, & indubitatum argumentum, ut obſervat Duthanel *cit. cap.* 4. quàm humile, & ſubmiſſum Eccleſiæ obſequium. Hinc inſtinctus contrarius Eccleſiæ judicio, & definitioni, non eſt Divinus, ſed diabolicus, qualis eſt aſſertus ab hæreticis, qui nimis præſumunt, & falsò ſibi perſuadent, ſe interioris gratiæ vi, ad credendum moveri, eſtò doctrinæ Eccleſiæ reſiſtant. Et inde non captivant intellectum in obſequium fidei, & Dei revelantis. Siquidem de eo ſic captivare dicitur, qui divino lumine adjutus, & motiva credibilitatis (quæ faciunt evidentiã non phyſicam, ſed moralem de revelatione, quod ſit à Deo, ac oſtendunt dignum eſſe id firmiſſimè credere) conſiderat, & voluntas cæleſti gratia inflammata, non obſtantibus difficultatibus, quæ menti occurrunt, ex parte rei credendæ, imperat intellectui etiam, ut firmiſſimum fidei aſſenſum ex motivo intrinſeco fidei, hoc eſt, quia Deus revelavit, circa myſteria propoſita eliciat.

30 Quare ad actum fidei divinæ opus eſt. I. Conſiderare cum auxilio Dei motiva credibilitatis impellentia, vel inducentia ad fidem. II. Suppoſito ex illis judicio moraliter evidente, quòd myſteria ſint à Deo revelata, cùm myſteria adhuc, quoad veritatem, remaneant phyſicè obſcura, opus eſt, ut voluntas, cæleſti gratia inflammata, imperet intellectui actum firmiſſimum fidei. III. Tandem intellectus, lumine ſupernaturali adjutus, firmiſſimè credit, quia Deus ſummè verax revelavit. Et inde voluntas efficere poteſt, ut actus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium; & oppoſitum damnatum eſt ab Innocentio XI. *propoſitione* 19. inter alias ab eodem proſcriptas. Videatur Viva ad *prop.* 19. *&* 20.

Quartò. De lege ordinaria Spiritus Sanctus neminem illuminat ad fidem; niſi cùm exteriùs illi proponitur myſterium à Prædicatore legitimo, miſſo ab Eccleſia, juxta illud Apoſtoli ad Rom. 5. *Quomodo credent, quem non audierunt? Quomodo audient ſine prædicante? Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* De fama autem dicit. *Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Opponunt 3. Si ſpiritus privatus regula non eſſet tum fidei, tum controverſiarum Judex ſequeretur, quòd non eſſet benè conſultum ſaluti rudium, & parvulorum; eis enim vel ex malitia, aut ignorantia Parochorum poſſent proponi myſteria

non

non revelata, ut, quod *Spiritus Sanctus ſit incarnatus:* quod in *divinis ſint quatuor* perſonæ, & ſimilia, quæ incommoda non ſequuntur, ſi judex, & regula fidei conſtituatur ſpiritus privatus, ſeù interna Spiritus Sancti illuſtratio, qua homines regulentur ad credendum, ergo, &c.

32. R. Negatur ſequela. Catholici Romanum Pontificem regulam fidei vivam, infallibilemque controverſiarum Judicem agnoſcunt, & non Parochos. Tenentur quidem rudes, & parvuli in rebus ſpectantibus ad ſalutem obedire Parochis: verùm, ſi eis proponeretur myſterium, à Deo non revelatum, ipſi fide humana credendo non peccarent: Suppono enim, quòd in errore ſint inculpabiles, & quòd nec de veracitate eorum dubitaverint; quia in caſu dubii tenerentur inquirere; qui certè de errore, & falſitate inſtruerentur. Quinimò nec diù in errore eſſent, ſed vel à doctis, vel aliàs inſtructis veritatem perciperent. Nec Deus ſua illuſtratione deeſſet. Eſt enim Catholicæ religionis veritas adeò manifeſta, ut etiam apud infideles ejus fama audiatur, adeò ut ſint inexcuſabiles.

Dices. Auctoritas Pontificis, ad diſcernendum veram fidem à falſa, & decidendas controverſias in materia religionis, eſt purè humana, & regulariter, ea in re utitur conſilio peritorum, & Theologorum: ergo ipſius definitiones non ſunt infallibiles.

33. R. Argumentum ſolvendum eſt *Contr.*7. ubi ex profeſſo agendum eſt de infallibilitate Romani Pontificis, circa decreta in materia pertinente ad fidem, & mores. In præſenti, ſatis eſt notare cum Leytan *Synopſ. de Eccleſ. milit. p.*1. *diſcept.*1. *ſect.*2. *nu.*17. Quòd auctoritas Pontificis in caſibus expreſſis, nec eſt purè humana, neque purè divina, ſed humana, divina aſſiſtentia roborata: Pontifici enim, habenti publicum magiſterium Eccleſiæ in bonum publicum fidelium, ne circumferatur omni vento doctrinę, aſſiſtit Spiritus Sanctus, & ſuo lumine regit, & dirigit, ne erret.

Inſtant. Ergo ſpiritus privatus eſt regula fidei, & controverſiarum Judex.

R. Negatur conſequentia. Regula enim viva, & Judex eſt Romanus Pontifex, aſſiſtente divino lumine, viſibiliter, ac ſenſibiliter loquens, ut à partibus audiatur; *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam.* Lucæ 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Spiritus autem privatus Hæreticorum nullibi in Scriptura promiſſus eſt, nec eſt Dei donum, neque derivatur à ſpiritu regente totam Eccleſiam (ut eſt lumen, quo veri fideles credunt) ſed eſt ſolùm fallax cujuſvis privati perſuaſio, & pruritus mentis, quo falsò ſibi perſuadent, Spiritum Sanctum interiùs in animo dictare ſenſus Scripturæ, contra doctrinam Eccleſiæ Romanæ.

CAPUT IV.

An Princeps Laicus ſit Judex controverſiarum in materia religionis?

SUMMARIUM.

1 *Error Henrici VIII. & Jacobi Angliæ Regum.*
2 *In quo conſiſtat primatus Eccleſiæ?*
3 *Poteſtas Eccleſiaſtica triplex.*
4 *Principibus Laicis non convenit poteſtas ordinis.*
5 *Quibus Anglo-Calviniſtæ juriſdictionem Eccleſiaſticam fori exterioris tribuant?*
6 *Nullus Princeps Laicus eſt Judex in materia religionis.*
7 *Probatur auctoritatibus veteris Teſtamenti.*
8 *Princeps Laicus non tenet primatum Eccleſiæ.*
9 *Nihil præſidii, pro ſuo primatû in rebus fidei, habent Principes ex veteri Teſtamento.*
10 *Probatur teſtimoniis novi Teſtamenti.*
11 *Chriſtus non Principibus, ſed Romanis*

Pontificibus Eccleſiæ curam dedit.
12 *Sententia nonnullorum Catholicorum, de non exacta Scripturæ correctione.*
13 *In Sacra Scriptura nulla prorſus ſunt menda.*
14 *Reprobatur opinio ex adverſo.*
15 *Scripturam eſſe auctenticam, quid importet?*
16 *Varii tituli, quibus editio Vulgata appellata eſt.*
17 *Auctor Vulgatæ; & quinam fuerit?*
18 *S.Hieronymus verſionem novam Scripturæ edidit.*
19 *Editio Vulgata à mendis purgata à Clemente VIII.*
20 *Tridentinum Vulgatam auctenticam eſſe definit.*
21 *Cur nonnulla in Vulgata relicta ſint immutata?*
22 *Verba Vulgatæ editionis quoad ſenſum fuerunt à Spiritu Sancto Scriptoribus Canonicis dictata.*
23 *Nihil quoad ſenſum eſt in Vulgata, quod non fuerit in originali.*
24 *Nec ullius errati poteſt Vulgata editio notari.*
25 *Reſponſa Valentiniani, & Conſtantini Sectarios revincunt.*
26 *Summum Sacerdotium in Lege veteri redditur poſteris Eleazari.*
27 *Ex facto Salomonis circa Abiatharum, ineptè Principes diſcurrunt.*
28 *Eminentia Sacerdotalis eſt ſupra ſæculares dignitates.*
29 *Principes non valent imperare Pontifici, & nu.46.*
30 *In Tribu Levi tria fuerunt perſonarum genera.*
31 *Varia Reipublicæ Judæorum regimina.*
32 *Poteſtas politica diſtincta eſt ab Eccleſiaſtica.*
33 *Confundenda non ſunt judicare corruptelas in religione, & illas tollere.*
34 *Principi politico obediendum eſt in politicis.*
35 *Poteſtas politica ſubordinatur Eccleſiaſticæ.*
36 *A Papa ad alium appellare non licet.*
37 *Sententia Melchiadis Papæ in cauſa Cæciliani fuit ultima.*
38 *Concilium, ubi Papa priùs quidquam decidit, non eſt neceſſarium.*
39 *Cauſæ Epiſcoporum à Principibus non cognoſcuntur.*
40 *Cauſa celebratæ collationis inter Catholicos, & Donatiſtas in Africa.*
41 *Legatio Catholicorum Carthaginenſium ad Sedem Apoſtolicam favore Donatiſtarum.*
42 *Methodus Catholicorum diſputandi cum Hæreticis.*
43 *Solus Pontifex poteſt Concilia convocare.*
44 *Papa canonicè electus non eget confirmatione.*
45 *Gratianus fuit nimiæ crudelitatis.*
46 *Romanus Pontifex non ſubeſt Principibus.*

1 INter cætera deliramenta, quæ ingeminavit Henricus VIII. Angliæ Rex, dum à Catholica fide alienum ſe fecit, & ab obedientia Apoſtolicæ Sedis ſeceſſit, hoc unum etiam fuit quòd Romanum Pontificem negaverit eſſe Caput Eccleſiæ, & Chriſti Vicarium, ſibique primatum in Anglicana Eccleſia uſurpaverit, ſupremumque illius caput ſe dixerit, ut ex *Conſtitutione ejus, qui 7.Pauli III.Bullar.to.*1. Subinde Jacobus, item Angliæ Rex, in ſua Apologia pro juramento fidelitatis apud Beccanum *to.3.opuſc.6.de primatu Regis Angliæ §.Libellus nu.*1. conatur oſtendere, ſe in Anglia, & unumquemque Regem in ſuo Regno, eſſe caput, & Eccleſiæ primatum habere, ac Pontifice, & Epiſcopis ſuperiorem.

2 Ut confuſio vitetur, nonnulla delibanda ſunt, ex eodem Beccano ibi *cap.3. nu.2.* Et primò, quòd primatus Eccleſiæ conſiſtit in exteriori juriſdictione, cujus præcipuè officia ſunt. 1. Regere Eccleſiam. 2. Concilia generalia convocare. 3. Iiſdem præſidere. 4. Eadem confirmare. 5. Lites finire, & controverſias de fide, & moribus decidere. 6. Leges, & Conſtitutiones,

etiam

etiam pro tota Eccleſia condere. 7. Contumaces excommunicare, aut alio modo delinquentes punire. 8. Epiſcopos Diæceſibus præponere, transferre, & deponere, cùm oportet, & ſimilia.

3 Secundò. Quòd poteſtas Eccleſiaſtica triplex eſt. Una dicitur Ordinis, altera juriſdictionis interioris, & alia juriſdictionis exterioris. Prima refertur ad Sacramenta conficienda, & miniſtranda. Secunda ad regendum populum Chriſtianũ in foro conſcientiæ. Tertia ad regendum eumdem populum in foro exteriori. Quare ad poteſtatem Ordinis Sacerdotalis ſpectat Euchariſtiam conficere, ipſamque miniſtrare, &c. & ſi ſit ordinis Epiſcopalis etiam ordines conferre, confirmare, conſecrare virgines, & Chriſma, & Oleum infirmorum benedicere, &c. Ad poteſtatem juriſdictionis interioris ſpectat jus dicere in foro conſcientiæ, hoc eſt, pænitentes in foro Sacramentali abſolvere, vel ligare. Ad poteſtatem verò juriſdictionis exterioris ea, quæ ſuperiori *nu.* fuerunt adnotata. Quæ omnia cumulativè ſolius Romani Pontificis ſunt propria licèt quædam, etiam in exteriori foro, inferioribus Prælatis conveniant. Nam, etiam Epiſcopi cenſuras ferunt, aliaque beneficia conferunt, & alia agunt, ſed cum limitatione ad ſuas duntaxat Diæceſes, ex dicendis alibi.

4 Tertiò. Quòd Principibus Laicis, quantumvis Supremis, non convenit poteſtas ordinis; nec Sectarii reclamant, ſed in hoc Catholicis prorſus conſentiunt. Siquidem ordinati non ſunt, & conſecrati ad Sacramenta conficienda, & miniſtranda, ut per ſe conſtat. Nec in hoc genere eos ſupra Epiſcopos, & Pontificem collocant, minimè ignorantes, quid in ſimili cauſa dictum ſit Oziæ Regi 1. *Paralip. cap. 26. Non eſt tui officii, Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, qui conſecrati ſunt, ad hujuſmodi miniſterium.*

Hac item ratione æquè certum eſt, poteſtatem minimè habere juriſdictionis, pro foro interiori, quæ in abſolvendo, vel ligando conſiſtit. Quoniam non Principibus, non Regibus, non Imperatori, ſed Apoſtolis, & Sacerdotibus dictum eſt à Chriſto, *Matth. 16. Accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

5 Poteſtatem verò Eccleſiaſticam juriſdictionis exterioris Principibus, in ſuis reſpectivè Ditionibus appingunt Anglo-Calviniſtæ, cum Bretio, & Arminio, apud Tirinum *contr. 6. nu. 4.* eoſque Supremos Judices Eccleſiaſticos fatentur, adeò ut ſua auctoritate, à nullo alio in terris dependente, poſſint omnes cauſas, controverſiaſque circa fidem, & religionem recognoſcere, & definire: contra quos

6 Dicendum. *Nullus Princeps Laicus, quantumvis Supremus, nec in ſuis Ditionibus eſt Judex controverſiarum fidei, & religionis.* Ita omnes Catholici.

7 Probatur. Is eſt ſupremus Judex in rebus ad fidem, & religionem pertinentibus, qui à Deo talis eſt conſtitutus. (Hac enim in re non poſſumus diſcurrere, niſi ſecundùm quod nobis conſtat, per revelationem) ſed non Princeps Laicus, ſed Summus Sacerdos eſt à Deo talis Judex conſtitutus: ergo Princeps Laicus non eſt Judex, &c. Probatur minor Auctoritatibus veteris Teſtamenti 1. *Deuteron. 17. nu. 8. Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris ..... Venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore: quæreſq; ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Ubi patet controverſias, in materia religionis (agebatur enim ibi de controverſiis, circa legem, ut ex *v. 11.*) non ad Principes, ſed ad Summum Sacerdotem, tanquam ad legitimum Judicem eſſe deferendas. Quid opus eſſet in rebus fidei, & morum ſtare judicio Summi Sacerdotis, ſi Principum eſſet controverſias religionis

decidere, & Judices à Deo eſſent conſtituti ?

Ampliùs. Non habens primatum Eccleſiæ, nec eſt Judex controverſiarum fidei. Etenim ut diximus *n.*2. inter Primatus munera, & prærogativas eſt, lites decidere, & definire. Sed Principes non habent Primatum Eccleſiæ: ergo nec ſunt Judices. Probatur minor. Reges veteris Teſtamenti primatum Eccleſiæ non habuerunt, ſed Summus Sacerdos 2. Paralipomen *c*a.19.*v.*11. Joſaphat Rex de Regis, & Sacerdotis poteſtate ſic ait. *Amarias Sacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porrò Zabadias filius Iſmahel, qui eſt dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent:* hoc eſt, cauſas, & negotia politica curabit. Ubi duo diſtinguuntur. Unum præſidere in iis, quæ ad Deum pertinent, & hoc Pontifici convenit; quid autem eſt præſidere in controverſiis, niſi Judicem agere? Alterum eis ſupereſſe, quæ Regis officium reſpiciunt, & hoc Vicario Regis tribuitur. Ubi hæc fuiſſent ab Anglo-Calviniſtis, & Arminianis obſervata, forum Eccleſiaſticum, & civile indiſtinctum non dixiſſent.

Dicunt. Qui conſtituit Levitas, & Sacerdotes in aliqua Civitate, habet primatum Eccleſiæ; ſed Rex Joſaphat conſtituit Sacerdotes in Jeruſalem: ergo habuit primatum Eccleſiæ: Minor patet ex eodem *cap.*8. *In Jeruſalem quoque, conſtituit Joſaphat Levitas, & Sacerdotes.*

R. Ad hoc notatur tria poſſe ponderari, in Miniſtris Eccleſiæ Veteris Teſtamenti. 1. Electionem, ſeù deſignationem perſonæ 2. Conſecrationem 3. Applicationem ad certum uſum, ſeù executionem. Electio, ſeù deſignatio non fiebat à Rege, ſed à Deo qui ſolùm Tribum Levi ad ſacrum miniſterium deputaverat. Conſecratio verò commiſſa erat Aroni, tanquam Summo Sacerdoti, & ejus ſucceſſoribus. Applicatio verò ad certum officium poterat fieri à Rege; & hanc fecit Joſaphat; quod non probat primatum in Eccleſia, ſed ſolùm Zelum ſuper exercenda juſtitia, & legis obſervantia. Hinc primatum Eccleſiæ non Princeps teneret, qui in ſuis provinciis jam anteà conſecratos, & ordinatos aliundè evocatos conſtitueret Sacerdotes; quorum quidam concionibus populum ad bonum moverent, alii confeſſiones exciperent, & alii aliis miniſteriis occuparentur.

9 Confirmatur reſolutio ex illo Aggæi *cap.*2.*v.*12. *Hæc dicit Dominus exercituum, interroga Sacerdotes legem. Non Imperatorem, non Regem, non Principes.* Et Malachiæ *c.*2.*v.*7. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Non ex ore Regum, & Principum, ſed Sacerdotis. Hùc etiam ſpectat illud. *Num.*27.*v.*21. Pro hoc (ideſt Joſue) *Si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur, & ingredietur ipſe, & omnes filii Iſrael cum eo, & cætera multitudo.* Hìc videant diffidentes à Deo in veteri Teſtamento præceptum fuiſſe, ut in dubiis legis recurreretur, non ad Regem, non ad Principem, ſed ad Summum Sacerdotem, cujus erat diſcernere inter Sanctum, & prophanum, inter pollutum, & mundum, & docere filios Iſtael legem Dei, eamque interpretari, ut dicitur *Levit. cap.*10. *ver.*8. Ergo Principes Laici nihil præſidii, pro ſuo primatu, & ſupremo Tribunali in rebus fidei ſtabiliendo, habent ex veteri Teſtamẽto. Nam, pro eo tempore, non Principes tenuerunt primatum Eccleſiæ, aut Judices controverſiarum fuerunt, ſed erat utrumque munus in Summo Sacerdote. Quinimò, quando etiam tunc habuiſſent, non idem dicendum eſſet etiam de Chriſtianis Principibus. Siquidem lex vetus eſt Chriſti morte abrogata, juxta illud ad Hebr.7. v.12. *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut legis translatio fiat.*

10 Probatur 2. Auctoritatibus novi Teſtamenti. Petro, & ejus Succeſſoribus, non verò Principi Laico commiſſæ ſunt à Chriſto oves, & claves conceſſæ, ac tradita ſuprema juriſdictio in Eccleſia: Ergo Ro-

Romanus Pontifex, & non Princeps Laicus eſt Judex controverſiarum. Antecedens patet. Matth.16. Petro, & in Petro ejus ſucceſſoribus dictum eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & tibi dabo claves Regni Cælorum*. Lucæ 22. *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Joan.ult. *Paſce oves meas*. Nunquam tamen legimus id eſſe dictum Tiberio, Pilato, Herodi, vel alteri Laico Principi. Quid autem eſt Petro, & ſucceſſoribus ejus eſſe claves Eccleſiæ datas, quàm datam eſſe poteſtatem, & ſupremum officium gubernandi, & regendi Eccleſiam? Hoc ipſo confirmat clavium metaphora, nam clavium collatione, etiam in politicis, ſignificatur Imperium, & juriſdictio. Uſus verò clavium quid aliud eſt, quàm exercere ſupremam juriſdictionem in Domo Dei, quæ eſt Eccleſia?

Item quid eſt: *Paſce oves meas*, quàm ovile meum tibi commendo? paſce paſtione verbi, & ſanæ doctrinæ quotquot in eo ſunt oves: dirige, & guberna fideles, quotquot in Eccleſia ſunt, ſive Reges, & Principes ſint, aut gregarii homines: Omnes enim ſunt Petro commiſſi: Siquidem ei, ac ejus ſucceſſoribus totum ovile commiſſum eſt; qui autem totum dicit, nihil excludit *cap.Solitæ de major. & obed.*

Dicunt 1. Tempore Chriſti nullos fuiſſe Principes Chriſtianos, qui Eccleſiam gubernare, & lites in materia religionis decidere potuiſſent, ac cætera præſtare, quæ ad Primatum Eccleſiæ ſpectant; propter quod eis, pro tunc, ea verba dicta minimè ſunt.

11 Contra 1. Ergo Principes, non ex inſtitutione Chriſti, habent primatum Eccleſiæ, nec eis datum eſt controverſias religionis decidere: Ergo Rex Angliæ, qui ſibi primatum vindicat, & in rebus fidei Judicem agit, contra inſtitutionem Chriſti id ſibi uſurpat; & inde Anglicanam Eccleſiam, ab obedientia Romani Pontificis ſubductam, in Sathanę Synagogā convertit.

Contra II. Ergo Chriſtus; nec voluit primatum Eccleſiæ eſſe apud Principes, nec eos in ipſa juriſdictionem exercere: aliàs eos ab initio deſignaſſet, ac elegiſſet, quemadmodum elegit Apoſtolos, & Petrum, & huic ſuæ Eccleſiæ curam commiſit, & ovium directionem commendavit. Sicut enim Paulum, Eccleſiæ perſecutorem, ſubitò in vas electionis immutavit, modo ita ſimili potuiſſet agere cum Tiberio Imperatore, & Rege Herode, ſi iſtos ſuæ Eccleſiæ Directores, & Gubernatores inſtituere, ac relinquere voluiſſet.

Contra III. Si non tunc ad Principes ea verba directa ſunt, aſſignetur locus Scripturæ, quo poſteà ipſi conſtituti ſint Eccleſiæ Judices, & Directores.

Dicunt 2. In Veteri, ac Vulgata Sacræ Scripturæ editione, etiam poſt emendationem factam à Clemente VIII. ſunt plures errores, & adhuc nonnulla corrigenda continentur, ut legitur in præfatione Bibliis præfixa; ubi inter cętera ſunt. *In hac tamen pervulgata lectione, ſicut nonnulla conſultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, conſultò immutata relicta ſunt:* Et inde neceſſe eſt, ut ſequatur, vel, quòd Librariorum incuria, & inadvertentia omiſſus ſit textus, quo Primatus, & directio Eccleſiæ Principibus datur; vel, quòd verba illa, *Paſce oves meas*, non Petro, ſed Principi ſint dicta, licèt ex errore Scribarum, aut illius etiam, qui Scripturam in vernaculam latinam linguam tranſtulit Petro, & non Principi dicta legantur.

12 R.1. Argumentum, quod eſt Anglo-Calviniſtarum, planè eos inter Catholicos, etiam videtur urgere, qui contendunt Sacra Biblia per Clementinam correctionem, necdum accuratiſſimè correcta, & planè purgata, ac supereſſe non pauca, quę adhuc in melius mutari poſſent, & corrigi; cujus ſententiæ eſt Cabaſutius *notit. Eccleſiaſt. dia triba ad decret. Trident. de Vulgata Bibliorum editione*. Fraſſen *diſquiſitiones Biblicæ lib.2. cap.6. §.3.* Annatus *apparat. ad Theol. poſit. lib.2. art.5.* aliique plures apud

citatos, & Seſſam *Scrut. doctrin.cap.3. art.3.* Quamvis reſtrictè loquantur, ut, quòd omnes illi, quotquot obiici poſſent Vulgatæ editionis defectus, quicunque illi ſint, nullum præjudicium faciant fidei dogmatibus, nec moribus probè inſtituendis noceant; cùm divina providentia nunquam permiſerit, aut permiſſura ſit, ut Biblia Sacra, quibus publicè Catholica Eccleſia utitur, ejuſmodi erroribus fędetur, qui divinæ fidei, morumque ſanctitati directè, & manifeſtè repugnent.

13 Verùm nec inde vitant incommoda, quæ ex ipſorum ſententia naſcuntur, & quę ſequuntur mala. Siquidem, ſi unum, vel alterum falſum Scriptura contineret, idem dici poſſet de omni alio ejuſdem dicto, & ſententia juxta regulam Auguſtini *Epiſt.40. ad Hieronymum cap.3. Si ad Scripturas Sanctas admiſſa fuerint, velut officioſa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis?* Et ita nutaret tota Scriptura: Nam, admiſſo in ea officioſo etiam, mendacio aliquo, *nulla illorum librorum particula remanebit, quæ ad mentientis auctoris conſilium, officiumque non referatur*, ut idem loquitur *Epiſt.28. cap.3. ad eumdem*.

14 Hinc eorumdem opinio expreſsè Tridentino adverſatur. A quo *ſeſſ.4. in decreto de canon. ſcript.* Enumeratis libris Veteris, & novi Teſtamenti à Synodo ſuſceptis, decretum fuit, ut infra: *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, pro ut in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & Vulgata editione habentur, pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit, anathema ſit*; & infra: *ſtatuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus, & Vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro auctentica habeatur*. Duo hìc definiuntur: Unum quod omnes libri Vulgatæ latinæ editionis ſunt Sacri, & canonici, & ſecundùm omnes ſuas partes eſſe recipiendos; quid autem hoc eſt aliud, quàm non ſolùm res, & ſententias, ſed & ſingula ipſorum verba, uſque ad minimos apices, fuiſſe à Spiritu Sancto dictata, & proinde à quovis erroris nęvo omninò aliena? Verba enim, & dictiones concurrunt ad conſtituendam propoſitionem, & ſententiam completam, & perfectam; quælibet autem Scripturæ Sanctæ ſententia eſt à Deo revelata, & nulla falſa eſt, aliàs ſi una, vel altera mendax eſſet, recurreret allegata Auguſtini regula, & quod notavit D. Thomas 2.2.q.110.art.3. *Nec in Evangelio* (ait) *nec in aliqua auctentica Scriptura fas eſt opinari, aliquid falſum afferri, nec quòd Scriptores earum mendacium dixerint, quia periret fidei certitudo, quæ auctoritati Sacræ Scripturæ innititur*.

15 Alterum eſt, quòd editio Vulgata latina ſit auctentica, quod importat eam valere ad faciendam fidem (hoc enim ſignificat auctenticum) adeòque in ea non ſolùm non reperiri errorem contra fidem, & mores, ſed etiam, quòd illa certò ſit divina, & conformis cum ſuo originali textu; cùm autem ſit certum in originali nihil eſſe, etiam leviſſimum, quod ſit errori obnoxium; ita in translatione, ſeù verſione eſt dicendum, ut ejus teſtimonium negari non debeat, quòd poſſit eſſe fidei noſtræ regula. Quod totum nobis conſtat ex infallibili judicio Eccleſiæ congregatę in Concilio Tridentino à Papa confirmato, à quo definitum eſt, eam ut auctenticam eſſe habendam, adeòque ejuſdem auctoritatis, & valoris cum originali, à quo translatio facta eſt; aliàs ſi error, etiam minimus in ea eſſe dicatur, error iſte Spiritui Sancto tribueretur, ex cujus aſſiſtentia res iſta fuit definita. Quid verò magis turpe, quã Spiritum Sanctum erroris auctorem producere? Et inde Concilium teſtis auctenticus, & infallibilis nobis eſt, quòd auctor translationis (quamvis abſolutè errare potuerit) ea tamen in re non erraverit, nec à genuino ſenſu, in originali contento, receſſerit. Propter quod nullis in locis quovis prætextu reiici poteſt; Id enim prohibet Tridentinum loc.cit. *ut nemo illam reiicere quovis prætextu audeat, vel præſumat*.

R.11. Negatur antecedens, de cujus falſitate adhuc ex dicendis conſtabit. Circa quod videri poteſt Laurea *tr. de fid. diſp.3. ar.5.§.4.* Dominicus à SS. Trinit. *Biblioth. Theol. lib.3. ſect.1. cap.87.* reportatus à Seſſa, *ubi ſuprà*. Et interim, ut pleniùs difficultati objectæ ſatisfiat, nonnulla brevi prænotanda veniunt, quorum quodlibet integrum expoſceret tractatum.

16 Sciendum itaque: Eccleſiæ primordiis plurimæ fuerunt ex Hebraico, & Græco Sacrorum Bibliorum editiones latinæ, ut ait Auguſtinus *lib.2. de doctr. Chriſt. ca.11. Qui ex Hebræa lingua Scripturas in Græcam verterunt numerari poſſe: Latini autem Interpretes nullo modo*. Cùm enim Romanum Imperium, per varias orbis regiones propagatum eſſet, & latina lingua Romanis vernacula, hoc eſt materna, & familiaris, ubique gentium fuiſſet diſſeminata, & proinde nulla adeò eſſet agreſtis, & barbara natio, quæ latini ſermonis rudis foret, congruebat divinæ miſericordię, quæ ſingulis hominibus de mediis ad ſalutem neceſſariis providet, ut, qui ex Romanis religionem Chriſtianam ſuſcepiſſent, Scripturis Sacris lingua ſibi familiari uterentur, ut ita exoriens eorum fides divinis illis oraculis ſplendidiùs coruſcaret.

Inter tot illas latinas editiones ea erat præſtantiſſima, & in omnibus Eccleſiis latinis recepta, quam S. Auguſtinus ibi *cap.15. Italam*. S. Hieronymus *Epiſt. ad Pamach. Communem*. S. Gregorius *præfat. in lib. moral. Veterem*, & Oroſius *apolog. de lib. arb. cap.5. Vulgatam* appellat; quo poſtremo nomine, jam apud omnes Chriſti fideles procedit; quatenus ipſius uſus in Eccleſia univerſalior, vulgaris, & frequentiſſimus fuit, quem S. Auguſtinus ibi laudat, & cæteris anteponit; utpote ſit verborum tenacior, majori cum perſpicuitate ſententiæ.

17 Nec illius Vulgatæ auctor ab ullo, etiam oculatiſſimo, eſt hucuſque apertè cognitus, & demonſtratus. Veriſimile tamen eſt, quòd illa, ſi aliquem, ex Apoſtolis auctorem non recognoſcat, ſaltem ex eorum diſcipulis prodierit. Quod ex hoc conſtare præſertim dicimus. Nam videtur controverti non poſſe, quòd Romana Eccleſia, quæ principem inter orbis Eccleſias locum ſemper tenuit, & antiquarum traditionum tenaciſſima fuit, non habuerit ab Apoſtolorum Principe ſuo Paſtore, & capite, in lingua ſibi vernacula, transfuſas Sacras Scripturas, quibus maximè firmari, & propagari debebat; vel, aliquis adminùs ejuſdem Principis Apoſtolorum diſcipulus vetus, ac novum Teſtamentum latinè redditum, Eccleſiæ Romanæ, omnium capiti, & matrici non conſignaverit, ad poſteros continua ſucceſſione propagandum. Quæ planè idcircò *vetus* dicta eſt, quòd cæteris eſſet antiquior, majoremque inter alias auctoritatem obtineret, in cæteris etiam occidentalibus Eccleſiis, eò quòd Romana Eccleſia in uſu ipſam habuerit, tempore etiam S. Gregorii Papæ, ut obſervavit Fraſſen *cit.§.1. n.3.* Concordat Lauræa *§.4. n.195.* ubi dixit Eccleſiam latinam non potuiſſe, tempore Sancti Petri, eſſe ſine ſcriptura latina.

18 Poſt hanc Italam, ſeù *veterem* verſionem, acceſſit *nova* à S. Hieronymo edita, qui, Damaſi Papæ juſſu, vetus Teſtamentum ex Hebræo latinum fecit, & Novum non vertit de Gręco in latinum, ſed emendavit ipſum Græcum, ut ipſe fatetur in fine ſui libri de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, illis verbis; *Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddidi, vetus juxta Hebraicum tranſtuli.* Quod autem opus juſſu Damaſi ſuſceperit, recenſet ipſe præfatione in Evangelia dicens: *duplex me cauſa conſolatur, quod & tu, qui Summus Sacerdos, fieri jubes*, &c.

Cùm verò illis temporibus circa duas iſtas orta eſſet contentio, quænam ex illis alteri eſset præferenda, non longè poſt S. Gregorii tempora conflata eſt una, teſte Annato *cit.§. Latina*. Fraſsen *§.1. nu.4.* & Lauræa *ubi ſupr. art.5. nu.143.* ad communem, & vulgarem Eccleſiæ uſum, quæ nec antiqua, neque nova, ſed vulgata communis

nis diceretur; non quia mixta ex libris, *antiquæ* ſcilicet, & *novæ*, ſed quia libri nonnulli leguntur in ea, eo modo, quo in antiqua, & alii eo modo, quo in nova; & hæc eſt hodierna Vulgata noſtra, continens libros canonicos 72. relatos in Tridentino *ſeſſ.cit.* Unde appellatione Vulgatæ, venit volumen, eos libros continens.

19 Quia verò, & ante, & poſt artis impreſſoriæ uſum, multi errores, vel incuria temporum, vel Impreſſorum inſcitia, vel ſcribarum negligentia, aut emendantium audacia, in multis Bibliorum exemplaribus irrepſerunt, idem Tridentinum ibi ſuo decreto adjecit; *ut hæc ipſa vetus, ac Vulgata editio emendatiſſimè imprimeretur.* Quod ut deinceps fieret, nonnulli Romani Pontifices, eruditiſſimis viris ad hoc opus aſſumptis, curam ſuſceperunt, ut ipſa accuratiſſimè caſtigaretur; quod tandē perfecit Clemens VIII. ut expreſsè in dicta Bibliorum præfatione. Qui in conſtitutione Bibliis pariter præfixa præcepit, ut *nemo hanc Sanctarum Scripturarum editionem typis demandare præſumat, niſi, habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuſo, cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de textu mutata, vel ab eo detracta, niſi aliquod occurrat, quod Typographicæ incuriæ manifeſtè adſcribendum ſit, inviolabiliter obſervetur.*

Etenim non de ſingulis aliis exemplaribus, quæ indies imprimuntur, ſed de illa ſolùm editione, quæ ex Vaticana Typographia correcta, & emendata emanavit, verificatur, immunitas ab erroribus vetuſtis librariorum. Cùm enim codicum exemplatio humano more fiat, planè accidere in eis poteſt, quod aliis ante Tridentinum acciderat; propterea Clemens mandat, ut cætera ad illius formam imprimantur. Verùm confidendum eſt divinam providentiam, quæ Eccleſiam ſuam nunquam deſerit, non permiſſuram, ut idem locus corruptus ſit in cunctis, non ſolùm diverſarum impreſſionum exemplatis, ſed nec in ſingulis ejuſdem præli lectionibus; præſertim ſi error talis foret, ut per eum verus ſenſus alterationem reciperet. Hoc enim exigitur in fidei noſtræ regula, & infallibili norma: ut ex Lorca, Gravina, & Duvallio loquitur Seſſa *cit.n.26.*

20 Hac quoque in re conſideratur, quòd *Vulgata*, quam Tridentinum *auctenticam* declaravit, non erat, quæ determinatè continebatur in hoc, illo, vel alio particulari Bibliorum exemplari, antea impreſſo; aliàs dicendum videtur fuiſſe ipſam cum mendis in illis contentis approbatam, quod nullus Catholicus dixerit. Nec propterea cenſenda eſt ficta aliqua editio mente concepta: ſed illa erat, quæ à tot ſæculis erat in uſu penes Patres, & Concilia, & quæ erat in corde Eccleſiæ: vel, quæ in Bibliis antea impreſſis ſparſim, ac antiquiſſimis manuſcriptis, & Sanctorum Patrum operibus continebatur; propterea periti ad emendationem aſſumpti, antiquiſſimos adhibuerunt Codices, Græcoſque, ac Hebraicos Bibliorum fontes conſulverunt ac veterum Patrum commentaria examinarunt, ut in dicta præfatione expreſsè.

Quorum non fuit novam editionem edere, ſed veterem caſtigatam reddere, ut ibid. *eruditiſſimis viris ad hoc opus à Sede Apoſtolica delectis, propoſitum non fuit novam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare, ſed ipſam veterem, ac Vulgatam editionem latinam, à mendis veterum librariorum, nec non pravarum emendationum erroribus repurgatam, ſuæ priſtinæ integritati, ac puritati, quoad ejus fieri potuit, reſtituere: eaque reſtituta, ut quàm emendatiſſimè imprimeretur juxta Concilii Oecumenici decretum pro viribus operam dare. Porrò in hac editione nihil non canonicum, nihil aſcititium, nihil extraneum apponere viſum eſt.*

21 Propterea, quæ in ea fuerunt *mutata*, errores à librariis, aut falsò emendantibus adjectos reſpiciunt. Illud verò, *quæ mutanda videbantur, & immutata relicta ſunt,*

non

non infert ipſam errorem continere; ſed ſolùm nonnulla non potuiſſe ex inopia vocabulorum ex hebręo transferri, ideò in in ipſo idiomate relicta ſunt; ut Auguſtinus ubi ſupra *de doctr. Chriſt. cap.* 11. loquitur ibi: *Quanquam & hebræa verba non interpretata ſæpè inveniamus in libris ſicut* Amen, & Halleluja, & Racha, & Hoſanna, *& ſi qua ſunt alia. Quorum partim propter ſanctiorem auctoritatem, quamvis interpretari potuiſſent, ſervata eſt antiquitas, ſicut eſt* Amen, & Halleluja; *partim verò in aliam linguam transferri non potuiſſe dicuntur, ſicut alia duo quæ poſuimus. Sunt enim quædam verba certarum linguarum, quæ in uſum alterius linguæ per interpretationem tranſire non poſſint.*

Dices. Illa Verba, quæ in Vulgata editione ſunt, non fuerunt à Scriptoribus Canonicis, Spiritu Sancto dictante, & per eos loquente, appoſita: nam nullus eorum, excepto Marco, latinè ſcripſit; ſed habentur ex translatione Interpretis, qui errare potuit; conſequenter à mendis Vulgata editio immunis non eſt.

Accedit. Cenſores, & Periti, ad Vulgatæ emendationem, de omnimoda ab erratis immunitate dubitarunt; ſiquidem in præfatione cit. hæc ſunt. *Sicut omnibus numeris abſolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile eſt, ita cæteris omnibus, quæ ad hanc uſque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque eſſe minimè dubitandum.* Et ita, non abſolutè immunem ab erroribus dicunt, ſed magis defęcatam, quàm fuerit ulla alia antecedens.

22 R. Diſtinguitur antecedens; quoad vocem, ſonum, & vocabulum concedo: quoad ſignificatum, & ſenſum, negatur. Quamvis editionis Vulgatæ latinæ verba, quoad ſonum, vocem, & vocabulum, non ſint in ea à canonicis Scriptoribus, Spiritu Sancto dictante, appoſita, tamen eumdem ſenſum habent, idemque ſignificant, quod à Deo fuit revelatum, & ſunt verbum Dei, & objectum fide divina credendum. Quod autem verba, quibus Interpres uſus in translatione eſt, idem formaliter ſignificent, quod illa à canonicis Scriptoribus in textu adhibita, ac quod ille in translatione non erraverit, certiſſimè patet ex Eccleſiæ approbatione, quæ ſemper editionem Vulgatam latinam, auctenticam conſtantiſſimè tenuit.

23 Hinc conſiderandum eſt, quòd licèt interpres, non ſemper ad verbum (ſæpè enim propter idiomatum diverſitates, & peculiares phraſes id non poteſt) ſemper tamen ad ſenſum, textum tranſtulit. Propterea, quoad ſenſum, nihil eſt formaliter in textu originali, quod formaliter non ſit in translatione. Quinimò, & verba, quæ in translatione ſunt adhibita, ſunt virtualiter in originali, & à Deo virtualiter revelata. Siquidem quoties idem ſenſus poteſt pluribus vocabulis ſignificari, & Deus eumdem ſenſum, uno vocabulo formaliter expreſſo, revelat, cenſetur virtualiter revelare omne aliud vocabulum, per quod poteſt idem ſenſus repræſentari; ſicut revelato formaliter univerſali, & particulares virtualiter revelantur. Hinc eſt, quod Lauræa *cit.* §.4. reſolvit omne verbum Scripturæ eſſe objectum fidei. Siquidem non ſolùm res, & ſententiæ, ſed & ſingula Scripturę verba, uſque ad minimos apices, fuerunt à Spiritu Sancto dictata, ut probat Annat. *cit. art.* 6. allegans inter cæteros Hieronymum *in cap.* 3. *ad Epheſ.* dicentem: *Singuli ſermones, Syllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena ſunt ſenſibus.* Qui *in Epiſt. ad Paulinum* ait; *Sola Apocalypſis Joannis tot habet Sacramenta, quot verba.* Et S. Gregorius *in præfatione lib. moral. expoſit. in Job*, inquit. *Ipſe hæc ſcripſit, qui hæc ſcribendo dictavit.* Et inde manifeſtiſſimum eſt errorem nullum, nec leviſſimum continere.

24 Ad 2. Quid intereſt, quòd Periti ea ſcripſerint? Non ipſi, ſed Clemens eſt Judex. Clemens verò pronuntiavit incorruptam eſſe Vulgatam editionem. Quin etiam videtur Peritos id ex humilitate dixiſſe, & ſequutos exemplum Auctoris *lib.* 2. *Machab*, *qui in fine ſibi ignoſci*

po-

poſtulat, ſi dignè non ſcripſerit. Et tamen ibi erratorum veniam non petit, qui nulla eſſe ſciebat, ſed ſtyli minus fortè politi minus terſi, quàm vel hiſtoriæ gravitas, vel divini verbi majeſtas, vel delicatæ legentium aures, & palata depoſcere videantur. In ſtylo enim modoque ſcribendi, ut plurimùm Spiritus Sanctus Scriptores Sacros reliquit ſibi, ſuæque naturali Scientiæ. Unde fit, quòd alius alio eloquentior ſit, non tamen veriloquentior; videatur Tirinus *ad d.locum*. Et *contr.8.c.9.n.66.*

Digreſſio hęc, planè prolixior cenſebitur, ſed neceſſaria fuit, ad vim inſtantię elevandam.

Poſſet ſuaderi concluſio, ex praxi Eccleſię, à tempore Apoſtolorum cuſtodita, quæ ſemper fuit, in controverſiis religionis recurrere, non ad Principes Laicos pro deciſione, ſed ad Petrum, & ſubinde ad ejus Succeſſores, vel Concilia legitima, à Papa confirmata; à quo tamen ſuperſedeo, cùm id ex hiſtoria Eccleſiaſtica abundè ſit manifeſtum. Quæ adeò ſancta conſuetudo nunquam eſt interrupta, & ſolùm à tempore Henrici VIII. Donatiſtæ falſitatis pernitioſam novitatem in Angliam, ex Sathanę abyſſo Novatores deportarunt.

25 Mitto item Patres, videndos apud Beccanum citatum *cap.7.* & ſolùm unius, vel alterius Principis ſenſum recenſere non omitto, ut propriis armis Sectarii ſe revictos eſſe recognoſcant. Itaque Valentinianus ſenior Epiſcopis Heeleſponti, & Bithyniæ petentibus, ut ſibi permitteret, in unum convenire de rebus fidei tractaturis, reſpondit: *Sibi, qui unus è laicorum numero eſſet, non licere ſe ejuſmodi negotiis interponere*. Spondanus *ad an.364.n.6.* De Conſtantino, ad quem Donatiſtæ, non contenti Epiſcopali judicio, in cauſa Cęciliani, cauſam Eccleſiæ detulerant, refert Optatus *lib.1.contra Parmenian.* adversùs eorum inſaniam exclamaſſe. *O rapida furoris audacia, ſicut in cauſis gentium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt*. Et iterũ cũ ab eo peterent dari Judices in ea cauſa, reſpondit; *meum judicium poſtulant, qui ipſe judicium Chriſti expecto, ex Epiſt.Conſtantini æterna, ut in append. ad to.9.Auguſtini*. De quo ipſe ſcribit *Epiſ.43.ad Glor.cap.7.Neque enim auſus eſt Chriſtianus Imperator* (Conſtantinus) *ſic eorum* (Donatiſtarum) *tumultuoſas, & fallaces querelas ſuſcipere, ut de judicio Epiſcoporum* (Melchiade præſide) *qui Romæ ſederat, ipſe judicaret*. Videant Principes quales fuerint religioſiſſimi Imperatoris partes, dum de Eccleſiaſticis cauſis ageretur. De qua re etiam inferiùs.

Opponunt 1. Ex veteri Teſtamento; Primatum Eccleſiæ, & inde munus judicandi de rebus religionis, eſſe apud Principes Laicos deducunt. 1. Qui deponit Summum Sacerdotem ab officio, & alium ei ſubrogat, ſupremam juriſdictionem tenet in Eccleſia: ſed Reges veteris Teſtamenti depoſuerunt Summum Sacerdotem, eique alium ſubrogarunt. De Salomone *3.Reg.cap.2.* ſcribitur depoſuiſſe Abiatharum Summum Sacerdotem, eique ſubrogaſſe Sadocum: verba textus ſunt: *Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet Sacerdos Domini: & v.35. Sadoch Sacerdotem poſuit pro Abiathar*: ergo.

II. Qui imperat Summo Sacerdoti, ac cum eo alios inferiores juriſdictione, & bonis Eccleſiaſticis privat, tenet in rebus Eccleſiaſticis Primatum, ſed Rex Joas, hæc omnia cum Sacerdotibus egit: *lib.4.Reg. cap.12. Vocavitque Rex Joas Jojadem Pontificem, & Sacerdotes dicens eis: quare Sartatecta non inſtauratis templi? nolite ampliùs accipere pecuniam juxta ordinem veſtrum, ſed ad inſtaurationem templi reddite eam. Prohibitique ſunt Sacerdotes ultra accipere pecuniam à populo, & inſtaurare ſartatecta templi*; ergo, &c.

III. Heli unà cum Principatu politico tenuit Pontificatum, ex 1.*Reg.4.* & notat Tirinus *to.1.comment.in Chronic.cap.42. pr. claſ.* Ita Sacer textus, in libris Machabęorum, recenſet de Mathathia, ejuſque filiis: ergo idem dicendum de quovis alio Principe, ex non dabili diſparitate.

IV. Rex

IV. Rex Joſias 4.*Reg.cap.*23.*v.*2. legit, audiente populo, librum legis; ac præcepit Helciæ Pontifici, & Sacerdotibus ſecundi ordinis *ibi v.*4. ac hortatus eſt populum, ut cuſtodiret, quæ ſcripta erant in libro legis. Quid autem hoc eſt aliud, quàm primatum tenere in Eccleſia? ergo, &c.

26 R. Minor eſt falſa, loquendo de regia poteſtate; vera autem, conſiderando Salomonem, ut ex divino inſtinctu, & motione fuit executor divinæ juſtitiæ. Siquidem Salomon, in depoſitione Abiatharis, & ſubrogatione Sadoch, uſus non eſt ordinaria regia poteſtate, ſed id egit ex ſpeciali Dei inſpiratione, & commiſſione, aut prophetico ſpiritu juxta textum ibi v. 27. *Ejecit ergo Salomon Abiathar* (hoc eſt exilio relegavit) *ut non eſſet Sacerdos Domini, ut impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt, ſuper domum Heli in Silo.* Prædixerat enim Deus domum Heli privandam eſſe Summo Sacerdotio, 1.*Reg. cap.*2.*v.*31. *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus Patris tui, ut non ſit ſenex in domo tua*, hoc eſt, Summus Sacerdos: & v.35. *Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem* (hoc eſt Sadoch) *& ambulabit coram Chriſto meo;* hoc eſt, Salomone Rege. A quo in Sadoch, ex Dei inſtinctu, redditus eſt Pontificatus ad poſteros Eleazari, familia Ithamaris relicta.

27 Hinc Principes ineptiſſimè ad factū Salomonis pro patrocinio recurrunt. Ex eo colligi ſolùm poteſt, aliquando Reges, in veteri lege, extraordinariam poteſtatem à Deo accepiſſe, etiam ſupra Sacerdotes; quod ad rem non pertinet. Non enim ſtatus controverſiæ eſt, an Princeps quis ex peculiari Dei inſtinctu, & commiſſione, potuerit aliquando punire Sacerdotes? Sed, an Reges ordinaria ſua poteſtate id valeant? quæ ſunt diſtincta, & minimè annexa. Nec ſequitur: *Salomon Rex peculiari Dei inſtinctu Abiatharum Pontificem ab officio Sacerdotali ſubmovit:* ergo *Princeps Laicus ordinaria ſua poteſtate idem facere poteſt:* Non magis quàm ſi dicatur: *Nathan ex peculiari Dei inſtinctu reprehendit David Regem;* ergo *quilibet Subditus poteſt via ordinaria ſuum corrigere Principem?* Hoc planè nec Anglo-Calviniſtæ dabunt, aliàs, quæ incommoda in politicis non orirentur?

Dices. Abiathar, propter conſpirationem, erat reus læſæ Majeſtatis: ergo Salomon legitimè potuit regia poteſtate illum punire, eumque ab officio juſtiſſimè ſubmovit.

28 R. Negatur conſequentia. Etenim non à quovis poteſt quilibet reus puniri, ſed ab eo dumtaxat, qui in eum legitimam poteſtatem habet. In ſummum autem Sacerdotem (immò neque in inferiores) Principes juriſdictione non gaudent. Dignitas enim Sacerdotii eminentior eſt quacunque ſæculari, & non ſub iſta. Quod ipſis Judæis perſuaſum ſemper fuit, ut ex 1.*Reg.cap.*22.*v.*16. ubi Saul ſervis ſuis, qui erant Judæi, præcepit, ut interficerent Achimelech, & Sacerdotes Domini, eo quòd contra ſe cum Davide conſpiraſſe putaſſet, & tamen Servi eidem parere detrectarunt, pro certo habentes, nec Regem id mandare poſſe, neque Sacerdotes ſubjacere Regis imperio. Licèt poſtea Idumæus quidam Saulis voluntatem, & juſſa iniquè fecerit; ſed factum tyrannidis in exemplum nefas eſt producere.

29 Ad 2. Major eſt vera, ſed de falſo ſuppoſito: Supponit enim eſſe in Principibus poteſtatem legitimam ad imperandum Pontifici, eumque poſſe bonis, & juriſdictione in Eccleſia privare: quaſi caput membris ſubjaceat, & filii Patri imperent.

Nec id ex facto Regis Joas unquam probabitur. Conſtat enim, quòd ipſe, quoad vixit Jojadas Pontifex, inter optimos Reges fuerit, nam *fecit, quod bonum eſt coram Domino cunctis diebus Jojadæ Sacerdotis* 2. *Paralip.cap.*24.*v.*2. Ac propterea jura Sacerdotii, nec tunc ſibi uſurpavit, neque quidquam illorum violavit, aliàs bonum Scriptura ipſum non enuntiaret.

Hinc

Hinc ſciendum, quòd *cap.illo* 12. duplex pecuniæ genus recenſetur: Aliud erat pecuniæ, quæ, juxta præceptum Moyſi datum *Exodi* 30. impendenda erat in uſus Tabernaculi, ac reparatione templi, ab impiiſſima Athalia magna ex parte deſtructi *d.cap.Paralip.v.*7. Aliud verò erat pecuniæ, quæ offerebatur à populo pro delicto, & pro peccatis *d.cap.*12.*v.*16. Circa hoc, quia *Sacerdotum erat*, ut ait textus, nihil Joas ordinavit: Circa verò primum pecuniæ genus, ipſe, inſpecta negligentia Sacerdotum, in pecunia à populis colligenda, ac malitia quorundam convertendi exactam in proprios uſus, Zelans ſuper reparationem Templi, ut fraudes vitarentur, cum Jojada convenit de modo conſervandi oblatam pro Templi reſtauratione; &, Joada conſentiente præcepit, ne Sacerdotes ampliùs pecunias colligerent, ſed ponerentur in arca, ſeù Gazophylacio (non ab ipſo Joſia, ſed à Jojada in Templo poſito) cujus cuſtodia commiſſa Sacerdotibus fuit; à quibus in eo ponebatur pecunia, quæ ab introeuntibus in Templum deferebatur, ut ibi *v.*9. & ſubinde, præſentibus Jojada, & Scriba Regis, ab iiſdem numerabatur, ac eam fabrorum magiſtris diſpenſabant, ut eam iſti laborantibus, in Templi reſtauratione diſtribuerent, ut ex *v.*10.& 11. Et inde eſt omninò certum, Regem non ſe ingeſſiſſe circa pecuniam, quæ ad Sacerdotes ſpectabat; & circa aliam, nec miniſterio Sacerdotes privavit; & quæ ordinavit, non niſi conſentiente, & volente Pontifice egit. Quin etiam conſideratur, quòd Rex, viſa negligentia Levitarum circa præceptum Moyſis, Pontificem monuit, ut ipſe, cujus erat, illos cogeret ad implendum debitum: ſic enim legitur loc. *Paralip.cit. Vocavit Rex Jojadam Principem, & dixit ei: quare tibi non fuit curæ, ut cogeres Levitas* (non ergo Regis erat coactiva in eos poteſtas) *inferre de Juda, & de Jeruſalem pecuniam?* Quare Rex propria auctoritate ſolus ipſe nihil diſpoſuit. Si autem cum approbatione Pontificis rapinam Levitarum repreſſit, nullam in eos jure Regio juriſdictionem exercuit, ut ex Puerono Diana *coord.to.*9.*tr.*2.*reſol.*331.*nu.*9. & ſuo facto proteſtatus eſt, ſe primatum Eccleſiæ non habere.

30 Ad 3. Tria hìc ſunt certa. Primum, quòd in Tribu Levi tria perſonarum genera diſtinguuntur, quæ omnes ſervitio divino deſtinabantur. Primò, erant Levitæ propriè dicti, qui Sacerdotibus miniſtrabant. Secundò, Sacerdotes, qui offerebant victimas, & Sacrificia. Tertiò, Summus Sacerdos, ſeù Pontifex. Erant in d. Tribu plures familiæ, ſed Summum Sacerdotium fuit in ſola familia Aaron, qui primus Pontifex eſt à Deo conſtitutus, & à Moyſe conſecratus. *Levitici cap.*8. cùm jure ſucceſſionis, 1.Paralip.33. (hoc dicitur propter Moyſen, qui etiam fuit Pontifex, & quidem ante Aaronem, ſed extraordinarius, & ſine jure ſucceſſionis: filii enim ipſius fuerunt ſimplices Levitæ *d.cap.v.*14.) Jus ſucceſſionis in eo ſtabat, ut Patri ſuccederet filius primogenitus, ſi viveret: ſi autem, Patre adhuc ſuperſtite, moreretur primogenitus, tunc in ejus locum ſecundo-genitus ſubrogabatur. Aaroni ſucceſſit Eleazar ejus primogenitus, non verò Ithamar ſecundo-genitus ipſius. In poſteris Eleazari fuit Pontificatus uſq; ad Ozi. Deinde ob negligentiam in adminiſtrandis rebus ſacris translatus eſt ad ſucceſſores Ithamaris; de cujus familia primus Pontifex fuit Heli, cui ex eadem familia ſucceſſores fuerunt, in Pontificatu alii quatuor uſque ad Abiatharum, qui à Salomone eſt depoſitus, ut dictum eſt *ſup. n.*26. & iterùm Pontificatus reportatus eſt, in Sadoch, ad poſteros Eleazari, in cujus familia permanſit uſque ad natum Chriſtum, ut conſtat ex Joſepho *lib.*1.*antiquit.* quem refert Tirinus *ubi ſupr.*& Beccanus *Analog.vet.Teſtam.cap.*7.*q.*2. ubi eorum Pontificum ſeriem contexit.

31 Secundum. Quòd Reſpublica Judæorum. 1. Fuit gubernata per Moyſem

in

in deſerto, ut *ex libris Numerorum, & Deuteronomii*. 2. Per Joſue in ingreſſu, & diviſione terræ promiſſionis, ex *lib. Joſue 3.* Per Judices poſt diviſionem terræ uſque ad Samuelem, *ex lib. Judicum, & Reg. 3. Et 4. ibi cap. 4.* per Reges uſque ad captivitatem Babylonicam. Judices verò erant Principes populi, cum ſuprema quadam poteſtate, ſive divinitùs ſibi commiſſa, ſive populi conſenſu, ac voluntate tradita, eo fine, ut populum à ſervitute, & de manu hoſtium liberarent: unde & Salvatores ſecundarii dicti ſunt. Jud. *cap. 2. v. 16. Suſcitavit Dominus Judices, qui liberarent eos.* Et ex Auguſtino *q. 18. Super Judices lib. 7. q. in Heptateuchum*. Judices non ſuccedebant ſibi invicem immediatè, ſed poſt intervallum temporis; quando enim verus Judex, qui liberabat populum ab una ſervitute, viam univerſæ carnis ingrediebatur, non ſuccedebat alius, niſi populus propter nova peccata, nova ſervitute oppreſſus, novum peteret à Deo, ibi *cap. 3. v. 9. & clamaverunt ad Dominum, qui ſuſcitavit eis Salvatorem, & liberavit eos*. De qua re agit Becanus ubi *ſupr. cap. 14.* & Fraſſen *diſquiſit. Biblicæ cap. 5. §. 2.*

32 Tertium. Quòd poteſtas politica, ſeù civilis eſt ex natura rei diſtincta ab Eccleſiaſtica, ſeù ſpirituali. Politica ſecundùm ſe ſpectata non ſe extendit, niſi ad finem naturalem, hoc eſt, ad externam tranquillitatem Reipublicæ, mediaque naturalia communitati præſcribit, quibus vita civilis ordinatur; quæ etiam dirigenda foret, ſi homo eſſet creatus in puræ naturæ ſtatu. Eccleſiaſtica verò, res ſpirituales adminiſtrare, & ad ſalutem animarum componendam ſe occupat, dirigendumque hominem in finem ſupernaturalem, per media ſpiritualia; ad quem homo in dicto naturæ ſtatu (quem hic fuiſſe poſſibilem cum Theologis ſuppono) elevatus non fuiſſet.

Quæ poteſtates differunt etiam ex parte cauſæ efficientis. Siquidem politica poteſt alicui tribui, vel immediatè à Deo, qua ratione tributa eſt Moyſi, Joſue, Sauli, Davidi, &c. vel à communitate, & populo, quo pacto tribuitur Regi Poloniæ, & Duci Venetiarum, qui à Senatu eliguntur; vel jure ſucceſſionis, quo pacto in Gallia, Hiſpania, & Anglia filii ſuccedunt parentibus in Regni regimine. Eccleſiaſtica verò, cùm ſit ſpiritualis, non poteſt eſſe, niſi à ſolo Deo, vel immediatè, ſi ſit Pontificia, quæ eſt ſuprema, vel per ſuos miniſtros ſi ſit alia ſub iſta, ex alibi dicendis.

Undè patet hujuſmodi poteſtates eſſe ita ex natura rei diſtinctas, & ſeparatas, ut in eodem non conjungantur, niſi ab extrinſeca cauſa; & inde habent ex natura rei diſtinctum Tribunal, & judicium. Quare non ideò Princeps Laicus ex eo præciſè, quòd juriſdictionem habet in Tribunali politico, eadem ex natura rei gaudet in Eccleſiaſtico; ita Saul, David, Salomon, aliique Hebræorum Reges, cum poteſtate regia, unitam haud habuerunt illam Pontificiam, & Eccleſiaſticam. Sic Epiſcopus habens juriſdictionem in foro Eccleſiaſtico, non inde ex natura rei, etiam exercere poteſt in temporali: ſed Prælati, quibus item in temporali juriſdictio convenit, id obtinent, vel ex quo Principes eorum Eccleſiis caſtra, & Civitates donarunt, vel ex eo quòd populi, & nationes Eccleſiæ, etiam in politicis ſubeſſe conſenſerunt.

Quibus præmiſſis, patet ad argumentum. Paritas enim ab Heli ad alios Principes non currit, in quo, ex divina ordinatione Pontificatus cum poteſtate politica jungebatur. Ita dicitur de Mathathia, & filiis; ipſi enim jure ſucceſſionis erant Pontifices; Pontificatui enim, relaxata captivitate Babylonica, annexus erat Principatus temporalis ex Joſepho *lib. 1. Belli cap. 1.* Ubi autem ex Scriptura habetur, quòd dignitas Pontificia ſit in Rege Angliæ, Galliæ, &c. quæ nec fuit in Saule, Davide, & Salomone, ac aliis veteris legis Principibus? nullibi planè.

Ad 4. Liber legis fuit repertus ab Helcia Pontifice, ibi *cap.22.v.8.* quem Regi miſerat eo fine, ut populum convocaret, eique illum legens, de obſervantia moneret: Nonne, & quilibet pater familias filios, & auditores ſuos hortantur Concionatores, ut legem ſervent? Utinam quilibet Princeps promitteret legem ſe ſervaturum, & intenderet, ut à ſubditis ſervaretur. Nec Pontifici, & Sacerdotibus propriè præcepit, ſed potiùs commonuit, prout ad eos pertinebat, ut de templo Dei proiicerent omnia vaſa, quæ falſis Diis fuerant fabricata.

Dices. Mandavit Paſcha celebrari *d. cap.23.v.21.* ergo, &c.

33 R. Diù fuit intermiſſa celebratio Paſchatis, à Deo præcepta, unde poterat Rex urgere executionem, & corruptelam tollere: Quare notabitur aliud eſſe judicare, ſeù decernere, quænam ſint corruptelæ in religione; aliud verò corruptelas, & abuſus, quando certò conſtat tales eſſe, tollere, & exterminare. Primum pertinet ad officium Summi Sacerdotis, ut dictum eſt ſupra. Poſterius verò non modò Regi, ſed cuilibet, etiam Patri familias conceſſum eſt: Siquidem quilibet in ſua domo poteſt emendare, quæ certò conſtat per abuſum irrepſiſſe. Eccleſia jejunium præcipit tempore Quadrageſimæ. Princeps in ſuo Principatu, Pater in ſua familia, videt non obſervari, poſſunt reſpectivè imponere, ut ſervent, & executionem præſtent.

Tandem obſervetur. Quòd populus Judaicus, propter duritiam cordis, non curabat monita Sacerdotum, nec aliter quàm vi, & metu ſinebat ſe ab errore revocari, & inde eſt, quòd in Scriptura ſæpiùs Reges, ob negligentiam reprehendunt, etiam Sacerdotes.

Opponunt 2. Ex novo Teſtamento. I. Illud Pauli *ad Rom.13.v.1. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.... qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit:* & v.4. *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum.* II. Aliud Petri *Epiſt.1.cap.2.n.13. Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi, quaſi præcellenti: ſive ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum:* ergo, &c.

34 R. Hæc teſtimonia nihil ad rem faciunt. Sciendum eſt, Judam Galilæum cum ſuis ſectatoribus in eo errore fuiſſe, quòd populus Dei non deberet ulli externo Principi, ſed ſoli Deo ſubeſſe, ut refert Joſephus *lib.18.antiquit.* Quia verò Apoſtoli, & primi Chriſtiani, apud Gentiles eo errore ſuſpecti fuerunt, ex Clemente Alexand. *lib.4. ſtromat.* (qui refert inter alias cauſas perſecutionum Eccleſiæ hanc unam fuiſſe, quòd per legem Evangelicam, quam audiebant eſſe libertatis *Joan. cap.8.* Regna, & Reſpublicas everti Gentiles crederent) ut cauſam erroris tollerent, ſæpè ſæpius prædicarunt Principibus eſſe obediendum, illiſque tributum ſolvendum, ne in odium traheretur Chriſtiana Religio, aut Chriſtiani abuterentur libertate fidei, ad obedientiam Principibus denegandam.

In quem finem Paulus Romanis ſcripſit omnem hominem ſubditum eſſe debere iis, qui poteſtatem regendi, & imperandi habent, eiſque obedire in omnibus, in quibus illi poteſtatem, & juriſdictionem tenent: nempe politico magiſtratui in civilibus, & temporalibus negotiis: Eccleſiaſtico in ſpiritualibus. Id enim à Deo præceptum, ordinatum, & inſtitutum eſſe pluribus probat. Non eſt enim *poteſtas*, ideſt, Principatus, ſeù Magiſtratus, à Diabolo, vel à ſolis hominibus inventus, ſed *à Deo* ſic ordinante, & diſponente, ut homines hac ratione à multis ſceleribus coerceantur, juſtitiam colant, & pacem. Et planè Eccleſiaſtica poteſtas immediatè à Deo, & Chriſto inſtituta eſt, ut liquet: politica verò ſaltem mediatè, quia natura, & recta ratio (quæ à Deo eſt) ita dictat, & ſuadet. Et licèt aliqui ex Principibus ſint infideles, ſi tamen legitimè aſſumpti ſunt, poteſtatem ſuam habent à

Deo,

Deo, ut expreſsè docet Auguſtinus *lib.5. de Civit. Dei cap.21.* Quare, qui reſiſtunt poteſtati, hoc eſt, Principibus, Deo ejuſdem poteſtatis auctori, rebellis eſt. Princeps enim, *Dei miniſter eſt*, hoc eſt, gerit vices Dei in temporalibus: ergo illi, quaſi Dei Vicario reverentia, & obedientia in temporalibus præſtanda eſt. Unde PP. Concilii Tolet.4.*can.*75. Illud, *nolite tangere Chriſtos meos*, acceperunt de fidelitate, & obedientia Principibus debita.

Hoc idem probat textus ex Epiſt.Petri, quo Sanctus Pontifex præcipit eſſe obediendum omni Superiori, ex hominibus electo, ſeù ad id muneris aſſumpto, qualiſcunque fuerit, etſi infidelis, impius, indoctus, &c. hoc enim ſolo titulo, quòd ſuperior eſt, ei honeſta præcipienti parendum in omnibus ſuæ juriſdictionis, non coactè, ſeù metu gladii, aut pęnæ ab ipſo infligendæ, ſed propter Deum, ex reverentia, & Dei amore, & ne quis rebellis Deo ſit, non implens mandata illius, qui in terris eſt divinæ juſtitiæ miniſter.

Quare omnibus quidem obtemperandum eſt ſuperioribus, ſed potiſſimùm Principibus, & in eminentia conſtitutis. Verùm ex hoc nihil pro Primatu Principũ in Eccleſia. Siquidem alii Superiores ſunt in temporalibus, alii in Eccleſiaſticis. In utroque genere reperiuntur Superiores, quibus obtemperandum dicimus: in hoc quidem eſt Pontifex, in illo autem Principes: licèt Pontifici in ſuis ditionibus parendum ſit etiam in politicis.

Dices. Poteſtas Principum eandem materiam reſpicit, quam intendit Eccleſiaſtica, ſalutem nimirùm animarum. Siquidem & ipſi intendunt vitiorum coercitionem, & virtutis augumentum: ergo in Principibus illæ poteſtates non ſunt ſejunctæ, atque ita, &c.

35 R. Jam ſupra n.32. dictum eſt poteſtatem civilem eſſe ab Eccleſiaſtica diſcretam; & utramque habere materiam ſibi propriam. Unde falſum eſt politicam ſecundùm ſe reſpicere ſalutem ſupernaturalem animarum. Principes enim punientes furta, homicidia, adulteria, & ſimilia delicta, *per ſe* non reflectunt ad hoc, quòd ſint offenſa Dei, illiſque homo dignus conſtituatur pęna ęterna, ſed ſolùm, quòd ſimilibus Reſpublica perturbatur, & quies publica detrimentum patitur. Verùm, quia in hoc gratiæ ſtatu politica ſubordinatur Eccleſiaſticæ, & executionem poteſt demandare eorum, quæ ab Eccleſiaſtica præſcribuntur, poteſt dici politicam, *per accidens*, & propter illam ſubordinationem, attingere ſupernaturalem animarum ſalutem, ut tradit Beccanus *d.lib.de primat.Regis cap.1. in comment.nu.*7. ſed inde quid adversùs reſolutionem?

Opponunt 3. Is eſt ſupremus Judex controverſiarum in materia Eccleſiaſtica, ad quem in eadem à Papa interponitur appellatio, & ultimus cauſam definit; ſed à Papa ad Principes Laicos ea in re appellatio interponitur: ergo, &c. Major negatur à nullo. Minor conſtat ex facto, quòd Donatiſtæ ad Conſtantinum Imperatorẽ recurſum habuerunt adversùs Cęcilianum Epiſcopum Carthaginenſem; quem cauſabantur traditionis reum, nec poſſe Epiſcopum eſſe, utpotè ordinatum à Felice Aptungitano traditore (Traditor dicebatur, qui Tyrannis, vel ethnicis magiſtratibus metu tormentorum, Sanctos tradebat codices) ſubinde ab judicio Melchiadis Papæ, apud Cæſarem reclamant, ad quem appellant à judicio Epiſcoporum: & tandem Imperator rem decidit, ut fuſiùs non ſemel narrat Auguſtinus *Epiſt.93.cap.4.Epiſt.105.cap.2.lib.3.contr.Creſcon.cap.71. in Breviculo collat.cum Donatiſtis lib.2.contr. Epiſt.Petiliani cap.92. & alibi.* Si Romana Sedes ſummum habet judicium ſine provocatione, cur Melchiades adeò manifeſtum ſuæ auctoritati præjudicium irrogari permiſit? cur appellationem non caſſavit? cur Imperator, in cauſa Eccleſiaſtica pronuntians, à Romano Pontifice non reprehenditur? Ex quo Calvinus *lib.4.inſtit.c.7. num.10.* colligit Romano Pontifici in cau-

ſis Eccleſiaſticis ſupremam juriſdictionem minimè competere.

Item ſubinde ad tempora Conſtantini, in Africa tribus diebus, juſſu Honorii Imperatoris, deputato præſidente Marcellino Tribuno, facta eſt inter Epiſcopos Catholicos (quorum unus fuit Auguſtinus) & partes Donati collatio, ſeù diſputatio, ut expreſsè idem Auguſtinus *in breviculo in principio collat. prim. diei*, & ibi. *Cùm Catholici Epiſcopi, & partis Donati juſſu Imperatoris*, &c. & ſequentibus recenſet ſeriem diſputationis, collationemque tertiæ diei hiſce claudit, & abſolutam dat; *omnia veraciter poſuit* (Marcellinus) *confutatos à Catholicis Donatiſtas, omnium documentorum manifeſtatione, pronuntians*. Evidens autem eſt in Imperatore ſupremæ juriſdictionis argumentum, de rebus Eccleſiaſticis diſputationes imperare, ac Laicis committere præſidentiam; quòd verò ſuſcepta à Catholicis cum Donatiſtis de rebus Eccleſiaſticis fuerit, patet ex ipſa Auguſtini narratione *loc. cit.* ubi reportat iterùm Donatiſtas obiecìſſe Catholicæ Eccleſiæ crimina Cęciliani: Sed Cęcilianum jam innocentem fuiſſe declaratum auctenticis documentis, Catholici docuerunt, ſimulque Eccleſiam toto Orbe eſſe diffuſam, & non in ſola parte Africæ, quæ communicaret Donato, reſtrictam; ut iidem Donatiſtæ contendebant. Ergo, &c.

36 R. Major falſum ſupponit. Non enim à Papa poteſt de jure appellari. Minor item falſa eſt. Nec Donatiſtæ à ſententia Romani Pontificis ad alium Judicem provocarunt, quibus etiam perſuaſum erat licitum non eſſe ab judicio Romanæ Sedis ad inferius Tribunal provocare: & quando etiam provocaſſent, illegitimè prorſus, & contra juris formam fuiſſet appellatio; cùm hæc nihil aliud ſit, quàm *à minori ad Superiorem Judicem provocatio, cap. non putamus de conſuetud. in 6.* Nullus autem in terris eſt Romano Pontifice dignitate, & juriſdictione ſuperior: etenim omnium Caput, Princeps, Paſtor, & Judex à Chriſto verbis illis eſt conſtitutus; *Paſce oves meas*, de qua re *capit. ſequent. & controver. 6.*

Ut autem ad ſingula, quæ in argumento tanguntur, fiat ſatis; ponderandum eſt, ibi quatuor occurrere. Primum, quòd Conſtantinus cauſam Romam miſerit. Secundum, quòd à ſententia Melchiadis Donatiſtæ appellaverint. Tertium, quòd Concilium in cauſa ab Imperatore ſibi commiſſa judicaverit. Quartum, quòd tandem Imperator poſt utramque ſententiam pronuntiaverit.

Quantum ad 1. Satis foret adnotata ſup. n. 25. Verùm quia Politici eo facto abutuntur, adverti hìc debet, quòd ideò Conſtantinus ad Melchiadem rem detulit, quia recognovit ſe judicem incompetentem, in cauſa Cæciliani, pro qua ipſum Donatiſtæ interpellarunt, ad quem tranſmiſit, & documenta, ab Anulino Africæ Proconſule ea de re accepta, ut inde totius negotii pleniſſimam notitiam Papa reciperet, ut ex *Epiſt. Conſtantini incip. Quoniam*, relata cum cęteris ad hiſtoriam Donatiſtarum pertinentibus *in append. ad to. 9. Auguſtini*. Poterat ſolus Melchiades cauſam decidere; verùm, ut omnem Donatiſtis adimeret titulum reclamandi adversùs ſententiam, fortè allegaturis cauſam non fuiſſe planè diſcuſſam, anno 313. Concilium celebravit in Laterano, admiſſis etiam tribus Epiſcopis ex Galliis Romam ab Imperatore deſtinatis, ac aliis quindecim Italis. Et hinc ex hac Conſtantini praxi primatus Pontificis omninò conſolidatur.

37 Quantum ad 2. Sententia Melchiadis, teſte ipſo Auguſtino *d. Epiſt. 43. cap. 4. Fuit ultima, innocens, integra, provida, atque pacifica*; à qua nulla fuit à Donatiſtis interpoſita appellatio; ſed à judicio Epiſcoporum, qui Arelate judicarunt, ad Imperatorem appellarunt, ut narrat Auguſtinus *Epiſt. 105. cap. 2. nu. 8.* ubi Donatiſtas alloquitur. *Scitote, quòd primi majores veſtri cauſam Cæciliani ad Imperatorem Conſtantinum detulerunt, ſed quia Conſtantinus non*

eſt

eſt auſus de cauſa Epiſcopi judicare, eam diſcutiendam, atque finiendam Epiſcopis delegavit: juxta notata ſupra. *Quod & factum eſt in Vrbe Roma, præſidente Melchiade, Epiſcopo illius Eccleſiæ cum multis collegis ſuis. Qui cùm Cæcilianum innocentem pronuntiaſſent, & Donatum, qui ſchiſma Carthagini fecerat, ſententia percuſſiſſent, iterùm veſtri ad Imperatorem venerunt. Quomodò enim poteſt malus litigator laudare Judices, quibus judicantibus victus eſt? Iterum tamen clementiſſimus Imperator alios Judices Epiſcopos dedit, apud Arelatum Galliæ Civitatem, vel ab ipſis veſtri ad ipſum Imperatorem appellarunt, donec etiam ipſe cauſam cognoſceret, & Cæcilianum innocentem, illos calumnioſos pronuntiaret*, hæc S. Doctor Cabaſutius *notit. Eccleſ. ad an. 314. conc. Arelaten. n.* 8. hæc etiam Auguſtini eſſe tradit. *Nulla hìc à Melchiadis, & collegarum ejus Epiſcoporum judicio appellatio, ſed tantùm querimoniæ, & murmurationes; tanquam eorum, qui per gratiam malè judicaſſent, ideòque ſuſpectum id eſſe judicium, & cauſam retractandam apud alios minimè ſuſpectos.* Verùm hæc non leguntur in d. Epiſtola, quam cum cæteris exhibet codex noviſſimæ editionis à PP. Benedictinis Congr. S. Mauri caſtigatus. Tamen, ſive hæc poſteriora in Auguſtino extent, ſive non, conſtat ex aliis, quæ in Epiſtola ſunt.

Donatiſtas à ſecundo Epiſcoporum judicio appellaſſe, adversùs verò illud Melchiadis reclamaſſe, & murmuraſſe (quidquid referat ex Optato Spondanus ad ann. 313. n. 9.) videtur certum, neque enim ſunt termini confundendi: nam appellationis nomine non quævis ſignificatur adversùs quodcunque judicium reclamatio; quippè aliud eſt ab inferiori, & ſubalterno tribunali ad ſuperius appellare, & aliud Judicii reviſionem, & recognitionem poſtulare, tanquam procedentis à malè informatis, ſeù de veritate rei haud planè inſtructis.

Cæterùm idem Auguſtinus *lib. 2. contr. litter. Petiliani cap. 92.* falcem ad radicem ponit *ibi nu. 205.* ait. *Petentibus enim majoribus veſtris* (Donatiſtis) *Epiſcopale judicium, dederat* Conſtantinus, *& apud Romam, & apud Arelatum: quorum primum apud eum accuſaſtis, ab altero ad eum appellaſtis.* Per quid expreſſius recenſeri poterat non à Melchiade, ſed ab aliorum Epiſcoporum judicio eſſe appellatum?

38 Quantum ad 3. Oportet perpendere non ex rigore juris *de an. 314.* conceſſum fuiſſe Donatiſtis Concilium Arelatenſe ſub Silveſtro Papa, aliud à Romano ſub Melchiade; ſed id datum eſſe dumtaxat ex indulgentia, dicente Auguſtino cit. *Epiſt. 43. cap. 7. Dedit ille* (Conſtantinus) *aliud Arelatenſe judicium, aliorum, ſcilicet Epiſcoporum; non quia jam neceſſe erat, ſed eorum perverſitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.* Itaque Imperator curavit Concilium celebrari, quod de conſenſu Sylveſtri congregatum eſt, teſte Bail. ſum. *Concil. to. 2. ſæcul. 4.* Cabaſut. *cit.* Cui per ſuos Legatos præſedit ex Coroliano in *breviar. ad an. 314.* In quo & Conſtantinus per ſe, non ut Judex, ſed pacis promotor interfuit. Nec Synodus ullam ſibi poteſtatem arrogavit ſupra Pōtificem, quaſi ejus decreta, ipſo invito, (ſed decreta fidei, & morum ſunt omninò irreformabilia) vel, reformare, vel immutare potuiſſet. Quinimò ipſa Synodus ſe ſubditam recognovit illius juriſdictioni, prout demonſtravit Epiſtola Synodica ad Sylveſtrum Melchiadis Succeſſorem, eo fine, ut quæ ſtatuiſſet, ipſe ſua confirmaret auctoritate. Epiſtolam refert Bail *ubi ſupra*. Cùm verò in Concilio iterùm innocens fuit Cæcilianus pronuntiatus, à Concilio ad Imperatorem Donatiſtæ provocarunt, ſed planè appellatio iniqua fuit; in quo, etiam examen controverſiæ (quæ de facto erat non dogmatico, vel connexo cum jure, ſed particulari, an rectè nimirum in ſedem Carthaginenſis Eccleſiæ Cæcilianus aſcendiſſet) ac judicium exindè ſubſecutum, Romani Pontificis judicio ſubmiſſum à Patribus fuit; propter quod in nullo fuit Romani Pontificis auctoritas

L 2 vio-

violata: quidquid obloquatur Calvinus.

39 Quantum ad 4. Advertens Imperator judicia Epiſcoporum abſque primariæ Sedis Antiſtite non ritè cognoſci; ad Melchiadem, ut diximus cauſam miſit. Et inde, quia Sententiæ Melchiadis Donatiſtæ non paruerunt, eos ut contumaces deteſtatur. Quoniam in *d.Epiſt.* teſtatur rem fuiſſe apud Urbem Romam; ab idoneis, ac probatiſſimis viris Epiſcopis terminatam; & inſaniam eorum reprehendit, quòd pertinaciter reſpondendum exiſtimaverunt, quòd eorum omnis cauſa non fuiſſet audita, ſed potiùs iidem Epiſcopi quodam loco ſe clauſiſſent, & prout ipſis aptum fuerat, judicaſſent. Et in *Epiſtola æterna* Epiſcopis, qui Arelatenſi Concilio interfuerunt, directa, Donatiſtarum contumaciam iterùm hiſce perſtringit: *non profuit apud eos recta dijudicatio*, & infr. *quæ in ipſis tanta veſania perſeverat: cùm incredibili arrogantia perſuadeant ſibi, quæ nec dici, nec audiri fas eſt, deſciſcentes à recto judicio dato:* Et ſtatim: *nihil enim licet his aliud ſentire, vel aliud judicare, niſi quod Chriſti magiſterio ſunt edocti:* poſt: *hi detractatores legis renuentes cœleſte, judicium meum putaverunt poſtulandum.* Quapropter judicium coactè ſuſcepit ex Auguſtino *Epiſt.* 88. Et Cæcilianum innocentem dixit, illoſque calumnioſos cognovit, ex d.Breviculo *collat.tertiæ diei cap.*19. non quòd neceſſarium id eſſet: Siquidem cauſa jam à Melchiade finita erat, ſed ut tandem lis, & contentio ceſſaret, atque ut Donatiſtis omnem præriperet occaſionem, & prætextum conquerendi, & tergiverſandi, utpote iteratis condemnationibus juſtè perculſis; vel tandem ut à ſua perverſitate reſilirent; vel, ipſorum malitia palàm cunctis manifeſta reddita, omnibus magis odioſi redderentur. Audiatur Auguſtinus *d.Epiſt.*43.*cap.*7. *Neque enim auſus eſt Chriſtianus Imperator, ſic eorum tumultuoſas, & fallaces querelas ſuſcipere, ut de judicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant, ipſe judicaret; ſed alios, ut* dixi, *Epiſcopos dedit; à quibus tamen illi ad ipſum rurſum Imperatorem provocare maluerunt: qua in re, illos quemadmodum deteſtetur, audiſtis. Atque utinam ſaltem ipſius judicio inſaniſſimis animoſitatibus ſuis finem poſuiſſent; atque ut eis ipſe ceſſit, ut de illa cauſa poſt Epiſcopos judicaret, à Sanctis Antiſtibus poſteà veniam petiturus, dum tamen illi, quod ulteriùs dicerent, non haberent, ſi ejus ſententiæ non obtemperarent, ad quem ipſi provocaverunt, ſic & illi aliquando cederent veritati.*

Quoniam verò toties victi, Donatiſtæ non quieverunt, Conſtantinus poſt illud judicium, *contra partem Donati ſeveriſſimam legem dedit*, ut teſtatur Auguſtinus *d.Epiſt.* 105.*cap.*2.*nu.*9. *Præcepitque ut loca Congregationum ipſorum fiſco vindicarentur*, ex *d. Epiſt.*88.*nu.*3. Eiſque Baſilicas juſſit auferri, quas poſteà eis Julianus Catholicæ religionis deſertor reddidit, ut ait Auguſtinus *d.lib.*2.*& cap.contra Epiſtolam Petiliani.* Et inde nullum auctoritatis Pontificię pręjudicium ex judicio Conſtantini; nam ipſe coactus in cauſa pronuntiavit, non ut ipſa iterùm finiretur, ſed ut nullum Donatiſtis perſugium relinqueretur. Hinc patet, quàm inſulsè Calvinus concludat.

40 Ad 2. principale: Sciendum, quòd centum circiter Annis furor Donatiſtarũ, Catholicos in Africa divexaverat, ut narrat Auguſtinus *lib.*3.*contra Julianum c.*1.*n.*5. *Illorum enim furor*, ait, *totam occupaverat Africam, nec prædicari à Catholicis contra ſuum patiebantur errorem; violentis aggreſſionibus, latrocinationibus, itinerum obſidionibus, rapinis, ignibus, cædibus, multa vaſtantes, omnia terrentes.* Ad hæc multa avertenda, reſtituendamque Eccleſiæ pacem, Epiſcopi Catholici Africæ diſputationem, & pacificam collationem cum Donatiſtis deſiderarunt, dicente eodem Auguſtino d.Epiſt.88.n.10. *Sed ideò vos conferre volumus, non ut cauſa iterùm finiatur* (jam enim per Melchiadem finita erat) *Sed, ut eis, qui neſciunt, jam finita monſtretur.* Non ſemel recuſarunt Donatiſtæ cum Catholicis convenire. Tandem anno quadrin-

drigentesimo ſexto hùc redacti fuerunt, ut ſeſe id velle, & cupere ſimularent: ut ex vita S. Auguſtini *lib.6.cap.8.num.5.* ut in *Indice ad ejus opera*: & expreſſiùs eorum conſenſus à S. Doctore recenſetur in geſtis collat. *tertiæ diei n.110.in d.append.* ubi hęc ſunt. *His nos permoti convenimus eos, ut nobiſcum conferrent, & quod intendunt, utrum probare poſſent, in Eccleſiam, cui intendunt, oſtenderent. Quam conventionem noſtram, quoniam recuſaverant, cùm nuper in comitatum veniſſent quidam illorum, apud acta etiã præfectoria dixerunt, audiri ſe velle, & diſcuti velle; amplectentes nos, aliquando eorum de collatione conſenſum, petendum ab Imperatore credidimus, ut collatio ad hoc fieret ut ea crimina, quæ ſolent dicere in univerſam Eccleſiam, aut probarent, ut veritas appareret, aut non probarent, ut nihilominus veritas appareret.*

Hinc Patres Africani in Concilio Carthaginenſi celebrato *an.*404. legationem ad Honorium Imperatorem decreverunt, à quo peterent collationem amicam fieri inter Epiſcopos Catholicos, & partis Donati, ut in *d.append.§.Glorioſiſſimo*. Honorius, legatione Patrum admiſſa, collationem fieri mandavit: ad eamque Cognitorem, ſeù Procuratorem miſit Marcellinum Tribunum, & Notarium, ut ibi *in præcepto Honorii ad Marcellinum*. Collatio fuit celebrata an.411. & victi Donatiſtę; at non propterea meliores effecti, ſed in errore, & diviſione magis obfirmati. In quos proinde varias mulctas, pęnaſque Imperator, ad extirpationem ſectæ, ſua lege decrevit, niſi ad unitatem Eccleſiæ Catholicæ, à qua ſacrilegè ſeceſſere, ſe redderent, ut *loc.cit.§. caſſatis, & §. Donatiſtas*.

Ex quibus nullum conſideratur præjudicium juriſdictioni Eccleſiaſticæ obveniſſe.

41 Non *ex petitione collationis Imperatori facta*; nam ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ actum id haud eſt. Cordi enim erat, tum Romano Pontifici, tum Africanis Epiſcopis de reducendis in Eccleſiam Donatiſtis; & hinc nihil intentatum in eum finem omittebatur; ac de modo Sedem Apoſtolicam conſuluiſſe dicendum eſt. Ad quam in Synodo Carthaginenſi, in cauſa reconciliationis Donatiſtarum habita, legatio directa eſt, pro aſſequenda indulgentia, ut liceret Donatiſtis ad Eccleſiam Catholicam revertentibus eandem, quam apud ſuos accepiſſent dignitatem, retinere. Quod ab Anaſtaſio Romano Pontifice obtentum eſt, ut ſcribit Spondan. *ad an.*403. *n.*8. Itaque cùm non minus Pontifex, quàm Afri Patres pacificam collationem cum Donatiſtis ſuſpirarent, ad Eccleſiæ pacem reddendam, & perpenderent Donatiſtas viros factioſos, præpotenteſque non obtemperaturos Apoſtolicæ Sedi, cui rebelles erant, opus fuit potentia Imperatoris (cujus Regni maxima pars Africa erat) ut ſi non monitu, ad minùs terrore ad conferentiam convenirent, ut ex *allegat. præcepto ad Marcellinum*; cujus propterea, neceſſitate urgente, inſtructione planè Pontificis patrocinium impetrarunt. Imperator enim advocatus eſt, & defenſor Eccleſiæ, *cap. Venerabilem fratrem de elect.* idcircò cùm opus eſt, auxilium brachii ſęcularis præſtare debet, cap. ab *Imperatoribus* 23.*q.*3. Et ex Concilio Carthaginenſi V. apud Bail. *Sum.to.*2.*ſæcul.*4. poſſunt Epiſcopi, ad defenſionem Eccleſiæ, ab Imperatore juſtum auxilium poſtulare.

Nec ex *Honorii juſſione*. Siquidem hæc percutiebat Donatiſtas, ut ad Conventum accederent, quem non adeò ſponte celebrari concedebant; non verò Catholicos, qui fuerunt collationis promotores.

Nec ex *præſidentia Marcellini*. Quippe ei non eſt commiſſa præſidentia ad definitionem doctrinæ, ſed aſſiſtentia ad libertatem partium, & ut omnia inter eos cum ordine, & pacificè agerentur ſine violentia, ac tumultu; quod neceſſarium fuiſſe eventus demonſtravit, ut expreſsè Auguſtinus in *d.Breviculo*, & in geſtis *collation. in allegat. append.*

Nec ex *ſententia Marcellini*. Quoniam

ab eo fuerunt auctenticè ſingula adnotata, ut Imperatorem inſtructum redderet: & cùm recognoviſſet in cauſa Donatiſtas ſuccubuiſſe Catholicis, nec quidquam eos objeciſſe in cauſa contra Eccleſiam, quod integrè iſti non evacuaſſent, decrevit eos ſine dubitatione ſubituros pęnas, Imperiali auctoritate conſtitutas, niſi unitati Eccleſiæ conſentire voluiſſent; commiſitq; univerſis viris, ut Donatiſtarum conventicula in omnibus Civitatibus, & locis prohiberent, prout fuſiùs ex ſententia Cognitoris in d.append.

42 Hìc notandum ex d.collatione nobis exhiberi methodum diſputandi cum Hęreticis, ut, ſcilicet nos Catholici, qui antiquitate priores ſumus, ac in poſſeſſione fidei, defenſorum dumtaxat partes agamus in hoc inſiſtentes, ut diluamus eorum rationes, quibus à nobis juſtam ſeparationis cauſam habere gloriantur, & objecta evacuemus; cùm enim his rationibus, & objectis reſpondebimus, apparebit eos iniquè ab Eccleſia Catholica receſſiſſe, atque adeò ad unitatem Eccleſiæ redire debere. Hæc methodus à Catholicis obſervata fuit contra Donatiſtas, contendentes Catholicos eſſe Actores, & petitores (Actoris enim, & petitoris eſt probare) quos petitores non fuiſſe tradit Auguſtinus in d. *Breviculo collat.tert.diei cap.2. Cùm jam in actione prima recitatum fuiſſet Catholicorum mandatum, ubi ſe oſtendebant ſe non petitores eſſe, ſed defenſores adversùs crimina, quæ illi eorum communioni obiicere ſolent.* In quem finem collationem poſtularunt, prout ex *cap.53.& 5.collat. ter. diei in d.append.* ubi Auguſtinus dixit: *collatio petita eſt à Legatis noſtris....... Jam fiat ipſa collatio. Videamus, quid dicatur contra Eccleſiam toto Orbe diffuſam.* Ubi patet partes defenſoris non Actoris Catholicos egiſſe. Moroſus fortè iſtis fui; verùm notitiam, inutilem planè non dixeris.

Opponunt 4. Primatus Eccleſiæ apud eum reperitur, cujus eſt congregare Concilia generalia; ſed hoc eſt Principis Laici. Nam Conſtantinus convocavit Synodum primam Nicænam, ut refert Euſebius *lib.3. de vita Conſtantini*. Theodoſius Senior congregavit primam Conſtantinopolitanam ex Socrate *lib.5. hiſtoriæ cap.8.* Epheſina celebrata eſt nutu, & mandato Theodoſii Junioris ex *Evagrio lib.6.hiſt.c.3.* & ſic de ſubſequentibus Conciliis generalibus uſque ad octavum, ut refert Juvenim *tom.1.inſtitut.Theol.diſſert.4.qu.3.cap.1.art.1. concl.2.* ergo, &c.

Item. Qui confirmat Romanum Pontificem, eſt Romano Pontifice ſuperior, adeòque Primas Eccleſiæ, ſed Imperatores confirmarunt Romanum Pontificem, quod ex hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lectura ſatis liquet, ut ex Spondano *Epiſt.to.2.ad an.590. nu.3.* ubi narrat, quòd Gregorio Electo, *ei confeſtim in Petri Cathedra ſedere non licuit*, quia ſub Arianis Gothorum Regibus electus Pontifex, non niſi pecunia perſoluta, confirmatus à Principe, ſedere non poterat; quod jus confirmandi Pontificem, & pro confirmatione pecuniam exigendi, ſibi retinuit Juſtinianus Imperator, à quo in ſucceſſores dimanavit: & n.8. recenſet fuiſſe ab eodem Sancto Pontifice pecuniā, pro ſua confirmatione, perſolutam.

Item. Pontifices ſubeſſe Regibus legitur *cap.... Satagendum* 25.q.1. *id teſtante* Pelagio 1.Pap.ergo, &c.

43 R.Hæc difficultas controverſia 8.eſt. Ex profeſſò pertractanda. Hìc ſolùm delibamus, quòd facta, ab jure ſunt diligenter diſtinguenda: Neque enim ſequitur, ei jus in rem aliquam competere, qui eam ſibi vindicavit. Item, quòd ſoli Romano Pontifici jure divino convenit auctoritas convocandi Concilia generalia: Siquidem eidem commiſſa eſt cura totius Eccleſiæ, & ipſe dumtaxat poteſt præcipere ſingulis totius Orbis Epiſcopis, ut ad Concilium conveniant: quando enim Concilia indicit non precibus, non invitatione tantū, ſed præcepto utitur, ut ex Bullis convocatoriis eſt manifeſtum. Quare cùm convocationes Imperatoribus tribuantur, hoc

ita

ita intelligitur, ut eorumdem litteris Epiſcopi convocati fuerint, non tamen ſine Romani Pontificis auctoritate, & conſenſu cujus voluntatis ipſi, id exigente Eccleſiæ ſtatu fuerunt executores, ut ſcribit Spondanus *to.1. ad an.325.n.6.* & Du-hamel *to.5.Theol.Cleric.lib.2. de Concil.diſſert.1.cap.2.n.3.* refert ex Sozomen. *lib.6.cap.7.* Valentinianum Epiſcopis petentibus facultatem congregandi Synodum reſpondiſſe: *Sibi, qui unus de Laicorum numero erat, non licere ſe ejuſmodi negotiis interponere.* Quod quidem non facti tantùm, ſed juris fuit, quatenus, non ideò facultatem non dedit, quia noluit, ſed quia reverà non poterat, prout fuſiùs *loc.cit.*

44 Ad 2. In minori ſupponitur falſum. Neque enim Papa canonicè electus eget confirmatione, ſed quàm primùm quis per canonicam electionem à Sacro Collegio in Pontificem eſt deputatus, ſupremam à Deo poteſtatem ſine medio conſequitur, *cap.Quamvis 21. diſt.* Papatus enim à Deo eſt, *cap.Omnes, cap.Sacroſancta 22.diſt.* Quocircà conſtat Imperatores ſibi tyrannicè uſurpaſſe jus confirmandi Pontifices: à quibus pro confirmatione licitè potuit illis pecunia perſolvi, juxta regulam communiter à Theologis receptam ex D.Thoma *2.2.q.100.art.2.ad 5.* Qua ſtatuitur, ad redimendam injuſtam vexationem, & moleſtiam licere ab eo, qui jus perfectum habet in beneficio, pecuniam conferre illi, à quo nullum jus ſpirituale ad ipſum beneficium aſſequitur, ut dixi Offic.Cur. *Eccleſias c.50. n.25.& lib.1.Caut.Confeſ.c.8.§.5.n.87.* Secùs de eo dicendum, qui jus ad Prælaturam non plenè acquiſivit, vel juſtè vexatur, aut vexationem redimit ab eo, ad quem de electione pertinet. Nam in hoc caſu pecunia ſibi viam pararet ad rem ſpiritualem.

Sanctus Gregorius pecuniam non dedit pro acquirendo Papatu (jam enim erat canonicè electus) ſed coactus eſt ipſa redimere injuſtam vexationem, ſeù moram executionis Pontificiæ poteſtatis injuſtè impeditæ, Eccleſiæ nocivam. Unde concludit ubi ſupr. *ad ann.390.* Spondanus: *Et ſi verè pendenda ab eo fuerit Imperatori pecunia, quę ab ipſius prædeceſſoribus exacta eſt; haud tamen ipſe, ſicut nec illi, in crimen adduci potuerunt; quippe quòd eis electio legitimè facta contulerit Pontificatum, non Regum, vel Imperatorum tyrannicè uſurpata confirmatio: pro qua licitè pecunia dari potuit, quòd non redimeretur ea Pontificatus, ſed liberatio à vexatione, cùm aliter non poſſet munus Pontificium exequi.* Hæc ille. Similia ex Baronio refert Fagnan. *in 5.ad cap.Nobis nu.105.de ſimon.* Alia legi poſſunt apud Gonzalez *in 1.tit.6.cap.5.nu.12.*

Dices. Carolus magnus gaudebat jure eligendi Romanos Pontifices. Ergo hoc titulo ſaltem ſuperior illis erat.

R. Conveniunt DD. in hoc, jus tale non convenire Imperatori, ex prerogativa dignitatis Imperialis: Sed tamen nonnulli tradunt illud ex privilegio Apoſtolicæ Sedis quibuſdam fuiſſe conceſſum. Ita cap. *Hadrianus il 2.63.diſt.* Dicitur ab Hadriano I. fuiſſe Carolo magno indultum, ut Romanum Pontificem eligeret. Similem conceſſionem feciſſe Leonem VIII. Othoni 1. legitur *cap.in Synodo ead. diſt.*

45 Verùm Canones illos eſſe apocryphos, & commentitios ſcribunt Claſſici Auctores apud Fagnan. *in 1.ad cap.Accepimus nu.6.de pactis*, & fabellam, ac impoſturam eſſe à Sigeberto *in fine ſuę Chronographiæ adjectam.* Hic enim in gratiam Schiſmatici Imperatoris Henrici, vindicantis ſibi Eccleſiarum inveſtituras, eoſdem Canones primus contexuit; cùm nullus planè alius, qui ante eum ſcripſerit res Francorum, de recenſitis in illis, vel levem mentionem fecerit, ut notarunt Coriolanus in *Breviar. ad ann.774.* Spondanus *ad eumdem annum n.3.* & Gonzalez *ubi ſupra*, plures allegans. Qui omnes nimiæ credulitatis, prout in aliis fuit, & levitatis virum appellant Gratianum, eò quòd Canonem collectioni ſuorum decretorum improvidè nimis conſarcinaverit. Inde concludit Cabaſut. *notit. Eccleſ. ad ann.1274.*

diſert.2. ad Conc.Lugdunen.2. Canones allegatos cum eo, qui præcedit, meritò debere ex collectione expungi, & obliterari. Deinde ex electione non benè infertur ſuperioritas; Siquidem Cardinales eligunt Pontifices, quibus tamen ſuperiores minimè ſunt.

46 Ad 3. In textu legitur legibus non Regibus, licèt legendum hoc eſſe tradat ibi Gloſſa, & Gonzalez in 1.*tit.33. cap.6.n.* 19. Quod tamen non videtur regere. Siquidem falſum eſt Sanctas Scripturas præcipere Romanos Pontifices Regibus ſubeſſe, quibus omnes ſive Imperiali, vel Regali dignitate decorati ſubſunt. Nam eſt Caput, & Paſtor ovium; membra autem non capiti, nec oves imperant Paſtori. Expreſſum id eſt capite *Solitæ de major.& obed.* Ubi Innocentius III. probans Alexio Imperatori Pontificatum regiam antecellere poteſtatem, hæc habet. *Fecit Deus magna luminaria*, ideſt, *duas magnas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis auctoritas, & Regalis poteſtas: ſed illa, quæ præeſt diebus*, ideſt, *ſpiritualibus, major eſt: quæ verò carnalibus, minor eſt: ut quanta eſt inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges cognoſcatur differentia.*

Quare adductus Canon nihil plus ſignificat, quàm Pontifices teneri legibus juris, tùm naturæ, tùm divini obtemperare. Quò circa ſciendum Pelagium Pontificem fuiſſe in ſuſpicionem adductum à Schiſmaticis Occidentalibus, eo quòd probaſſet Quintam Synodum, quæ tria Capitula proſcripſit, ut notavit Coriolanus ad *ann.559.* & Spondanus ad *ann.556. num.2.* Quod cùm audiſſet Chidelbertus Francorum Rex, verè pius, miſit ad Pelagium nuntium, ut peteret ab eodem, an Catholicam Leonis Papæ Epiſtolam, de fide adversùs Eutychetem, ſequeretur; cui Pelagius reſcribens, anathematizavit omnes, quotquot aliquo modo à doctrina Epiſtolæ Leonis, & Concilii Chalcedonenſis recederent. Cum verò rurſum idem Rex, ad omnem penitùs dubitationem tollendam, ab eodem Pontifice poſtulaſſet exactiorem fidei confeſſionem, & profeſſionem, Pontifex eam à ſe ſubſcriptam ad eum miſit: licèt ad id ex inſtantia Regis non teneretur: Verùm id egit ad ſubmovendam ſuſpicionem apud Regem ortam, tollendumque ſcandalum à cæteris, qui de ipſo dubitaſſent, ut notat Gonzalez cit. Qui tandem, ut ſingulis quocunque loco de recta ipſius fide dubitantibus conſtaret, cenſuit ea de re expedire ad univerſum populum Chriſtianum circulares litteras de fide Catholica, ut ibi Spondanus. Ex quo nihil pro Regis primatu ſupra Pontifices.

CAPUT V.

An Pontifex Romanus ſit Judex controverſiarum fidei?

SUMMARIUM.

1 *Solus Pontifex Romanus eſt regula viva ultima, ad dirimenda dubia, in materia religionis.*
2 *Romanus Pontifex jus habet docendi omnes.*
3 *Controverſia circa legalia à Petro finita eſt.*
4 *Controverſia de celebratione Paſchæ deciſa eſt à Victore Papa, & n.36.*
5 *Illa Novatianorum à Cornelio.*
6 *Illa rebaptizationis à Stephano, & n.33.*
7 *Sententia Patrum in Concilio non eſt ultima.*
8 *Varii errores à diverſis Pontificibus proſcripti uſque ad n.24.*
25 *Probatur auctoritatibus Auguſtini.*
26 *Et Cypriani.*
27 *Et Hieronymi.*
28 *Concilia à Pontificibus confirmationes poſtularunt.*
29 *Verbum* Paſce *dictum Petro, intelligitur de doctrina.*
30 *D.Paulus ſuum Evangelium communicavit cum Petro.*
31 *Cyprianus receſſit à Sententia de repetitio-*

titione baptiſmi.
32 *Idem tenuit Pontificem eſſe Judicem controverſiarum.*
33 *Stephanus Papa rebaptizantibus intentavit fulmen excommunicationis.*
34 *An Cyprianus peccaverit, cum Stephano primo reſtitit?*
35 *Tranſgreſſio legis non dat jus ad tranſgreſſionem.*
36 *Status controverſiæ de Paſchæ celebratione uſque ad 39.*
40 *Præcepta tradita in Concilio Jeroſolymitano.*
41 *Idolothytum quid importet?*
42 *Cur præceptum, de abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato, impoſitum?*
43 *Lex vetus in ipſo inſtanti mortis Chriſti ceſſavit.*
44 *Non fuit tamen ſtatim mortifera.*
45 *Quando mortifera fuerit?*
46 *An Canones Trulliani auctoritatem habeant in Eccleſia? ad 47.*
48 *Calumniæ Gentilium in Chriſtianos, primis Eccleſiæ temporibus, quòd infantes occiderent.*
49 *Cur abſtinentia à fornicatione præcepta in Concilio Jeroſolymitano, cùm ſit ab intrinſeco mala?*
50 *Decretum Apoſtolorum, impoſitis illis tribus præceptis, non eximit Chriſtianos ab obſervatione legis Chriſti.*

Conſtat apud omnes aliquam regulam vivam, & omninò certam ad decidendas controverſias circa fidem,& mores in Eccleſia Chriſti eſſe admittendam, aliàs Deus non benè ſuæ Eccleſiæ providiſſet, quod abſque blaſphemia dici minimè poteſt. In hoc nobis conſentiunt Hæretici, aſſerentes hujuſmodi regulam fidei in ſola congregatione Fidelium reperiri; idcircò, ut ſolùm apud ipſos probent eſſe hujuſmodi regulam, ſolam ſuam ſectam inſipienter omninò clamant eſſe cætum Fidelium. Verùm hoc ipſorum aſſumptum commentum eſſe jam vidimus *contr.1.c.1.* & in præſenti ſuperioribus capitibus maniſeſtè oſtendimus, nec Scripturam ſolam, nec ſpiritum cujuſque privatum, nec Laicos Principes regulam illam, ſeù Judicem controverſiarum eſſe, prout Sectarii reſpectivè contendunt. Et quamvis ex hactenus dictis planè conſtet dictam regulam in ſolo Romano Pontifice reperiri: tamen ex profeſſo id aſſumimus probandum, ut pleniùs de re certa unuſquiſque aptiùs inſtruatur, & nihil, quod Sectarii adversùs obtrudunt, inſolutum ſit.

1 Dicendum. *Solus Romanus Pontifex eſt regula viva, ultima, & omninò certa ad dirimenda dubia de doctrina fidei, & morum; vel aliis verbis, eſt Judex infallibilis controverſiarum, in materia religionis.* Ita omnes Catholici adversùs Hæreticorum turbam.

Probatur 1. Illa eſt regula viva, ultima, & omninò certa ad dirimenda dubia de doctrina fidei, & morum, cui Chriſtus ſuam aſſiſtentiam promiſit, & dedit, ne in definiendis rebus fidei erraret; ſed ſoli Romano Pontifici eam aſſiſtentiam promiſit, ac dedit: ergo, &c. Major, & à Sectariis admittitur. Minor verò patet, tum ex illo *Lucæ 22. Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Tum ex alio *Matth.16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam:* ex quibus conſtat à Chriſto Eccleſiam, ne deficeret, fuiſſe fundatam ſuper fundamentum indefectibile; Romanoque Pontifici privilegium dediſſe, ut dubios confirmaret in fide, & ab errore revocaret.

2 Item. Qui primatum in tota Eccleſia tenet, jus pariter habet docendi eos omnes, quibus à Chriſto præpoſitus eſt, ac ſolvendi dubia, quæ circa doctrinam de fide, & moribus naſci poſſunt, præcipiendique, ut ubique terrarum obſerventur decreta fidei, & morum definitiones; immò & per cenſuras, etiam per excommunicationem compellendi ſingulos fideles, ipſos quoque Epiſcopos, ut ſanam fidem profiteantur; & ad Evangelii, & ca-

canonum normam mores ſuos componant; ſed ſolus Pontifex primatum in tota Eccleſia tenet per dicenda *controverſia 6.* ergo & jus dirimendi controverſias, quæ fidem, & mores reſpiciunt; quod jus in Romano Pontifice venerata ſemper eſt Eccleſia Catholica, ad quem propterea omnes controverſiæ in religionis materia sẽper pro deciſione ſunt, & fuerunt delatæ.

3 Ita orta controverſia, an Gentiles ad fidem converſi deberent neceſſariò circumcidi, aſſerebant, qui ex Judæis facti erant Chriſtiani, docentes Gentiles per fidem Chriſti non poſſe ſalvari, niſi circumciderentur, & cęremonias veteris legis obſervarent. Negabant Paulus, & Barnabas, ſuſtinentes opus non eſſe circumciſione, & obſervatione legalium. Contentio ſedari non potuit, ſed miſſa utrinque legatione ad Petrum, Joannem, & Jacobum (qui ut dicitur ad Galatas 2. Jeroſolymis tunc aderant) controverſia deciſa, & finita eſt à Petro definiente, & decidente, *quo audito, tacuit omnis multitudo*, ut ait textus, & deciſio miſſa fuit ad Gentiles Chriſtianos illis verbis. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.*

Poſt tempora Apoſtolorum plures, & plures controverſiæ diverſis locis, & ætatibus excitatæ ſunt, quas omnes pariter à Romano Pontifice extra Concilia, vel præſidente in Conciliis, vel Concilia confirmante deciſas eſſe notum eſt ex Eccleſiaſtica hiſtoria. Quarum nonnulla hìc producam exempla.

4 Itaque, exorta controverſia: An Paſcha deberet cum Judæis celebrari luna quartadecima Martii? Victor Papa litem finivit, renovans decretum editum à Pio 1. Quo ſtatutum eſt celebrandum eſſe primo die Dominico occurrente poſt ipſam 14. Lunam, ex dicendis in 2. objectione.

5 Item, à Cornelio Papa in Concilio Romano ſub ann. 154. damnata eſt opinio Novatianorum negantium in Eccleſia poteſtatem abſolvendi, & reconciliandi lapſos poſt baptiſmum, quantumvis pænitentes.

6 Item, in controverſia, an ab Hæreticis in forma Eccleſiæ baptizati, eſſent rebaptizandi? Stephanus Papa I. reſcribens D. Cypriano pro parte negativa decretum edidit: *Nihil innovandum, præter quod traditum eſt*. Sciendum hìc eſt, quod Donatiſtę baptizatos à Catholicis rebaptizabant, teſte Auguſtino de hæreſib. *hær. 69.* eò quòd Catholicos haberent pro hęreticis, & baptiſmum ab hæreticis collatum putarent eſſe invalidum; circà quæ plura *nu. 31.*

7 Omitto recenſere Arium negantem Verbum eſſe Patri conſubſtantiale: Neſtorium admittentem in Chriſto duas perſonas, ſicut ſunt duæ naturæ: Euthichetem aſſerentem in eodem unicam eſſe naturam, ſicut una eſt perſona: Macedoniũ blaſphemantem Spiritum Sanctum non eſſe Deum: Monothelitas duas voluntates in Chriſto non eſſe contendentes, alioſve hujus furfuris viros, à Romanis Pontificibus damnatos. Eſtò enim fuerint in Conciliis generalibus proſcripti, adhuc tamen dicũtur per Romanos Pontifices à cõmunione Eccleſiæ ablegati. Siquidem ab ipſorũ confirmatione Concilia robur acceperũt, nec, niſi cum ſubordinatione ad Caput, cujus eſt influere in membra, Patres in Conciliis ſuam ſententiam dixerunt; propterea illa eorum ultima non fuit complementum expectans ab Judicio Romani Pontificis, per dicenda controverſia 8.

Omitto, inquam illos referre; quippe ea de re, ac de recurſu Eccleſiarum particularium in dubiis religionis ad Apoſtolicam Sedem, agit ex profeſſo Porter *Syſtema decretor*. Lauræa ſyllabum decretorum juxta ſeriem Pontificum adversùs plures errores reportat in *to. 3. de fide 1. p. diſp. 5. art. 5.* & Bzovius *in ſuo Romano Pontifice cap. 23.* indiculum laboravit. Idcircò nonnulla ſubnectam à Pontificibus in Conciliis, & extra, ſubſequentibus temporibus adversùs varios errores decreta, remittendo

le-

lectorem quantum ad cætera, ad allegatos, alioſve.

8 Quare 1. Joannes XXII. *Extravag. Vas electionis de Hæret. int. com.* damnavit ſequentes propoſitiones. I. *Quòd confeſſi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, tenentur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterùm confiteri proprio Sacerdoti.* II. *Quòd, ſtante decreto, omnes utriuſque ſexus, Romanus Pontifex non poteſt facere, quòd Parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicit eſſe Parochialem Curatum, immò nec Deus poteſt hoc facere.* III. *Quòd Papa non poteſt dare poteſtatem generalem audiendi confeſſionem: immò nec Deus, quin confeſſus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti.* In conſtitutione *Glorioſam 3. Bullar. to. 1.* plures reprobavit blaſphemias Fraticellorum, ſeù pſeudo-Fratrum S. Franciſci.

9 II. Benedictus XI. *conſtitut. Benedictus Deus 4. ibi* definit, *quod animæ Fidelium defunctorum, in quibus nihil purgabile eſt, quando decedunt, vel, ſi purgatione egent, ſtatim ac ea peracta, Deum ante judicium generale vident, viſione faciali, & intuitiva:* Item, *quòd eſt æterna.* Item, *quòd decedentes in peccato mortali, mox poſt mortem, ad inferna deſcendunt, ubi pænis infernalibus cruciantur, & in die Judicii cum ſuis corporibus comparebunt ante tribunal Chriſti.*

10 III. Martinus V. *conſtit. Inter cunctas 1. d. Bullar.* damnavit 45. articulos Joannis Vvicleff, & alios 30. Joan. Huz.

11 IV. Eugenius IV. *Conſtit. Lætentur 17. edita in Concilio Florentino ibi.* Primatum Romani Pontificis in univerſo Orbe, nonnulloſque alios articulos Catholicæ fidei, in quibus Græci diffidebant, ipſis ad concordiam vocatis, definivit. Et quàm plurima alia, ſecuta unione Armenorum cū Catholica Eccleſia, declaravit, ut in *conſtit. Exultate 19.* ibi. Et in concordia Jacobitarum cum Romana Eccleſia alia explicavit, Catholicam fidem concernentia, ibi *conſtitut. Cantate 23.*

12 V. Sixtus IV. *Conſtitut. Licet 17.* ibi proſcripſit errores Petri de Oſma, quorum primus fuit. Quòd *confeſſio peccatorum eſt juris tantùm Eccleſiaſtici, non divini.* Secundus, *quòd peccata mortalia quoad culpam, & pænam alterius ſæculi, abſque confeſſione, ſola contritione remittuntur; & quòd pravæ cogitationes ſola diſplicentia delentur.* Tertius, *quòd confeſſio ſit ſecreta, neceſſariò non exigatur.* Quartus, *quòd penitentes abſolvi non debeant, niſi priùs pænitentia peracta.* Quintus, *quòd Romanus Pontifex nec poſſit pænam Purgatorii remittere, nec diſpenſare in decretis Eccleſiaſticis.* Sextus, *quòd Sacramentum pænitentiæ, quantum ad collationem gratiæ, eſt juris naturæ, non verò legis novæ, aut veteris.*

13 VI. Leo X. *Conſtitut. Paſtor 20. edita in Concilio Lateranenſi ibi §. 7.* damnavit pragmaticam ſanctionem: jam priùs à Ludovico XI. Francorum Rege ad inſtantiam Pii II. abrogatam, utpote enormiter læſivam Summę auctoritatis Romani Pontificis in univerſa Eccleſiæ, teſte Corio-lano in *Breviar. ad an. 1439.* Etenim pragmatica Sanctio aliud non erat, quàm *breve ſummarium eorum, quæ adversùs poteſtatem, & dignitatem Romani Pontificis acta fuerant in Conciliabulo Baſileenſi editum,* & approbatum, de mandato Caroli VII. in Conciliabulo Bituricenſi apud Gallos, & in parlamento publicatum ut ex Bail. *to. 2. Sum. Conc. Sect. 14. tit. Conciliabulum Bituricenſe.* Inter cætera verò continebat 1. Pontifici imponebatur, ut quolibet decennio congregaret Concilium generale; & in caſu negligentię poteſtas in Epiſcopos transfunderetur. Item, quòd decreta Concilii Baſileenſis eſsent perpetua, nec ab ipſo Pontifice poſsent tolli, & infirmari. Idem Leo *conſtitut. Exurge 40. ibi* proſcripſit 41. errores Lutheri; quem, & ſequaces *Conſt. Decet 41.* damnavit, & Eccleſiæ communione privavit.

14 VII. Paulus IV. *Conſtit. Cum quorumdam 4. ibi* declarat hæreticos negantes *Trinitatem perſonarum in divinis in unitate divinæ*

næ Eſſentiæ. Aut Divinitatem Jeſu Chriſti, aut ejus Conceptionem de Spiritu Sancto, in utero Beatiſſ.mæ ſemper Virginis Mariæ, aut ejus mortem, ut nos à peccatis, & æterna morte redimeret: aut Beatam Virginem non eſſe veram Dei Matrem, nec fuiſſe ſemper Virginem, ante partum, in partu, & poſt partum.

15 VIII.S.Pius V. *Conſtitut. Ex omnibus apud Porter.cit.decim.ſext.ſæcul. decret. Pii V. §.* reprobavit 79. propoſitiones Michaelis Baii. Item, *conſtitut.In eam 146. Bullar. to.2.* declarat, quæ cambia ſint illicita, eaque prohibet.

16 IX.Sixtus V. *Conſtitut. Cœli, & terræ 17.ibi* damnat aſtrologiam judiciariam: & *conſtitut.Deteſtabilis 45.ibi*, contractus ſocietatis continentes, vel ſecuritatem capitalis, aut aliter uſurariam pravitatem.

17 X.Clemens VIII. *Conſtitut. Sanctiſſimus 87.Bullar.tom.3.* damnavit ſententiam docentem licere confiteri per litteras Confeſsario abſenti, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere. Item, *Conſtit. Cùm Sacrorum*, quæ Bibliis præponitur, probat Biblia jam emendata, & Sacram Scripturam, in eo codice caſtigato, Eccleſiæ ad credendum proponit.

18 XI. Urbanus VIII. *Conſtitut.In eminenti 289.Bullar.to.5.* prohibuit librum, cui titulus *Auguſtinus Cornelii Janſenii olim Iprenſis Epiſcopi*, alioſque libros, prout expreſsè in conſtitutione; confirmavitq; cum inſertione d.conſtitutionem S. Pii adversùs errores Baii, ac aliam ea de re Gregorii XIII.alteramque Pauli V. qua interdixit, ne ederentur libri tractantes de auxiliis, ſine expreſsa licentia Sedis Apoſtolicæ.

19 XII.Innocentius X. à pluribus Epiſcopis Galliæ rogatus illis verbis: *Majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure ſuo poſtulat, &c.Conſtitut.Cum occaſione 31. Bullar.tomo 4.* ut hæreticas proſcripſit quinque propoſitiones Janſenii ex d.libro excerptas, & in conſtitutione expreſsas. Item per decretum Congregationis S.Officii ſub 24.*Janu.* 1647. ut hæreticam damnavit opinionem aſserentem Paulum non fuiſse ſubjectum Petro, ſed in primatu æqualem.

20 XIII.Alexander VII. *Conſtit. Ad Sanctam 28.Bullar.to.5.* definivit, & declaravit prædictas quinque Janſenii propoſitiones reperiri in d.libro Janſenii, & in ſenſu ab eodem Janſenio intento damnatas fuiſſe. Item, duobus aliis decretis ibi. *1665.* & *1666.* reſpectivè damnat quadraginta quinque propoſitiones materiam moralem ſpectantes.

21 XIV.Innocentius XI. ſub *die 2.Martii 1679.* proſcripſit *65.* propoſitiones circa eandem materiam; & ſub *die 28. Auguſti 1687.Conſtitut.Ad abolendam* damnavit 68. propoſitiones à Michaele de Molinos prætextu orationis quietis aſsertas.

22 XV.Alexander VIII. ſub *die 24. Auguſti 1690.* duas alias propoſitiones proſcripſit, aliaſque *31.ſub 7.Decembr.ejuſdem anni. Et conſtitut.Inter multiplices* edita eodem anno 4.Auguſti, irritavit, caſsavit, & annullavit *quatuor propoſitiones, ſtatutas à Clero Gallicano in Comitiis celebratis Pariſiis an.1682.* ut dixi *Offic.Cur.Eccleſiaſt.cap.29. numer.8.*

23 XVI.Innocentius XII. *Conſtitut.Cùm aliàs* edita 12.*Martii 1699.* damnavit 23. propoſitiones Archiepiſcopi Cameracenſis.

24 Tandem Clemens XI. *Conſtit.Vineam Domini ſub 17.Kal.Auguſti 1705.* decrevit, ac declaravit; *obedientiæ, quæ præinſertis Apoſtolicis Conſtitutionibus* (Innocentii X. & Alex.VII. editis adversùs propoſitiones Janſenii) *debetur, obſequioſo ſilentio non ſatisfieri* (nonnulli enim aſserebant ad obediendum non requiri, ut ſenſum Janſeniani libri in quinque propoſitionibus damnatum, quis interiùs, ut hæreticum damnet; ſed ſatis eſse, ſi ea de re obſequioſum ſilentium teneatur) *ſed damnatũ in quinque præfatis propoſitionibus Janſenianæ libri ſenſum, quem illarum verba præſeferunt, ab omnibus Chriſti fidelibus, ut hæreticum, non*

ore

ore ſolùm, ſed & corde reiici, ac damnari debere: nec alia mente, animo, aut credulitate formulæ (ab Alexandro VII. editæ de juramento præſtando ab omnibus, ſe ſincero animo reiicere, ac damnare propoſitiones ex libro Janſenii excerptas, & in ſenſu ab eodem auctore intento) *ſubſcribi licitè poſſe*: prout notavi *Offic.Cur. Eccleſiaſt. cap.29.§.4.* Item ſub *die* 25. *Septembr.*1710. decrevit, & declaravit eſſe ab omnibus obſervanda reſponſa, in cauſa Rituum, ſeù cæremoniarum Sinentium, à Sacr.Cōgregatione S.Officii aliàs data, & à Sanctitate ſua *die* 20. *Novembr.*1704. confirmata, & approbata: facta, ſub excommunicatione, aliiſque pœnis, prohibitione, ut nullus ex profeſſo, vel incidenter, ſine Sanctæ Sedis licentia, de ritibus Sinicis tractet; prohibens ex tunc libros omnes, & folia, quæ in futurum, adversùs datæ prohibitionis tenorem, edi contigerit. In hujuſmodi, ſimilibuſque controverſiis, finem dubiis, & litigiis impoſuerunt Romani Pontifices. Quorum judicio audito, Eccleſia acquievit, ſequendo vocem ſui Paſtoris, credendoque regulam vivam, & certam, in controverſiis religionem ſpectantibus, Romanum Pontificem; ergo, &c.

25 Probatur 2. Patrum auctoritatibus. Auguſtinus non ſemel oſtendit Pontificem eſſe regulam vivam, & certam ad dirimendas controverſias fidei. Hinc *Epiſt.*190. *ad Optatum cap.6.* reſolvit decreta Apoſtolicæ Sedis adeò certa eſſe, ut nullis de illis dubitare liceat ibi: *In verbis Apoſtolicæ Sedis, tam antiqua, atque fundata, certa, & clara eſt Catholica fides, ut nefas ſit dubitare Chriſtianis.*

II. *Libro 6.contra Julianum cap.4.* duo oſtendit: primum quòd Romanus Pontifex non poteſt à vera doctrina aberrare. Secundum, quòd ſola auctoritas Romani Pontificis ſufficit ad hæreticorum errores damnandos ibi: *Si Romanæ Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium audire voluiſſes* (alloquitur d.Julianum Pelagianum) *jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit ille vir Sanctus Africanis reſpondere Conciliis, niſi quòd antiquitùs Apoſtolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perſeveranter Eccleſia?*

III. *Sermone* 131. *de verb. Evang. Joan.6. cap.*10. duo affirmat; unum, quòd dubia fidei ad Sedem Apoſtolicam ſunt referenda: alterum verò, quòd poſito Sedis Apoſtolicæ judicio, abſque alio Concilio, cauſa finita eſt. *Jam enim*, ait, *de hac cauſa* (proſcribendi dogma Pelagianorum) *duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta* (condemnationis) *venerunt. Cauſa finita eſt; utinam aliquando finiatur error.*

IV. *Libro 2.operis imperf.contra Julianum num.*103. reſpondens Juliano petenti, ut Dogma Pelagii examinaretur. *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum eſt, apud Apoſtolicam Sedem?*

V. Pelagianis poſcentibus Synodum Oecumenicam, in qua expenderetur eorum doctrina, reſpondet Auguſtinus, id non eſſe neceſſarium; quod quidem S.Doctor ex eo confirmavit, quòd abſque Synodis plures antiquiores hæreſes extinctæ fuiſſent: *aut verò* (ait, *l.4.contr.duas Epiſt. Pelagianor. ad Bonifacium Pontificem*) *congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione damnata ſit: cùm potiùs rariſſimè inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit?*

Dicunt D.Auguſtinus *lib.2.de baptiſ.c.4.* ſcribit neceſſarium fuiſſe Concilium generale, ut quæſtio de hæreticorum baptiſmate dirimeretur: ergo Concilium, & non Pontifex eſt Judex dirimendi controverſias.

R. Negatur antecedens. Ibi Auguſtinus non ponit Concilii neceſſitatem ad finiendam litem de iteratione baptiſmi ab hæreticis aſſerta, ſed ſolùm, ut magis Donatiſtas, vocantes ſibi Cyprianum in præſidiū, urgeret; quaſi diceret, Cyprianus ceſſit decreto Stephani, qui etiam plenario Concilio

cilio obtemperaſſet, ſi tunc quæſtionis hujus veritas Concilio eliquata eſſet; & vos definitioni adeò plenario à Concilio editæ tanta pertinacia reſiſtitis? Deinde Concilium fuit à Pontifice Silveſtro confirmatum, ſine cujus approbatione caruiſſet vigore ad obligandam totam Eccleſiam, ſine qua de ejus infallibilitate non conſtaret, ex alibi dicendis; adeòque in ejus confirmationem ultimata deciſio refertur.

26 Item Cyprianus *Epiſt.* 55. Statuit unum ſupremum Sacerdotem, ac Summum Judicem in univerſa Eccleſia, vice Chriſti fungentem, eſſe, cui obtemperandum eſt; idcircò ait: *Non aliunde hæreſes obortas eſſe, aut nata ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur; cui, ſi ſecundùm magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſùs Sacerdotum Collegium quidquam moveret*. Et *lib. de unit. Eccleſ.* inquit. *Qui Petri Cathedram deſerit, in Eccleſia non eſt*: ac ſi diceret. Si quis Pontifici, definienti res fidei, non obtemperat, ab Eccleſia recedit.

27 Item. D. Hieronymus de Petri Cathedra ſcribens ad Damaſum Papam, & petens ab eo, an tres hypoſtaſes, an verò unam tantùm in Trinitate admittere deberet. Sic loquitur. *Ego nullum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, ideſt, Cathedræ Petri communione conſocior...... Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt. Qui tecum non colligit, ſpargit. Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Si rectum putatis, tres hypoſtaſes cum ſuis interpretationibus debere nos dicere, non negamus.*

Ex quibus conſtat Sanctorum Patrum mentem fuiſſe in controverſiis religionem ſpectantibus ad Sanctam Sedem recurrendum eſſe, & certo ejuſdem judicio parendum. Hinc eſt, quòd Majores noſtri in cauſis dubiis, Romanum Pontificem conſulere conſueverunt; apud quos maximi momenti ejuſdem reſcripta fuerunt; qui etiam non raró ſuam fidem, quam profitebantur, tuiti ſunt ſua cum Epiſcopo Romano conſenſione, dicente Hieronymo in *Epiſt. ad Marcum Presbyterum Celedenſem*; *aut ſi eis* (hæreticis) *placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Egypto, hoc eſt, cum Damaſo, Petroque condemnent*.

28 Et inde plures ad Petri Cathedram acceſſerunt, ut hìc, vel eorum doctrina probaretur, vel inſtruerentur in dubiis, vel dicta confirmarentur; prout fuit Generalium Conciliorum praxis; quam & nonnullæ Synodi Provinciales receperunt, ut liquet ex Epiſtola Innocentii I. ad Patres Concilii Carthaginenſis adverſùs Pelagianos, quæ eſt 181. *inter eas Auguſtini*. Ubi Sanctus Pontifex Patres, ad ipſum ſtatuta pro confirmatione referentes, alloquitur: *qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes, quid Apoſtolicæ Sedi, cùm omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum* (Petrum) *debeatur, à quo ipſe Epiſcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emerſerit. Quem ſequentes, tam mala damnare novimus, quàm probare laudanda*. Idemque legitur in alia ejuſdem Innocentii Epiſtola inter Auguſtinianas 182. comprobantis acta Concilii Milevitani adverſùs Pelagianos, ibi: *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, ideſt, ſui nominis, & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum Mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe*.

29 Probatur 3. Petro, & in Petro, cuilibet Romano Pontifici dictum eſt à Chriſto Joan. ult. *Paſce agnos meos: paſce oves meas*. Sed illud *paſce* intelligitur præcipuè de doctrina, qua oves rationales paſcuntur: ergo ad Petrum, & quemlibet ejus ſucceſſorem ſpectat dirimere, ac judicare de controverſiis fidei, ut, veritate manifeſtata, paſtione veræ doctrinæ oves nutriat, & confortet: Minor patet, tum ex illo *Jeremiæ 3. v. 15. Dabo vobis Paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina*. Tum ex hoc, quòd illud *paſce* ſumi minimè poſſit, quòd paſcat concionibus,

bus; ſiquidem impoſſibile eſt, Romanum Pontificem omnibus agnis, & ovibus toto orbe diſperſis concionari; aliàs nunquam præceptum impleret: ergo per ly *paſce* intelligitur, ut doceat, reſcribat, definiat, quid circa doctrinam fidei tenendum ſit.

30 Hinc D.Paulus (qui non ab hominibus, ſed à Chriſto Domino Apoſtolus electus fuerat, & ab eodem ſapientiæ auctore ſufficienter de Evangelio inſtructus, ut loquitur ad *Galat.cap.*1.) Jeroſolymam ad Petri magiſterium venit, apud quem quindecim diebus manſit, ad quem denuò quatuordecim annis elapſis, acceſſit, ut ibi *cap.*2.teſtatur. *Iterùm aſcendi Jeroſolymam cum Barnaba.... & contuli cum illis* (Petro, & Jacobo, ut cit.cap.1.v.19.) *Evangelium, quod prædico in gentibus; ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe, ne fortè in vanum currerem, aut cucurriſſem*. Unde Paulus ſuum Evangelium contulit cum Petro, ut à Petro confirmaretur; etenim ſine Petri confirmatione Eccleſia Paulo non crediſſet, dicente Hieronymo Epiſt. ad Auguſtinum (inter illas Auguſtini 65.num.8.) *Expoſui eis Evangelium, quod prædico inter gentes: oſtendens ſe non habuiſſe ſecuritatem Evangelii prædicandi, niſi Petri, & qui cum eo erant, fuiſſet ſententia roboratum*. Et Auguſtinus *lib.*28.*contr.Fauſtum cap.*4.ait. *Apoſtolus Paulus poſt Aſcenſionem Domini de Cælo vocatus, ſi non inveniret in carne Apoſtolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium, ejuſdem ſocietatis eſſe appareret, Eccleſia illi omninò non crederet*.

Dices. Ergo non ſolus Petrus fuit Judex ad diſcernendam veram doctrinam, ſed etiam cæteri Apoſtoli; non enim cum ſolo Petro Paulus ſuum contulit Evangelium, ut patet, tum ex textu Scripturæ, tum ex Hieronymo, & Auguſtino: ergo nec ſolus Pontifex, ſed cum eo Epiſcopi in Concilio congregati erunt Judex controverſiarum.

R.Utraque conſequentia negatur. Ideò enim Paulus Jeroſolymam, & non alibi aſcendit, quia ibi erat Petrus, caput Eccleſiæ, ad quem de jure ſpectabat cognoſcere, & approbare ſuam prædicationem. Ideò autem non ſolùm cum Petro confirmante, ſed etiam cum Jacobo, & Joanne agnoſcentibus conformitatem doctrinæ, Verbum, quod prædicabat, contulit, ut, Petro Judice, & teſtibus aliis, pſeudoapoſtolorum inſolentiam cohiberet, dum evulgabant doctrinam Pauli conformem non eſſe doctrinæ Vicarii Chriſti, & per cæteros Apoſtolos annuntiatæ, ut ita retraherent homines ad credendum Paulo, amplectendamque fidem Chriſti, & ita vacuum, & caſſum redderent ejus laborem convertendi gentes ad Chriſtum. Quare Judex ultimus fuit Petrus; ſicut in Conciliis eſt Romanus Pontifex, cæteris Patribus judicantibus cum ſubordinatione ad illius Sententiam per dicenda *contr.*8.

Opponunt 1.S. Cyprianus non acceptavit decretum dogmaticum fidei à Stephano Papa emanatum de non rebaptizandis baptizatis ab hæreticis: ergo ſentiebat Romanum Pontificem non eſſe Judicem controverſiarum; aliàs Pontifici non obtemperans in fide Catholica non perſeveraſſet, nec in unitate pacis ſtetiſſet, ſed hæreticus fuiſſet reſiſtens definitioni Romani Pontificis. Falſum autem, Cyprianum ex eo à fide receſſiſſe, & vinculum pacis cum Stephano abrupiſse; quem Auguſtinus *Epiſt.*93. *ad Vincentium Rogatiſtam nu.*41.vocat, *pacificum Epiſcopum, & fortiſſimum martyrem, nihil vehementiùs ſategiſſe, quàm, ne unitatis vinculum rumperetur*.

31 R. Poſſet negari ſuppoſitum, nimirum, quòd Cyprianus fuerit illius ſententiæ, ut ex d.Epiſtola *n.*38. oſtendit Auguſtinus ſcribens: *quanquam non deſint, qui hoc Cyprianum prorſus non ſenſiſſe contendant, ſed ſub ejus nomine à præſumptoribus, atque mendacibus fuiſſe confictum*.

Verùm, quia idem Sanctus Doctor, tum ibi *nu.*39. tum in *lib. de baptiſm.* contr. Donatiſt. minimè negat, ſed concedit Cyprianum repetitionem baptiſmi in baptizatis

zatis ab hæreticis tenuiſſe, nos neutiquam tam Auguſtino, quàm communiſſimæ ſententiæ refragari debemus. Cæterum Cyprianus, & cæteri Epiſcopi, ab eodem in Concilio (quòd fuit tertium in cauſa baptiſmi) congregati adversùs reſcriptum Stephani, in errore non permanſerunt, ut ait Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, & Auguſtinus in *d. Epiſt.nu.38.* de ipſo Cypriano inquit. *Correxiſſe autem iſtam ſententiam non invenitur, non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quòd correxerit; & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimiùm delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Et *n.* 40.*aut hoc poſteà correxit in regula veritatis: aut hunc quaſi nævum ſui candidiſſimi pectoris cooperuit ubere charitatis, dum unitatem Eccleſiæ toto Orbe creſcentis, & copioſiſſimè defendit, & perſeverantiſſimè tenuit vinculum pacis.*

Dices. Cyprianus, ſuæ opinionis tenax, occaſione reſcripti à Stephano emanati, Sedis Apoſtolicæ communione privante Epiſcopos rebaptizantes, nimis acriter Sanctum Pontificem perſtrinxit, & exulcerato animo contumeliis affecit, minùſque reverenter, quàm oportuerat erga caput Eccleſiæ ſe geſſit, ut ex ipſius Epiſtola ad Pompejum in Africa Epiſcopum; quod ſupponitur ab Auguſtino *d. loc.lib.5.cap.25.Illa,* inquit, *quæ in Stephanum irritatus* (Cyprianus) *effudit, retractare nolo, quia & non opus eſt.* Ergo tantùm abeſt, quòd ſe correxerit, quin potiùs, ipſe cum cæteris Afris apertè,decreto contradixit, ac variis, tùm argumentis, tum dicteriis impugnavit: hoc ſentiens, Papam non eſſe Judicem controverſiarum.

R. Et ſi Cyprianus (ut eſt homini proprium, propriæ ſententiæ tenacem eſſe) per aliquod tempus, Stephano præcipienti ea in re contradixerit, & decreto non adhæſerit, inde tamen non ſequitur,quòd eum non cenſuerit jure eſſe omnibus Epiſcopis Superiorem, & Judicem à Chriſto conſtitutum, ad dirimenda dubia fidei; aliàs cur ad ipſum direxit Epiſtolam, in qua retulit acta Concilii ſecundi Carthaginenſis, ab ipſomet coacti *an.*258.ad pleniorem confirmationem eorum; quæ aliàs in alio Concilio ſub Agrippino, de repetendo baptiſmate ab hæreticis dato, ſtatuta erant? Sanè non ſtatim Cyprianus decreto adhæſit; verùm in eo non cenſuit reſiſtere Papæ præcipienti, ſed veram non eſſe rationem allatam, ut ex d. ejuſdem. Epiſt.ad Pompejum. Papa enim allegabat Traditionem in genere: *nihil innovetur, præter id, quod traditum eſt.* Cyprianus traditionem contrariam; & quidem antiquam (deſcendentem à Tertulliano, item Afro) habebat in ſua Eccleſia, ab eodem Agrippino Africæ Primate, in Concilio primo Carthaginenſi firmatam, ut legitur in Auguſtino ubi *ſupr.lib.2.cap.7.* quam ipſe Apoſtolicam exiſtimans, opponebat Stephano, qui aliam allegaverat Traditionem; contendente Cypriano, quòd divina non eſſet, ſed humana: *quæ eſt iſta obſtinatio?* (ſcripſit ad Vicarium Chriſti) *quævè præſumptio, humanam traditionem divinæ diſpoſitioni anteponere? Nec animadvertere iraſci Deum, quoties divina præcepta ſolvit, & præterit humana traditio?* Si Stephanus propoſuiſſet Cypriano Romanam Eccleſiam aliam traditionem,vel abſolutè rem definiiſſet abſque expreſſione Traditionis in genere, illicò decretum obedientiſſimè excepiſſet: ſciens Romanam Eccleſiam eſſe divinarum Traditionum tenaciſſimam, & Romanum Pontificem fidei magiſtrum. Propterea aliàs Cornelio Papæ ſcripſerat, & interpellaverat de Traditione, & definitione circa lapſos recipiendos. Et in diſſenſione ſui à Stephano de qualitate Traditionis, Stephanus fuit Judex neceſſarius proponens Eccleſię Traditionem de non rebaptizando, ab hæreticis legitimè baptizatos, eſſe divinam, & propterea de fide tenendam, apud Seſſam *Scrutin. Doctrinal. capit.2.art.10.num.7.* Videatur Lauræa de *fide diſputat.5. artic. 8.numer.*491. Undè hoc ipſo argumento,

to, probatur Pontifex Judex controverſiarum.

32 Tunc verò Cyprianus Stephano paruit; neque priùs ejus poteſtati contradixit, aut contra fidem erravit: Siquidem, ex inculpabili ignorantia, fundata in traditione ſuæ Eccleſiæ, à ſuis probata, putaverat decretum non eſſe definitivum dogmatis, ut de fide. Conſiderandum item hoc venit, ad magis urgendos, negantes, Cyprianum errorem ejuraſſe, quòd S. Martyr auctoritatem Romani Pontificis perdoctè celebravit, tum *Epiſt.*55. ex dictis *nu.*26. tum in *lib. de unit. Eccleſ.* quo ſcripſit: *qui Petri Cathedram deſerit, in Eccleſia non eſt*. Et ampliùs ex Auguſtino probatur; nam ipſe, exemplo Cypriani, paſſim Donatiſtas expugnat, quatenus ille ſolicitus ſemper fuit (licèt aliquando diverſa ſentiens) conſervandæ unitatis Eccleſiaſticæ, ut notarunt Bail. *loc. cit. addit. ad Sum. Concilior. tit. Decreta Pontif. §. De cl. vib. Eccleſ. v. Stephanus*, & Cabaſut. *notit. Eccleſiaſt. ſæcul. 3. Concil. diverſis locis n.*2. Quidquid dixerit Juvenim *in comment. de Sacram. diſſert.* 2. *q.* 6. *art.* 3. *§. Conc.* 1. reſolvens, Cyprianum, ſibique adhærentes Epiſcopos, ſententiam, de repetendo baptiſmo cum baptizatis ab hæreticis, ante mortem non depoſuiſſe.

33 Alterum, quod in argumento tangitur, nimirum à Stephano Cyprianum, & ſequaces Epiſcopos fuiſſe à communione Eccleſiæ præciſos, eſt à veritate alienum. Fuiſſe enim à Pontifice pęnam excommunicationis propoſitam, niſi deſiſterent, tradit Petavius *to.* 3. *Theol. dogmat. de Eccleſiaſt. hierarch. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 7. & poſt eum idem Juvenim ubi *ſupr. §.* 4. De ipſo autem fulmine, in eoſdem actualiter vibrato, eſt apud Veteres (qui de Cypriani cum Stephano controverſia ſcripſerunt) undequaque ſilentium; & maximi mométi eſt, quòd Auguſtinus ſæpè iſta narrans, illæſam pacem, & fraternam dilectionem in concertationibus Cyprianum ſervare recenſet. Quinimò ipſe Cyprianus reſcribens ad Pōpejum (vel, ut Cabaſutio placet, Antonianum) ſibi quidem à Stephano intentari fulmen meminit, ſed vibratum non refert; quod ſanè non tacuiſſet, ut nihil intentatum relinqueret, ad omnem ſuo adverſario invidiam conciliandam. Nec legitur eum, & ſibi adhærentes, deinde à Stephano fuiſſe communione privatos. Ex quo argumentum novum recurrit dicendi, ipſos à ſententia rebaptizationis receſſiſſe.

Neque obſtat, quòd Firmilianus Cæſareę Cappadocum Epiſcopus Metropolites, Cypriano ſcripſerit, ſe cum nonnullis Cappadociæ, & Ponti Epiſcopis, propter eam ſententiam, fuiſſe à Stephano de communione Eccleſiæ dejectum. Quoniam id fieri potuit ad incutiendum aliis timorem, ut, nimirum, cęteri idem timentes, errorem relinquerent. Quin etiam, Firmilianus, fortaſſe iracundia ardens, ob intentatam à Stephano cenſuram, perinde ac ſi re ipſa completa eſſet, quaſi modum excedente, temeritatem exaggeret. Verùm nec Firmilianus diù in errore perſtitit, ut ex d. Cabaſut.

34 An autem Cyprianus ea in re peccaverit? Certum eſt ante decretum Stephani eum non deliquiſſe. Tum, ex quo veritas quæſtionis adhuc non eſſet declarata, ut loquitur Auguſtinus. Tum, ex quo, tam ipſe, quàm cęteri ſibi adhęrentes, iteratam baptiſmi collationem non conſiderabant, tanquam articulum, qui ad fidem, & mores ſpectaret, ſed tanquam rem, quę ad diſciplinam pertineret: cujus diverſitas pacis vinculum, & unitatem inter membra Eccleſiæ non ſolvit. Una enim Diœceſis poteſt aliquo ritu uti, qui non ſit in alia, quin pax ſit inter illas abrupta. Dubium verò non videtur, quòd contra charitatem deliquerit, ob apertam querimoniarum copiam adversùs Stephanum exaggeratam, eum inſimulans tum ſuperbiæ, tum imperitiæ, tum imprudentiæ, ut in *d. Epiſt. ad Pompejum*: in quo planè moderationis limites exceſſit; Et in Auguſtino *d. lib.* 5. *cap.* 25. ſtatuitur erj

Cypriani juxta d.ſupra ſub *n.31.*&*lib.1.cap.* 18.ejuſdem erratum vocat *humanæ infirmitatis errorem;* oſtenditque propter abundantem charitatem, qua ipſe ardebat, redditum eſſe veniale. *Qua* (charitate) *abſente cætera inaniter habentur: eadem præſente, quædam venialiter non habentur;* & ſubdit, *propter Charitatem, quam firmiter, & humiliter cuſtodivit, meruit ad coronam martyrii pervenire; ut, ſi qua in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepſerat, glorioſa ſerenitate fulgentis ſanguinis fugaretur.* Cæterùm quidquid ſit de hoc, an venialiter, vel mortaliter peccaverit, vel illicò non obediens, vel excedendo verbis contra Stephanum, quid ad rem? Nam poſteà obedivit, & martyr occubuit.

Opponunt 2. Aſiatici non agnoverunt Pontificem Romanum, Judicē controverſiarū de celebratione Paſchæ contra ritum Judaicū. Etenim non receperunt decretū à editum *an.159.*de celebrando Paſchate die Dominico, ut notat Spondanus *Epiſt.ad an.159.n.1.* Nec Anicetus ſucceſſor Pii potuit perſuadere Polycarpo, ut recederet à Pio I. conſuetudine ſolemnizandi Paſcha *Luna 14.Martii;* ſubinde Victor Papa à communione Fideliū ſubmovit Polycratem Epiſcopum Epheſinum, alioſque Orientales, qui ipſius monitioni, de celebrando Paſchate die Dominico poſt lunam 14.non obtemperarunt; ergo, &c.

35 R.1. Ex tranſgreſſione legis non naſcitur jus, quòd liceat legem tranſgredi. Deinde, ſi concedatur, quòd nonnulli, vel ex zelo, vel ex ignorantia invincibili validitatis definitionis, non paruerint Romano Pontifici, non inde inferri poteſt, quòd non debuerint parere, ut notat Lauræa *cit.nu.*487. Plures enim in cauſis civilibus non parent Principi, fortè autem in ſimilibus unuſquiſque Princeps non eſt in ſua ditione Judex?

36 R.2. Polycarpus quidem Smirnæ Epiſcopus, cum aliquibus in Aſia, more Judaico Paſcha celebrabat, producens pro ſe Traditionem Apoſtolicam, receptam à D.Joanne Apoſtolo, cujus fuerat diſcipulus; quando, tam Romana, quàm cæteræ Occidentales Eccleſiæ idem ſolemnizabant primo die Dominico, poſt 14.Lunam Martii, adducentes pro ſe pariter Traditionem Apoſtolicam à Petro, & Paulo derivatam. Romam Polycarpus ſub Aniceto properavit, ut diſſidia, quæ de tempore celebrandi Paſchatis eſſent oborta, componeret. Verùm, cùm neuter alterum in ſuam ſententiam perducere potuiſſet, in pace, & mutua communione, eſt ab Aniceto ad ſuas partes Polycarpus dimiſſus, ut narrat Spondanus *cit.ad ann.* 167.*nu.*4. Quinimò, ut obſervat Beccanus *to.4.opuſ.3.cap.3.nu.77.* verba illa Euſebii; *neque enim Anicetus Polycarpo ſuadere poterat,* hoc ſonant, *non voluit,* advertens quòd tunc expediens non erat Eccleſiæ, ut ille ritus in Aſia prorſus abrogaretur, ex quo in ea multitudo Fidelium vigeret, qui ex circumciſione venerant, ne eorum animus à fide Chriſti averteret, expectans tempus congruum magis ad eum morem omninò proſcribendum; dum, ſcilicet, corroborata, & gentilium numero auctior in dies Eccleſia Judaicos ritus dediſceret. Quare diſciplina Joannis Apoſtoli admiſcendi dictum ritum Chriſtianis, fuit œconomia ad tempus diſpenſatoria, ut nimirum Judæi faciliùs ad fidem Chriſti aſſueſcerent. In quem finem Petrus, & Paulus, primis Eccleſiæ temporibus, nonnulla legalia diſpenſativè ſervarunt.

37 Sub tempore verò Victoris Papæ *an.* 198. nonnulla fuerunt de præjacta controverſia, Concilia ejus auctoritate celebrata. In quibus omnibus definitum fuit, non licere Chriſtianis decima quarta luna primi menſis Paſcha celebrare. Ipſeque Victor eodem anno præſedit in Concilio Romano, in quo decretum eſt Paſcha non 14. Luna, ſed die Dominico poſt ipſam 14. Lunam, & vernale Æquinoctium occurrente, eſſe ſolemnizandum. Interim in eadem cauſa, Epiſcopi Aſiani, per Polycra-

cra-

cratem Epheſinum Epiſcopum, eodem anno, aliud Concilium celebrarunt, in quo conſtituerunt non eſſe recedendum à Traditione, & conſuetudine celebrandi Paſcha Luna 14. etiam ſi in Dominicum non incideret; idque poſteà Victori Romano Pontifici ſignificatum eſt. Pontifex verò, acceptis Epiſtolis, Concilium reprobavit, & adversùs pertinaces, quam excommunicationis ſententiam ſæpè intentaverat, executus eſt. Hæc apud Bail. *cit.tit. ſæcul.* 11.

38 Hinc patet, quòd Victor advertens non eſſe ulteriùs obſervanda, & toleranda legalia, eum morem proſcripſit, ut ait Euſebius; decrevitque omnes Epiſcopos Aſiaticos Anathemate percellere, niſi parerent; & in facto plures ex illis obluctantes communione Eccleſiæ privavit.

Dices. Victor ab Ireneo Lugdunenſi Epiſcopo reprehenſus fuit, nimiæque ſeveritatis inſimulatus, ex quo cenſura mulctaſſet Aſiaticos Epiſcopos, reſiſtentes decreto de celebrando Paſchate die Dominico: quod planè à Sanctiſſimo Antiſtite actum non fuiſſet, ſi Pontificem Romanum Judicem dictæ controverſiæ, aliarumque religionis noviſſet.

39 R. Hæc inſtantia eos non premit, qui contendunt à Victore dumtaxat fuiſſe in dictos Epiſcopos cenſuram intentatam. Verùm, quia communior ſententia eſt, de facto eos excommunicaſſe, ut hæc oſtendunt: *Nam, ut Irenæus, &c. Victorem tamen arguit, quòd non rectè fecerit abſcindere à corporis unitate tot, & tantas Eccleſias Dei, quæ morem ſibi antiquitùs traditum cuſtodirent*: Ideò negatur ex facto Irænei colligi Romanum Pontificem non eſſe Judicem controverſiarum; Ex illo habetur dumtaxat, quòd putaverit cenſuram fuiſſe imprudenter latam, ſed de poteſtate minimè dubitaverat. Etiam Paulus reſtitit ex zelo in faciem Petro ad *Galat.* 2. ergo fortè Petrus viva regula non fuit, ad ultimatè decidenda dubia fidei? Quò circa Zelo, non amaro, ſed pacis, & concordiæ in Eccleſia Dei, Irenæus planè arguit Victorem; ſed neque id ipſe egiſſet, ſi mentem ad omnia direxiſſet, quæ, Victor in ſpeculo Eccleſiæ conſtitutus, proſpiciebat; propter quę juſtiſſimè motus fuerit ad eos, propter diverſum rerum ſtatum, & circumſtantiarum mutationem, à corpore abſcindendos, quos Prædeceſſores ſui juſtiſſimè, etiam toleraverant. Non enim eadem, & in eiſdem terminis fuit cauſa Aſianorum ſub Polycarpo, ac ſub Victore; quandoquidem illi olim ſolùm ex permiſſione Eccleſiæ ritum illum ſervabant, iſti verò nunc ex neceſſitate dicerent celebrandum Paſcha Luna 14. Martii; ac proinde eos, qui ſecus facerent, errore ſugillabant, omneſque toto Orbe diffuſos Chriſtianos eo modo damnabant.

Conſiderandum enim eſt, quòd ſectatores Montani in Aſia tunc temporis propugnabant, quaſi lege divina Paſcha celebrandum eſſe Luna 14. Martii, omnes verò ſecùs agentes, errore duci; cùm autem indulgentia dicti ritus, uſque ad illa tempora Aſiaticis ab Eccleſia facta, occaſio eſſet corroborandi hæreſim Montani, prudentiſſimè Victor, & permiſſum morem damnavit, & abnuentes cenſura punivit. De qua re vide Spondan. *ad an.* 198. *nu.* 2. & Bail. *ubi ſupr.*

Opponunt 5. Judicium Papę non eſt certum, & irreformabile: ergo Pontifex non eſt Judex infallibilis controverſiarum, quæ in materia religionis ſuboriuntur. Antecedens patet. Quoniam, quæ Pontifex Romanus ſtatuit non ſunt immutabilia, & invariabilia; ita plura definita à Petro in Concilio Jeroſolymitano *Actor.* 15. non ſunt in uſu in Eccleſia. In eo enim ſtatutũ eſt, neminem Chriſtianorum lege circumciſionis, & Moſayca teneri; ita namque loquitur textus. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.* At nunc præceptum de abſtinentia à carne, & ſuffocato, eſt

in Eccleſia antiquatum, & ab obſervantia receſſit. Ergo

40 R. Negatur antecedens. Nec probatio quidquam adversùs reſolutionem concludit. Tria autem hìc notantur fuiſſe in Decreto præcepta.

41 Primò, ut abſtinerent *ab immolatis ſimulacrorum*, hoc eſt, *Idolothytis, ſeù rebus Idolis immolatis*. Idolothytum enim ſignificat quidquid commeſtibile, vel potabile Idolo ſacrificatur, aut in ipſius honorem offertur, quod poſteà manducare non licet, ne quis videatur eſſe particeps ſacrificii, & reverentiæ Idolo exhibitæ.

Dices. D.Paulus 1. *ad Corinth*.8. negat veſcentes Idolothytis peccare, niſi, vel ſcandalum infirmis (hoc eſt ſimplicibus) parerent, vel, per errorem peccare ſe exiſtimarent: ergo Petrus abſolutè prohibens Idolothytum, tanquam illicitum, erravit.

R. Negando conſequentiam. Præceptum à Petro datum non extendebatur ad univerſos Chriſtianos, ſed ad ſolos Antiochenos, ac Fideles Syriæ, & Ciliciæ, ad quos fuit directa Epiſtola Synodica, ut in textu *d.cap*.15. *nu*.23. cùm inter eos orta eſſet controverſia, quæ Concilio cauſam dedit. Quare iſtis prohibitio facta eſt, ne Judæi ad fidem converſi offenderentur, videntes, contra præſcriptum legis Moſaycæ: prohibentis cultum Idolorum, Gentiles fideles illis veſci, qui in illis Provinciis, cum Judæorum multitudine ad fidem converſorum cohabitabant. Hinc, cauſa conſervandæ pacis inter eos, fuit eis interdictus, licèt ad tempus, Idolotythorum eſus. Quæ occaſio perturbandæ concordiæ, non habebatur apud Corinthios, quibus ſcripſit Paulus: propterea libera ibi ab Apoſtolo fuit relicta dictarum commeſtio (utpote ex ſe nihil mali continens) dummodò ex eo ſcandalum vitaretur, & quis ex errore ſe peccare non judicaret, ut ex Baronio notat Tirinus *in d.loc*.

42 Secundum præceptum, fuit de abſtinentia à *ſanguine*, & *ſuffocato*, de qua re agunt Coriolanus in *Breviar. ad ann*.50. & Gonzalez *in primum in apparat.num*.36. ubi plures allegat, aſſerentes præceptum illud abſtinendi à ſanguine, & ſuffocato, ſeù carnibus præfocatis, ab Apoſtolis impoſitum fuiſſe, ut aliquo, licèt in ſe leviſſimo, remanente uſu quorumdam legalium, Judæi (quibus in lege Moyſi prohibitum erat ſanguinem, ſive in ſe, ſive in carne ſuffocata exiſtentem manducare *Deuter*.21. & *Levit*.7.) & Gentiles in unum Chriſtum lapidem angularem necterentur, ut ſic faciliùs Chriſtianorum Judæorum, & Gentilium, ſimul habitantium, animi conglutinati, in unum populum coaleſcerent; plerumque enim Eccleſia mitiùs longè ſe habet cum recenter converſis, quàm cum adultis in fide, ex *cap.Quædam* 35.*q*.2.

Poſteà verò, ceſſante cauſa infirmitatis Judæorum, præceptum illud temporale, ad evitandum maximè illorum ſcandalum impoſitum, ceſſavit: ut ait Auguſtinus *lib*.32.*contr. Fauſtum cap*.13.

Hinc duo habentur: I. quòd ſententia Petri fuit omninò certa pro tempore, quo id præceperat. Secundum, quòd præceptum non fuit impoſitum, tanquam propter neceſſitatem ſalutis, ſed propter ſolam œconomiæ neceſſitatem, & in finem allegatum.

43 Quocircà obſervandum hìc eſt, legem veterem, in ipſo momento mortis Chriſti, ceſſaſſe, & vim obligandi amiſiſſe, ut probatur ex D.Paulo ad *Hebr*.7. *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut legis tranſlatio fiat*. Cùm enim in ipſa morte Chriſti confirmatum fuerit novum Teſtamentum, ſequitur hinc fuiſſe revocatum Antiquum: &, tranſlato Sacerdotio, tranſlatam quoque fuiſſe legem antiquam in novam. Quod confirmant verba ejuſdem *ad Epheſ*.2. *qui* (Chriſtus Dominus) *fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens*: hoc eſt, ex duobus populis Judaico, & Gentilitio, fecit unum ovile; ac proinde debuit diſſolvere medium parietem legis Moſaycæ, qui populum Judai-

daicum ſeparabat à Gentili (cui lex circumciſionis non erat data, ſed per obſervantiam legis naturalis, & præceptorum traditione acceptorum, cum Dei gratia, ſalvabatur) & ambos, una, Evangelicaque lege includebat.

44 Verùm, licèt ſtatim abrogata, & mortua, non tamen illicò fuit mortifera; aliàs poſteà ejus ritus non licitè obſervari potuiſſent, quod dicendum non eſt. Nam Paulus aliquos ad praxim redegit: ita *Act.* 16. circumcidit Timotheum, natum ex Matre Judæa (ſed jam fideli) propter Judæos, qui erant in illis locis, ut eos ſibi devinceret, & non renuerent Timotheum; non enim ſuſtinuiſſent verbum audire ab homine incircumciſo, ut ibi Tirinus; & *cap.*21. ſuadente Jacobo, legali purificatione uſus eſt, & purificatus cum Judæis ingreſſus eſt in Templum, ut hac œconomia Judæos ad fidem Chriſti pelliceret, & Judæis converſis perſuaderet falſa eſſe, quę à malevolis de ſe ipſo dicta fuerant, ſe nimirùm deteſtari tanquam Idololatricos ritus, & legalia, quæ in lege Moyſis præſcripta fuerant; quin ex eo deberent gentiles fideles putare, ſe ejus exemplo teneri quoque legalia ſervare, quippe ut ait textus *v.*25. eis in d. Concilio reſcriptum fuit, quòd lege Moſayca nullatenus tenerentur, ſed ſolùm pauculis cæremoniis, ad tempus aliquod, ſe Judæis Chriſtianis accommodarent.

45 Mortifera autem eſt facta quadrageſimo circiter anno poſt Chriſti mortem, deſtructo à Romanis Jeroſolymitano templo, per cujus deſtructionem Synagoga (quæ ex Auguſtino cum aliquo honore ſepelienda erat) ſepulta fuit: Neque enim opus erat œconomia diuturniori cum Judæis, promulgato latiùs Evangelio. Nam periculum erat, ne diuturnior legalium obſervatio faveret Errori Ebionis, & Cerynthi, contendentium eam obſervationem eſſe Chriſtianis neceſſariam ad ſalutem. Periculum pariter erat, ne ſcandalo eſſet gentibus ad fidem converſis. Siquidem videntes tanto tempore ſervari legalia, judicaſſent adhuc obligare. Tum quia, ex tunc ſufficienter erat promulgatum Evangelium; ut tradunt Doctores de legibus.

Dices. Ergo erravit Concilium Conſtantinopolitanum III. & hinc Leo II. à quo fuit confirmatum. Siquidem *canone* 67. præcepit abſtinentiam à ſanguine, & ſuffocato, quaſi lex Moſayca jam priùs mortifera non fuiſſet.

46 R. 1. Cum conſequentia negatur à Leone adductum canonem approbatum fuiſſe; confirmavit equidem d. Concilium, quod fuit VI. œcumenicum, ſed in eo canon editus non fuit. Nam hic, cum aliis duobus ſupra centum, fuit digeſtus in Concilio Quiniſexto, poſt decennium d. ſextæ Synodi, celebrato Conſtantinopoli, abſque aſſenſu, & Romani Pontificis Legatis, in oratorio Palatii Imperialis, Trullo nuncupato, ob rotundum fornicem, ſeù cupulam; & proinde canones dicti Trulliani.

47 Modô controverſia eſt inter DD. an dicti canones auctoritatem habeant in Eccleſia. *Canus lib.*5. *de locis cap.ult. in reſp.ad* 6. apud Coriolanum in *Breviario ad an.*692. tradit eos non eſſe in Romana Eccleſia receptos, & ideò à nonnullis reiiciuntur, tanquam doctrinæ Eccleſiæ adverſarii; quod tamen de ſingulis accipi nequit, cùm plures ex illis ſint abſque dubio recti, ſani, ac veritati conformes, ut notat Bail. *Sum. Concil.to.*4. *in Conſtantinopol.III.tit. canones Trulliani*. Propter quod Porter *Syſtema ſept.ſæcul.cap.*3.§.11. *ſcribit*, hos canones non eſſe univerſim à Romana Eccleſia approbatos; & inter rejectos cum allegatis à Coriolano, & Bail recenſet canonem 67. citatum in inſtantia, propter quem Græci audacter latinorum conſuetudinem comedendi ſanguinem improbant, & Apoſtolicum præceptum, ad breve tempus datum, volunt eſſe perpetuum.

R. 2. Quamvis enuntiatus canon 67. fuiſſet canonicus, non inde ſequitur, quod ab-

abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato, ſive ab eo, vel alia lege Eccleſiaſtica ſtatuta, impoſita fuerit, quatenus præcepta in lege veteri, ſed tanquam utilis, & neceſſaria ad elidendas Gentilium calumnias, quibus Chriſti legem exprobrabant, à quo fortè nec ceſſaverant tempore d. Concilii celebrati an. *691*.

48 Hinc ſciendum, quòd Gentiles primis Eccleſiæ temporibus conſueverunt frequenter incuſare, & criminari Chriſtianos, quòd infantes occiderent, eorumque ſanguinem biberent; eo quòd audiſſent in Sacrificio Miſſæ ſub ſpeciebus panis, & vini carnem edi, & ſanguinem ſumi. Quod, veritate myſterii neglecta, verum ſenſum nòn penetrantes, in pravum detorquebant, ac materialiter de carne, & ſanguine intelligebant, ut notat Spondanus *Epiſt. ad an.* 120. *n.* 15. Ut Patres Chriſtianæ religionis, ab omni crudelitatis ſuſpicione fideles alienos eſſe oſtenderent, cibum ſanguinis, & ſuffocati prohibuerunt.

Contra Gentilium impoſturas Patres jam priùs inſurrexerant, ut refert Gonzalez *in app. nu.* 37. Et expreſsè Tertullianus, qui vixit *an.* 316. eos urget in *apologetic. c.* 9. *Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis exculentis habemus, qui propterea quoque à ſuffocatis, & morticiniis abſtinemus: ne quo modo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulti*. Propter quòd fortè jam emanaverat in Eccleſia lex illa de abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato. Ceſſavit autem lex illa, cùm cauſa prohibitionis deſiit, nimirùm, cùm Gentiles errorem allegatum depoſuerunt. Verùm, tunc obſervantia legis non erat ex vi legis veteris, ſed ex conſtitutione Eccleſiaſtica.

49 Tertium in Concilio Apoſtolorum præceptum fuit de abſtinentia *à fornicatione*, propter quorumdam Gentilium errorem, opinantium ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum. Quod præceptum fuit perpetuum: Siquidem fornicatio ab intrinſeco mala, & jure naturali, etiam infidelibus graviter interdicta, ut contra Caramuelem contendentem eſſe ſolùm malam, quia lege poſitiva vetitam, probat Cardenas *Criſ. ad propoſit. ab Innoc. XI. proſcriptas diſertat.* 29. & videri poſſunt propoſitiones 48. *&* 49. damnatæ ab eodem Pontifice, ac, quæ dixi *l.* 2. *Caut. Conf. cap.* 28.

50 Verba illa, decreto Apoſtolico inſerta, *nihil ultra imponere vobis, quàm hæc neceſſaria*, excludunt legem Moſaycam, non verò Decalogum, & leges jure naturali præſcriptas. Ab his enim, ut à nova lege Chriſti, non voluerunt, immò nec potuerunt Apoſtoli aliquem eximere, ut notat Tirinus *in d. locum*. Neceſſaria autem appellant tria illa præcepta, non quòd omnia præcisè abſolutè ad ſalutem requirerentur. Nam ad hoc neceſſaria erat abſtinentia à fornicatione; duo autem alia neceſſaria erant pro præſenti tempore, ut Gentilium nimirùm cum Judæis eſſet major familiaritas, & minùs diſſentanea vitæ, morumque conditio.

Opponunt 4. Ut Pontifex eſſet regula certa, & viva decidendi infallibiliter fidei dubia, deberet eſſe infallibiliter certum hunc numero hominem v. g. Clementem XI. eſſe verum Pontificem, & Chriſti Vicarium; nam impotentia errandi annexa eſt vero Chriſti Vicario, non ſimulato, & intruſo; ſed non eſt infallibiliter certum Clementem XI. eſſe verum Pontificem, & Chriſti Vicarium; ſiquidem plures Theologi teſte Poncio *cur. theol. diſp.* 28. *q.* 1. *concl.* 10. *nu.* 13. putant aliquem eligi poſſe in Papam, & pro tali haberi, qui verè talis non eſſet. Ergo, &c.

Hæc objectio magni momenti quæſtiones tangit, de electione Papæ, ſolvenda *controv.* 6. *cap.* 3. & de ipſius infallibilitate, de qua ex profeſſo agendum eſt *contr.* 7. Ex qua plura hùc ad uberiorem dictorum notitiam transferri poterunt.

Opponunt 5. Poſita hac regula in Eccleſia læditur honor Chriſti, qui ſolus eſt audiendus juxta illud Matth. 17. *hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite*.

51 Reſp.

51 Reſp. Negatur antecedens. Chriſtus honoratur, cùm id impletur, quod ei placet: Chriſto autem placet, ut ejus Vicarius audiatur, propterea eum Eccleſiæ Paſtorem conſtituit, & commiſit, ut paſceret ſuas oves. Si ipſe ſolùm eſſet audiendus, cur dixit, *qui vos audit, me audit*? Et cur Apoſtolis præcepit: *docete omnes Gentes*? Quare eſt audiendus Chriſtus, ut principalis loquens, ſed non excluditur, quin audiendus ſit ipſius Vicarius; & qui hunc audit, Chriſtum audit: ſicut audit Regem, qui Proregi, in quo auctoritas Regis dignoſcitur, aures præbet, ipſique obtemperat.

Dices. Ergo, ubi aliqua difficultas oritur circa ſenſum Scripturæ audiendus eſt Pontifex dubium decidens. Sed hoc eſt facere Scripturam ſubjectam Pontifici: quod eſſe non poteſt: cùm poteſtas Pontificis ſit Scripturæ ſubjecta.

52 Reſp. Negatur minor ſubſumpta. Non ſubiicimus Scripturam poteſtati Papæ, ſed dicimus ſolùm ad Papam pertinere explicare Scripturam, & de ejus vero ſenſu judicare juxta Traditionem. Quod non eſt Scripturam ſubiicere Pontifici, ſed ignorantiam, & malitiam pravè exponentium Scripturã auctoritati Papæ ſupponere. Subiicitur Papa Scripturæ, quia ipſa cum Traditionibus eſt norma, ſecundùm quam debet judicare.

53 Concluditur quæſtio hoc diſcurſu. Fides debet eſſe una, *ad Epheſ. 4. una fides*. Una verò eſſe non poteſt, niſi omnes idem ſentiant juxta illud Pauli 1. ad Corinth. 1. *idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*. Eſt autem impoſſibile, quod omnes, idem ſentiant, niſi ſit Judex, & Regula viva definiens, & determinans, quod credendum eſt, & ad unitatem fidei varia ſentientes pęnis etiam, reducat. Hæc verò regula nullus alius eſſe poſſit, quàm Romanus Pontifex, ut in Superioribus probatum eſt.

CONTROVERSIA IV.

De regimine Eccleſiæ.

NUllus ſanè inficiari audet, quin Eccleſia aliqua regendi forma gubernetur, dicente textu Actor.20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei*. Minuſque negabit, quod regimen Eccleſiaſticum non ſit ſpirituale; neque enim eſt politicum, cùm ad Vitam, & mortem non extendatur, aut bona temporalia reſpiciat, niſi de indirecto, & in ordine ad finem ſupernaturalem, ad quem homo eſt elevatus.

Circa regimen Eccleſiæ varia, & plenè mendoſa plura Novatores conſarcinant. Adversùs quos hæc ponitur controverſia ad eos urgendos, ut, vel obticeant, vel Catholicæ veritati concedant.

CAPUT I.

An regimen Eccleſiæ ſit Democraticum?

SUMMARIUM.

1 *Forma regendi triplex, Monaſtica, Oeconomica, & Politica.*
2 *Politica item quadruplex.*
3 *Regimen Eccleſiæ non eſt democraticum.*
4 *Democratica quid ſit?*
5 *Theologos non decet ſine teſtimoniis ſcripturarum diſcurrere.*
6 *Poteſtas Eccleſiaſtica in tota ſua plenitudine eſt in Romano Pontifice.*
7 *Poteſtas Eccleſiaſtica non communicatur à tota Fidelium communitate Pontifici, & Epiſcopis.*
8 *Neque individuè, & collectivè eſt in ipſa tota Fidelium multitudine.*
9 *Incommoda varia ex Democratica emergũt.*
10 *Petrus, non ut perſona privata; recepit juriſdictionem Eccleſiaſticam.*
11 *Poteſtas Eccleſiaſtica non defecit, Petro mortuo.*
12 *Quo ſenſu Pontifex ſit Miniſter Eccleſiæ?*
13 *Verus Scripturæ ſenſus non à Laicis judicatur.*
14 *Papa condit leges pro Eccleſia univerſali.*
15 *Ne corpus erraret, data eſt infallibilitas capiti.*
16 *Conformitas doctrinæ cum doctrina Eccleſiæ veritatem oſtendit.*
17 *Quo ſenſu verum ſit, juriſdictionem Eccleſiaſticam convenire toti Eccleſiæ?*
18 *Eccleſia conſtat ex capite, & membris.*
19 *Chriſtus conſtituendo Petrum caput Eccleſiæ, ad hujus bonum reſpexit.*
20 *In Romana Republica ſuprema poteſtas erat in communitate populi.*
21 *Plebs non eligit Paſtores, ad 23.*

1 CErtum apud omnes ſupponitur formam regendi triplicem eſſe, Monaſticam, Oeconomicam, & Politicam. Monaſtica eſt, qua quis ſe, ſuoſquê mores ad regulam rationis componit. Oeconomica, qua Pater-familias uxori,& uterque ſuos rectè conducit. Politica verò, qua Populus, vel Reſpublica gubernatur.

2 Forma pariter regendi Politica quadruplex ſtatuitur; *Monarchica, Ariſtocratica, Democratica*, & *Monarchica: Ariſtocratica*, & *Democratica temperata*, vel *permixta*. Hìc non agimus de forma regiminis Politici, ſed Eccleſiaſtici; cùm iſto Eccleſia, quæ eſt Reſpublica ſacra, & cætus Fidelium, gubernanda ſit. De quo, ejuſque qualitate in ſubſequentibus capitibus.

Richerius itaque de *Eccleſiaſt. & Politica poteſtate* exſcripſit regimen Eccleſiæ ad Democraticam pertinere. Siquidem hæc ejus

ejus in opere ſunt apud Petavium *Theolog. dogmat. de Eccleſiaſt. Hierarch. lib. 3. cap. 14. nu. 2. Chriſtus fundando Eccleſiam prius, immediatius, atque eſſentialius claves, ſive juriſdictionem tradidit Eccleſiæ, quàm Petro; ſeù, quod eòdem redit; claves toti contulit Eccleſiæ, ut per unum miniſterialiter exercerentur. Quandoquidem tota juriſdictio Eccleſiaſtica, primariò, propriè, & eſſentialiter Eccleſiæ convenit. Romano autem Pontifici, atque aliis Epiſcopis miniſterialiter, & quoad executionem tantùm*. Hinc cenſet juriſdictionem Eccleſiaſticam formaliter, & ſubjectivè reſidere in tota communitate Eccleſiæ, miniſterialiter verò, quoad executionem, & inſtrumentaliter convenire miniſtris Eccleſiæ, Pontifici cæteriſque Paſtoribus.

Verùm ipſe ſubinde animadvertens ea, quæ adeò laxo calamo dixerat, eſſe abſurda, ſtolida, & inſulſa, atque à fidei ſalubritate aliena, uno, aut altero ante obitum anno retractavit. Teſte Boyvin *Theol. quadripart. 4. p. Theol. poſit. 2. pars. diſp. 2. cap. 1. qu. 2.* Ideò

3 Dicendum. *Regimen Eccleſiæ non eſt Democraticum*. Omnium Catholicorum eſſe debet.

4 Probatur. Democratia eſt, *dum totus populus regimen habet, aut ſaltem aliqui, tum ex nobilibus, tum ex Plebeis ex populi electione: vel, quando tota juriſdictio formaliter, & ſubjectivè reſidet in tota Communitate, miniſterialiter verò, & quoad executionem, ex arbitrio ipſius Communitatis, particularibus Miniſtris convenit miniſterium, & poteſtatis executio*. Sed hujus generis non eſt regimen Eccleſiæ: ergo, &c. Major eſt ipſa Democratiæ definitio apud d. Petavium *cap. 5.* Boyvin *q. 1.* Peyrinum *de Prælat. cap. 1. §. 1. n. 9. & §. 3.* & Fraſſen. *Philoſof. 4. p. de ſciẽt. mor. q. proœmial. §. 6. v. hic advertendum*. Probatur minor. Suprema poteſtas, ſummaque Eccleſiæ juriſdictio formaliter, & ſubjectivè non ineſt toti Fidelium Communitati: ergo regimen Eccleſiæ in hoc non ſtat, quod juriſdictio Eccleſiaſtica formaliter, & ſubjectivè reſideat in toto corpore Eccleſiæ. Probatur antecedens. Non aliter de ipſa juriſdictione, & poteſtate Eccleſiæ pronuntiare fas eſt, quàm, ut ex Scriptura conſtat, ab ipſo Chriſto illius auctore eſſe inſtitutum; non enim hęc poteſtas naturalis eſt, & humana, ſed ſpiritualis, & divina; At ex Scriptura conſtat ſupremam poteſtatem regendi Eccleſiam non toti multitudini Fidelium formaliter traditam eſſe, ſed Petro, cui tanquam Capiti commiſſa eſt Eccleſia regenda. Etenim dictum eſt Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Tibi dabo claves regni Cælorum*. Et Joan. ult. *Paſce oves meas*: Ergo clavium poteſtas, ac jus ligandi, & ſolvendi Petro formaliter traditum fuit, in quo ſubjectivè reſedit. Quæ verò Novatores adversùs dicta teſtimonia ex æſtu reportant, diſcutientur *cap. ſequ.*

5 Ampliùs. Nullibi in Sacro textu legitur, & veſtigium reperitur, quòd juriſdictio, poteſtaſque regendi Eccleſiam donata ſit Communitati, & Fidelium multitudini, ita ut in iſta, tanquam in ſubjecto reſideat; nec minus ex eodem docemur eam à Fidelium multitudine in Petrum, cæteroſque Paſtores fuiſſe transfuſam: ergo falſum eſt ſyſtema à Richerio inventum. Indignum enim eſt Theologo ſine teſtimonio Scripturæ de iis diſſerere, quæ non niſi pendent ex Dei revelatione, & inſtitutione; non minus, ac Juriſtas non decet in foro cauſas agere: jure, & legibus non productis.

Item. Chriſtus exemplis præfecturam Eccleſiaſticam adumbrans, Eccleſiam vocat ovile. Joan. 10. *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili*; gregem *Lucæ 12. Nolite timere puſillus grex*. Poteſtas verò paſcendi non ab ovibus manat in Paſtorem, ſed ab hero, & Domino gregis communicatur; qui, quem vult, gregi ſuo præficit. Chriſtus autem fidelis gregis Dominus neutiquam Fidelium Communitati, ut diximus, juriſdictionem Eccleſiaſticam,

cam, ut ſubjecto, cui ineſſet communicavit: ergo, &c.

6 Probatur 2. Paulus 1. *ad Corinth.* 12. Eccleſiam deſcribit, tanquam corpus quoddam variis partibus, membriſque diſtinctum; quorum alia aliis præſtant, nec omnia eumdem actum, eamdem functionem habent, conſequenter neque eamdem facultatem, & poteſtatem agendi: *Vos autem*, ait, *eſtis corpus Chriſti*: & ad *Rom.* 12. *Ita multi unum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter alterius membra*. Itemque probat, retenta comparatione de corpore humano, in quo ſingula membra eumdem actum non exercent, nec eamdem poteſtatem habent: ſed ordo ſervatur. Neque enim omnia membra ſunt brachium; neque brachium, vel pes, caput, & alia membra dirigunt, ſed omnia à capite per internam gubernationem gubernantur; quæ in hoc conſiſtit, quòd caput per intellectum, & voluntatem, viſum, auditum, & alios ſenſus, qui in eo vigent, dirigat reliqua membra, ne in externis actionibus aberrent: quo pacto per intellectum, & voluntatem dirigit manus, ne quid illicitum committat, & per viſum dirigit pedes, ne in foveam incidant, & ſic de cæteris. Ita in myſtico corpore Eccleſiæ, varia ſunt membra, quorum aliqua ſe habent inſtar oculi, & alia pedis; ſed Pontifex Romanus illius eſt caput viſibile, qui directionem à membris non recipit, ſed cætera ab ipſo reguntur, ſive plebs ſit, ſive inferiores Paſtores; & inde evidens eſt Eccleſiaſticam juriſdictionem in ſua plenitudine in ipſo formaliter, & ſubjectivè reperiri, ut etiam dixit Gerſonius *lib. de poteſt. Eccleſiaſt. cont.* 1. (cui tamen viſum fuit auctoritatem Concilii generalis majorem eſſe ea, quam Romanus habet Pontifex; de cujus errore, quantum ad hoc dicendum *contr.* 8.) A quo tanquam à fonte in plures inferiores Paſtores dimanat; ita tamen ut ſumma ſemper in eo ſit, & in eo, tanquam in ſupremo omnium Paſtore, & Capite contineatur.

7 Deinde. Eccleſia complectitur non modò Clericos, Sacerdotes, Epiſcopos, & Pontificem, verùm & Chriſtianos cęteros, ac Laicos fideles; At toti iſtorum collectioni, ac multitudini non eſt, ut ſubjecto tradita à Chriſto juriſdictio Eccleſiaſtica; quo enim loco Scripturæ legatur, non dicitur, quòd Laici eam receperint, eamque ipſi Pontifici, & Epiſcopis, ut ejuſdem poteſtatis miniſtris communicent. Quinimò, Laicos à regimine Eccleſiæ excluſos oſtendit Apoſtolus his verbis: *Dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti*. Quo Apoſtoli teſtimonio Patres Tridentini utuntur, ut contra recentes hæreticos probent Eccleſiaſticam poteſtatem non eamdem eſſe in tota Eccleſia, ejuſque membris, Chriſtianis omnibus, & Laicis ineſſe:

8 Quocirca planè non regit Concluſio Richerii, nimirum, quòd juriſdictio Eccleſiaſtica individuè, & collectivè ſit multitudini Fidelium data, ut ab ipſa deinde in Paſtores Eccleſiæ, tanquam in executores, & miniſtros transfundatur; & quòd Eccleſia ſit monarchica politia, ſibi enim in hoc eſt contrarius, & contradictoria ſcribit: Uni negans ab illius Reipublicæ conditore Chriſto commiſſam eſſe gubernandi, ac regendi poteſtatem. Siquidem unicè hoc regimen monarchicum expoſtulat, quòd in uno ſit ſuprema Reipublicæ auctoritas: eſt enim monarchia illa, in qua unius eſt ſuprema poteſtas una, quæ exinde in plures inferiores, ab illa primaria profectas, eique ſubjectas poteſtates transfunditur, ex dicendis *cap.* 3. Democratia verò id exigit, ut ſumma juriſdictionis, & poteſtatis ſit penes totam populi multitudinem, non penes aliquem Principem, vel optimates (niſi quatenus pars ſunt communitatis) Quæ gubernat, leges ferens, probans, vel antiquans: Quod ſummæ eſt juriſdictionis ſignum; licèt non-

nullis

nullis magiſtratibus executionem poteſtatis circa quædam committat; & inde dicitur regimen populare.

9 Probatur ultimò. Eccleſia eſt Reſpublica ſacra à Chriſto Domino qualibet alia perfectior, inſtituta: ergo forma ipſam regendi non eſt Democratica. Quoniam hæc regendi forma eſt monarchica,& Ariſtocratica imperfectior. In ea enim multa regulariter ſequuntur incommoda, quæ non adeò facilè in cæteris admittuntur. Ita in Democratia, via ſępè aperitur ſeditionibus; rixę inter Magiſtratus oriuntur; unuſquiſque enim ex illis ſuam habet factionem, & cùm nullus reperiatur ſupremæ auctoritatis vir, cui honorem, & reverentiam alii præſtent, aut debeant, omnia commovent, perturbant, & inquietant. Item, tardè reſolvit, & difficulter; faciliterque impeditur, quòd in bonum publicum cedit; juſtitiam non miniſtrat; officia, & magiſtratus publicè vendit: plebis ſuffragia pecunia comparantur, ut Athenis mos fuit; propter quod Demoſthenes, dum ad Magiſtratus poſſeſſionem habendam pergeret, dicere conſuevit: *Eo ad Domum auri*. Et D.Thomas 1.2.*q*.97.*art*. 1.*in corp*. inquit. *Si paulatim populus depravatus habeat venale ſuffragium, & regimen flagitioſis, ſceleratiſque committat, rectè adimitur populo talis poteſtas dandi honores, & ad paucorum bonorum redit arbitrium*. Hinc Patres hoc regimen execrantur. Ambroſius *lib*.5.*in examer. cap*.21. de hoc regimine loquens, ait: *Non merita virtutis expendit, nec publicæ utilitatis emolumenta rimatur, ſed mobilitatis nutat incerto*. Et Hieronymus *in cap*.21.*Matth*. *Semper turba mobilis eſt, nec in propoſita voluntate perſiſtens, atque in morem fluctuum, diverſorumque ventorum huc, illucque transferatur*; apud Peyrin. *cit*.§.3. *num*.100.

Opponunt 1. Auguſtinus non Petro, ſed toti Eccleſiæ, vel ipſi nomine Eccleſię clavium poteſtatem tradit eſſe conceſſam, *Serm*.149.*de verb. Actor*.10.*cap*.6. dixit: *Petrus in multis locis Scripturarum apparet, quod perſonam geſtet Eccleſiæ, maximè illo in loco, ubi dictum eſt, tibi trado claves regni Cælorum..... aut non ſunt iſtæ in Eccleſia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur? Sed quoniam in ſignificatione perſonam Petrus geſtabat Eccleſiæ tract*.50.*in Joan.nu*.12. *Si hoc Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia. Si autem, & in Eccleſia fit, ut quæ in terra ligantur, in Cælo ligentur...... Si hoc ergo in Eccleſia fit, Petrus, quando claves accepit, Eccleſiam Sanctam ſignificavit. Lib*.1.*de doctrin. Chriſt.cap*.7. Has igitur claves dedit Eccleſiæ ſuæ, ut quæ ſolveret in terra, ſoluta eſſent in Cęlo, quæ ligaret in terra, ligata eſſent in Cęlo: ergo, &c.

10 R. Diſtinguitur. Non Petro, tanquam perſonæ privatæ, & veluti Procuratori, conceditur; non Petro, ut Capiti, & Principi Eccleſiæ, negatur. Quare ex Auguſtino poteſt tantùm colligi, quòd Petrus, non ut mortalis homo, aut privata perſona, neque ut Procurator, ſed ut repręſentans Eccleſiæ unitatem, ac ſubſtinens totius Eccleſiæ perſonam, tanquam caput ejus, ſupremuſque Paſtor à Chriſto conſtitutus, pro ſe, ſuiſque ſucceſſoribus claves acceperit, quas ipſi proportionatè inferioribus Pręlatis communicant; & in hoc ſenſu claves in Petro ſunt datæ Eccleſiæ, ut notavit Macedo *de clavib.Petri lib*.1. *diſſert*. 1.*cap*.4. abſque tamen præjudicio plenitudinis, quæ eſt in Pontifice. Vel, dum videtur ſignificare non tam Petro, quam toti Eccleſiæ communicatam eſſe Eccleſiaſticā juriſdictionem, intelligitur, ut hoc pacto demonſtret non ſic affixam, ſeù addictam Petro, ut eo ſublato, etiam illa periret, nec ampliùs in Eccleſia maneret: ergo eatenus Eccleſiæ traditam fuiſſe intelligit, quòd perpetuò habet Eccleſia Pontifices, ſucceſſores poteſtatis, ac dignitatis Petri, à quibus in cęteros paſtores pars poteſtatis fluit. Sicut qui dicit Galliarum populo regiam poteſtatem conceſſam fuiſſe, nihil aliud ſignificat, niſi ibi ſemper aliquem eſſe, qui regnet, & poteſtatem illam non modo exequatur, ſed in ſe hærentem, &

reſi-

reſidentem habeat. Nec inde conſequens erit penes ipſam Civium communitatem eſſe ſupremum jus Regni, & Regem aliud non eſſe, quàm miniſtrum, & executorem mandati popularis. Quocirca claves non ſoli Petro datas fuiſſe, nec ita, ut cum eo eſſent perituræ, ſed etiam nunc in Eccleſia perſeverare docet Auguſtinus, ubi *ſupr. in cit. ſerm.* & repetit *Serm. 295. in nat. Apoſtol. Petri, & Pauli cap. 2. Inter hos* (Apoſtolos) *ubique ſolus Petrus* (tanquam caput) *totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam. Propter ipſam perſonam, quam totius Eccleſiæ ſolus* (ut caput, & Paſtor) *geſtabat, audire meruit*, tibi dabo claves Regni Cælorum. *Has enim claves non homo unus* (privatus) *ſed unitas accepit Eccleſiæ* (hoc eſt unum caput ipſius pro ſe, ſuiſque ſucceſſoribus. *Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipſius univerſitatis, & unitatis Eccleſiæ figuram geſſit, quando ei dictum eſt, Tibi trado.*

11 In hunc ſenſum accommodandus eſt Fulgentius *lib. 1. de fide ad Petr. cap. 3.* dum ita Petro claves concreditas aſſerit, ut per eum accepiſſe dicat Eccleſiam. Quatenus in ea ſemper erunt, ex quo eas, Petrus, ut ordinarius Eccleſiæ Paſtor acceperit in ſucceſſores Pontifices tranſmiſsurus, & ab iſtis juriſdictio cæteris Paſtoribus communicatur. Quod eſt planè germanus ſenſus Auguſtini *d. ſerm.* ubi non dixit, *quod Eccleſiæ datum eſt, illi datum eſt*, ſed cum emphaſi, *quod illi uni datum eſt, Eccleſiæ datum eſt* (ut obſervat Scheleſtrates *p. 1. antiq. illuſt. diſſert. 1. cap. 2. art. 2. nu. 29.*) *Hoc eſt, repetit Lupus ab illo uno fonte in omnes Apoſtolatus, & Epiſcopatus collegas, & ſucceſſores traductum eſt, & uſque ad finem ſæculi traducendum.* Apud Seſſam *Scrut. doctrin. cap. 2. ar. 2. nu. 14.* Et in hoc ſenſu D. Petrus ſignificavit Eccleſiam, vel, perſonam Eccleſiæ geſſit. Siquidem hoc ſæpè importat, ut ait Turrecremata, accipere poteſtatem pro ſe, & ſuis; quod exemplificat in recipiente caſtrum à Rege pro ſe, & filiis ſuis; de quo dicitur figurare ſuos filios, vel, eorum perſonam gerere. Et ita ratione Capitis dicuntur claves eſſe in Eccleſia, & Eccleſiæ datæ. Vide à *contr. 8. cap. 6. n. 89.*

Dices, Romanus Pontifex eſt miniſter, ſeù caput miniſteriale Eccleſiæ, ſicut fuit Petrus, cui ille ſuccedit: ergo ſuprema clavium juriſdictio formaliter in eo non eſt, ſed ab Eccleſia conſtituitur dumtaxat executor, & datur miniſterium poteſtatis, ut Fidelibus ſerviat.

12 R. Diſtinguitur antecedens. Seù caput miniſteriale Eccleſiæ, quatenus immediatè ab Eccleſia ipſa, & Fidelium communitate juriſdictionem accipiat, negatur: quatenus, poteſtate à Chriſto immediatè recepta, membrorum ſaluti, & commodo attendit, ut ea ad cæleſtem gloriam dirigat, & manuducat conceditur. Romanus Pontifex eſt primarius miniſter. Verùm hoc duplici ratione ei convenire poteſt. Aut, quatenus cum cauſa efficiente primaria confertur; aut quatenus refertur ad finem, ad quem ordinatur. In priori ſenſu eſt miniſter ſolus Chriſti, cùm ab eo ſolùm ſummam poteſtatem, & clavium juriſdictionem capiat, non à communitate ipſa, ut demonſtravimus. In poſteriori verò ſenſu eſt miniſter, tùm Chriſti, cujus vices gerit in externa, & ſenſibili directione ovium, inferiorumque Paſtorum; tùm corporis myſtici, hoc eſt, communitatis Eccleſiæ, cùm in eum finem à Chriſto inſtitutus ſit, ut eam ſuo magiſterio, & non puro miniſterio gubernet, eique in commodum ſalutis neceſſaria miniſtret. Propter quod S. Gregorius Magnus, & ejus exēplo deinceps cæteri Romani Pontifices, *Servus Servorum Dei*, appellari ſe voluerunt. Et inde patet, qua ratione dicendum ſit Romanum Pontificem eſſe caput miniſteriale; nonnulli enim hac voce abutuntur, intelligentes, ex eo dici, quòd auctoritatem ab Eccleſia recipiat, quod falſum eſſe repetimus.

Opponunt 2. Tridentinum *ſeſ. 4. in decret. de canon. Scripturis*; Statuit, ad Eccleſiam pertinere judicare de vero Sacræ Scripturę ſenſu: ipſa enim eſt *columna, & firmamentum*

tum

tum veritatis; 1.*ad Timoth*.3.*& ſeſ*.24.*can*.3. *de matrim*. damnat, aſſerentes Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia. Quibus ſanè ſignificatur toti corpori Eccleſię formaliter; & ſubjectivè traditam eſſe à Chriſto juriſdictionem. Siquidem ad prædicta præſtanda eſt in agente neceſſaria auctoritas; nomine verò Eccleſiæ abſolutè ſumptæ venit cætus Fidelium, prout Laicos, & Clericos continet, ut dixit Launtius.

Confirmatur. Catholici omnes apud Valemburgios *to*.1.*contr*.1.*examen* 3.*§*.9.*nu*. 100. reſolvunt Verbum Dei, & myſteria credenda proponi per Eccleſiam: ergo ſupponunt eidem poteſtatem formaliter convenire.

13 R. Ibi Tridentinum per Eccleſiam non accipit univerſam Fidelium multitudinem: non enim ad fęminas, & Laicos pertinet verum ſenſum Scripturæ diſtinguere, & legitimas interpretationes dare. Ideò intelligit, vel Concilium generale à Papa confirmatum, vel Papam extra Concilium, de germano Scripturæ ſenſu judicantem. Utroque enim ex iſtis ſenſu conſtat ſupremam poteſtatem in Eccleſia eſſe penes Romanum Pontificem, ſine cujus confirmatione Concilia robur non habent, *cap.Regula* 17.*diſt*.ipſa verò poſita, eorum decreta ad fidem ſpectantia inalterabilia ſunt, ac irreformabilia, *cap.Sicut* 15.*diſt*.

14 In eodem ſenſu contra Launtium accipitur Eccleſia in canone allegato. Quocircà conſtat ibi Patres loqui per figuram Synecdoches, in qua ponitur totum pro parte principali, ut ſenſus ſit, *Eccleſia*, hoc eſt, vel *Papa ſolus*, vel *Papa cum Concilio*. Ad Papam enim ſpectat condere leges pro Univerſa Eccleſia, cujus ipſe ſupremus Rector à Chriſto conſtitutus eſt; & quę ipſe agit tanquam caput, per ipſum Eccleſiæ tribuuntur.

15 Ad textum Apoſtoli dicitur, quod Eccleſia ſumpta pro Fidelium congregatione tota errare non poteſt, quod ei convenit ratione Pontificis, qui habet infallibilitatem activam, & definientem; etenim ne corpus erraret, data eſt firmitas capiti; juxta textum in *conſtitut. Redemptorem Joan.XXII.Bullar.to*.1. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: dumque pro Petro Chriſtus rogat, pro ejus Eccleſia intercedit*: Vide dicta *contr*.1.*cap*.4.*nu*.11.

Ad id, quod ſubditur, Eccleſiam abſolutè ſumptam importare cętum Fideliū; notetur, quòd Eccleſia aliquando ſupponit ſimpliciter, & ſæpè perſonaliter. In iſtis: *Eccleſia eſt per totum Orbem diffuſa: Credo Sanctam Eccleſiam; ſuper hanc petram edificabo Eccleſiam meam, &c.* Eccleſia ſupponit ſimpliciter, hoc eſt, pro collectione Fidelium cum Romano Pontifice communicante. Cum verò dicitur Eccleſia *condit leges pro Eccleſia; definit res fidei, & morum*, ſupponit perſonaliter, pro Pontifice nimirum (qui in tota illa collectione capitis locum tenet) vel pro Concilio à Pontifice confirmato.

Inſtant. Ex Auguſtino *lib.qq. Evangelior. lib*.4.*cap*.4. Chriſtus ad Eccleſiam examen remiſit, eorum, quę ad doctrinam pertinent: ait enim: *Doctrina, vel imbuendi per Sacramenta, vel catechizandi per ſermonem ſonantem, atque lectionem, Eccleſiæ propriè contributa eſt.... ut ipſa ſocietas congregatorum Fidelium approbando in invicem, atque communicando veræ fidei doctrinam in omnibus, quæ dicuntur verbis, vel ſignatur Sacramentis, tanquam unam ſpeciem veri coloris obducat*: Ergo ſupponit in ipſa ſocietate auctoritatem, & juriſdictionem judicandi.

16 R. Hìc Auguſtinus aliud ſignificare non intendit, quàm quòd ex collatione doctrinæ, quam quis, vel ſequitur, vel prædicat, cum illa, quam Fidelium ſocietas communicans cum Romano Pontifice profitetur, cognoſcitur, ſit ne vera, vel falſa; collatio enim, ut ibi ait, *unam doctrinæ ſpeciem, excluſa omni varietate monſtrat*. In quem finem refert Paulum ad *Galat*.2. aſcendiſſe Jeroſolymam ad Petrum. Et ex *Actor*.10.obſervat, Cornelium pro-

pter doctrinæ, Sacramentorumque unitatem ad Petrum jubetur mittere. Quocircà juxta Auguſtinum, qui non vult errare, debet adhærere Eccleſiæ, & Romano Pontifici. Ad quem, ſi aliqua controverſia oriatur, recurrendum eſt pro deciſione, ut diximus *contr.3.cap.5.* Cujus examini, & correctioni ipſe Auguſtinus remiſit, reſponſa, quæ dedit duabus Pelagianorum epiſtolis *lib.1.contr.duas epiſt. Pelagianor.cap.1.num.3.*

Ad confirmationem. Dicimus toti Eccleſiæ res credendæ (particularibus enim Diœceſibus proponuntur ab Epiſcopis) proponuntur per Pontificem; qui etiam dubia emergentia reſolvit; non ut ly *per* ſignificat eſſe miniſtrum ſubjectionis, & inſtrumentalitatis, ſed ut importat miniſterium ſolicitudinis paſtoralis, ſupremũque magiſterium, quo in Eccleſia ſuprà alios, etiam Paſtores eminet: Videatur Lauræa *diſp.8.art.3.de fide*, ubi expreſsè agit de proponente fidei objecta.

Opponunt 3. Chriſtus in Eccleſia fundanda primò, & immediatè totum, integrumque corpus ſibi formandum propoſuit, & deſignavit, quàm aliquam ipſius, etiam nobiliſſimam partem; ſicut natura, prius, atque immediatiùs totum ſuppoſitum intendit, quàm aliquam ipſius partem, eſtò principalem; & inde facultas, V.G. videndi toti homini eſt data, ut per oculum, tanquam per organum, & miniſtrum, homo exerceatur: nam oculus per, & propter hominem exiſtit: ergo poteſtas Eccleſiaſtica ab origine, & ſua inſtitutione primò, & immediatiùs convenit corpori Eccleſiæ, ut ipſius Pontifices, aliique Paſtores ſint miniſtri: conſequentia ſequitur. Nam Chriſtus in Eccleſiæ fabrica ordinatè proceſſit, atque ita primò totum corpus intendit, & deinde ejus partes; *pars enim ordinatur ad totum, & imperfectum ad perfectum.* Et ideò omnis pars eſt naturaliter propter totum, ex D.Thom. 2.2.q.64.ar.2.

17 R. Si Richerius hęc ſcripſerit ea mẽte, quòd toti corpori Eccleſiæ ſit ſubjectivè tributa Eccleſiaſtica juriſdictio, adeò ut in ipſa tota multitudine formaliter reſideat, falſa iterùm dicimus, eumque urgemus paritate, quam aſſumpſit de poteſtate videndi, quæ ſubjectivè eſt in ſolo oculo, qui eſt formaliter videns per viſionem in ſe receptam, licèt ſit propter hominem, qui ſolùm denominativè videns appellatur.

Si verò id in animo habuit, cùm dixit juriſdictionem Eccleſiaſticam toti Eccleſiæ primò, & per ſe eſſe datam, quòd ei finaliter conveniat, vel, in ea ſit, tanquam in finem, quatenus ipſa in bonum, & commodum ipſius communitatis conſpirat, habet adhærentes Catholicos. Quoniam Chriſtus quæcunque in Eccleſia reliquit Sacramenta, poteſtatem, juriſdictionem, doctrinam, Paſtores, & reliqua gratiæ beneficia, omnia ad totius corporis utilitatem, & fructum, tanquam primarium, & ultimum finem retulit.

A pari de natura, quæ in humano fabricando corpore in totum ipſum intuetur, ac totius gratia ſingulas partes elaborat; & quidquid in his fabricandis operatur, id ad Univerſi corporis ſtructuram, uſum, & utilitatem accommodat. Et patet, tum in cæteris Civitatum magiſtratibus, qui non ſui gratia (niſi prout partes ſunt Communitatis) ſed in eorum, quibus præſunt, utilitatem, ſunt conſtituti; tum in gubernatore navis, cujus præcipuus gubernandi finis eſt, navim ipſam cum multitudine omni, quæ navi vehitur, tueri, & ad portum ſalvam perducere; ſingulos verò, ac ſe ipſum non primò, ac per ſe, ſed quatenus partes ſunt totius, eorumque ſalus communi ſalute continetur.

18 Ita, tota ex capite, & membris, hoc eſt, ex populo, & Epiſcopis, horumque Capite, & Principe Romano Pontifice, Eccleſia conſurgit, ſed finis, quem Chriſtus primariò, & præcipuè in ſui gregis deſignatione propoſitum habuit, & ad quẽ omnia revocavit, fuit totius Eccleſiæ bonum;

num; & ad hujus corporis ſalutem procurandam Caput conſtituit, & ſub eo alios Paſtores, ut Fideles dirigerent.

19 Hinc duo contra Richerium ſunt certa. Primum, quòd clavium poteſtas, vel jus ſolvendi, atque ligandi non fuit Petro conceſſa propter ſe unum tantùm, ſed Eccleſiæ gratia, & ut Chriſtianis omnibus prodeſſet; & ita conſtat Chriſtum in conſtituendo Petrum Caput Eccleſiæ ad bonum myſtici corporis reſpexiſſe: & hùc ſpectat illud Apoſtoli 1. *ad Corinth.3. Omnia veſtra ſunt* (quatenus in auxilium, & miniſterium ſalutis deputata) *vos autem Chriſti.*

20 Secundum, quòd tota juriſdictio Eccleſiaſtica individuè, collectivè, & eſſentialiter non convenit toti communitati Eccleſiæ, nec Romano Pontifici, atque aliis Epiſcopis inſtrumentaliter, & ſolùm quoad executionem, aliàs forma regendi Eccleſiam Democratica foret, quòd hucuſque negatum eſt, utpote à perfecto regimine remotiſſima, & omnium deterrima, dicente Auguſtino *Serm.*103.*de verb. Lucæ* 10.*cap.*3. *Da unum, & Populus eſt; tolle unum, & turba eſt; quid enim eſt turba, quàm multitudo turbata?* Cujus generis fuit illa Reipublicæ Romanæ, in qua omnis juriſdictio, & ſuprema poteſtas in communitate Civium, ſeù populo Univerſo, velut in ſubjecto manebat; magiſtratus verò illam à populo capiebant, & ejuſdem nomine, ac auctoritate eam adminiſtrabant. Summa itaque poteſtas in Pontifice Romano reſidet pro bono Eccleſiæ ad ſervandam Catholicam unitatem, à quo veluti fonte in cæteros ſub eo Paſtores juriſdictio diffunditur. Et in hoc ſenſu intelligitur Auguſtinus *tract.*124.*n.*5. dum dixit, *Eccleſia claves regni Cœlorum accepit in Petro*: quatenus Petro datæ ſunt claves, Eccleſię Paſtoribus communicandæ; & ita in Petro, qui aliis Paſtoribus eas communicat, claves Eccleſiæ datæ ſunt, non quòd ſubjectivè ſint in ſingulis de Eccleſia, ſed in Epiſcopis, ordinatè tamen, & dependenter à Romano Pontifice, qui *ſolicitudinem univerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio* habet, ut ait Tridentinum *ſeſs.*24.*cap.*1.*de ref.* Unde dixit Optatus *lib.*7.*contr.Parmenian.B.Petrus claves regni Cœlorum communicandas ſolus accepit.*

Dices. Princeps omnium Apoſtolorum Petrus, cùm ageretur de ſubſtituendo aliquo ex diſcipulis in locum proditoris Judę ad conſultationem, ne dum cęteros Apoſtolos; ſed etiam univerſalem Eccleſiam, ſeù omnes de Eccleſia, quæ prout tunc temporis erat, adhibuit: dicente textu Actor.1. *Erat autem turba hominum ſimul ferè centum viginti*: & ubi *cap.*6. agitur de deligendis Diaconis, res deliberanda ab Apoſtolis traditur multitudini diſcipulorum, hoc eſt, Fidelium: ergo gubernatio Eccleſiæ, aliarumque rerum ad eam pertinentium communiter, & à populo, ac Presbyteris cum Epiſcopis tractari debet.

21 R. Hujuſmodi exempla à Sectariis, Catholicis obiiciuntur, ut probent jus nominandi, & eligendi miniſtros Eccleſiæ, etiam penes plebem eſſe, de qua re ſuo loco agendum eſt. Nunc autem conſequentia negatur. Quantùm ad primum, ſolus Petrus auctoritate ſibi à Chriſto tradita, crediti ſibi gregis curam ſuſcipiens, potuit Mathiam eligere, ut ait Chryſoſtomus *homil.*3. *in act.* Sed ad ſolemnitatem actus ad nominandum, etiam alios Apoſtolos admiſit coram plebe, ut iſta teſtis eſſet ſanctitatis, & meriti eligendi: neque enim dixit nominatio à plebe facta eſt, ſed *coram plebe*, ut etiam notavit Tirinus *in d. locum*.

22 Ad 2. Textus ait Diaconos eſſe ab Apoſtolis conſtitutos, ſeù ordinatos; ſed ad murmur, & querimonias nonnullorum removendas, eos ordinarunt, in quos communi conſenſu diſcipuli conſenſerunt; & inde eorum admiſſio ad conſultationem non neceſſitatis, ſed congruentiæ, & œconomiæ fuit: de quo, ut dixi, aliàs.

Inſtant iterum. Juriſdictionem Chriſtus nedum Apoſtolis, verùm & diſcipulis tra-

tradidit Lucæ 10. *Poſt hæc deſignavit Dominus, & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam, &c.* ex quo habetur, quòd Eccleſiæ regimen non ſolùm eſt penes Epiſcopos, ſed etiam apud plebem.

23 R. Negatur antecedens. Illa miſſione nullam aliam Chriſtus, quàm prædicandæ pænitentiæ, ac tam doctrina, quàm miraculis præparandi populum ad Chriſti fidem, facultatem dedit; non verò regendi, gubernandique jus ullum, aut poteſtatem tradidit: ſive Ordinis, quàm in ultima cæna contulit, in qua Apoſtoli ordinati ſunt Sacerdotes; ſive juriſdictionis, quam poſt reſurrectionem ſuam actu Apoſtolis conceſſit, quando Apoſtolos Epiſcopos conſtituit illis verbis, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Joan.* 20.

CAPUT II.

An regimen Eccleſiæ ſit Ariſtocraticum?

SUMMARIUM.

1 *Forma regendi Eccleſiam non eſt Ariſtocratica. Quid ſit Ariſtocratia?*
2 *Petro, ejuſque ſucceſſoribus eſt tradita ſuprema poteſtas Eccleſiæ.*
3 *Eccleſia unitatem habet à capite.*
4 *Epiſcopi non habent plenam poteſtatem regendi Eccleſiam.*
5 *Par in parem poteſtatem non habet.*
6 *Qua ratione Apoſtoli fuerint Petro pares?*
7 *Apoſtoli duplicem perſonam repræſentarunt.*
8 *In quibus Epiſcopi Apoſtolis ſuccedant?*
9 *Petrus pluribus modis Apoſtolis antecelluit.*
10 *Barboſa reprobatur.*
11 *Juriſdictio Petri fuit ordinaria, non illa cæteris Apoſtolis conceſſa.*
12 *Solus Petrus fuit à Chriſto conſtitutus Caput Eccleſiæ.*
13 *Epiſcopatus, & Apoſtolatus non ſimul inceperunt.*
14 *Judas non fuit Epiſcopus.*
15 *Conditiones ad dignitatem Apoſtoli neceſſariæ.*
16 *Epiſcopi Eccleſias particulares regunt.*
17 *Epiſcopis non eſt commiſſa totius Eccleſiæ cura.*
18 *Epiſcopatus, qua ratione juxta Cyprianum unus ſit?*
19 *Lapſorum duplex genus.*
20 *Pœna lapſis conſtituta.*
21 *Clerus Romanus, ſede vacante anno* 258. *Eccleſiam non rexit.*
22 *In hoc ordine divinæ providentiæ repugnat Eccleſiam Ariſtocratia regi.*

QUotquot ſummam Eccleſiaſticæ juriſdictionis tribuunt Concilio generali ſupra Romanum Pontificem, eidēque hunc ſubeſſe ſcriptitare non ceſſant, Syſtema regiminis Eccleſiæ ad Ariſtocratiam pertinere contendunt. Propter quod ſupremam poteſtatem Eccleſię eſſe penes Epiſcopos, tanquam ejuſdem Optimates repetunt, eoſque caput corporis Eccleſiæ conſtituunt, ut olim effutiit Calvinus cum Brentio, & Hugonottis. Quibus addo Marcum Antonium de Dominis, & Archiepiſcopo Spalatenſi refractarium in Eccleſiam Romanam, qui augendo errorem ad Diſſidentes convolavit, eumque *lib.2.de Repub.Chriſtian.cap.1.n.9.* his verbis complectitur. *Epiſcopi omnes ſimul, & in ſolidum eamdem regunt Eccleſiam, ſinguli cum plena poteſtate. Et nu.13. Epiſcopi dicuntur Apoſtolorum ſucceſſores quia in eorum officio, quod erat Apoſtolorum omnium commune ſuccedunt omnes omnibus in ſolidum.* Et *nu.15. In poteſtate univerſali ſuccedunt Epiſcopi, non modò univerſi, ſed etiam ſinguli.* Quæ quidem doctrina hæretica, ſchiſmatica, & univerſitatis Eccleſiæ ſubverſiva indubiè extat. Repugnat unitati Capitis à Chriſto in Eccleſia inſtituti: Siquidem, ſi ſinguli Epiſcopi juriſdictionem non coarctatam ad proprias Diœceſes habeant, ſed plena ita gaudeant in Eccleſia, ut eà in ſolidum regant, æqualem poteſtatem habent

cum

cum Pontifice; & hinc non unum ſupremum caput in Eccleſia eſt, ſed tot, quot in ea ſunt Epiſcopi; quod falſum, & hæreticum eſt. Ideò

1 Dicendum. *Forma regendi Eccleſiam non eſt Ariſtocratica*. Debet eſſe omnium Catholicorum.

Probatur. Forma regendi Ariſtocratica eſt, cùm pauci, & ipſi Optimates regunt: nam Ariſtocratia illa dicitur, in *qua nobilior pars Reipublicæ ſupremam poteſtatem in illa habens, imperium exercet in cæteras*: qualis eſt apud Venetos, Januenſes, & Lucenſes; ſed ſuprema poteſtas regendi Eccleſiam non eſt in Epiſcopis, ſeorſim, & collectivè acceptis: ergo forma regendi Eccleſiam non eſt Ariſtocratica. Probatur minor. Eſt in Romano Pontifice (cui Epiſcopi omnes, ſive in Conciliis congregati, ſive extra ſubduntur, tanquam Capiti, & Principi). Nam eandem prorſus cum Petro, & integram juriſdictionem obtinet, adeò ut ſit ordinarius, & Supremus Eccleſiæ Paſtor, ſicut fuit Petrus, ut ex dicendis *controverſia* 5. *&* 6.

Dicunt. Petro pro omnibus Apoſtolis claves promittuntur, & poſteà dantur. Nam ipſe *cap.16.Matth.* Chriſto Domino interroganti. *Vos* (Apoſtoli) *autem, quem me eſſe dicitis?* pro omnibus reſpondit: *tu es Chriſtus Filius Dei*; & inde præmium, quod accepit, omnibus correſpondet. Unde dixit Auguſtinus *tract.*118. *in Joan. nu.*4. *& ei* (Petro) *dicitur, tibi dabo claves regni Cœlorum, tanquam ligandi, & ſolvendi ſolus acceperit poteſtatem: cùm & illud unus* (*tu es Chriſtus Filius Dei vivi*) hoc eſt Petrus, *pro omnibus dixerit, & hoc* (tibi dabo claves, &c.) *cum omnibus tanquam perſonam gerens ipſius unitatis acceperit: Ideò unus pro omnibus, quia unitas eſt in omnibus.* Quaſi dicat, cùm Petrus confeſſus, & remuneratus eſt, perſonam Eccleſiæ gerebat; nec privatum agebat hominem, ſed communem Apoſtolorum (immò Fidelium) cœtum repræſentabat: ergo quidquid dixit, & accepit non pro ſe tantùm, ſed & pro Apoſtolis accepit.

2 R. Dicimus, Petro ut Capiti, & Apoſtolorum Principi claves promiſſas, & poſteà datas. Chriſtus enim hæc verba *Tibi dabo claves*, ad ſolum Petrum, uti erat futurus Princeps Apoſtolorum, & Caput Eccleſiæ, direxit. Per ly enim *Tibi*, deſignat perſonam ſingularem, cum qua loquitur: qui enim uni vult ſignificare ſe dare aliquid, non aliis verbis utitur, quàm iſtis, *tibi volo dare*. Tum quia, quando Chriſtus ſecundùm phraſim Evangelii utitur particula illa *Tibi* ſemper coarctat, & reſtringit ſignificatum à pluribus ad unum, itaut non poſſit ad alios extendi. Sicut obſervant Interpretes ad locum illum *Marci* 5. *Puella, tibi dico, ſurge*: & ad alterum *Lucæ* 7. *Adoleſcens, tibi dico; ſurge*. Eandem phraſim Chriſtus ſervavit erga Petrum, cũ dixit: *Ego dico tibi*: Et iterùm; *Tu es Petrus*; Et nunc, *Tibi dabo claves*. Quando enim Chriſtus multis promittit, & donat, ſolet uti termino plurali, ſignificante multos: ut cum dicit: *Sedebitis, & vos: ecce dedi vobis poteſtatem: dabo vobis os: mittam vobis à Patre*; ergo cùm dicit, *Tibi* non vult promittere, & poſteà dare multis, vel communi cœtui Apoſtolorum ſupremam poteſtatem Eccleſiæ, ſed uni tantùm, Petro nimirùm, tanquam Capiti, & Eccleſiæ Principi.

Verùm, dato Petrum pro omnibus reſpondiſſe, quia Chriſtus omnes interrogavit, *vos autem quem me eſſe dicitis*? planè negari non poteſt, præmium fuiſſe proprium Petri, quòd auctor confeſſionis fuerit, *tu es Chriſtus*. Etenim, ſi ex eo ad omnes pertinet confeſſio, quòd Chriſtus omnes interrogavit: cur cùm ſoli Petro dicatur *Tu es Petrus, & Tibi dabo claves*, non unius Petri præmium erit? cùm ejus unius confeſſio audita fuerit?

Quod ſi adhuc nolint cedere, eos certè urget textus *Joan.ult.* ubi impleta eſt promiſſio. Hic enim Chriſtus ſolùm Petrum interrogat, dicit *Simoni Petro*. *Diligis me plus his?* Et iterùm: *Simon Joannis diligis me?*

me? Nihil hic eſt commune cum cæteris Apoſtolis, omnia ſunt ſingularia, nomen, *Petre*, *Simon Joannis : amor*, *amas me*, & præmium, *paſce agnos meos : paſce oves meas*. Quocircà illud *Tibi* ad Petrum tantùm ſingulariter refertur excludendo cęteros Apoſtolos à ſuprema poteſtate Eccleſiæ, non verò perſonaliter excludendo Succeſſores Petri. Vel, illa verba Petro dicta ſunt, at non ſolùm Petro, ſed ejus officio perpetuò duraturo, ut alibi dicam.

3 Nec ex Auguſtino evincitur ſupremam, plenamque poteſtatem Eccleſiæ ad Succeſſores tranſmittendam fuiſſe in tota Apoſtolorum collectione, & nunc eſſe in Epiſcoporum multitudine; ſed fuiſſe in Petro, & nunc in ejuſdem Succeſſoribus, eſſe oſtendit per verba, *ſolus acceperit;* non ſolus perſonaliter, quaſi eam ita acceperit, ut cum ipſo perituram, & non transfundendam in ſucceſſores Pontifices; ſed in iſtis eſt, à quibus juriſdictio in inferiores capaces, ut à fonte effluit, ut diximus *cap. præterito nu.* 11. Propterea ait, eum geſſiſſe perſonam totius Unitatis, quatenus ipſe fuit Apoſtolorum, & Eccleſiæ, ac poſt ipſum ejus Succeſſores ſunt caput, à quo corpus Eccleſiæ unitatem ſumit; adeò ut Eccleſia una ſit, quia unum Caput habet, & nullus ſit in unitate Eccleſiæ, qui Capiti non ſubſit. Quare pro omnibus, quorum erat futurus Caput reſpondit, & ita unitas erat in omnibus, quia omnes erant cum eo uniti. Juriſdictionem verò cum omnibus accepit, ſed ordinatè; ejuſque ſalvo primatu, quem inter eos habuit, ut Auguſtinus docuit *tract.* 124. *in Joan. n.* 4. Sed Petro à Chriſto fuit plena, & ordinaria juriſdictio tradita, cæteris verò Apoſtolis extraordinaria, & cum ſubordinatione ad Petrum ex dicendis infra n..... ſed videas dicta *capite præterito n.* 11.

4 Probatur 2. Si ſinguli Epiſcopi jure divino, vel ex inſtitutione Chriſti haberent plenam poteſtatem regendi Eccleſiam in ſolidum, & non hanc, aut illam particularem, ſed Eccleſiam toto orbe diffuſam, ut intelligit Spalatenſis, jam quiſque ex conceſſione divini juris poſſet, eique liceret regere cum plena poteſtate omnes Eccleſias Orbis, quin cæteri Epiſcopi poſſent rationabiliter obſiſtere; & hinc, quæ ſchiſmata, & Diviſiones non forent in Eccleſia? Quinimò nulla in Eccleſia certa fides haberetur, contra articulum illum *una fides*: nam, orto aliquo novitatis errore, quis ſententiam adversùs eum pronuntiaret? Scriptura ne? Sed quid, ſi Epiſcopus erroris inventor ad ſui errati tutelam alium ejuſdem textum ſibi apparentem produceret? Quis tunc litem abſolveret? Quis partes litigantes ad pacem vocaret? Nullus ſanè: quiſque enim pro ſe, vel Scripturam allegaret, vel, ſe in totam Eccleſiam plenitudinem poteſtatis ex inſtitutione Chriſti accepiſse, clamaret. Si ad Concilium Spalatenſis recurrat: Unde conſtabit eſſe legitimum, & habere Spiritus Sancti aſſiſtentiam? Nonne, & pſeudo-Concilia coacta ſunt? plurima planè; quod nec ipſe reclamabit, niſi fatuus, & in hoc ſit, ut expreſsè dicendum *contr.* 8. Nullum ergo remedium ſupereſt, quàm Romani Pontificis ſententia, cui Chriſtus ſuum ovile paſcendum, & regendum tradidit; in quo veram, ſinceram integramque fidem eſſe voluit, & ab eo ſchiſmata unius conſtitutione Capitis ablegare; dicente Hieronymo *ad Jovinianum*: *propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio*. Et Cypriano *de unit. Eccleſ. ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno* (Petro) *incipientem*, *ſua auctoritate Chriſtus diſpoſuit.*

5 Ampliùs. Delinquat unus Epiſcopus V.G. Galliæ in re ad religionem ſpectante, vel, fidem concernente: quis alterius Principatus Epiſcopus in eum ſententiam dicet, & ad fidei regulam revocabit? Nullus ex Hiſpanis, Polonis, Italis, vel alius, ex eo quòd par in parem imperium non habet, cap. *Innotuit de elect.* & inde ille nihili alterius poteſtatem faceret, cui nec ſubeſſe, neque obtemperare teneretur; æqua-

æqualem cum Judice poteſtatem obtrudens: ergo opus eſt in Eccleſia uno Summo Paſtore, qui tam agnos, hoc eſt, Fideles, quàm oves, Paſtores nimirum, qui agnorum matres reſpectivè ſunt, paſcat, & regat.

Idem opponi poteſt, ſi dicatur ſummam auctoritatem regendi Eccleſiam in Epiſcoporum collectione formaliter reſidere; tunc enim uno errante, nullus poſſet Judicis officio fungi: Nam nullus eſſet alio juriſdictione validior. Si Concilium ex omnibus Epiſcopis eſſe convocandum dixerunt. A quo convocabitur, ut ſit legitimum? Et ſi de convocatione non convenerint, de remedio actum eſſet, & intereà Eccleſia in partes ſecaretur, & diſcerperetur; & ita ſchiſmata æterna eſſent, ſi Eccleſia forma Ariſtocratica regeretur.

Opponunt I. Epiſcopi in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt ex Trid. *ſeſſ.23. cap.4. de ord.* Quos pro Apoſtolis eſſe Eccleſię datos ſcribit Auguſtinus in *pſal.44. Quid eſt pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii?* inquit; *Patres miſſi ſunt Apoſtoli. Pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi. Conſtituti ſunt Epiſcopi*: ſed Apoſtoli parem cum Petro poteſtatem à Chriſto acceperunt: ergo & Epiſcopi eadem, qua Romanus Pontifex poteſtate gaudent. Conſequentia ſequitur: Nam ratio ſucceſſionis videtur poſtulare, quòd ſucceſſor in totum ſuccedat: Minor verò conſtat ex illo *Joan.20. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Quæ verba fuerunt à Chriſto omnibus Apoſtolis collectivè æqualiter dicta; & per ea Epiſcopi conſtituti, ut probat Macedo de *clavib. Petri lib.1. diſſert.4.c.2.* Neque ex verborum vi poteſt ulla ex ea miſſione, qua Apoſtolis omnibus ad regendam Eccleſiam juriſdictio tradita eſt, inæqualitas, & diſſimilitudo poteſtatis concludi. Hinc in præſidium æqualitatis Apoſtolorum cum Petro adducitur ad ſtatuendam in Eccleſia Ariſtocratiam, Cyprianus ſupr. hæc habens. *Hoc erant utique, & cæteri Apoſtoli, quòd fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis*: ergo Petrus non plus poteſtatis habuit, quàm cęteri Apoſtoli:

6 R. In duplici ſtatu Apoſtolos conſiderari poſſe. Primò, antequam Petrus totius Eccleſiæ caput, ſupremuſque Paſtor conſtitueretur per illa verba: *paſce agnos meos: paſce oves meas*. Secundò, poſtquam per illa verba à Chriſto præfecturam totius Eccleſiæ accepit. In primo ſtatu, fuerunt cum Petro in honore, & Apoſtolatus poteſtate pares. In ſecundo verò, Petrus fuit ipſis major in honore, & poteſtate regendi Eccleſiam, ut idem Cyprianus ſignificat, ſtatim illis verbis, hæc ſubnectens: *Sed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur*. Quaſi diceret: omnes Apoſtoli ante electionem capitis erant quidem æquales; ſed tamen Chriſtus, quia voluit exordium Eccleſiæ ſumere ab unitate capitis, & regimen Eccleſiæ eſſe Monarchicum, ex omnibus Apoſtolis, qui erant Paſtores, & Epiſcopi conſtituti, Petrum elegit, qui omnibus præeſſet, ut eſſet caput Eccleſiæ. Quoniam ſi in Eccleſia non eſſet unum Caput, cui reliqua membra obtemperarent, non poſſet corpus Eccleſiæ unum eſſe, ſed membra Eccleſiæ ſine capite inter ſe diſſiderent, & in partes abirent.

Quocircà ſanè Cyprianus ſentit Chriſtum omnibus Apoſtolis primò æqualem poteſtatem dediſſe, ſed poſteà ex omnibus æquali poteſtate præditis, elegiſſe Petrum, ut eſſet caput, ſeù Monarcha Eccleſiæ; ut hac ratione caverentur ſchiſmata, quæ facilè inter æquales oriri ſolent, ſervareturque pax, & unitas Eccleſiæ, quæ faciliùs ſervatur, quando eſt unum caput, à quo omnes dependent, quod ſequentibus exprimit: *Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat*; Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum, &c. *tamen, ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit*.

Quinimò, etiam conſtituto Petro Ca-

pite Eccleſiæ æquales ei fuerunt Apoſtoli, non in juriſdictione, & poteſtate, regendi Eccleſiam, ſed in poteſtate Ordinis, tum Sacerdotalis, tum Epiſcopalis: hæc enim fundatur in charactere Ordinis, in quo non ſolùm Apoſtoli, ſed Epiſcopi quoque cum Papa pares ſunt. Et hinc patet in quo ſenſu minor argumenti ſit concedenda.

7 Ut autem vis majoris enervetur, ponderandum eſt cum Petavio *Theol.dogmat.l.* 4.*de Eccleſiaſt. Hierarch.cap.*7.*nu.*3. Apoſtolos duplicem ſuſtinuiſſe perſonam. Primò, ut eſſent Epiſcopi, & Paſtores extraordinarii totius Orbis cum juriſdictione delegata, Petro ſubordinata, ad prædicandum Evangelium in toto Mundo, ad fundandas Eccleſias, ordinandos Epiſcopos, & Clericos, ligandi, & ſolvendi, & juxta textum reſpectivè, *Marci* 16. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Et Joannis 20.*Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt...... ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Id enim exigebat neceſſitas propagandi fidem, & fundandi Eccleſiam.

Secundò, ut eſſent particulares alicujus Civitatis, & Diœceſis Antiſtites, ut Jacobus fuit Jeroſolymorum Epiſcopus, Joannes Epheſiorum, &c. cum poteſtate ordinaria in regimine illius Eccleſiæ.

8 Modò, Epiſcopi Apoſtolis ſuccedunt in regimine, & præfectura ſingularis Eccleſiæ, vel, in poteſtate ordinaria, & Epiſcopatus propria; ac ipſis aſſimilantur in iis, quæ ad Epiſcopale munus, & exercitium ſpectant, ut Simeon Jacobo ſucceſſit in Eccleſia Jeroſolymitana ex Cano *lib.* 6. *de Eccleſ. Roman.auct.cap.*8. apud Seſſam *Scrutin. doctrin.cap.*3.*art.*16.*nu.*12. Et notavit Gravina *de Catholic.præſcript. lib.*4.*contr.* 3.*art.*8. Non verò ſuccedunt in Apoſtolatu, & ampla illa juriſdictione generali extraordinaria, & delegata; quoniam ea fuit privilegium perſonale privatum, & ideò caduca, & temporanea, ac cum eis extincta. Quapropter in ipſis non tranſit privilegium ſcribendi libros canonicos, nec illud infallibilitatis, quod Apoſtolis ex divina bonitate conceſſum fuit; aliàs contra fidem errare non poſſent; quod ſingulis non conceditur; & de ipſis in Concilio congregatis dicendum *contr.*8. Neque aliud fundandi Eccleſias, & inſtituendi Diœceſes, de quo, & alibi redibit occaſio dicendi. Apoſtolatus eſt juris delegati, ideò in eo Epiſcopi Apoſtolis non ſuccedunt, ſed in jure dumtaxat ordinario dignitatis Epiſcopalis.

Deinde, cùm dicitur Epiſcopos Apoſtolis ſucceſſiſſe, non ita univerſaliter accipitur, ut ſolas eas ſedes determinatas obtineant, quas ipſi Apoſtoli occuparunt: Nam plures non habuerunt determinatas Eccleſias, ut notat Leytam Clyp. *dignit. Pontif.diſcept.*3.*ſect.*4.*num.*116. Tum quia, aliàs duodecim ſolummodò deberent eſſe Epiſcopi, ſicut duodecim fuerunt Apoſtoli. Tum quia, plures Epiſcopatus fuerunt à Romanis Pontificibus inſtituti, in quibus Apoſtoli, ut patet, ſedes non habuerunt, utpote poſteriùs fundati: ergo id intelligitur, ut illis in ſua Eccleſia ſuccedant in munere prædicandi, ordinandi, & Sacramenta miniſtrandi, ac in juriſdictione ordinaria, quæ Epiſcopatus dignitati debita eſt.

Verùm Eccleſiæ ipſæ poſt eos erectæ Apoſtolicæ dicuntur, quia à Romano Pontifice, qui Apoſtolicam Sedem tenet, fundatæ ſunt; vel, ut ait Tertullianus *de præſcript. cap.*32. Apoſtolicæ dicuntur *pro conſanguinitate doctrinæ*, quam Apoſtoli prædicarunt.

Dices: ergo Apoſtoli cùm adeò ampla poteſtate in omnibus fuerunt Petro æquales, & ita plenior poteſtas in Petro non fuit, adeòque tunc Eccleſia Ariſtocraticè regebatur: ergo, & nunc debet, cùm ſit eadem Eccleſia; aliàs eadem non perſeveraſſet: etenim ex diverſa politia, ſeù alio regiminis ſyſtemate, forma Reipublicæ ex Philoſopho variatur.

9 R.Ne-

9 R. Negatur conſequentia. Nam Petrus tribus modis cęteros Apoſtolos excelluit. Primò, dignitate, & gradu: erat enim Princeps, & caput, cui cæteri erant ſubordinati. Unde Apoſtolus alter alteri non præerat, prçerat autem Petrus ſingulis, ac omnibus præſidebat. Secundò, eminentia poteſtatis; nam poteſtas Apoſtolorum erat delegata, & perſonalis: erat quippe juriſdictio annexa muneri Apoſtolico, quod erat perſonale, unde, extincta perſona, expirabat: nec enim alii Apoſtoli, præter illos duodecim, fuerunt. Juriſdictio verò Petri fuit ordinaria, & perpetua, & ad regimen Monarchicum Eccleſiæ inſtituta, proindeque ultra vitam ipſius, ſtatumque perſonæ duratura in ſuis ſucceſſoribus. Tertiò, amplitudine; nam juriſdictio Apoſtolorum non erat adeò ampla, ſicut illa Petri; plurima enim poterat Petrus, quæ ſingulis Apoſtolis non conveniebant, ut ait Stapletonus *contr. 2. lib. 2. cap. 2.* Inter quæ à Macedo cit. *diſſert. 3. cap. 3.* ponitur, non potuiſſe quemvis ex Apoſtolis congregare Concilium generale, utpote Petri tanquam capitis, & Principis, non tantùm dignitate, ſed etiam gubernandi, pręſidendi, & regendi functione proprium; quod cenſeo præſertim in eo fundari, quod nullus potuiſſet Petro præcipere, ut Concilio intereſſet; nam non Paſtori oves, ſed ovibus Paſtor imperat. Neque, inquit, potuiſſent Sanctos canonizare; quia cùm canonizatio ſit una de cauſis majoribus, quæ inter Chriſtianos proponi queat, ab alio fieri non poteſt, quàm ab eo, qui totius Eccleſiæ perſonam gerit; adeòque erat propria Petri, ejuſque ſucceſſoribus reſervata.

10 Quocircà hac in re minus rectè ſenſit Barboſa, dum ſcripſit, poteſtatem ſubordinatam Apoſtolis à Chriſto Domino conceſſam, *in nihil ſecundùm ſe eſſe ejuſdem poteſtati Petri inæqualem, ſed abſque dubio ſine ulla limitatione in totum Orbem æqualem, & ad omnes actus, quos Petrus agere poterat, tum ordinis, tum juriſdictionis.* Quod quidem nec verum eſſe poteſt, neque cum poteſtate capitis, & ordinaria Petri cohęrere.

Dices. At juriſdictio cæteris Apoſtolis conveniens fuit ordinaria: ergo, &c. Probatur ſubſumptum. Apoſtoli habebant auctoritatem, & poteſtatem ordinandi Epiſcopos, illoſque propria auctoritate à Chriſto accepta, creabant; ita Paulus ordinavit Timotheum Epiſcopum Epheſinæ Diœceſis. Titum Cretenſium Archiepiſcopum, aliiſque Urbibus Epiſcopos dedit; Sicut Joannes Smirnenſibus, Polycarpum, aliaſque in Aſia Eccleſias fundavit; quemadmodum cæteri Apoſtoli, alibi plures erexerunt, quibus Epiſcopos præfecerunt, cum ordinaria poteſtate in greges reſpectivè concreditos:

11 R. Verum quidem eſt Apoſtolos in nonnullis Orbis Urbibus Epiſcopos creaſſe, & Eccleſias gubernandas eis tradidiſſe, ut videre eſt in catalogo, quem exhibet Gravina *p. 2. to. 3. de præſcript. lib. 4. contr. 4. diſcept. ſpecial. difficult. 3. §. digreſſio:* Sed non cum eadem, qua ipſi Apoſtoli in univerſo orbe juriſdictione gaudebant. Siquidem cùm hęc eſſet ex privilegio extra ordinem & perſonalis, non poterat ad alios tranſiſſe; privilegium enim perſonale, ſeù datum perſonæ privatæ, ut fuit illud Apoſtolis traditum, cum perſona extinguitur juxta *reg. 7. jur. in 6.* Unde planè Epiſcopos ordinabant; verùm juriſdictionem, non niſi idoneam, & aptam dignitati conferebant eam nimirùm, quæ ipſi dignitati ex ipſius natura debebatur, & quam à Petro recepiſſent; ſicut ii, quos ipſe ordinavit, ab eo acceperunt, & cæteri Epiſcopi à Romano Pontifice participant, à quo ſolùm ordinaria, & certis limitibus reſtricta, in eos dimanat.

Quare. Sicut ex privilegio à Chriſto accepto poterant Epiſcopos ordinare, & Eccleſiis præficere; ita ex privilegio eiſdem conferre poterant juriſdictionem ordinariam, & juxta dignitatis naturam. Quo pri-

privilegio præciſo, à Petro accipere debuiſſent, à quo tamen eorum poteſtas dependebat ex dicendis alibi.

Sed petitur. Cur juriſdictio Petri fuit ordinaria, non verò illa aliis Apoſtolis conceſſa?

12 R. Quia ſolus Petrus fuit à Chriſto conſtitutus Caput viſibile totius Eccleſiæ, quæ perpetua eſſe debebat; adeòque cum poteſtate ordinaria, quæ tranſiret in ſuæ dignitatis ſucceſſores, ut eam illà perpetuò regerent, & propterea tota, quæ data eſt Petro, extra præciſam rationem Apoſtolatus (in quo Pontifices ei non ſuccedunt; & ita libros canonicos ſcribere minimè poſſunt) tum Ordinis, tum juriſdictionis poteſtas, & eodem modo collata, hoc eſt, ordinaria, non delegata in illis eſt. Apoſtoli verò non caput Eccleſię erant à Chriſto inſtituti, ſed omnes Petro ſubordinabantur, eum caput, & Collegii Apoſtolici Principem recognoſcentes; nec enim conveniebat, quòd in Eccleſia univerſali eſſent plures Epiſcopi univerſales cum ordinaria poteſtate, ſicut non expedit, quòd unius uxoris ſint duo mariti.

13 Hinc notandum, Epiſcopatum, & Apoſtolatum non ſimul incępiſſe. Nam Apoſtoli fuerunt inſtituti ante Cęnam Domini, Lucæ 6. *Vocavit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos Apoſtolos nominavit, Simonem, &c.* Sacerdotes verò fuerunt initiati in Cęna Domini, accepta cum charactere poteſtate ordinis ad Corpus Chriſti in Euchariſtia conficiendum, Lucæ 22. *Hoc facite* (ideſt accipite poteſtatem hoc faciendi, ſcilicet conſecrandi Corpus, & Sanguinem meum) *in meam commemorationem* (paſſionis ſcilicet, & mortis meæ, & redemptionis totius generis humani) Epiſcopi verò fuerunt conſtituti *Joannis* 20. per ea verba: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*: & ſubinde acceperunt poteſtatem ſuper Corpus Chriſti myſticum, cùm eis Chriſtus dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Sed contra. Apoſtoli fuerunt Epiſcopi ordinati non in cœnaculo poſt reſurrectionem, ſed ante ultimam cænam: aliàs Judas non fuiſſet Epiſcopus; quod tamen falſum eſt; ut patet ex electione Matthię, de qua agitur *Actor.* 1. & intelligitur illud pſalmi. *Epiſcopatum ejus accipiat alter.*

14 R. Judam formaliter Epiſcopum non fuiſſe, cùm fuit electus Apoſtolus, ſed ſolùm inchoativè, & in radice, quatenus Epiſcopatum accepiſſet, ſi in Apoſtolatu perſeveraſſet, cui Epiſcopatus ſuo tempore accipiendus debebatur. Unde Mathias ſubrogatus in locum Judæ Apoſtolus, & Epiſcopus fuit, quia cùm fuit Apoſtolus creatus, ea dignitas perfecta (paulatim enim, & per gradus crevit Apoſtolorum dignitas, donec ad culmen pervenit, ut ait Macedo) erat, & ille ad utramque accipiendam idoneus; atque ideò Epiſcopatum accepit, quem Judas conſecuturus erat, ſi Apoſtata non fuiſſet.

15 Item obſervatur, ad dignitatem Apoſtoli tres conditiones requiri. Prima eſt, ut munus acceperit Evangelii ubique terrarum propagandi, cum poteſtate ampliſſima ligandi, & ſolvendi juxta illud Joan. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Quæ ampliſſima poteſtas in Apoſtolis fuit extraordinaria; in Petro verò ordinaria, ut notat Petavius *cit. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 8.

Secunda, eſt privilegium ſcribendi ſcripturas canonicas; nec obſtat, quod omnes Apoſtoli eas non ſcripſerint; nam æquè benè poterant, ſicut fecerunt, Petrus, Paulus, Judas, Jacobus, Joannes, & Matthęus.

Tertia, eſt auctoritas fundandi Eccleſias ubique terrarum. Nulla autem ex illis convenit Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus. Fundare enim Eccleſias, & iſtas Paſtoribus aſſignare ſpectat ad Romanum Pontificem *cap. Ad cuiuslibet de præbend. inter com.* Tridentinum *ſeſſ.* 23. *can.* 8.

Opponunt 2. Epiſcopi à Spiritu Sancto poſiti ſunt ad regendam Eccleſſam, juxta illud Actor. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epi-*

Epiſcopos regere Eccleſiam Dei: ergo regimen Eccleſiæ eſt Ariſtocraticum, & penes Optimates Eccleſiæ eſt forma ipſa regendi. Unde dixit Cyprianus *de unit. Eccleſ. Epiſcopatus unus eſt; cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur*.

16 R. Diſtinguitur antecedens: ad regendam Eccleſiam univerſalem negatur; ad regendas Eccleſias particulares, quibus reſpectivè ſunt à Romano Pontifice præpoſiti conceditur antecedens. Eccleſia univerſalis eſt ſoli Petro, & in eo Romanis Pontificibus commiſſa per verba illa, *paſce oves meas*. Ipſi enim vocati ſunt in plenitudinem poteſtatis, Epiſcopi verò in partem ſolicitudinis aſſumptæ, in quos ab eis portio juriſdictionis derivatur ad particulares Eccleſias regendas; qui juriſdictionem habent tantùm in ſua Diœceſi, Papa verò in totius Orbis Eccleſiis. Unde Papa Eccleſiam univerſalem gubernat; Epiſcopis verò Diœceſes, quæ ſunt illius membra, ſunt ab eodem concreditæ, quod expreſſit Auguſtinus *lib.1.contr.duas Epiſtolas Pelagian.cap.1.* Scribens ad Bonifacium. *Cùm*, inquit, *communis ſit omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio, quamvis ipſe præemineas celſiori faſtigio* (erat enim Bonifacius Pontifex Romanus) *facio, quod poſſum pro mea particula muneris*. Videas in communi dignitate Epiſcopatus (nam & Auguſtinus fuit Epiſcopus) celſitudinem faſtigii Romani Pontificatus, ex peculiari, & plenaria poteſtate cum ſua totalitate in omnes Eccleſias, ſuper quas reſpectivè particulam tantùm ſuæ poteſtatis Epiſcopi reſpectivè exercent.

17 Neque allegatus Scripturæ textus Ariſtocratiam evincit. Auctoritas eſt Pauli ad Epiſcopos, non unius, ſed plurium Civitatum Provinciæ Epheſinæ, quos, ut habetur ex *verſu* 17. vocaverat Miletum; eoſque monuit, ut propriæ perfectioni attenderent, deinde determinato gregi cuilibet à Spiritu Sancto commiſſo; quo enim magis ſe perficit Paſtor, eò magis perficiet gregem. Sed notandum eſt, Apoſtolum non dicere commiſſam illis curam totius Eccleſiæ Dei (ut commiſſa fuerat Petro *Joan.ult.*) ſed univerſum gregem Provincię Epheſinæ; ordinatè tamen, ut unus uni, alter alteri eſſet ad regendum præfectus.

18 Auctoritas Cypriani habet hunc ſenſum; quòd Epiſcopatus unus eſt unitate ſubordinationis ad Petri Epiſcopatum, quatenus omnes particulares Epiſcopatus ab illo Petri, tanquam à radice pendent. Deus enim Petrum, & hujus Succeſſores juriſdictionis caput, & fontem effecit, ut per eos ad Epiſcopos transfunderetur. Quo verò pacto Epiſcopatus unus erit, ſi Petri Epiſcopatui non ſubordinetur? Si ab illo ſejungatur? Particulares verò Epiſcopatus, qui propter illam ſubordinationem *unus* dicuntur, ſinguli Epiſcopi regunt, hoc ordine, quod unus uni præſit, alter alterum gubernet, propterea dixit, *cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur*: Sed ſub Romano Pontifice totius Eccleſiæ Paſtore, & moderatore; prout ſuis locis notabimus, & maximè tractantes difficultatem, an Epiſcopi à Pontifice juriſdictionem immediatè recipiant. Hinc Cyprianus non negat plures particulares Epiſcopos, ſed ſolùm intendit, quod Schiſmatici, vel hæretici ſunt, qui non communicant cum Romano Pontifice.

Poſſet etiam ſic Cyprianus accipi, quod Epiſcopatus unus eſt unitate ordinis, quatenus in ſingulis Epiſcopis poteſtas ordinis diverſa non eſt, ſed una, non numero, ſed ſpecificè, & in ea pares ſunt: Sed ex eo nihil ad rem; quia ſtat optimè, quòd ſit inæqualitas juriſdictionis; in Papa ſit plena, & ſuprema in totam Eccleſiam, in Epiſcopis verò ſubordinata, & limitibus reſtricta.

Opponunt 3. Eccleſia anno 258. Ariſtocratia regebatur: ergo gratis, & in ſubſequentibus ſęculis regimen Ariſtocraticum ab Eccleſia excluditur. Antecedens probatur; nam cùm ob Martyrium Fabiani Papæ Sedes vacaret, & Cyprianus in cauſa lapſorum conſuluiſſet Clerum Romanũ,

ut ab eo, quid poſt hàc agendum eſſet, acciperet; Clerus cum vicinis Epiſcopis, & quotquot Romæ ob ardorem perſecutionis ex variis Provinciis, mutato habitu, convolaſſent, Synodum abſque Summi Pontificis præſidentia celebravit; in qua conſtitutum eſt, ut lapſis in exitu vitæ poſitis, ſi vera pænitentis animi ſigna proderent, pax concederetur; quod idem Clerus eidem Cypriano per litteras ſignificavit, ac decreta ipſa ad ſingulas orbis Eccleſias tranſmiſit, ut omnes obſervarent, quod à Cathedra Petri, etiam vacante, dimanare intelligerent; ſed hoc quid aliud eſt, quàm Ariſtocraticè Eccleſiam per Optimates Eccleſiæ, præciſo uno ſupremo capite, regi? Si autem tempore perſecutionis ea potuit forma Eccleſia regi; cur, etiam rebus pacatis, Concilium Ariſtocraticum toti Eccleſiæ præeſſe non poterit?

Item. Decet, & non repugnat Eccleſiam Ariſtocratià regi: ergo regitur. Conſequentia ſequitur. Antecedens verò patet. Nullus enim dubitat de non repugnantia; decentia pariter impugnari minimè poteſt. Nam forma regiminis Ariſtocratica licita eſt; ea enim, apud plures Reſpublicas in Orbe Catholico, in uſu laudabiliter eſt.

19 R. Solutioni præmittendum ex Cypriano. I. Quòd Lapſorum duplex fuit differentia: ſub una ponebat Sacrificatos, Thurificatos; ſub alia verò Libellaticos. Sacrificati dicebantur omnes, qui quovis modo diis immolaſſent, vel immolata guſtaſſent. Thurificati, qui thus obtuliſſent. Libellatici verò, qui Chriſtum publicè negare erubeſcentes, id privatim, vel per ſe, vel per alios ſuo nomine facerent, & à Magiſtratibus libellos ſecuritatis impetrarent; nec amplius inquirerentur, & ad aram traherentur, ſoluta pro hujuſmodi diſpenſatione pecunia.

20 II. Quòd pęna lapſis conſtituta, erat, ut ad Eccleſiam, & pacem, niſi pręvia pænitentia, & ſatisfactione, admitterentur.

III. Quòd tum Lapſi, tum cęteri delinquentes conſueverant adire Martyres, & Confeſſores in carcere detentos, & ab eis litteras ad Epiſcopos, & Sacerdotes petere, & accipere, quibus Martyres poſtularent, ut in Fidelium conſortium admitterentur: quod obtinebant; nam tanta reverentia, & honore, etiam Epiſcopi detentos in carcęre Martyres, & Confeſſores proſequi ſolebant, ut ab illorum rogatione recedere, & quos illi commendaſſent, deſpicere, nimis aſperum cenſerent.

Quoniam verò hac indulgentia rigor Eccleſiaſticæ diſciplinæ enervari videbatur, Cyprianus cenſuit lapſos non poſſe ſine pęnitentia, & debita ſatisfactione ad reconciliationem admitti; cùm autem Lucianus quoſcumque ſine diſcrimine recepiſſet; Cyprianus per litteras, Romanę Eccleſiæ ſententiæ ſe ſub miſit, & Concilium ea in re petiit. Clerus Concilium celebravit, & decreto allegato adjecit, ut aliorum Lapſorum cauſa, & reconciliatio ad electionem uſque Romani Pontificis ſuſpenderetur, qui plenitudinem juriſdictionis in Eccleſia obtinet, & quem Eccleſiæ Caput venerabatur.

21 Quinimò, ut obſervat Duvallius *tr. de ſupr. Romani Pontif. auctorit.* apud Bail. *Sum. Concil. to. 2. ſæcul. 3. §. ex hoc.* Clerus Romanus in approbanda ſententia Cypriani contra Libellaticos Chriſtianos, & Provinciales Epiſcopos congregando, non propriè juriſdictionis actum exercuit, ſed egit, ut Doctor, & conſultor; cujus deciſio, & reſolutio non poterat non eſſe magni roboris, & quam ſequi liceret; cùm tutò, & citra periculum, quæ à celeberrimis Doctoribus præſertim congregatis, etiam in materia fidei, decreta ſunt, ſequi liceat, donec per Pontificem, aut Concilium generale à Papa confirmatum, aliud innoteſcat, vel ſtatuatur. Qua propter negatur, quod tunc Clerus rexerit Eccleſiam; hoc enim juriſdictionem includit.

Deinde. Argumentum hoc etiam videtur tangere nimirùm, non repugnare Eccle-

cle-

cleſiam Ariſtocraticè regi; quod utique concedi poteſt, ſi res in ſe abſolutè ſpectetur, & à Chriſto aliter conſtitutum fuiſset: forma enim regiminis Ariſtocratica licita eſt, & laudabilis. Verùm, poſita Chriſti inſtitutione, qui Eccleſiam in forma regni inſtituit (ut toties Regno in Evangeliis aſſimiletur) tam Pontifice Summo, ut Supremo Monarcha indiget, quàm Regnum Rege.

22 Ad 2. Retorquetur. Decet, & non repugnat Eccleſiam Monarchià gubernari: ergo de facto ita eſt. Antecedens nullus, niſi ſtolidus poteſt in dubium vocare. Nam, cùm Eccleſia à Chriſto fuerit in Monarchiam erecta, regimen voluit eſſe Monarchicum: Reſpublicæ enim à regiminis forma dignoſcuntur. Et inde de non repugnantia, & decentia patet. Quare negatur antecedens: poſita enim Chriſti inſtitutione, repugnantia eſt, & indecens, quod Ariſtocratia ſit in Eccleſia. Unde modus arguēdi à Caramuele ſuffuratus, ſtante hoc ordine divinæ providentiæ, non concludit, licèt iſto præciſo, & ſi Chriſtus aliter voluiſſet, admitti poſſit.

CAPUT III.

An regimen Eccleſiæ ſit purè Monarchicum?

SUMMARIUM.

1 *Error Marci Antonii de Dominis.*
2 *Error Vigorii.*
3 *Regimen Monarchicum eſt perfectius Ariſtocratico, & Democratico.*
4 *Viſibilis Monarchia à Rege viſibili regitur.*
5 *Diverſitas regiminis Reſpublicas diſtinguit.*
6 *Forma regendi Monarchica quid exigat?*
7 *Apoſtolis non æqualis poteſtas cum Petro tradita eſt.*
8 *Probationes ex Doctoribus Pariſienſibus.*
9 *Regimen Eccleſiæ non eſt Ariſtocratia permixtum.*
10 *Romanus Pontifex abſque Epiſcoporum conſenſu poteſt decreta fidei edere.*
11 *Juriſdictionem Pontifex non habet à creaturis, neque jure ſucceſſionis.*
12 *Apoſtoli per ſe juriſdictionem recipere debuiſſent à Petro.*
13 *Petrus Apoſtolos miſit in Provincias determinatas.*
14 *Petrus ab Apoſtolis non fuit auctoritativè miſſus.*
15 *Senſus Auctoritatis Pauli ad Epheſ.* dedit quoſdam Apoſtolos, &c.
16 *Paſtoris partes.*
17 *Regimen Monarchicum à Deo non reprobatur* 1. Reg. 8.
18 *Regimen Eccleſiæ in tyrannidem mutari non poteſt.*
19 *Quibus Tyrannus conſtituatur?*
20 *Concilia non congregantur ad validitatem definitionum.*
21 *Papæ non eſt data poteſtas dependenter à Concilio peritorum.*
22 *Mathias ſubrogatus eſt in locum Judæ proditoris.*
23 *Petrus decidit controverſiam de legalibus.*
24 *Poteſtas Papæ eſt ſupra homines, ſed ſub Deo.*
25 *Non eſt de jure divino Bigamos non poſſe ordinari.*
26 *Verba Sacræ Scripturæ ſunt objectum fidei divinæ, & ibi alia notanda.*
27 *Papa poteſt Epiſcopos deponere.*
28 *Qua ratione dicatur: Epiſcopatus eſt de jure divino?*

1 MArcus Antonius de Dominis erigens ſe adversùs Apoſtolicam Sedem, & parem cum Romano Pontifice in auctoritate ſe intrudens, Monarchiam Eccleſiaſticam à Chriſto inſtitutam funditùs evertere cogitavit, omnemque manum poſuit, ut ab Eccleſia regalis regiminis ſtatum, vel Monarchicam politiam, ſeù regendi formam ablegaret, inducens Ariſtocratiam (ſuperiùs reprobatam) quod tamen nec præſtitit, neq; unquā ullus pręſtabit, ut hoc capite demonſtraturi ſumus.

2 Sub-

2 Subinde Vigorius Summæ Pontificis Poteſtati reluctans aſſeruit ejus regimen in Eccleſia eſſe Monarchicum Ariſtocratia temperatum, conſtituitque politiam, ſeù regimen Eccleſiæ de Monarchico, & Ariſtocratico participare; inde concedens Papam eſſe quidem Caput, ſed de ſe ſolo nihil ſtatuere poſſe, niſi de Epiſcoporum conſenſu; hoc ſyſtemate voluit tollere ſupremam Pontificis auctoritatem, ac in Eccleſia ſummam eſſe in Concilio ſub Papa, ut ſub primo Epiſcopo, & Præſidente, atque convocatore, eumque ut cæteros Concilio ſupponere. In qua re ſecutus eſt doctrinam Gerſonii, Almaini, aliorumque Pariſienſium, qui Pontificem Concilio ſubeſſe dixerunt; quàm verò inſulsè id ſcripſerint videndum *contr.*8. hìc tantùm

Dicendum. *Regimen Eccleſiæ eſt Monarchicum, & nullo modo Ariſtocratia permixtum*. Prima pars eſt Petavii *lib.4. de Eccleſiaſt.Hierarch.cap.16.* Gravinæ *tom.3.part.2. lib.4.contr.3.art.ult.* Octavii Jadertini nunc Epiſcopi Aſſiſiatis *introd.ad lectur. offic. diſp. 2.art.1.* Boyvin *Theol.2.p.4. partis diſp.2.cap. 1.q.2.* ac aliorum. Secunda verò pars eſt ejuſdem Jadertini *art.2.* & Boyvini *q.3.*

3 Probatur prima pars. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ nobilius, utiliuſque regimen inter tria gubernationum genera reliquit, (de hoc niſi inſipiens dubitaret) ergo Monarchicum. Hoc enim eſt Ariſtocratico, & Democratico perfectius, quod ſuper omnes Principatus à Patribus commendatur, utpote unicè idoneum ad unionem fovendam, tollendaſque confuſiones, & contentiones, quæ Rectorum pluralitatem, ut plurimum ſequuntur. Hinc Juſtinus Martyr adversùs Gent.dixit: *atque quidem non bonum eſt regimen multorum*. S.Athanaſius *orat.contr. Idola*: *ubi autem Princeps non eſt, ibi prorſus diſturbatio naſcitur*. Theodoretus *Serm.3. de Angel.* *Defectum Principatus, & multitudinem, ut rem maximè noxiam accuſamus; Monarchiam verò, hoc eſt, unius Principis poteſtatem, vel, ut rem optimam laudamus*. Pius II.Conſt. in minoribus X.Bullar.to.1.§.10. *Inter genera gubernationum communis Philoſophorum ſententia eſt, præſtare Monarchiam*: Et infr. *Liquet igitur unum in Eccleſia Caput eſſe, & unum Principem, quia pax populi ex uno Rectore dependet, & pluralitas Principum diſcordiam parit. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ in ultimo teſtamento pacem reliquit, & pacem multis verbis commendavit. Dedit ergo, & regimen pacis amicum*, ideſt, *Monarchicum ſub B.Petro, & Succeſſoribus ejus, adminiſtrari cuncta præcipiens, clavibus illi commiſſis, & cura gregis demandata*. Unde concluditur ex Euſebio *in orat. de Conſtantini laudibus*, *Monarchia certè omnes alias Rerumpublicarum ſpecies, & adminiſtrationis modos longè ſuperat*: ergo, &c.

Amplius. Eccleſia in Sacro textu dicitur regnum, *Matth.13.Simile eſt regnum Cælorum decem virginibus*; quod Gregorius *homil.de virginib.* intelligit de Eccleſia. *Matth.13.Et colligent de regno ejus omnia ſcandala*: ubi Auguſtinus *lib.20. de Civit.Dei cap.9.* legit. *Numquid de regno illo, ubi nulla ſunt ſcandala? De iſto ergo regno ejus, quod eſt hìc Eccleſia colligentur*: ergo ejus forma regiminis regalis eſt, & Monarchica.

Item, Eccleſia comparatur cum exercitu benè ordinato. *Cantic.6.Ut caſtrorum acies ordinata*. Cum Ovili *Joan.10. Fiet unum ovile, & unus Paſtor*. Cum Domo, *1. ad Timoth.3. Quomodò oporteat te ambulare in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei*. Cum humano corpore *1. ad Corinth.12. Sicut corpus unum multa membra habet, ita, & Chriſtus*: Sicut ergo exercitus benè ordinatus ab uno Duce regitur; ovile ab uno Paſtore; Domus ab uno Patre-familias; corpus ab uno capite (Si enim plures ſupremi Rectores eſſent, confuſio, & diviſio exoriretur) ita & Eccleſia ab uno Supremo moderatore, gubernari debet, ut ſchiſmata ab ea procul ſint. Tum quia, ipſa eſt una, & ab uno unitas eſt; ut inquit Cyprianus; Qui poſtquam *lib.de unit.Eccleſ.* dixiſſet, *Eccleſia una eſt*: oſtendens, in quo unitas conſiſtat, regium, ſeù Monarchicum affert exem-

plum,

plum, dicens. *Rex unus eſt in apibus, dux unus in gregibus, & in armentis rector unus:* ergo, &c.

Reſpondet de Dominis. Iſtis ad Summum probatur regimen Eccleſiæ Monarchicum ſub uno capite, & Rege Chriſto Domino.

4 Contra I. Viſibili Monarchiæ viſibile caput, & Rex viſibilis præponendus eſt: at Chriſtus eſt Caput inviſibile Eccleſiæ: ergo debuit etiam provideri de viſibili Capite, & Paſtore, qui exteriori regimine Eccleſiam dirigeret, & ad quem in neceſſariis membra confugerent. Conſiderandum eſt cum D. Thoma *3.p.q.9.* Quòd ſicut caput in corpore humano duo connotat. I. Influxum inviſibilem per virtutem motivam, & ſenſitivam membris dans motum, & ſenſum. II. Viſibilem directionem per exteriorem gubernationem ab eodem capite, in quo ſenſus vigent, qui directionis ſunt Duces. Ita in Eccleſia Chriſtus eſt Caput inviſibile per interiorem influxum donorum gratiæ: omnes enim accipiunt gratiam à Chriſto, tanquã à capite inviſibili. Romanus verò Pontifex eſt Eccleſię Caput, quantum ad exteriorem gubernationem, & directionem membrorum Eccleſiæ, à quo ita membra Eccleſiæ diriguntur, ut in doctrina non errent, ſi ipſius ſententiam ſequantur. Quapropter quoad externam gubernationem Chriſtus Eccleſiam dirigit, non per ſe immediatè, ſed mediante ſuo Vicario, quem in terris habet.

Contra 2. Forma gubernandi in rebus humanis ex proximo, & viſibili Principatu ſpectatur; aliàs, ſi ex inviſibili colligenda eſſet, nulla in mundo foret præter Monarchiam, cùm Deus inviſibilis omnium ſit ſupremus moderator: ergo non ideò Eccleſia dicenda eſt politia Monarchica, quia illius Caput eſt Chriſtus, ſed quia ejus vices, in ipſa viſibili, viſibile caput gerit, & tenet; quod Caput Romanus eſt Pontifex.

5 Confirmatur. Regimen, quod Chriſtus in Eccleſia inſtituit, fuit viſibile, & Monarchicum, etiam quoad externam gubernationem. Siquidem ipſe Chriſtus Dominus, tanquam ſupremum Caput, & Monarcha viſibiliter etiam, ſuam Eccleſiam ante Aſcenſionem gubernavit: ergo, vel poſt Aſcenſionem manſit viſibile, & Monarchicum regimen, vel mutatum eſt. Si manſit idem, neceſſe eſt, Eccleſiam poſt Chriſti Aſcenſionem ſemper gubernatam fuiſſe ab uno viſibili capite, ſeù Monarcha; ſi mutatum eſt, planè ſequitur, & ipſam Eccleſiam eſſe mutatam, nec eandé nunc eſſe, quæ ante Aſcenſionem fuit. Quoniam Rerumpublicarum differentiæ, teſte Philoſopho, à diverſitate regiminis, ſeù formæ ipſas gubernandi petuntur: & ſicut quælibet Reſpublica cenſetur mutari, quando politia, regimen, vel forma, moduſque gubernandi mutatur; ſic etiam dicendum eſſet de Eccleſia. At abſurdum, immò hæreticum eſt dicere Eccleſiã Chriſti mutatam eſſe: repugnat enim articulo fidei: *credo unam Sanctam Eccleſiam:* ergo & quod in ipſa regimen Monarchicum non ſit, & ab uno ſupremo viſibili capite non gubernetur.

6 Probatur 2. Forma regendi Monarchica hoc exigit, ut ſuprema imperandi poteſtas in aliquo uno nobiliſſimo, ut in ſubjecto reſideat, qui cęteris præſit, fons omnis inferioris auctoritatis exiſtens; in hoc enim ab Ariſtocratià, & Democratià ſecernitur, cùm in Ariſtocratià ſoli Optimates, in Democratià verò, tota pro indiviſo communitas curam regendi, & gubernandi ſuſtineat. Unde à Mauclero Monarchia deſcribitur: *eſt ſummum imperium ſine ſuperioris, aut æqualis populi, vel alterius Principis conſortio:* Sed ſuprema juriſdictio Eccleſiæ fuit in Petro, & in ejus Succeſſoribus continuatur, à quibus in inferiores ordinatè diffunditur: ergo, &c. Probatur minor. Supremum Eccleſiæ regimen fuit ſoli Petro, ejuſque Succeſſoribus conceſſum, dicente Domino, *Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccle-*

cleſiam, & tibi dabo claves regni Cœlorum, quas accepit Joan.ult. *paſce oves meas*: per claves autem ſignificatur ſuprema dignitas, & juriſdictionis plenitudo. Siquidem communis, & antiqua conſuetudo eſt, quòd cùm Urbes traduntur Principi, ei præſentantur claves in ſignum juriſdictionis, & ſuperioritatis, quam ſuper ipſas acquirit; quòd verò Petro traditæ ſint claves, concordant Patres allegandi *contr. ſequen.* eas verò illum recepiſſe cęteris communicandas, dixit Optatus *lib.7. adverſ. Parmeniam. Bono*, inquit, *unitatis B. Petrus, cui ſatis erat, ſi poſtquàm negavit, ſolùm veniam conſequeretur, & præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claves regni Cœlorum communicandas cæteris ſolus accepit*:

Reſpondet Spalatenſis. Per illa verba, *paſce oves meas*, nihil præ aliis Apoſtolis eſſe Petro conceſſum, ſed omnes æqualem poteſtatem, & juriſdictionem accepiſſe, quando omnibus ſimul Apoſtolis cum Petro dictum eſt à Chriſto: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*.

7 Contra. Hìc Spalatenſis pugnat cum Patribus: expreſsè reſiſtit Optato loc.cit. & Auguſtino, qui *Serm.76.de verb. Evang. Matth.14.cap.2.* de Petro dixit. *Apoſtolatus Principatum tenere; & cap.3. eum appellat primum, & præcipuum. Serm.295. natal. Petri, & Pauli*, inquit Petro unitatem Eccleſiæ repræſentanti *datas eſſe claves regni Cęlorum ſerm.137.de verb.Evang.Joan.10. cap.3.* In eo uno Chriſtum *Eccleſiam formare* pronuntiat quem Chryſoſtomus *Hom.6. in Acta* vocat *Coriphæum Apoſtolici Chori*; cui *creditæ ſunt claves Cœli*. Et Cyrillus Hieroſolymitanus *cat.17. Principem* appellat *Apoſtolorum, & regni Cęlorum clavigerum*. Quibus ſanè ſignificatur plus Petro à Chriſto per illa verba *paſce oves meas*, eſſe traditum, quàm quod anteà erat datum, & ipſi, & Apoſtolis per illa; *Sicut miſit me Pater*. Tum quia, ſi nihil novi accepit per illud *paſce*, quid ergo neceſſe fuit Chriſtum tot uti cæremoniis erga Petrum? Si nihil peculiare voluit illi dare? Cur illa trina interrogatio de amore Petri erga Chriſtum? Cur illa ſpecialis commiſſio, *paſce agnos meos, paſce oves meas*? Hæc otioſa fuiſſe, non niſi refractarius poteſt aſſerere: ergo plus per hæc verba, *paſce oves meas* Petrus accepit, quàm prius habuerit per alia, *Sicut miſit me Pater*, & idem eſt ac ſi diceret, poſt me guberna Eccleſiam meam, non modò oves, ſed & Paſtores. Videri poſſunt dicta *cap.præter, n.6. & 9.*

8 Probant Concluſionem Doctores Pariſienſes, quorum aliqui, eſtò ſupremam Eccleſię auctoritatem ponant in Concilio, plures tamen eam in Romano Pontifice collocant. Cardinalis Aliacenſis *tr.de orig. Eccleſiaſt. poteſt.concl.2.* hæc habet. *Ideò Dominus prævidens ſchiſma, & diſſenſionem contulit Petro, & ſucceſſoribus ſuis auctoritatem diſponendi Miniſtros Eccleſiæ, & determinandi eorum juriſdictionem, dicens, paſce oves meas; ſis Paſtor, & Prælatus generalis, ad quem pertineat regimen regale ovium, & ovilis.* Gerſonius *lib.de auferibilit. Papæ conſiderat.8.* inquit, *Nullam aliam politiam in Eccleſia inſtituit Chriſtus, præter Monarchicam, & quodam modo regalem: & oppoſitum ſentientes, quod videlicet, fas eſt dicere plures Papas, aut quod quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi eſt Papa, vel Paſtor ſupremus, æqualis Papæ Romano, errat in fide, & unitate Eccleſiæ contra articulum hunc: Et unam Sanctam Eccleſiam; & ſi pertinaces maneant, judicandi ſunt Hæretici, ſicut Marſilius de Padua, & quidam alii.* Almainus *de Suprem. poteſt.Eccleſiaſt.cap.4.* ita loquitur. *Chriſtus fuit ſapientiſſimus, quia plenus ſapientia, & quòd inſtituerit optimam politiam; ſed optima politia debet regi regimine regali, ut dicit Ariſtoteles in polit, ita ut unus ſit, qui in quemque habeat poteſtatem, & nemo in eum*: Ergo Chriſtus in Eccleſia inſtituit formam regendi Monarchicam, dans Eccleſiæ unum Paſtorem, qui habeat quemlibet coercere, & nullus eum.

9 Probatur ſecunda pars. Regimen Monarchicum Ariſtocratia temperatum hoc exigit, quod Princeps nec leges condere,

dere, neque alia in Republica ſtatuere poſſit ſine conſenſu, & Optimatum conſilio. Hujus generis eſt Regnum Angliæ: eſt enim Monarchicum Ariſtocratià non ſolùm, ſed & Democratià temperatum; Siquidem Rex nihil agere poteſt, niſi dependenter à Claſſe Nobilium,& eà, quę eſt Plebejorum. Ita Regnum Poloniæ eſt Ariſtocratià permixtum. Etenim Rex non habet abſolutam juriſdictionem circa ſingula, ſed opus eſt, ut accedat Optimatum auctoritas: ſed regimen Eccleſiæ non eſt hujuſmodi: ergo non eſt Ariſtocratià temperatum, nec limitatum. Probatur minor. Romanus Pontifex, qui eſt ſupremus in Eccleſia Princeps, in formandis circa religionem decretis, damnandiſque hęreticis, ac decidendis fidei controverſiis non pendet ab Eccleſiæ Optimatibus, Epiſcopis, nimirum: ergo, &c. Antecedens inficiari à nullo poteſt. Quippe per trecentos annos à tempore Apoſtolorum uſque ad Concilium Nicęnum I. quod celebratum eſt ann.325.extra generalia Epiſcoporum Concilia à Romanis Pontificibus plures hæreſes fuerunt proſcriptæ, & fidei decreta edita. Ita Pius I.Cherinthianos damnat, eorumque doctrinam, & Paſcha in Dominica celebrandum eſſe definit. Eleutherius damnat Marcionem. Zephirinus hęreſes Cataphrigarum, & Montani, ut ſcripſit Lauræa *diſp.5. de fide art.5.* quo ſeriem definitionum, aliorum Pontificum extra Concilia recenſet. Poſt Nicæni verò tempora, quàm plurima fuiſſe ab aliis Romanis Pontificibus extra Concilia ſancita diximus *contr.præt.cap.5.n.7.* ergo.

Dicunt. Quamvis Pontifices illi Concilia generalia non congregaverint, tamen id non egerunt ſine Provincialibus Epiſcoporum Conciliis; & unde hoc; niſi quia in ſuis actibus ab Epiſcoporum judicio, & auctoritate dependent?

10 R. Non negamus Romanos Pontifices ſæpe gravia dubia, vel negotia, tam fidei, quàm morum, ac diſciplinæ in Conciliis particularibus fuiſſe ſolitos definire, ut probat allegat. Lauræa *art.4.n.185.* Verùm id ſolùm fuit de ſolemnitate, & congruentia, non de neceſſitate. Neque enim de iis in Conciliis debebant neceſſariò tractare. Nam Pontificis auctoritas eſt plena, & non ei data dependenter ab Epiſcopis. Tum quia, innumera ab iiſdem fuerunt extra Concilia, & abſque Epiſcoporum convocatione definita, præcepta, & ordinata, quæ à tota Eccleſia, prout ab eis fuerunt propoſita, recepta ſunt, ut dictum eſt *cap.cit.* & dicendum *contr.7.* Ac ubique admiſsæ conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. quibus proſcribuntur quinque propoſitiones Janſenii in ſenſu ab eodem intento, editæ ſine Epiſcoporum conſilio, res notiſſima eſt. Hinc Conciliorum neceſſitas, ad hęreſes ab Apoſtolica Sede damnandas excluditur ab Auguſtino *lib.4.contra duas Epiſt. Pelagianorum cap.12.* quibus petentibus congregari Concilium pro examinanda eorum doctrina, reſpondit: *Aut verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione damnata ſit: cùm potiùs rariſſimè inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit.*

Deinde. Juriſdictio in Epiſcopos à Romano Pontifice dimanat: ergo non Pontificis juriſdictio ab Epiſcopis eſt dependens, ſed potiùs illa Epiſcoporum à Romano Pontifice deſcendit, ut dicendum *Contr.6.*

11 Adde. Non eſt deterioris conditionis regimen Eccleſiæ politia, qua reguntur regna Galliæ, & Hiſpaniæ, in quibus omnia Reges agunt, vel agere poſſunt independenter à Comitiis regni, & à conſenſu Optimatum; quod, ſi aliquando Comitia generalia congregantur, hoc fit ad melius eſſe, ut nimirum voluntas Regis populo faciliùs innoteſcat, & non de neceſſitate, cùm Rex ſe ſolo poſſit illa ſtatuere, eique liberum ſit confirmare, vel reiicere à Comitiis diſpoſita; quæ ideò vim in regno obtinent, quia à Rege confirmantur: Et id, quia ſimplici politia Mo-

Monarchica in illis viget. Sic proportione ſervata, evenit in regimine Eccleſiæ,& potiori jure dicendum. Quoniam Summo ejuſdem Principi, Romano Pontifici, nec ſucceſſionis jure, nec creaturarum electione (licèt illa Cardinalium ſit prævia conditio) convenit, ſed à Deo immediatè poteſtatis plenitudo ſupra cæteros confertur.

Opponunt 1. Perfecta Monarchia hoc poſtulat, ut ſuprema poteſtas in uno Principe ſit, & ab eo inferioribus in partem ſolicitudinis aſſumptis communicetur: ſed poteſtas ſumma non ita fuit in Petro (conſequenter nec in ejus ſucceſſoribus reperitur. Eccleſia enim eadem eſt, adeòque regimen non variatum) ergo regimen Eccleſiæ non eſt Monarchicum. Probatur minor. Apoſtolis, non Petrus, ſed Chriſtus juriſdictionem dedit Joan.20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Unde illi, etiam vivente Petro, Eccleſias fundabant, & Epiſcopos ordinabant. Ergo, &c.

12 R. Negatur minor, & conceſſo antecedenti dicimus cum Cajetano id nihil præjudicaſſe dignitati, & ſupremæ poteſtati Petri. Nam niſi fuiſſet præventio ex immediata conceſſione Chriſti facta Apoſtolatui, debebant Apoſtoli *per ſe* via ordinaria poteſtatem à Petro accipere; unde finito privilegio, & eo, quod fuit per accidens, ſeù datum ob neceſſitatem dilatandi Eccleſiam, & mortuis Apoſtolis, res revocata eſt ad ſuam naturam, & viam ordinariam; & ita à Petri ſucceſſoribus, tanquam à capite Epiſcopi juriſdictionem, & miſſionem accipiunt, non tantùm imitatione, ſed efficienter recipiendo à capite influxum.

13 Quinimò, & ipſi Apoſtoli à Petro miſſi ſunt, nam ut obſervat Leytam *clyp. dignitat. Pontif. diſcep.3. ſect.6.n.*147. Chriſtus non determinavit Apoſtolis certas quaſdã Provincias, ſed omnes univerſaliter miſſi ſunt in univerſum mundum. *Marci* 16. *Euntes in mundum univerſum.* Sed liberum reliquit Petro has, vel illas Provincias pro regimine ordinario his, vel illis Apoſtolis aſſignare. Concordat Gravina *de preſcript. to.3. p.2. lib.4. contr.4. art.4. diſcept. ſpeciali. §. confutatio eorumdem ver. tertio patet* dicens, Petrum ſua auctoritate, & exemplo cæteros Apoſtolos ad prædicandum deſtinaſſe: *& ver. quas*, rem narrat in particulari ſubdens, Joannem in Aſiam juſſu Petri migraſſe: Jacobum à Petro ad Hiſpanos miſſum. Andream ad Scythas, &c. contra Bivarium in *Chronicon Lucii Dextri ad ann. Chriſti* 34. *comment.6.* aſſerentem ſortibus fuiſſe inter Apoſtolos Provincias diviſas. In hoc enim repugnat Chryſoſtomo *Homil.* 87. *in Joannem*, ubi ait. *Si quis à me percontaretur, quomodo Jacobus Sedem Hieroſolymitanam accepit, reſponderem ego, Petrum totius Orbis magiſtrum illum præpoſuiſſe.* Unde ex indulgentia Petri Jacobus fuit Hieroſolymorum Epiſcopus, & in ſua Metropoli remanſit ne Judæi, ut derelicti haberentur. Hinc patet Petrum partem ſui Monarchici Principatus, & Rectoris univerſalis Eccleſiæ etiam in Apoſtolos exercuiſſe. Videri etiam poteſt Coriolanus in *Brevi.rr. ad ann.* 44. ubi dixit Apoſtolos juſſu Petri in diverſas regiones migraſſe.

Dices. Ex miſſione Apoſtolorum à Petro facta non benè colligitur ejus Principatus, & juriſdictio ſupra cæteros Apoſtolos; ſiquidem & ipſe à cæteris Apoſtolis fuit in Samariam miſſus, dicente textu *Actor.*16. *Cùm audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem.*

14 R. In humanis duplex miſſionis genus conſideratur. Alia enim eſt miſſio ſecundùm conſilium, alia verò ſecundùm imperium. Miſſione primi generis poteſt inferior mittere ſuperiorem: ita conſiliarius ſæpè, quia regno expedit, mittit Regem ad bellum; & Capitulum aliquando ob gravia negotia mittit Epiſcopum ad Curiam. Miſſione ſecundi generis Superior inferiorem mittit, ut patet in Rege

mit-

mittente Legatum; in quo eſt auctoritas, & juriſdictio: ſed in Conſiliario, quia Sapientior, eſt tantùm directio, quæ auctoritati Principis minimè derogat, nec Conſiliarium facit majorem Principe. In caſu objectionis: Petrus fuit ab Apoſtolis miſſus ſecundùm conſilium, & ex charitate, ex eo nimirum, quòd conſideraſſent opus eſſe præſentia Summi Eccleſiæ Paſtoris ad extinguendum ſchiſma, quo gens Samaritana à Judæis converſis diffidebat. Propter quod nullum ſuprema ejus juriſdictio præjudicium recepit. Ipſi verò Apoſtoli fuerunt à Petro auctoritativè miſſi, quorum fuit Caput, & Princeps.

Dictum eſt in *humanis*, quia in Divinis, nec ſecundùm conſilium, nec ſecundùm imperium una perſona ab alia mittitur; cùm una non ſit alia potentior, aut ſapientior, ſed inter omnes eſt perfectiſſima æqualitas; ibi unam perſonam ab alia mitti aliud non eſt, quàm unam perſonam ab alia procedere, & viſibiliter in tempore apparere, ut dicunt Theologi in *tr. de Trinit.* & ibi Du-hamel *Theol. Cleric. de Trinit. diſſert. ult. cap.* 1. *tit. de miſſione*.

Inſtabis. Illud *miſerunt* æquè comprehendit Petrum, ac Joannem; ſed Joannes non ſolùm conſilio, verùm & imperio fuit ab Apoſtolis miſſus: ergo & Petrus.

R. Negatur minor. Nam unus Apoſtolus (excepto Petro, cui cæteri ſubordinabantur) non erat alio Superior, nec juriſdictionem in alium tenebat, ſed omnes æquali honore, & poteſtate præditi erant, ut inquit Cyprianus. Ideò nec Joannes fuit à ceteris Apoſtolis imperio, & auctoritate, ſed ſolùm conſilio miſſus. Verùm, quia à Petro aſſumptus eſt ejuſdem miſſionis comes, hac parte dici poteſt auctoritate à Petro miſsus. Et inde illud *miſerunt* accipiendum eſt, ut adaptetur juxta ſubjectam materiam, & perſonas, quas afficit.

Opponunt 2. *Paulus* 4. *ad Epheſ.* deſcribens Hierarchiam Eccleſiaſticam, quam Chriſtus in Eccleſia reliquit, multis regimen Eccleſiæ datum eſſe dixit, nec mentionem facit Unius capitis, & Principis: ait enim: *Dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Evangeliſtas, alios autem Doctores, & Paſtores:* ergo regimen Eccleſiæ, procul eſt à Monarchico. Nam hoc ſine uno ſupremo Principe non ſubſiſtit.

15 R. Ubi Paulus dicit *Apoſtolos, & Doctores*, non excluditur Petrus Apoſtolorũ, Paſtorumque Princeps, cui ſingulariter (licèt non perſonaliter) claves regni Cœlorum cum pleniſſima poteſtate traditæ ſunt; & ſub quo ipſi Apoſtoli acceptam poteſtatem receperunt. Quare Chriſtus quidem Paſtores, & Epiſcopos, dedit, ut præeſſent gregibus particularium Eccleſiarum: ergo, quia una eſt Eccleſia univerſalis, dedit uni Eccleſiæ univerſali, unum ſupremum Caput, quod toti gregi preeſſet, ut ex Bernardo ad Eugenium dixit Pius II. *conſtit. In minoribus* 10. *§.* 10. *Bullar. to.* 1. *Tu es Sacerdos magnus, Summus Pontifex: tu Princeps Epiſcoporum: tu hæres Apoſtolorum..... poteſtate Petrus: Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt & alii quidem Cæli Janitores, & gregum Paſtores, ſed tu tantò glorioſiùs, & differentiùs utrumque præ illis nomen hæreditaſti. Habent illi aſſignatos ſibi greges, ſinguli ſingulos, tibi univerſi crediti uni ſumus. Nec modò ovium, ſed & Paſtorum, tu Unus omnium Paſtor.* Quo quidem teſtimonio regimen Monarchicum in Eccleſia aptiſſimè confirmatur.

Dices. Apoſtoli *Lucæ* 22. de primatu contendentes arguuntur iſtis verbis: *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur, vos autem non ſic.* Et inde patet Chriſtum inter eos nullum Principem, & Caput conſtituiſſe, nec voluiſſe regimen Eccleſiæ eſſe Monarchicum, & regale.

16 R. Ibi non primatus ab Apoſtolico collegio tollitur, ſed ambitus, & præpotentia, quæ eſt propria Regum, interdicitur: ut dicit Beda: *neve Gentium inſtar, dominari ſubjectis, ſeque ab eis gaudeant laudibus*

bus attolli, ſed ad exemplum Regis Chriſti preſint, ac efficiantur miniſtri. Unde Chriſtus vult quidem ſuum Vicarium præeſſe Eccleſiæ, at ſine dominandi libidine; & non intendit, quod bonum privatum, & honorem quærat, ſed ſingula in commodum ovium referat, ad ipſius Chriſti exemplum, qui non venit miniſtrari, ſed *miniſtrare*. Siquidem Prælatio Eccleſiaſtica à faſtoſa Regum dominatione diſtat, & tota in bono ovium procurando occupatur. Hinc textus ſequitur, *qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*. Obſervatur eos ibi non fuiſſe reputatos æquales, dum major, & præceſſor nominatur. Quare humilitas in Prælato commendatur, non excluditur ſuperioritas.

Dices. Regimen Monarchicum abſolutè reprobatur. Samueli enim 1.*Reg*.8. diſplicuit ſermo populi Iſraelitici petentis Regem. Quod ſanè non egiſſet, ſi rem optimam poſtulaſſet.

Accedit. Monarchia faciliùs vergit in Tyrannidem; enim verò, qui nihil in imperando timendum habet, faciliùs dominio imperandi abutitur; quippè, cùm nullum habeat Superiorem, nullum timet emendatorem; & inde in Scriptura Saul, Roboam, & Jeroboam perditi Reges dicuntur: ergo, &c.

17 R. Non ideò Samueli populi petitio diſplicuit, quòd forma regendi regalis, & Monarchica mala ſit, & deterior, aliàs nec Deus 1.*ad Timoth*.6. Rex Regum diceretur. Nec ſimul de Dei commiſſione ille Saulem in Regem unxiſſet: 1.*Reg*.15. nec ſubinde David ibi *cap*.16. Sed idcircò arguendi fuerant Judæi, quia ablegato Dei regimine, hominem in Regem poſtularunt: ait enim textus: *Non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*.

18 Ad 2. Quidquid ſit. An regimen Monarchicum temporale de facili in tyrannidem ruat, minimè poteſt de regimine Eccleſiaſtico verificari, utpote Spirituale, & propter Spiritus Sancti aſſiſtentiam, qui ſupremo Eccleſiæ Hierarchæ aſſiſtit, ut oves in finem ſpiritualem dirigat.

19 Quin etiam facta comparatione inter Monarchicum temporale, & Ariſtocraticum, ac Democraticum, difficiliùs eſt illud in Tyrannidem mutari, aut in deterius abire. Nam Tyrannus ad nullam utilitatem reſpicit, niſi gratiâ proprii commodi, & illius objectum eſt id, quod placet; quando Monarcha publicum bonum procurat, & honeſtum intendit. Tum quia, Monarcha bonum ſui regni, & proprium ſuum ſuſcipit procurandum, ac ſervandum. Nullum enim aliud bonum obtinet, quàm bonum regni; ac proinde totus eſt, omneſque ſuas vires, & curas impendit in eo comparando, & aſſervando. Senatus autem, vel plures ſimul Rectores, ultra bonum publicum, habent etiam proprium, ac privatum curandum. Unde fit, ut, bono publico ſæpiùs amandato, & periclitante, privatis tantùm commodis inſudent, ac invigilent.

In Scriptura quidem multi mali Reges recenſentur; verùm illis opponimus optimos, Davidem, Ezechiam, Joſiam, alioſve, quos ipſa commendat.

Opponunt 1. contra ſecundam partem. Cùm aliquod grave dubium in materia Religionis in Eccleſia oritur, Pontifices ad ipſum dirimendum, congregant Concilia, vel ad minus adhibent conſilium DD. Cardinalium, & Theologorum; exemplo Petri, qui *Actor*.1. aliis decem Apoſtolis propoſuit, alium eſſe ſubrogandum in locum perditi Judæ; & ibi *cap*.15. in quęſtione illa, *an circumciſio adhuc obligaret*? delata per Paulum, & Barnabam ad Petrum, ipſe congregavit Seniores, & Præsbyteros; factaque magna inquiſitione, Petrus ſtatuit non eſſe imponendum hoc jugum venientibus ad fidem. At id probat regimen Eccleſiæ Ariſtocratiâ temperatum: ergo, &c.

20 R. Jam dictum eſt, & ſuo loco repetendum, plura à Pontificibus fuiſſe extra Concilia definita ſpectantia ad fidem, & mores: ergo cùm congregarunt Concilia,

non id egerunt de neceſſitate, & ad validitatem definitionis (quoniam ipſi independenter ab ovibus habent plenitudinem poteſtatis pro paſcenda, & dirigenda Eccleſia) ſed id factum eſt ad melius eſſe: vel, ut hæreſes, & ſchiſmata ſuaviùs per conſenſum tot Prælatorum extinguerentur, & faciliùs in Diœceſibus definita innoteſcerent, ex alibi dicendis. Quinimò ipſa Concilia firmitatem non obtinent, niſi à Papa confirmentur; & quæ Patres definiunt, ad judicium Romani Pontificis confirmanda referunt, à quo ut juriſdictionis fonte Epiſcopi juriſdictionem recipiunt per dicenda *contr.6.*

21 Quòd verò Pontifices conſilio nonnullorum utantur, id evincit minimè regimen Eccleſiæ eſſe Ariſtocratià permixtum. Siquidem conſilium non juriſdictionem, ſed ſolùm directionem importat: Tum quia, quòd Rex Galliæ Conſiliariis utatur, non ſequitur regimen regni eſſe Ariſtocratià moderatum, ipſumque in eo non eſſe juriſdictionis fontem. Tum quia Pontifex non ad validitatem decretorum prudentes conſulit, ſed ad congruentiam, ut probat Lauræa de *fide diſp.5. art.6.n.376.* Nec conſultatio eſt forma Decreti, ſed conditio, ut Papa ſe diſponat ad recipiendam illuminationem à Spiritu Sancto. Tum quia, Papa ſe ſolo poſſet Scripturas, & Traditiones perſcrutari. De quo alibi.

22 Modò, tantum abeſt, quòd exempla adducta oppoſitum inferant, ut potiùs reſolutioni faveant. Quantum ad primū; ipſe Petrus, ut impleretur Scriptura, decrevit eſſe alium in locum Judæ ſubrogandum, quamvis poſteà de voto omniū Apoſtolorum conſentientium Petro, facta ſit oratio pro Mathiæ electione. In qua re audiamus Chryſoſtomum *Homil.3. in Act. Apoſtol.* ubi agens de Sortione Mathię Petri Principatum peroptimè firmat. Quærens itaque, cur prę cęteris Petrus de ſubrogando aliquo in locum Judæ ſollicitus fuerit, ſibi ita reſpondet. *Quòd fervido eſſet ingenio; & quòd gregis ei commiſſa cura fuerat: tum, quòd primus erat è collegio, ſemper ante alios loqui incipit.* Et paulò poſt. *Quid igitur? Nonnè Petrus ipſemet eligere poterat? Poterat quidem: Sed hoc non facit, ne gratiæ deferre aliquid videretur.* Et inde patet Petrum Principem, & Caput fuiſſe collegii Apoſtolici, non tantùm dignitate, ſed gubernandi, præſidendi, & regendi functione.

23 Quantum ad ſecundum. Et hìc Petrus controverſiam definiit, ut patet ex textu: *Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum?* Et *ſtatim tacuit omnis multitudo*. Cæterùm quęſtionis deciſio facta eſt, diſcuſſione præmiſſa, præſentibus Jacobo, Joanne, Paulo, & Barnaba, ac Senioribus, & parte opponente, ut ſuavior, & plauſibilior eſſet definitio, ac ut pars definitioni non reſiſteret; & in hunc ſenſum, decretum fuit editum nomine Apoſtolorum. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*, &c.

Opponunt 2. Si Monarchia Eccleſiæ non ſit quodammodo Ariſtocratià temperata, ac limitata, poterit Romanus Pontifex diſpenſare ſuper jus naturale, & divinum: at hoc eſt falſum: ergo, &c.

Item. Si Papa eſt abſolutus Monarcha Eccleſiæ, poterit pro libito Epiſcopos deponere, & eos Diœceſibus reſpectivè privare; hoc autem non eſt in poteſtate Pontificis; cùm Epiſcopatus ſit de jure divino, & Epiſcopi non ſunt Vicarii Papæ, ſed à Chriſto conſtituti, ut Eccleſiam regant: ergo, &c.

24 R. Negatur ſequela. Siquidem poteſtas Papę eſt quidem ſupra homines, ſed ſub Deo; & eſt in ædificationem, & non in deſtructionem Eccleſiæ. Unde, licèt regimen ipſius non ſit Ariſtocratià temperatum, eſt tamen limitatum, quatenus nihil poteſt contra jus naturale, cùm Papa non poſſit ullo modo ea immutare, quæ ex natura ſua bona ſunt, aut mala; nec circa ea, quæ ſunt juris divini diſponere poteſt, quia iſta habent efficaciam ex divina inſtitutione, ut loquitur D.Thomas *quodlib.4. ar.14.*

*art.*14. eſtò poſſit declarare ipſa jura hìc, & nunc obligare, vel non.

Dices. Papa diſpenſat, ut bigami ordinentur: Verùm bigamos ordinari non poſſe eſt de jure divino. Nam in libris canonicis continetur: prohibetur enim à Paulo 1.*ad Timoth.*3.*Oportet*, ait; *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe unius uxoris virum:* & *v.*12. idem circa Diaconos præſcribit. *Diaconi ſint unius uxoris viri*. Quæ verò Apoſtolus ſanxit, & in illis libris continentur, ſunt juris divini, ſeù divinæ inſtitutionis, & præcepti.

25 R. Profectò id in libris canonicis reperitur, quorum confeſſio veracitatis eſt de jure divino, cùm nihil in illis ſit, quod ſit à vero alienum, & quidquid in eis ſcriptum eſt, Spiritu Sancto dictante, ſcriptum eſt, ut definit Tridentinum *ſeſſ.*4. *in decretis de canon. Script.* At non inde ſequitur, quod bigamum non promoveri ſit juris divini, & pertineat ad articulum fidei, ut loc. cit. dicit D. Thomas. Ubi obſervat, quòd *Apoſtolus, dupliciter in ſua doctrina aliqua poſuit; quædam ſicut promulgans jus divinum, ſicut eſt illud, quod habetur ad Galat.*5.*Si circumcidimini Chriſtus vobis nihil proderit, & multa hujuſmodi. Et in hoc Papa non poteſt diſpenſare. Quædam vero poſuit propria auctoritate aliqua ſtatuens: nam ipſe dicit* 1. *Corinth.*11. *Cætera cùm venero diſponam*. Et infr. *cap.*16. *Ut collectæ, quæ fiunt in Sanctos, per unam Sabbati fiant. Quod non pertinet ad jus divinum. Et ſimiliter etiam, quod dicit de bigamo non promovendo, non eſt juris divini, ſed inſtitutio humanæ auctoritatis divinitùs homini conceſſæ*. Et infr. *Non eſt verum, quod Papa non poſſit aliquid facere contra Apoſtolum. Diſpenſat enim cum bigamo..... Ex decreto autem inducto* (cap. ſunt quidam 25.q.1.) *non poteſt amplius haberi, niſi quòd Papa non poteſt deſtruere canonicam Scripturam Apoſtolorum, & Prophetarum, quæ eſt in Eccleſia fidei fundamentum*. Hæc ille. Quocirca equidem ea, quæ ab Apoſtolis, ut Præcones legis evangelicæ, ſancita fuerunt, ſunt juris divini; ſed idem dici non debet de iis, quæ ſtatuta ſunt per poteſtatem, qua tanquam Eccleſiæ Paſtores fruebantur (quæ etiam nunc in Eccleſia perdurat) hæc enim ſunt legis Eccleſiaſticæ, in qua Papa poteſt diſpenſare. Qua poteſtate eſt ab Apoſtolis *Actor.*15. ad concilium congregatis ſancitum, ut Fideles à ſuffocato, & ſanguine ad tempus temperarent, ne Judæi, qui à ſanguine, & ſuffocato abhorrebant, graviùs offenderentur. Eſtò in definitione illa de non obſervanda lege Moſaica fuerint Promulgatores divini juris, & præcepti: ut ibi.

Inſtant. Omnia ut diximus *contr.*3. *cap.* 4.*nu.*22. etiam verba Sacræ Scripturæ ſunt objectum fidei divinæ, & à Deo revelata: ergo & quod bigami promoveri non poſſint.

26 R. Et nunc id repetimus. Verùm, ut diximus ex D. Thoma, aliqua Paulus poſuit in ſuis Epiſtolis, ut promulgator legis Evangelicæ, & eorum, quæ in ſe ipſis revelata fuerunt, quæ adhuc eſſent fide divina credenda, eſtò non fuiſſent ab ipſo ſcripto commiſſa, prout dicitur de Traditionibus Apoſtolico-divinis, quæ licèt ſcriptæ ab ullo Scriptore canonico non repeDriantur, ſunt non minus in ſe ipſis fidei objectum, utpote in ſe ipſis à Deo revelatæ. Alia verò poſuit, ut Paſtor extraordinarius Eccleſiæ; hæc ſunt præcepta Eccleſiaſtica, legiſque Eccleſiaſticæ vim habent; nec accepta fuerunt à Deo per revelationem, ſed auctoritate propria Pauli, Spiritu Sancto dirigente, conſtituta; adeòque in ſe non ſunt objectum fidei, cùm nullum ſit tale, niſi à Deo revelatum ſit. Cęterùm, cùm hæc à Paulo ſint in ſuis Epiſtolis ſcripta, eſt credendum fide divina, ipſa in illis reperiri, non eſſe regulis morum contraria, nec quidquam continere valens præjudicium inferre æternæ ſaluti; cùm de fide ſit libros canonicos eſſe Sanctos, & à Canonicis Scriptoribus ſcriptos, Spiritu Sancto dictante, ut ex Tridentino cit. & dicit D. Gregorius *præfat. in librum Job*. *Ipſe hæc*, inquit, *qui hæc ſcribendo dictavit, ipſe ſcripſit, qui & illius operis inſpirator extitit*. Atque

que ita eſt fide divina credendum præceptum Eccleſiaſticum concernens diſciplinam de bigamis non promovendis in Epiſtola Pauli reperiri, & ab eo cum cæteris fuiſſe in ea Scriptura. Sed hinc non habetur, non poſſe cum bigamo à Papa diſpenſari. Tum quia, Paulus non prohibet diſpenſationem. Tum quia, Apoſtolus loco allegato non minus *Neophytos*, & *Percuſſores*, quàm *bigamos* arcet ab ordinatione; nemo autem revocet in dubium Papam poſſe cum prioribus diſpenſare; nec ullus dicit, quòd in caſu diſpenſet in jure divino, quod eſt immutabile. Vide Seſſam *Scrutin. doctrinal. cap.3. artic.9.n.13.& 14.*

27 Ad 2. Dicimus poſſe Pontificem Epiſcopos deponere, & exercitio juriſdictionis privare; verùm, ut id licitè faciat, crimen debet ſupponi, & indignitas in deponendo præcedere. Ita S.Stephanus Papa à communione Eccleſiæ ſubmovit Helenum Epiſcopum Trecenſem, & Firmilianum Archiepiſcopum Cæſarienſem in Cappadocia, alioſque, docentes rebaptizandos ab hæreticis baptizatos. Sanctus Damaſus excommunicavit, & à Sede Mediolanenſi ejecit Auxentium Arianum. Innocentius I. expunxit è numero Epiſcoporum Urſacium, intruſum in Sede Conſtantinopolitana, Chryſoſtomo expulſo. Agapitus depoſuit ab eadem Sede Antimum; & alii alios, quod nimis operoſum eſſet retexere.

28 Cùm dicitur, Epiſcopatum eſſe de jure divino, conceditur quoad ordinem, & hujus inſeparabilitatem à tali perſona, cui collatus eſt Character Epiſcopalis; ſed quoad juriſdictionem, & gubernium talis Diœceſis, diſtinguitur; eſt de jure divino reſpectu perſonæ indeterminatæ, conceditur: quippe ille populus debet ab aliquo Paſtore in ſpiritualibus gubernari: reſpectu autem perſonę determinatæ, negatur. Nam etiam, annuente Pontifice, poteſt unus Epiſcopus de una ad aliam Eccleſiam transferri. Quinimò poteſt ipſe duos Epiſcopatus unire, ſicut alios erigere. De quo infr. *contr.6.*

CONTROVERSIA V.

De Primatu Petri.

ECcleſia, ut diximus *contr.*1. *cap.*1. eſt Congregatio Fidelium profitentium fidem Chriſti iiſdem Sacramentis colligata ſub uno Capite inviſibili in Cęlis, nimirùm Chriſto, & viſibili in terris, Romano Pontifice. Quia verò Marcus Antonius de Dominis, fatuè quidem, omnem conatum adhibuit, ut ſuaderet Eccleſiam Catholicam regendam non eſſe cum plenitudine poteſtatis commiſſam Petro, & in eo ejuſdem Succeſſoribus, ac Primatum Eccleſiæ à Petro ablegavit, cumque Principem collegii Apoſtolici haud eſſe non ſemel conclamavit; propterea hac controverſia circa Primatum Petri nonnulla examinanda occurrunt, ut hinc quiſque, Acatholicorum nugis perſpectis, eorum, quæ hac in re, tum adversùs Spalatenſem, tum alios Pontificiæ dignitatis temeratores de veritate fidei tenenda ſunt, ideam prælibet.

CAPUT I.

An Primatus Eccleſiæ fuerit D.Petro collatus?

SUMMARIUM.

1 *Primatus Petri non ſtat in ætate, vocatione, aut dilectione.*
2 *D.Petrus habuit primatum jurisdictionis in tota Eccleſia.*
3 *Claves ſignificant poteſtatem, & juriſdictionem.*
4 *Matth.*16. *Nomine* petræ *non intelligitur Chriſtus.*
5 *Chriſtus eſt primarium fundamentum Eccleſiæ.*
6 *Quo ſenſu fides, vel confeſſio Petri dici poſſit fundamentum Eccleſiæ?*
7 *Per petram non intelligitur quicumque Fidelis.*
8 *Præfectura totius Eccleſiæ, non Apoſtolis, ſed ſoli Petro tradita.*
9 *Petrus Apoſtolos ad particulares Provincias miſit.*
10 *Chriſtus in terris vivens fuit Caput viſibile Eccleſiæ.*
11 *Eccleſia fuit à Chriſto fundata ante Aſcenſionem, & omnia ad fundationem neceſſaria conſtituta.*
12 *Chriſtus pluries officio capitis viſibilis functus eſt.*
13 *Quo ſenſu dicatur Eccleſiam fluxiſſe ex latere Chriſti?*
14 *An circumciſio fuerit ſemper adhibita in proteſtationem fidei Chriſti venturi.*
15 *Legalia, quando fuerint mortua, & quando mortifera?*
16 *Primatus Petri probatur Patrum Doctrinis.*
17 *Et Auguſtini teſtimoniis.*
18 *Nonnulla Petro conveniunt perſonaliter, & quædam ut perſonæ publicæ.*
19 *Petrus quo titulo Eccleſiam repræſentet?*
20 *Juriſdictio in Eccleſia fluit à Romano Pontifice.*
21 *Non ſemel Petrus ad praxim reduxit ſuum primatum.*
22 *Infirma probatio Bellarmini pro Petri primatu.*
23 *Eccleſia non æquè fuit à Chriſto commendata omnibus Apoſtolis.*
24 *Senſus textus Marci ult.* Euntes, *&c. & Actor.*1. Eritis mihi teſtes, *&c.*
25 *Verba Joannis.* Sicut miſit me Pater, *&c. qualiter uſurpanda?*
26 *Apoſtoli, qua ratione dicantur fundamenta Eccleſiæ?*

27 *Apoſtoli fuerunt Petro ſubordinati.*
28 *D. Jacobus fuit à Petro conſecratus Epiſcopus.*
29 *Pontifex non ſuccedit Chriſto, ſed Petro.*
30 *Quo titulo Jeruſalem dicatur mater omnium Eccleſiarum?*
31 *Eccleſia Hieroſolymitana eſt quarta Patriarchalis.*
32 *An Jacobus dicatur Epiſcopus Apoſtolorum?*
33 *Jacobus non confirmavit ſententiam Petri de ceſſatione legalium.*
34 *In Petro non fuit partialitas juriſdictionis.*
35 *Quo titulo Petrus fuerit miniſter Eccleſiæ?*
36 *Titulus* Servus ſervorum Dei *à Pontificibus adhibetur in ſignum humilitatis.*
37 *Chriſtus eſt primarium Caput Eccleſiæ.*
38 *Pontifex eſt Paſtorum, & ovium Paſtor ſupremus.*
39 *Cur corpus naturale, capite præciſo, non vivat?*
40 *Diæceſis Papæ eſt tota Eccleſia.*
41 *Senſus textus Matthæi* Si peccaverit in te, &c.
42 *Papa, & eſt perſona privata, & publica.*
43 *DD. Cardinales poſſunt Papam monere.*

Vicleffus, Lutherus, & Calvinus, aliique Heterodoxi, ut nullum Romano Pontifici ſupra cæteros Epiſcopos primatum convenire ſuadeant, nullum talem ſoli Petro ſupra Apoſtolos, cæteroſq; Epiſcopos primatum, ſupremamve in Eccleſia juriſdictionem, ſed omnibus ſimul Apoſtolis à Chriſto fuiſſe traditam deprædicant; &, ſi quem inter Apoſtolos primatum dicatur habuiſſe Petrus, non juriſdictionis, & auctoritatis, ſed, vel ordinis fuiſſe volunt, ratione cujus primus fuit inter æquales; vel vocationis, ætatis, aut dilectionis, prout fatuè dixit Marcus Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis conſtituens Primatum Petri in ætate, in vocatione, & in fervore; ac diſcrimen poteſtatis inter Apoſtolos fuiſſe humanum inventum contendens.

1 Cæterùm adversùs illius inſolentiam conſideratur. I. Quòd Petrus non fuit primò vocatus; nam primò ad Chriſtum venit Andreas *Joan.* 1. Et *Matth.* 4. ſimul vocantur Petrus, & Andreas. Tum quia, omnes Apoſtoli eodem tempore ex diſcipulatu fuerunt ad Apoſtolatum vocati. *Lucæ* 6. Deinde, quæ conſequentia? Petrus eſt primò vocatus: ergo à Chriſto non accepit Eccleſiæ primatum? Nonne poterat eum Chriſtus primò vocare, ut caput Eccleſiæ conſtitueret?

II. Quòd incertum eſt, an Petrus Andrea Senior fuerit. Epiphanius hæreſ. 51. cum Baronio, Lobino, Serario, aliiſque Andream Seniorem faciunt: eſtò Caſſianus, Chryſoſtomus, & cæteri Petrum natu majorem ſcribant. Deinde, quando etiam Petrus dicatur Andrea antiquior, non inde ſequitur, quod alius Apoſtolis non fuerit Petro ſenior. Tum quia, dato Petrum fuiſſe omnibus ætate majorem, nonnè potuit Chriſtus antiquiori conferre primatum ſuper Apoſtolos?

III. Quòd non ſatis conſtat, an Chriſtum plus amaverit Petrus, quàm Joannes, diſcipulus dilectus, aut Paulus, qui ſe dicit ſeparare non poſſe à charitate Chriſti. Tum quia, concedatur à Petro plus Chriſtus amatus, fortè ergo plus ſe amanti Chriſtus præfecturam ſuæ Eccleſiæ dare non potuit? Iſtis nugis Spalatenſis reprobatis, ut omnem de voce quæſtionem vitemus, eſt de Primatu Petri agendum juxta proprium ipſius ſignificatum, hoc eſt, prout importat poteſtatis plenitudinem, ſupremamque juriſdictionem, ac auctoritem ad regendam, Eccleſiamque Chriſti gubernandam.

2 Dicendum. *A Chriſto fuit D. Petro traditus primatus juriſdictionis, & auctoritatis ſupra univerſam Eccleſiam.* Ita omnes Catholici.

3 Probatur 1. Ex celebri textu *Matth.* 16. ubi, cùm Petrus illis verbis. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi* confeſſus fuiſſet Chriſti divinitatem, ei Chriſtus promiſit primatum, ſeù ſupremam Eccleſiæ regendę poteſta-

tem: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni Cœlorum* (ſeù ſupremam illam poteſtatem, & dignitatem per claves deſignatam) quas ei tradidit *Joan.ult. Paſce agnos meos*: Et iterùm *paſce oves meas*: ergo in Eccleſia eum locum Chriſtus promiſit Petro, & poſteà tradidit, quem in ædificio tenet fundamentum: ſed in ædificio fundamentum, primum locum tenet; cùm ab eo ſuſtentetur, & in eo tota fabrica ſolidetur: ergo à Chriſto eſt Petro datus primatus, ſupremaque dignitas, & cura gubernandi totam Eccleſiam.

Dicunt I. Nomine *Petræ* non Petrum, ſed Chriſtum Patres intelligunt; & inde volunt Chriſtum eſſe petram, quæ futura erat Eccleſiæ fundamentum, juxta illud 1. *ad Corint. 3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*. Expoſitio eſt Auguſtini *tract. 124. in Joan. 5. Super hanc petram*, inquit, *quam confeſſus eſt, ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim erat Chriſtus*. Quod repetit *Ser. 76. de verb. Matth. 14. n. 10. Super me ædificabo te, non me ſuper te*.

4 Contra eſt. Si nomine petræ ibi Chriſtus intelligeret non perſonam Petri, ſed ſe ipſum, quænam eſſet conſequentia? quę connexio inter hæc Chriſti verba: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*? Tunc enim idem eſſet, ac ſi diceret: *tu es Petrus, & ſuper hanc petram*, hoc eſt, *ſuper me ædificabo Eccleſiam meam*. Tum quia, pronomen *Hanc* debet referri ad ſubſtantivum, de quo mox habitus fuerat ſermo: at non de Chriſto, ſed de Petro ſermo immediatè antea habitus fuerat. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.* Tum quia in loco allegato non Chriſtus vocatus fuerat Petra, ſed ſolus Petrus: ergo ad iſtum, non verò ad illum ſecundùm literalem explicationem refertur pronomen *Hanc*; aliàs planè fruſtrà Chriſtus præmiſiſſet, *ego dico tibi, tu es Petrus*. Tum quia, aliàs nulla eſſet expreſſa remuneratio confeſſionis Petri de Divinitate Chriſti contra Patres: Siquidem non eſt Petri excellentia, ſi ſenſus textus ſit, quod ſuper ſeipſum Chriſtus ędificaret Eccleſiam. Præterea, cur Chriſtus mutaſſet nomen Apoſtoli (anteà enim dicebatur Simon: & poſteà eum vocavit Cephas: *tu vocaberis Cephas: quod interpretatur Petrus*? Joan. 1.) niſi, ut hac nominis mutatione Chriſtus ſignificaret ſe Simonem elegiſſe, ut petram, ut poſt ipſius in Cęlos aſcenſum eſſet fundamentum Eccleſiæ, à quo, ut viſibili capite regeretur, ut notavit Theophilactus in *cap. 22. Lucæ*, ſic Chriſtum loquentem inducens: *Poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum*.

5 Quod ſpectat ad textum Pauli: eſt ſenſus, quòd Chriſtus eſt unicum primarium, & præcipuum fundamentum Eccleſiæ; cujus tamen Petrus, ut fundamentum ſecundarium, & primarii Vicarium ordinarium vices gerit: & ſicut Eccleſia à Chriſto primario fundamento ſuſtentatur, ita Petrus eam, ut ſecundarium, & miniſteriale fundamentum regit; nec alius hoc poteſt fundamentum ponere, ſed à Chriſto poſitum eſt, ei totius Eccleſiæ præfecturam tradente. Vel dicendum, ibi Paulum loqui non de fundamento Eccleſiæ, ſed bonorum operum, quæ ad juſtitiam, & vitam æternam pertinent, quorum fundamentum eſt utique ſolus Chriſtus: quatenus nullus poteſt opus bonum ad vitam conducens facere, niſi credat in Chriſtum: cùm fides radix ſit, & fundamentum noſtræ juſtificationis, & ſalutis, ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 8. de juſtific.* nec aliud ab alio poni poteſt.

Quantum ad Auguſtinum: S. Doctor noſtram ſententiam tenet. Nam *lib. 1. retract. cap. 21.* ſcribit: *Dixi in lib. contra Epiſtolam Donati de Apoſtolo Petro, quòd in illo tanquam in petra fundata ſit Eccleſia; qui ſenſus, etiam cantatur ore multorum in verſibus Beatiſſimi Ambroſii, ubi de gallo gallinaceo ait, Hoc ipſa Petra Eccleſiæ canente, culpam diluit; ſed ſcio me poſteà ſæpiſſimè ſic expoſuiſſe* (ut in inſtantia) *Harum autem duarum ſen-*

ſententiarum, quæ ſit probabilior, eligat lector. Fuit autem hac in re Auguſtinus anceps, ac putavit pronomen *hanc* non debere referri ad Petrum, quòd cenſuit Petrum non eſſe idem ac Petra. Quod tamen falſum eſt: cùm Petrus à Chriſto, ut notavimus dictus eſt Cephas. Cephas autem teſte Hieronymo in *cap.2. ad Galat.* nomen eſt Syriacum, quod latinè rupem, ſaxum, & petram ſignificat.

Ad illud *Petra enim erat Chriſtus*; Quo etiam utitur Paulus 1.*ad Corinth.*10. intelligitur figuratè, & ab Apoſtolo ſumitur, prout dicit relationem ad aquas à rupe ſcaturientes, ut patet ex contextu: *bibebant de ſpiritali, conſequente eos Petra, petra autem erat Chriſtus*. Et per hoc Paulus intendit ſignificare, Chriſtum fuiſſe omniũ gratiarum fontem, quas juſti omnes, etiam veteris Teſtamenti perceperunt, cùm nonniſi per fidem in Chriſtum venturum conſecuti ſint. In textu verò adducto Matthęi, nomen Petræ adhibetur à Chriſto, prout dicit relationem fundamenti ad ędificium; & ibi applicatur, non Chriſto, ſed Petro, ad ſignificandum Petrum eſſe fundamentum, ſupra quod Chriſtus Eccleſiam ædificavit. Unde Concilium Chalcedonenſe *art.3.* Petrum vocat *Petram, & crepidinem Eccleſiæ Catholicæ*: & Auguſtinus in *pſal.*137. Eundem appellat *ſaxum immobile operis Chriſtiani molem continens*.

Dicunt 2. Nomine *Petræ* alii Patres fidem, vel confeſſionem Petri accipiunt, ita Ambroſius *in cap. ad Epheſios*, Hilarius *lib. 6. de Trinit.* Gregorius Niſſenus in *opere de adven. Domini*. Eumdem ſenſum tradit Cyrillus Alexandrinus *lib.4. de Trinit. Petram, ait, opinor nihil aliud, quàm inconcuſſam, & firmiſſ.mam fidem*.

6 Contra. In uno ſenſu confeſſio Petri fuit Eccleſiæ fundamentum, & in alio ipſe Petrus. Illa fuit fundamentum Eccleſiæ non formaliter, ſed diſpoſitivè, & ut cauſa meritoria; quatenus Petrus per meritum illius confeſſionis conſecutus eſt, ut formaliter conſtitueretur fundamentum Eccleſiæ, adeòut in eo, ut in ſubjecto eſſet dignitas Capitis Eccleſiæ, unde dixit Hieronymus: *mercedem recepit vera confeſſio*.

Vel Fides Petri dicitur fundamentum Eccleſiæ; quia cùm ejus fides deficere non poſſit, ipſe omnes alios debet confirmare, & ſuſtentare in fide juxta illud Lucæ 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, &c.* Et hinc patet fidem à Patribus non accipi ſine relatione ad Petrum; & quando etiam abſque reſpectu ad ipſum accepiſſent, & ſignificare voluiſſent fidem de Chriſti divinitate eſſe fundamentum Eccleſiæ, id non facit, quin ipſe Petrus, quem Chriſtus alloquebatur, alio ſenſu ſit Eccleſiæ fundamentum: Fides enim fundamentum Eccleſiæ dici poteſt quia eſt forma Eccleſiæ: Petrus verò quòd primum in ea locum teneat, ac functione regendi, & gubernandi omnium ſit Princeps.

Dicunt 3. Per Petrum intelligitur quilibet Fidelis, & Eccleſia ipſa.

7 Contra I. Pronomen illud *Hanc* ſingularem reddit propoſitionem, & deſignat illam Petram, de qua anteà Chriſtus locutus fuerat: ſed locutus fuerat de Petro: *tu es Petrus*: ergo nomine Petræ intelligendus eſt Petrus. Aliàs ſenſus eſſet, ſupra quemlibet Fidelem ædificabo Eccleſiam: vel, ſuper Eccleſiam ædificabo Eccleſiam: quod eſt nugatorium, & abſurdum.

8 Contra 2. Et confirmatur concluſio. Pronomen *Hanc*, illum ſignificat, cui juriſdictionis claves promiſſæ traditæ ſunt; ſed Petro claves ſupremæ juriſdictionis traditę à Chriſto ſunt: Nam *Joan. ult.* Chriſtus vocat Petrum nomine proprio: *dicit Simoni Petro*, & ne de alio Simone accipiatur, exprimens nomen Patris, *Simon Joannis*, ei dixit: *paſce agnos meos*; Et iterùm: *paſce oves meas*: hoc eſt, eſto Præpoſitus, Paſtor, & Caput Eccleſiæ loco mei: ac rege, & principatum tene ſuper oves, & agnos; gubernando, judicando, caſtigando oves, & agnos, Paſtores nimirum, & ſubditos: paſcere enim in Paſtore, non modò impor-

tat pabulum præbere, & ad paſcua ducere, verùm etiam infirmas oves curare, diſperſas colligere, errantes reducere, contra Lupos defendere, ac ovile ab infectione præſervare.

Quibus præoccupatur inſtantia, qua dicitur, totius Eccleſiæ præfecturam non ſoli Petro, ſed omnibus ſimul Apoſtolis eſſe à Chriſto traditam. Nam textus ſatis innuit ad Petrum verba eſſe directa, eique principatum in univerſam Eccleſiam eſſe collatum; adeòque & ſuper Apoſtolos. Siquidem Chriſtus Petro non dixit, paſce has, vel illas oves, ſed abſolutè, & ſine ulla reſtrictione *paſce oves meas*, hoc eſt, omnes Fideles; & hinc ipſos Apoſtolos, qui de numero Fidelium erant.

Reſpondet Spalatenſis, Apoſtolos non indiguiſſe Paſtore ad eorum confeſſiones audiendas, atque ad ipſos docendos, inſtruendos, & corrigendos; cùm in die Pentecoſtes fuerint à Spiritu Sancto de omnibus edocti, & in gratia confirmati.

Contra. Etſi propter allegatos fines Apoſtoli non indiguerint Paſtore, eo tamen indigebant in finem, ob quem Chriſtus voluit Petrum eſſe Paſtorem ſuæ Eccleſiæ, nimirùm, ut in Eccleſia eſſet unum caput viſibile, cui reliqui omnes obedirent; ut ſic, ſervata, & ſtabilita unitate Capitis, tolleretur confuſio, ac omnis ſchiſmatis, & diſſenſionis occaſio; quæ facilè oritur in communitate, in qua non ſit Unum caput, cui cæteri adhæreant, & ſubjecti ſint; & propterea dixit *paſce*, non paſcite, volens Petro primatum dare, non Apoſtolis.

9 Neque enim, quia ob donum confirmationis in gratia, nunquam erant peccaturi, & ſchiſmata excitaturi, non fuerunt ſubditi Petro: nam ipſis Petrus determinatas Provincias ad prædicandum aſſignavit, ut diximus *contr.præter.cap.3.n.13.* Et habetur ex Chryſoſtomo, ut ibi notavi. Et Mauclerus de *Monarch.Eccleſ.p.2 libr.1. cap.9.* ait. *Petrus, Spiritu Sancto inſpirante, unicuique Apoſtolorum ſuas terras, veluti Diœceſes aſſignavit:* ergo & ſuper Apoſtolos Principatum tenuit, & cum ipſis pariter munus præfecturæ exercuit.

10 Probatur 2. Forma viſibilis regiminis Eccleſiæ non eſt unquam mutata, ſed eadem erit uſque ad finem mundi: ergo eadem fuit poſt Chriſti in Cælos aſcenſum, ac erat ante; ſed ante talis fuit forma regendi Eccleſiam, ut regeretur per unum viſibile caput, nimirum per Chriſtum, qui eam rexit, tum viſibiliter in externo regimine, tum inviſibiliter per internum gratiæ influxum: Ergo & poſt Chriſti in Cęlos aſcenſum, viſibiliter, & quoad externam gubernationem regitur per alterũ viſibile Caput loco Chriſti: (à quo & nunc per internum gratiæ influxum inviſibiliter dirigitur. Aliàs ex mutatione formæ viſibilis ipſam regendi ſequeretur ejuſdem mutatio, quod eſt hæreticum aſſeverare. Atqui illud Caput viſibile nullus alius fuit, quàm Petrus, cui & claves, ſeù juriſdictionis, dignitatiſque primatus, promiſſus eſt. *Tibi dabo claves regni Cœlorum;* & poſteà *datus: paſce oves meas:* ergo, &c.

Negat Spalatenſis Chriſtum, dum in terris fuit fuiſſe viſibile Eccleſiæ Caput: quam tradit, non à Chriſto ante Aſcenſionem, ſed poſt ab Apoſtolis fuiſſe fundatam; & probat, ex quo Chriſtus dixerit, *ædificabo*, non ædifico Eccleſiam: ergo, &c.

11 Contra. Eccleſiam, licèt non unico inſtanti, ſed ſucceſſivè fuiſſe à Chriſto fundatam ante ipſius Aſcenſum in Cœlos, res eſt de fide certa. Et inde patet, quòd ad fundandam Eccleſiam nihil amplius requiritur, quàm populum in unum congregare in eadem fidei doctrina, & Sacramentis ſub uno capite colligatum; novos miniſtros deſignare, nova Sacramenta, Sacerdotium, & Sacrificium inſtituere, novaſque leges ſancire. Hæc verò omnia fuerunt à Chriſto ante Aſcenſionem præſtita. Nam *Matth.10.* Ante paſſionem Apoſtolos vocavit, & nominavit, alioſque diſcipulos fecit *Lucæ 10.* Ante paſſionem inſtituit baptiſmum, quod ſupponitur, *Joan.3.Poſt hæc venit Jeſus, & diſcipuli ejus in terram Judæam,*

dæam, *& illic demorabatur cum eis*, *& baptizabat:* non ſuis, ſed diſcipulorum ſuorum manibus, ut habet textus *Joan.* 4. *quanquam Jeſus non baptizaret*, *ſed diſcipuli ejus;* ad quos miniſterium baptizandi legaverat, ut legit Auguſtinus *tract.* 108. *in Joan.* Diſcipuli verò non baptizabant baptiſmo Joannis, aliàs hujus diſcipuli non conquererentur, quòd baptizarent; non enim eſt veriſimile, quòd diſcipuli Chriſti uſi ſint baptiſmo Joannis, ut notat Poncius *Theol. diſp.* 42. *q.* 2. *nu.* 4. eum videas.

In nocte Cœnæ inſtituit novum ſacrificium, & Sacramentum Euchariſtiæ illis verbis: *Hoc eſt corpus meum Matth.* 26. ac Apoſtolos miniſtros novi teſtamenti elegit, eoſdem Sacerdotes inſtituens, *Lucæ* 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Eiſque poſt reſurrectionem elargitus eſt poteſtatem prædicandi Evangelium, Marci ult. *Euntes in mundum univerſum*, *&c.* Sacramentum pœnitentiæ poſt Reſurrectionem inſtituit, ac Apoſtolis juriſdictionem impertiit pro foro interno, Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata*, *&c.* eoſque Epiſcopos ordinavit, ibi: *Sicut miſit me Pater*, *& ego mitto vos*. Indiſſolubilitatem matrimonii ante paſſionem conſtituit, *Matth.* 19. Ante mortem, vel poſt reſurrectionem reliqua Sacramenta inſtituta fuerunt à Chriſto juxta definitionem Tridentini *ſeſſ.* 7. *can.* 1. Apoſtolis poteſtatem coercitivam impertiit, *Matth.* 18. *Dic Eccleſiæ*, *ſi autem Eccleſiam*, *&c.* Tandem poſt reſurrectionem Petrum ſuum Vicarium inſtituit, Joan. ult. *Paſce oves meas*.

Hinc conſtat I. A Chriſto ante Aſcenſionem, dum eſſet in terris, Eccleſiam fundatam fuiſſe, quæ poſt ejuſdem in Cœlis aſcenſum fuit ab Apoſtolis propagata; ſuccedentibuſque temporibus dilatatione fidei auctior eſt facta, & in dies magis creſcit.

II. Quod Chriſtus, dum erat in terris, fuit caput viſibile Eccleſiæ, eam viſibiliter, & in externa gubernatione regens, per dicta *n.* 10. docendo, monendo, increpando, corrigendo. Non enim conſtituit corpus Capite truncum, & acephalum, ſed in ea uſque ad diem Aſcenſionis corporaliter præſedit, & *conſt. Pii II. In minoribus*. Nec ſemel, ſed ſæpè officio Capitis viſibilis functus eſt. Apoſtolico collegio ſe præeſſe declaravit *Joan.* 13. *Vos vocatis me Magiſter*, *& Domine: & benè dicitis: ſum etenim*. Judicia Eccleſiaſtica tractavit, dum compoſuit lites de Primatu inter Apoſtolos, *Lucæ* 22. *Facta eſt contentio inter eos*, *quis eorum videretur eſſe major*, *&c.* Quæſtiones de fide diſſolvit in materia reſurrectionis contra Saducæos, *Lucæ* 27. Pro univerſa Eccleſia oravit *Joan.* 17. *Non pro eis rogo tantùm*. Pontifex dicitur ad *Hebr.* 3. *&* 4. Quæ omnia capitis viſibilis rationem demonſtrant, oſtenduntque Spalatenſis deliramenta, tot Scripturarum teſtimoniis refragantis.

12 Et inde nihil, quod opponit ex Mattheo, concludit; nã ſenſus eſt; tu poſt me eris fundamentum Eccleſiæ, & ſuper te, tuiſque Succeſſoribus firmitas Eccleſiæ à me ędificatæ ſolidabitur. Quotquot enim in Chriſtum erant credituri, erant ut lapides in Petro ſuperædificandi, & ideò illis verbis Chriſtus reſpexit dilatationem Eccleſiæ futuram, non primàm fundationem, dicente Chryſoſtomo. *Hic apertè hominibus prædixit magnam eorum*, *qui credituri erant*, *& ſunt*, *multitudinem fore*.

Reſpondet ipſe Spalatenſis, communiter à Theologis dici Eccleſiam fluxiſſe de latere Chriſti: ergo ante Chriſti mortem nihil inſtitutum eſt, reſpiciens Eccleſiæ ædificium.

Contra I. Permiſſo conſequente, non ſequitur, quod ante Aſcenſionem non fuerit à Chriſto fundata.

13 Contra 2. Theologi volunt Eccleſiã non propriè, ſed ſymbolicè, & meritoriè formatam ex latere Chriſti. *Symbolicè* quidem, quia ex latere Chriſti fluxerunt aqua, & ſanguis: & aqua erat figura baptiſmi; Sanguis verò Euchariſtiæ, quæ ſunt duo præcipua Eccleſiæ Sacramenta. *Meritoriè* verò, quia Sacramenta Eccleſiæ completam

tam virtutem habent ex merito paſſionis, & mortis Chriſti: in hac enim pretium totum, non arrha tantùm, eſt ſolutum.

Ad pleniorem dictorum intellectum tria tempora ſunt diſtinguenda. Primum ante Chriſti mortem: tunc ſimul viguit Synagoga vetus, & Eccleſia nova ſimul; baptiſmus, & circumciſio: ſimul lex, & Evangelium: ſimul Sacrificium Euchariſtię, & Sacrificia Moſayca fuerunt, ut notat poſt alios Beccanus *tom.5. Opuſcul. libr.1. cap.1. num.8.*

Si dicas, quòd Circumciſio adhibebatur in proteſtationem fidei in Chriſtum venturum: Sed, Chriſto nato, ante ejus mortem falſum ſignificaſſet; nam toto illo tempore non erat venturus, quia jam venerat: ergo pro eo tempore ceſſavit. Non enim veriſimile eſt Judæos ex divino præcepto de circumciſione teneri ad credendum aliquod falſum, ad quod fuiſſent obligati. Quoniam non ſtatim ac natus erat Chriſtus innoteſcebat omnibus Judæis ipſius nativitas, qui tamen tenebantur octavo die circumcidere infantes, & credere in Chriſtum: ergo illi tenebantur proteſtari, & credere, quod ipſe eſſet venturus, quod erat falſum.

14 R. Quòd ſi circumciſio fuit adhibita in talem proteſtationem, & fidem, nonniſi reſervata conditione uſque ad Chriſti adventum: Ideò, qui non cognoverant eum veniſſe, proteſtabantur ipſum venturum, niſi venerat. Quæ proteſtatio, & fides, etiam poſt adventum Chriſti erat vera. Qui verò cognoſcebant eum veniſſe, adhibebant circumciſionem in proteſtationem fidei, qua credebant ipſum veniſſe. Atque adeò erat inſtituta circumciſio, ut adhiberi deberet in proteſtationem fidei Chriſti venturi, antequam veniret, & adventus ipſius, ſtatim ac veniſſet, ita poſt Hiquęcem, Poncius ubi *ſupr. n.8.*

Secundum, fuit in morte Chriſti: tunc enim expiravit Synagoga cum ſuis cęremoniis, & ſacrificiis: tunc velum templi ſciſſum eſt in duas partes; tunc lex Moſayca abrogata eſt: ut ait Auguſtinus *Epiſt. 82. ad Hieronymum.*

15 Tertium, poſt mortem Chriſti. Tunc Synagoga ſepulta eſt, & cęremoniæ, ac Sacrificia Moſayca cęperunt eſſe mortifera.

An autem id ſtatim, & immediatè poſt mortem Chriſti, non verò poſt ſolemnem Evangelii promulgationem in die Pentecoſtes factum ſit? Hieronymus priorem partem tenet. Auguſtinus verò poſteriorem. Quare juxta Auguſtinum à tempore mortis Chriſti erant quidem legalia mortua, evacuata, & inutilia ad ſalutem; Verùm non dum erant ita mortifera, hoc eſt, illicita, ut ſine mortali peccato non poſſent uſurpari. At poſt promulgatum Evangelium mortifera eſſe cęperunt; & qui ea tunc uſurpaſſet, peccato mortali ſe obſtrinxiſſet. At non ſtatim promulgato Evangelio in die Pentecoſtes, mortifera eſſe cæperunt, aliàs nec Paulus Timotheum circumcidiſſet, nec ipſe ſe legaliter purificaſſet. *Actor.21.* ſed poſt aliquod tempus id factum eſt; & ut notavit Abelly *Sum.Th. tr.2. cap.3. ſect.8.* Viventibus adhuc Apoſtolorum Principibus. Videas Tirinum in *cap.20. Act. nu.6.*

16. Probatur 3. Primatus Petri Patrum teſtimoniis conſtat: D. Cyprianus *de Unit. Eccleſ. Super unum Petrum Dominus ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas; & quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat:* Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum, &c. *tamen ut unitatem manifeſtaret, unam cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique, & cæteri Apoſtoli pari conſortio* (Apoſtolatus) *præditi honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & cathedra una monſtretur, &c.*

Optatus *lib.7. contr. Parmenian. Bono unitatis B. Petrus, & præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claves regni Cælorum communicandas*

das

das ſolus cæteris accepit. Proprium autem eſt munus Capitis, & Principatus cęteris juriſdictionem dare.

D.Hieronymus *lib.*1. *adversùs Jovinian. Super Petrum fundatur Eccleſia, licèt idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni Cœlorum accipiant, & ex quo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio*.

Chryſoſtomus *homil.*8. *ad populum Antioch.Ei, hoc eſt, Petro, per totum Orbem terrarum Eccleſiæ præſidentiam tradidit Chriſtus*. Et *homil.*55.*in cap.*16.*Matth. Univerſo terrarum orbi Petrum Chriſtus præpoſuit.*

Gregorius magnus *lib.*4.*reg. Epiſt.*75. *Cunctis Evangelium ſcientibus liquet, quòd voce Dominica Sancto, & omnium Apoſtolorum Principi, Petro, totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, ipſi quippe dicitur, tu es Petrus.*

Caſſianus *lib.*3.*de Incarnat.cap.*13. de Petro, ait, *Summum illum, & inter diſcipulos diſcipulum, & inter magiſtros magiſtrum, qui Romanæ Eccleſiæ gubernaculum regens, ſicut fidei habuit, ita & Sacerdotii principatum.* Et alii Patres alia de Petro ſcripſere, quæ ipſius primatum juriſdictionis,eique Apoſtolos fuiſſe ſubordinatos concludunt. Cyrillus Alexandrinus *Epiſt.*8. *Paſch.Vocat Petrum Principem, & Ducem, lib.*13.*theſaur. cap.*2.*Sanctorum diſcipulorum ſupremum omnium caput; & Præſidem Apoſtolorum*. Ab Euſebio Cęſarienſi in *Chron. ad an.*44. *Chriſti*, dicitur *Archierarcha, ſeù Hierarcharum Princeps*. Ab Iſidoro *de vita, & morte Sanctorum* 69.*Principalis Chriſti Vicarius, & Princeps Apoſtolorum*.

Pius II. *Conſt. In minoribus*, quæ in to.1. *Bullar. eſt* 10.§.10. ait. *Et cùm aſcendiſſet Chriſtus in Cælum, eum indubitanter ſui gregis Paſtorem reliquit, cui dixerat; Paſce oves meas; & tibi dabo claves regni Cœlorum. Neque enim dixit, & non fecit, qui ſolus eſt verax. Grex Chriſti, Eccleſia eſt. Paſtor primus, ipſe Chriſtus fuit.... Secundus Paſtor Petrus extitit, & ab ipſo Domino inſtitutus* (ideò contra Sectarios opus non fuit, ut ab Apoſtolis inſtitueretur) *atque omni poteſtate donatus, quæ ad benè regendum commiſſas oves neceſſaria ducitur; alioquin Chriſtus, qui Sapientia Patris eſt, & omninò ſapienter egit, Eccleſiæ ſuæ haud ſufficienter providiſſet, quod eſt nefarium aſſerere*.

Tertullianus *lib. de pudicit.* tradit. *Claves ſoli Petro commiſſas, & Eccleſiam ſuper ipſum extructam:* Et infr. *Super ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves, non Eccleſiæ; & quæcunque ſolveris, vel alligaveris: non quæcumque ſolverint, vel alligaverint, ſic enim exitus docet: in ipſo Eccleſia extructa eſt*, ideſt, *per ipſum*.

Gerſonius *tr.de poteſt.Eccleſ.conſiderat.*10. ſcribit *Petrum præ cęteris habere claves Eccleſiæ;* vel, ut loquuntur Theologi plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ (ipſo auctore) *eſt poteſtas ordinis, & juriſdictionis, quæ à Chriſto collata eſt ſupernaturaliter Petro, ſicut Vicario ſuo, & Monarchæ primo, per ſe, & ſuis ſucceſſoribus legitimis uſque in finem ſæculi ad ædificationẽ militantis Eccleſiæ pro conſecutione felicitatis æternæ illis verbis*. Tibi dabo claves regni Cœlorum. Quocirca per illam clavium traditionem Chriſtus fecit, & conſtituit Petrum Dominum, & ſuæ Eccleſiæ Regentem; ſicut cùm cives tradunt claves ſuæ Civitatis Principi, hoc judicium eſt, quòd illum in Principem agnoſcant.

Hæc ex innumeris, quæ ex Patribus poſſent afferri, ſatis planè pro concluſione eſſent: Verùm, quia & Novatores plurimi faciunt auctoritatem Auguſtini, quem frequenter ſibi favere contendunt, ideò & Auguſtinus audiendus eſt, & ex eo pariter Petri primatus probandus.

17 Itaque S.Doctor *lib.*2.*de baptiſ. contra Donatiſtas cap.*1. refert verba Cypriani,qui ſcripſit. *Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam:* Et infra: è ſua Sententia dicit: *Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod, etiam nos in Scripturis Sanctis didicimus, Apoſtolum Petrum, in quo Primatus Apoſtolatus tam excellenti gratia præeminet*. Et ſtatim.

Puto,

Puto, quòd ſine ulla contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quantùm attinet ad martyrii coronam. Cæterùm magis vereri debeo, ne in Petro contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit illum Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum? Sed etſi diſtat Cathedrarum gratia; una eſt tamen martyrii gloria. Hic notandum eſt I. Quòd Cyprianus ſupponat Chriſtum ſupra Petrum fundaſſe Eccleſiam. II. Quòd excellens gratia fuit, ut primatum jurisdictionis teneret. III. Quòd non omnes Epiſcopi Petro æquales ſunt, ſed ipſe propter ſuum principatum cæteros omnes excellit. IV. Quòd major eſt Cathedra, hoc eſt, juriſdictio Petri, quàm Cypriani: major illa Pontificis, quàm cujuſvis alterius Epiſcopi.

Epiſtola 265. *ad Seleucianam nu.*2. *Quod autem Petrus dicitur egiſſe pænitentiam, cavendum eſt, ne ita putetur egiſſe, quomodo agunt in Eccleſia, qui propriè pænitentes vocantur. Et quis hoc ferat, ut primum Apoſtolorum inter tales penitentes numerandum putemus?* Quaſi dicat: qui agunt pęnitentiam in Eccleſia, ſubjecti ſunt Prælatis Eccleſię, & ex illorum abitrio puniuntur tanto, vel tanto tempore, prout ipſis videtur. At Petrus, eſtò graviſſimè peccaverit negando Chriſtum, non tamen ſubjectus erat Eccleſiæ Prælatis, cùm ipſe Caput, & Eccleſiæ Princeps eſſet. Ideò non debet inter pęnitentes publicos Eccleſiæ numerari. Quòd autem hic ſit ſenſus Auguſtini, ex aliis ipſius libris colligitur, in quibus agit de pęnitentia Eccleſiaſtica. In *Enchyridio* enim *cap.*65. inquit. *Rectè conſtituuntur ab iis, qui Eccleſiæ præſunt, tempora pęnitentię, ut fiat, etiam ſatis Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata; extra eam quippe non remittuntur.*

Sermone 137. *de verb. Evang. Joan.*10.*n.*3. *Dicit enim Petro Chriſtus, in quo uno format Eccleſiam:* Petre amas me? *& n.*4. *hoc mihi dabis* (ait Chriſtus) *hoc mihi præſtabis, ſi amas me, & paſcas oves meas:* adeòque non tantùm agnos, ſeù ſimplices Fideles, verùm & oves, Paſtores nimirum, qui prædicatione, doctrina, & Sacramentorum adminiſtratione cæteros Fideles pariunt Eccleſiæ.

18 Tractatu 124. *In Joan.n.*5. *Cujus Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet natura unus homo erat, gratia unus Chriſtianus, abundantiore gratia unus, idemque primus Apoſtolus, ſed quando ei dictum eſt:* Tibi dabo claves regni Cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, &c. *Univerſam ſignificabat Eccleſiam.* Hìc Auguſtinus quædam inquit Petro convenire perſonaliter, & tanquam privato homini: ut quod *fuerit natura Unus homo; gratia unus Chriſtianus; abundantiore gratia unus Apoſtolus.* Quædam verò tanquam perſonę publicæ, & ſupremo Eccleſiæ Paſtori; ut quòd habuerit Primatum Eccleſiæ; quòd ut perſona publica, ſeù ut Paſtor Eccleſiæ univerſalis acceperit claves regni Cœlorum; à quo uno fonte omnes inferiores Prælati ordinatè ſuas reſpectivè reciperent. Et in hoc ſenſu, *quod illi uni datum eſt, Eccleſiæ datum eſt*, ut loquitur *Serm.*149. *de verbis Actor.*10. *cap.*6.

19 Conſiderandum eſt dici à S. Doctore Petrum repræſentare, & ſignificare Eccleſiam, non tanquam purum ſignum, rem ſignificatam minimè continens: non ut aliquod particulare Eccleſię membrum, ſed tanquam Principem, & Paſtorem, ſub ſe habentē Eccleſiam; & juriſdictionem in omnes; ad eum modum, quo Princeps repræſentat regnum, Dux exercitum, Paterfamilias familiam, Paſtor oves. Videnda ſunt, quæ diximus controverſia præcedenti *cap.*2. *& cap.*3.

Dices. Textus Auguſtini loquitur de Eccleſia, prout conſideratur quid diſtinctum, & à Petro diverſum. Siquidem loquitur de Petro, ut Eccleſiam repræſentante, & ſignificante: repræſentans verò à repræſentato diſtingui eſt certum: ergo, ſi claves conceſſæ ſunt Petro, ut Eccleſiam repræſentanti, planè traduntur Eccleſiæ, ut à Pe-

à Petro diſtinctæ. Quod ſi ita eſt, quis dubitat Eccleſiam poſſe clavibus uti independenter à Petro, & Petrum primatum juriſdictionis non habere?

20 R. Diſtinguitur, prout conſideratur quid adæquatè diſtinctũ, & à Petro diverſum, negatur: quid inadæquatè diſtinctum, conceditur. Eſtò in phyſicis repræſentans adæquatè à repræſentato diſtinguatur, non tamen ita eſt in moralibus: Sic Rex non adæquatè diſtinguitur à Regno: hoc enim importat Regem, & ſubditos, licèt inadęquatè diverſus ſit, quatenus à ſubditis differt. Ita Chriſti Eccleſia, cùm ſit corpus, adæquatè complectitur caput, & membra. Inadæquatè verò ſumpta, & prout à capite diſtinguitur, importat ſolùm membra. Et inde claves juriſdictionis non ſunt datę Eccleſiæ, ut eſt adæquatè diſtincta à Petro; aliàs non eſſet Eccleſia, quæ ſine capite eſſe non poteſt, ſed ut inadæquatè diſcreta. At in hoc etiam ſenſu non ei datæ ſunt, niſi per Petrum, vel ratione Petri, & ejus ſucceſſoris Romani Pontificis; quod idem eſt, ac in ipſam Eccleſiam juriſdictionem à Petro, Romanoque Pontifice derivari. Et inde juriſdictio non ab Eccleſia in Petrum, Romanumque Pontificem dimanat: Eccleſia enim conſtat ex Summo Sacerdote, Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Pręsbyteris, minoribus Clericis, & tandem Laicis Chriſtianis. A Laicis, ac Clericis non Sacerdotibus, utpote eam non habentibus in Romanum Pontificem, juriſdictio non fluit. Nec à Præſulibus particularibus, illam ſolùm pro ſuo territorio poſſidentibus, poteſt transferri in ſupremum pro toto Orbe Paſtorem, & Caput à Chriſto conſtitutum. Quinimò iſti (ſicut Cardinales) quam juriſdictionem habent, à Pontifice recipiunt, ex alibi dicendis. Unde, ut in Eccleſia ordo ſervetur, & rectè juriſdictio ordinetur, non inferiores ſupra ſuum ſuperiorem illam debent obtinere; qua enim ratione erit Eccleſia Chriſti ordinata, ſi membra Capiti ſuo viſibili non ſubſint? Dicendumne corpus phyſicum rectè diſpoſitum, ſi caput ſubſit brachiis, humeris, pedibuſque? Minimè; ſed planè monſtrum phyſicum erit: ita totum hoc, ſervata proportione, verificabitur in corpore myſtico Eccleſiæ, & monſtrum morale dicendum erit, quod ſine hæreſi affirmari nequaquàm poteſt.

21 Ampliùs. Ad propoſitum facit, quod poſt mortem Chriſti Petrum officii ſui primatu functum eſſe, conſtat. *Actor.* 1. ubi ipſe cęteros Apoſtolos convocat, & alloquitur, ac de ſubrogando alio in locum proditoris Judæ ſolicitus eſt, in quem locum ſcribit Oecumenius. *Surgit Petrus, non Jacobus, ut is, cui præſidentia Diſcipulorum commiſſa erat; neque ullus orationi Petri contradixit, ſed mox ad ejus præceptum conſtituerunt duos, quos digniſſimos eo gradu exiſtimabant, ut unum eorum Deus ipſe deſignaret*. Et Chryſoſtomus *homil.* 3. *in Acta. Apoſtol.* ait. *Quòd gregis ei commiſſa cura fuerit*: tum, quòd *primus erat è collegio, ſemper ante alios loqui incipit*: & mox; Quid igitur? *Nonne Petrus ipſemet eligere poterat? Poterat quidem, ſed hoc non facit, ne gratiæ deferre aliquid videretur*. Ibi *cap.* 2. Petrus primus omnium Apoſtolorum Chriſtum annuntiat, ac Apoſtolos omnes adversùs murmurantes defendit. *Cap.* 3. & 4. comitem habens Joannem, ſolus tamen miraculum operatur, ſanans claudum, ſoluſque pro ſe, & Joanne ad populum reſpondet. Cap. 5. in Ananiam, & Saphiram pronuntiat ſententiam mortis. Cap. 15. Ipſe controverſa de legalibus decidit, ac definiens eſſe abrogata, & non neceſſaria, *tacuit omnis multitudo*. Quamvis poſteà Jacobus, ut Jeroſolymorum Epiſcopus ſuæ Diæceſis populo Scripturis definitionem eſſe concordem proponeret. Item Jacobum Jeroſolymæ Epiſcopum conſtituit, ac cęteris Apoſtolis particulares Provincias ad prædicandum diſtribuit, ut dictum eſt, *ſupr.* Quæ omnia confirmant Petrum, non vocatione, vel ætate tantùm, ſed Principem fuiſſe Collegii Apoſtolici, & Ec-

Eccleſiæ primatem functione gubernandi, regendi, & præſidendi.

22 Nonnulli Primatum Petri probare ſtudent, ex quo ipſe primo loco inter cæteros Apoſtolos in Evangelio nominetur, ut *Matth.*10.*&* 17.*Marci* 3.*&* 13.*Lucæ* 3.*&* 6.Joannis*ult.*Verùm, hæc non eſt convincens probatio, niſi cum aliis ſolidiſſimis fundamentis cumuletur, quibus clariſſimè probavimus Petri principatum, quem illa nominatio per ſe minimè firmat. Siquidem aliquando Petrus non primo loco nominatur, ut ad *Galat.*2. Nec difficultati occurrit Bellarminus *lib.*1. *de ſum. Pontif. cap.*18. dicendo, ideò Jacobum ibi à Paulo primum nominari, quia erat in propria Diœceſi Hieroſolymitana; nam ubicumque Summus Pontifex exiſtat, ſemper primum locum tenet.

Opponunt 1. Eccleſia æquè omnibus Apoſtolis commendata eſt *Marci ult. Euntes in Univerſum mundum prædicate Evangeliũ omni creaturæ Joan.*20. *Sicut miſit me Pater: & ego mitto vos. Actor.*1. *Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ:* ergo non ſolus Petrus accepit Primatum, ſed omnibus Apoſtolis fuit cura totius demandata.

23 R. Planè Eccleſia fuit omnibus Apoſtolis à Chriſto commendata: at non æquè omnibus commendavit, conferens ipſis juriſdictionis primatum. Nam ſoli Petro dixit *paſce oves meas*. Et quamvis priuſquàm fuiſſet Petrus caput Eccleſiæ conſtitutus, cæteri Apoſtoli eſſent cum ipſo in honore, & poteſtate Apoſtolatus pares, ut inquit Cyprianus juxta dicta *contr. præterita cap.*2. Tamen poſtquàm totius Eccleſiæ curam accepit, illis Petrus fuit in juriſdictione ſuperior, propter quod ei ipſi, non illis Petrus ſubordinabatur.

24 Auctoritas ex textu, tum Marci, tum ex Actibus, ſolùm probat, Apoſtolis eſſe commiſſum officium non gubernandi totam Eccleſiam, ſed prædicandi Evangelium, & baptizandi. Deinde tenor verborum Chriſti non eſt, ut ſinguli Apoſtoli, nullo ordine, aut reſpectu prædicarent Evangelium per totum terrarum Orbem (hoc enim moraliter fuiſſet impoſſibile) ſed ut ſinguli juxta diſtributionem, ſingulas partes peragrarent; & ſic ab omnibus, non tamen à ſingulis, toto Orbe Evangelium promulgaretur; idque fieret partim per ipſos Apoſtolos, partim per ipſorum Succeſſores; quod eventus docuit. Nam poſt aliquos annos à Chriſti aſcenſu facta eſt diviſio Apoſtolorum, & ſingulis certa Civitas, vel Provincia fuit à Petro aſſignata: Solus Petrus habebat curam generalem totius Eccleſiæ, ut ſupra ex Patribus notavimus num.9. Quapropter verba Marci non ſic intelligi poſſunt, quòd ſinguli debuerint prædicare ubique Evangelium, & baptizare; alioquin ſi unus prædicaſſet Evangelium in univerſo mundo, omneſque baptizaſſet, quid reliqui eodem tempore feciſſent? An eoſdem iterùm baptizaſſent? Nequaquam: etenim baptiſmus eſt Sacramentum, quod iterari non poteſt. Et inde non conjunctim, ſed diviſim ſunt intelligenda, hoc nimirùm modo: Ite diviſim in diverſas partes mundi, ut unus hic, alius aliò prædicet Evangelium, & baptizet, ac ſimilia officia exerceat; & ne confuſio oriatur, à Petro unuſquiſque particularem Provinciam accipiat.

25 Verba Joannis nihil adversùs primatum Petri valent. Siquidem illud *ſicut* æqualitatem non importat: etenim Chriſtus miſſus fuit à Patre ad redimendum genus humanum, ipſe habuit primatum excellentiæ, novam legem dedit, novum ſacrificium, & Sacramenta inſtituit, ad quę poteſtas minimè in Apoſtolis fuit; ſed accipitur ſecundùm habilem proportionem; quæ ſtat in hoc: quod, ſicut Chriſtus miſſus fuit à Patre ad novę fidei veritatem dandã, ad reconciliandos homines Deo, ad Eccleſiam novi Teſtamenti fundandam, ad perſecutiones, paſſiones, & tormenta ſubſtinenda; ita Apoſtoli fuerunt à Chriſto miſſi, ut fidei doctrinam à Chriſto per re-

ve-

velationem acceptam publicarent, Eccleſiam ab eodem fundatam propagarent, erigendo Eccleſias, ordinando miniſtros, & Sacramenta per ipſum inſtituta miniſtrarent, & ſacrificium offerrent. Unde licèt Apoſtoli per ea verba æqualem poteſtatem extraordinariam receperint, tamen poſteà Chriſtus, ut unitatem Eccleſiæ manifeſtaret, Petrum cęteris præfecit illis verbis: *paſce agnos meos: paſce oves meas*: & ita, ubi prius Apoſtoli erant Petro æquales, ſubinde Petrus factus eſt illis ſuperior.

Circa quod notari debet. Quòd ideò Chriſtus non dixit tunc Petro, *mitto te, & tu mitte alios*: quia non adhuc Petrus *Joan.* 20. erat factus Summus Pontifex, qui conſtitutus eſt. *Joan. ult. paſce agnos: paſce oves meas*: quo tempore poteſtatem accepit mittendi alios Apoſtolos, qui ex tunc Petro tanquam Vicario ordinario Chriſti fuerunt ſubjecti.

Dices. Cæteri Apoſtoli æquè ac Petrus dicuntur Eccleſiæ fundamenta: ergo non ſolus Petrus Primatum in ea obtinuit. Antecedens patet ex illo Pauli *ad Epheſ. 2. Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum. Apocalypſ. 21. Et murus Civitatis* (Eccleſiæ) *habens fundamenta duodecim, & in eis duodecim nomina, duodecim Apoſtolorum Agni*. Unde Hilarius Diaconus *Epiſt. 1. ad Corinth.* dixit. *Apoſtolos eſſe Dei adjutores, quia Vicarii ſunt Chriſti*. Et Hieronymus *lib. 1. adversùs Jovinian. Sed dicis: Super Petrum fundatur Eccleſia, licèt idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur*. Ubi ponderandum illud *ex æquo*, hoc eſt, æqualiter in Petro, ac in aliis Apoſtolis Eccleſia fundetur: ergo nihil ſpeciale fuit à Chriſto Petro donatum; atque ita non colligitur ſumma totius Eccleſiæ conceſſa Petro juriſdictio, & multò minus ejus ſucceſſoribus Romanis Pontificibus.

26 R. Utique cęteri Apoſtoli æquè, ac Petrus ratione Apoſtolatus, fuerunt fundamenta ſubſtentativa, & propagativa Eccleſiæ; quatenus eorum prædicatione, Eccleſiarum erectione, Sacramentorum adminiſtratione Eccleſia per ipſos propagata eſt: non enim ſolus Petrus totum mundum convertit; ſed ipſe alias Regiones, alias Paulus, alias Jacobus, & alii alias. Ratione tamen gubernationis, & juriſdictionis principaliter in Petro propter fidei ſtabilitatem, & indefectibilitatem Eccleſia eſt ædificata, tanquam primo fundamento poſt Chriſtum, qui eſt fundamentum fundamentorum ex Auguſtino in *pſal. 63. nu. 3.* qui dixit Petro: *Tu es Petrus*. Eique ſupremæ, & illimitatæ juriſdictionis claves tradidit, dicens. *Paſce oves meas*.

27 Habuerunt quidem Apoſtoli amplam poteſtatem (ſalvo Petri primatu) quia reverà fuerunt Rectores, & Paſtores Eccleſiæ: ſed diverſo jure in illis fuit, ac in Petro. Siquidem eorum poteſtas fuit extra ordinem, quę cum ipſorum morte expiravit: illa verò Petri fuit ordinaria; quæ ad Succeſſores Romanos Pontifices tranſit. Ipſeque Petrus fuit ordinarius Paſtor Eccleſiæ Univerſalis, ac Jeſu Chriſti Vicarius ordinarius: propter quod eo in munere Petro ſuccedunt Romani Pontifices; cęteri verò Apoſtoli fuerunt dumtaxat Eccleſiæ Paſtores, & Chriſti Vicarii extraordinarii; quod privilegium, ipſis mortuis, extinctum eſt: fueruntque Petro tanquàm Capiti, & Principi ſubordinati. Ipſe enim conſtitutus eſt Pontifex, *paſce oves meas*, ut unus cæteris præeſſet. Decebat enim, ut cùm omnes eſſent Epiſcopi, & Eccleſiæ extraordinarii Paſtores, unus inter eos, tanquam eorum ordinarius Paſtor, & Caput emineret, à quo, niſi privilegio extraordinario præventi eſſent, & à Chriſto juriſdictione extraordinaria fuiſſent donati, eam à Petro accipere debuiſſent, utpotè totius juriſdictionis Eccleſiaſticæ fonte. Et hinc patet ad textus allegatos Patrum. Videatur *contr. præter. capit. 2.*

Opponunt 2. Jacobus Minor fuit major Petro in Eccleſiæ primatu: ergo non Petro fuit

fuit à Chriſto traditus primatus Eccleſiæ. Probatur antecedens. I. Quia Jacobus fuit Epiſcopus Hieroſolymæ, cujus Chriſtus fuit Epiſcopus: ergo Jacobus ei ſucceſſit; vel, certò ejus Vicarius fuit, & non Petrus.

II. Quia Hieruſalem eſt omnium Eccleſiarum mater, ut prædixerat Iſajas cap.2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem*: ergo ſi Jeruſalem mater eſt omnium Eccleſiarum, ejus Sponſus, Jacobus eſt omnium Eccleſiarum Pater, & non Petrus.

III. Quia Concilium Nicænum *can.7.* Primatum Eccleſiæ tribuit Eccleſiæ Jeroſolymitanæ.

IV. Quia, quando Jacobus ab Apoſtolis inſtitutus eſt Epiſcopus Jeroſolymæ, nullus alibi, ſed ſolùm in ea Civitate erat grex Chriſti: ergo quia judicarunt Jacobum debere eſſe Paſtorem gregis Chriſtiani.

V. Quia Jacobus confirmavit ſententiam Petri de non ſervandis legalibus, ipſo poſt Petrum dicente, *propter quod ego judico non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum*, ut ait textus *Actor.*15. ergo quia primatum Eccleſiæ etiam ſupra Petrum habuit:

28 R. Negatur antecedens. Nec ex prima probatione, quidquam habetur adversùs Primatum Petri. Fuit utique Jacobus Jeroſolymæ Epiſcopus, quæ erat Eccleſia particularis, Petrus verò fuit Univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus. A quo, ut diximus ex Chryſoſtomo, Jacobus fuit illi Eccleſiæ Paſtor datus, & ab eo Epiſcopus conſecratus, ut obſervat Macedo de *clavib. Petri lib.1. diſſert.4. cap.2.* ubi ait. Inſtitutionem Epiſcoporum eſſe à Chriſto, & à Chriſto Apoſtolos fuiſſe Epiſcopos inſtitutos, à quo ſolus Petrus fuit Epiſcopus conſecratus; à Petro verò Jacobus, & Joannes, ab his autem, & Petro cæteri Apoſtoli: & inde forma fuit data, ut Epiſcopus non minus quàm à tribus Epiſcopis conſecraretur, ut habetur *cap. Porrò 66. diſt.*

29 Nec Chriſtus Pontifex, & Epiſcopus fuit ſpecialiter Eccleſiæ Jeroſolymitanæ, aut alterius Diœceſis particularis, ſed fuit, eſt, & erit totius Eccleſiæ Pontifex primarius; & cùm ſemper vivat, juxta illud ad *Rom.6. Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*: & ſit Sacerdos in æternum, nullus ei ſuccedit: Non enim ſucceditur, niſi illi, qui deſinit eſſe Pontifex. Propter quod Romani Pontifices non Chriſto, ſed Petro ſuccedunt; cujus tamen Vicarii non ſunt, ſed Chriſti, cujus ipſe Petrus Vicarius fuit; nam Vicarii propriè non eſt Vicarius. Neque Jacobus fuit Vicarius Chriſti (niſi extraordinarius, modo dicto ſupra) cùm non ipſe, ſed Petrus fuerit à Chriſto ſuus Vicarius Generalis conſtitutus. (Joan.ult. *Paſce oves meas: tu me ſequere*) in fideli ovium cura, & munere paſtorali.

30 Ad 2. Jeruſalem dicitur omnium particularium Eccleſiarum mater ratione antiquitatis, non poteſtatis: ibi enim primò incępit Eccleſia: cùm fuerit ibi peracta noſtra redemptio, baptizati, & facti primi Chriſtiani, promulgata lex gratiæ, prima Diœceſis erecta; at non hæc derogat primatui Petri, cùm ipſe primus poſt Chriſtum Pontifex fuerit totius Eccleſiæ à Chriſto fundatę per orbem mox extendendæ, & propagandæ; Qui, dum erat totius Eccleſiæ Paſtor, neceſſariò partis Eccleſiæ, hoc eſt, Jeroſolymitanæ, ſupremus Paſtor erat. Unde Bernardus dixit *lib.1. de conſiderat. Jacobus una Jeroſolyma contentus, univerſalitatem Petro cedit.* Non quòd poſſet illam prætendere, ſed quia noverat Chriſti inſtitutionem. Quod autem Petrus Jeroſolymis non ſederit, nec ſedem ibi fixerit: hoc factum eſt, tum ex præcepto Chriſti ex dicendis *cap.3.* Tum quia, congruum fuit, ut Summi Sacerdotii locus mutaretur, ſicut per mortem Chriſti mutata erat lex, & veteris legis Sacerdotium.

31 Ad 3. In canone Nicæni honor Jeroſoly-

ſolymitano Epiſcopo præſervatur, ſalva tamen dignitate Metropolitani. Ipſe enim ſubiiciebatur Epiſcopo Cęſarienſi totius Palęſtinæ Metropolitano. Quinimò, in Concilio, quarto loco ſedit. Videantur Bail. *Sum.Conc.* & Cabaſutius *notit.Eccleſiaſt. in d.locum*, ac Concilium Lateranenſe IV. *can.*5. in quo Jeroſolymitana Eccleſia, quarta inter Patriarchales conſtituitur. Et inde Primatum ipſam non tenere eſt certum contra Lutherum, cujus olim fuit objectio.

32 Ad 4. Hic non repetimus ex Chryſoſtomo Jacobum à Petro fuiſſe Epiſcopũ Jeroſolymitanum conſtitutum. Nam hoc videri poteſt *contr.*4.*cap.*3.*nu.*13. Ubi verò à quibuſdam dicitur ab Apoſtolis eum fuiſse ad ſedem illam evectum, hoc intelligitur, quod dictæ Eccleſiæ, congregatis Apoſtolis, & in proviſionem conſentientibus, fuerit illi præfectura à Petro ipſorum capite, & Principe tradita; non quòd cæterorum Apoſtolorum conſenſus fuerit neceſſarius (nam caput à membris eſt in operando independens) ſed ne Petrus gratiæ deferre aliquid videretur juxta ſenſum Chryſoſtomi *ſupr.nu.*21. Verùm nonnulli cum Rufino, & Euſebio *lib.*2.*hiſtor.cap.*1. errarunt ſtatuentes Jacobum *Apoſtolorum Epiſcopum*. Neque enim dubitandum eſt mendoſam eſſe lectionem; & *Jeroſolymorum*, ut eſt in Gręco ſubſtituendum eſſe; ut ſcribit Petavius *de ecclaſiaſt.Hierarch.lib.*1.*cap.*8.*nu.*8.

33 Ad 5. Dicimus Petrum in ea controverſia Judicem fuiſſe, à quo finalis ſententia, præmiſſa conſultatione, proceſſit. Quod conſtat ex verbis Scripturæ ibi: nam cùm congregati eſſent Apoſtoli, & ſeniores videre de legalium quæſtione, *Surgens Petrus dixit, &c.* Surrexit Petrus ad ſignificandum munus ſuum decidendi ſibi à Domino traditum, quod promptè exequi ea actione monſtrabat. Poſt Petrum Jacobus deferens dignitati Petri loquutus eſt; cui Petrus hunc honorem detulit, ut in ſua ſede degens loqueretur, permittens ſuo officio uti. Nec locutio Jacobi fuit confirmatio ſententiæ Petri, ſed vel conſenſio, vel promulgatio, aut commendatio. Hinc Hieronym. *Epiſt. ad Auguſt.*75. *inter Auguſtinianas, Petrum principem ejus decreti vocat*. Jacobus verò Petri ſententiam commendavit, & promulgavit; quam, ut faciliùs ſuo gregi perſuadeat, pluribus Scripturæ teſtimoniis confirmat. Neque illud *judico*, quo Jacobus uſus eſt, ibi importat actum judicialem, & ultimò definitivum: nam controverſia jam à Petro fuerat ultimò definita; ſed idem eſt, ac puto, arbitror; quæ ad actus extrajudiciales transferuntur. De qua re nobis agendum eſt *contr.*8. Reſolventes ſuperioritatem Papæ ſupra Concilium.

Opponunt 3. Petrus fuit Eccleſiæ membrum juxta illud Pauli 1. *ad Corinth.*12. *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*: ergo eſt minor ſuo toto, quod eſt Eccleſia: atque ita in ea primatum non habet.

Item. Petrus fuit Miniſter Eccleſiæ *Cap. Quodcumque* 24.*q.*7. Ergo Eccleſia eſt domina; & inde major miniſtro ſuo, quod patet ex textu *Lucæ* 22. ubi Chriſtus dixit, qui recumbit majorem eſſe eo, qui miniſtrat; Eccleſia autem eſt recumbens, & Petrus miniſtrabat: ergo, &c.

Ampliùs. Chriſtus eſt Caput Eccleſię: ergo non fuit Petrus: aliàs corpus Eccleſię monſtruoſum eſſet, duplici capite conſtans, ſicut humanum corpus deforme eſſet, duplex caput habens: ergo, &c.

34 R. Sanè Petrus fuit, & Romanus Pontifex eſt membrum, at non quodcumque, ſed principale Eccleſiæ, Caput nimirùm, à quo in Eccleſia juriſdictio Eccleſiaſtica derivatur. Quinimò membrum abſolutè dici non poteſt: membrum enim, quà membrum partialitatem importat, & partem corporis dicit, quæ ab alio recipit influxum; capitis verò nomine ſignificatur principium, & origo ejuſdem. In Petro autem non fuit, nec eſt partialitas juriſdictionis, ſed plenitudo, à quo ordinatè abſque ſuæ totalitatis præjudicio ju-

juriſdictio membris habilibus communicatur; & ideò non eſt majus intenſivè cum ipſa Eccleſia, quàm ipſe ſolus, ſine quo Eccleſia integra non diceretur, ſed acephala.

Auctoritas D.Pauli denotat Chriſtum, quà hominem, eſſe membrum divinitatis, ſed reſpectu Eccleſiæ eſt Caput: ita Petrus Romanuſque Pontifex, ut Chriſti Domini influxum recipit, plenam nimirùm ſupernaturalem poteſtatem, membrum dicitur, Caput verò prout toti Eccleſiæ fuit à Chriſto præfectus.

35 Ad 1. Fuit quidem Petrus Eccleſiæ miniſter, at non eo ſenſu, quem intendunt adverſarii, qui contendunt, ideò fuiſſe miniſtrum, quia ab ea juriſdictionem recepit: hoc enim titulo eſt ſolius Summi Paſtoris Chriſti Domini miniſter, ut dictum eſt *contr.præter.cap.1.num.12.* Dicitur verò miniſter Eccleſiæ, quatenus à Chriſto Supremus Paſtor conſtitutus eſt, ut ſerviret, & miniſtraret corpori myſtico Eccleſiæ in ordine ad finem ſupernaturalem. Neque ex hoc habetur eum eſſe Eccleſiæ ſubjectum. Siquidem cum ejus miniſterio connexum eſt magiſterium, & totius Eccleſiæ præfectura cum plena juriſdictione. Etiam Chriſtus, quia opem, & auxilium præſtitit ſe miniſtrum non dedignatus eſt appellare, dicens *Matth.20. Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare*, & tamen quis, niſi fatuus, dixerit, eum fuiſſe Eccleſiæ ſubjectum, & in ea primatum non tenuiſſe? Quare illud Lucæ intelligitur de eo, qui puro miniſterio inſervit impendendo ſuũ auxilium, ſeù alterius operationi obſequendo, quomodo ſervus dicitur miniſter Domini; non verò de eo, qui ita miniſtrat, ut cum ipſo miniſterio ſimul Principatus, & poteſtas dominativa conjungatur; aliàs & Reges non eſſent Regno majores.

Dices. Romani Pontifices titulo, *Servus Servorum Dei;* quem ſuæ perſonæ, vel officio adjungunt, proteſtantur ſe Eccleſiæ ſubiici: ergo ex ipſorum confeſſione primatum in Eccleſia non obtinent, ſed illa inferiores ſunt.

36 R. Præjactus titulus à Romanis Pontificibus in humilitatis ſignum adhibetur, non ſe exiſtimantes poteſtate dominari, nec Pontificiæ dignitatis faſtigio ſuperbientes, ſicut Reges mundani faſtoſa dominatione ſe extollunt, ſed humili ſervitute, & charitate ſervientes felices ſe dicunt, ut patet ex *Innoc.III.Serm.2.de Pontif.conſecrat. Ubi Servum Servorum ſe appellari dicit, & miniſterium* ſubdit: *mihi vendico, dominium non, uſurpo, illius primi, & præcipui prædeceſſoris exemplo, qui ait, non quaſi dominantes in Cleris 1. Petri cap.5.* Ideò inutilis eſt conſequentia. *Papa eſt miniſter Eccleſiæ:* ergo eſt Eccleſiæ ſubjectus.

37 Ad 2. Chriſtus eſt caput primarium, & ultimum Eccleſiæ, fundamentum, & fundator, per internum influxum gratiæ nunc dirigens inviſibiliter Eccleſiam, ſed non excludit Caput ſecundarium, & Vicarium ipſam regens in externa gubernatione. Planè dum Chriſtus in terris fuit, utroque modo Eccleſiam rexit: Sed aſcendens ad Patrem, Petrum Romanoſque Pontifices ſuos Vicarios reliquit, ut eam viſibiliter gubernarent. Nec Pontifex eſt Caput in comparatione ad Chriſtum, ſed ad nos; neque in comparatione ad nos eſt caput primarium, ſed Vicarium. Ideò Eccleſia monſtruoſa non eſt: duo enim capita diverſi ordinis in eodem corpore non repugnant; nec ipſum monſtruoſum, aut bicepſ reddunt. Ita mulier naturale ſui corporis caput habet, & ejuſdem caput morale eſt vir ad *Epheſ.5.* Et mortalis quilibet Princeps eſt ſui Principatus caput, & rector, & tamen ejuſdem Princeps Supremus eſt Deus.

Dices. Monſtruoſa deformitas eſt, quòd cuilibet Eccleſiæ particulari duplex caput aſſignetur: tunc enim non modò myſticum corpus Eccleſiæ duplex caput haberet primarium Chriſtum Dominum, & ſecundarium Petrum, verùm & ſingula illius corporis membra (Eccleſiæ enim particu-

lares

lares membra ſunt unius Corporis Chriſti, hoc eſt, Eccleſiæ univerſalis) & duo haberent capita, proprium nimirùm Epiſcopum, & Petrum, & ſubinde Romanos Pontifices; ſed quid magis abſurdum, quàm tot capita in Eccleſia conſtituere, quot ſunt illius corporis membra? Hoc autem ſequitur, conceſſo Petri primatu.

Item, ſi Petro à Chriſto primatus totius Eccleſiæ traditus eſſet, fuiſſet caput corporis myſtici Eccleſiæ: At, hoc dato, ſequitur, quòd, Petro mortuo, Eccleſia defecerit: ſicut à corpore naturali capite abſciſſo, corpus moritur, hæreſis autem eſt dicere Eccleſiam defeciſſe, ut dictum eſt *contr.1.cap.3.* ergo & quod Petrus habuerit primatum Eccleſiæ.

38 R. Res profectò monſtruoſa eſſet, ſi eidem particulari Eccleſiæ concederentur duo capita, Paſtores, & Epiſcopi, qui eſſent paris poteſtatis, quod nos minimè aſſerimus. Hinc dicimus quamlibet particularem Eccleſiam à ſuo Epiſcopo, ut immediato, & particulari Paſtore cum ordinaria poteſtate, ſed terminis reſtricta, gubernari. Verùm tam ipſe, quàm ſua Eccleſia Romano Pontifici ſubſunt; cùm à Chriſto conſtitutus ſit ordinarius generalis Paſtor Eccleſiæ univerſalis, cum ampliſſima poteſtate ſupra inferiores Paſtores, & ſingulos horum greges dicente Pio II. d. conſt. in minoribus, ex Bernardo 3. *de conſiderat.cap.8.ad Eugenium. Tu princeps Epiſcoporum, Tu es, cui claves traditæ, cui oves commiſſæ ſunt.... Sunt quidem, & alii Cæli janitores, & gregum Paſtores; ſed tu tanto glorioſiùs, quantò differentiùs utrumque præ cæteris hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi univerſi crediti uni ſumus. Nec modò ovium, ſed & Paſtorum, tu unus omnium Paſtor.* Ideò monſtrum nullum eſt, ſed res ordinata, ut unaquæque Diœceſis duos habeat Paſtores, non tamen paris auctoritatis, & juriſdictionis (ex hoc enim confuſio oriretur) nullus enim Epiſcopus, niſi hæreticus, conceſſerit ſe pari auctoritate cum Romano Pontifice gaudere. Idque neceſſarium eſt ad ſervandam Catholicam Unitatem; quæ per obedientiam, ſubordinationem, ac communicationem inferiorum ad Romanum Pontificem unicè cuſtoditur.

39 Ad 2. Alia ratio eſt corporis myſtici, alia verò corporis naturalis. Ideò, præciſo à corpore naturali capite, illud non vivit, quia tunc quilibet in corpus ceſſat influxus internus, etiam radicalis. Nullaque propter defectum phyſicę unionis cum capite remanet in membris vis ad operandum: tunc enim ex capite tanquam ex fonte derivari non poſſunt in membra ſpiritus ſenſitivi. Unde fit, ut reliqua membra non poſſint vitam conſervare, & ſuas functiones exercere. Præciſo verò, vel, ob mortem, aut reſignationem à corpore myſtico Eccleſiæ Pontifice, ejus capite, non ceſſat in ea internus influxus gratiæ à Chriſto Domino. Nec quicumque externus; nam in ea adhuc ſunt Epiſcopi, qui oves ſibi ab Apoſtolica Sede concreditas ad regulas canonum, & fidei dictamen dirigunt, & gubernant. Eſt pariter in ea poteſtas ad alium eligendum in Pontificem, cui à Deo ſumma juriſdictio Eccleſiaſtica tribuatur, & quem Fideles præparatione animi, ſicut Electum, actu, Caput Eccleſiæ recognoſcunt.

Opponunt 4. D. Petrus ſignificat ſe curam gregis non habere, ſed eſſe apud Epiſcopos; quos *Epiſt.1.cap.5.* hortatur, *paſcite, qui in Vobis eſt gregem Dei:*

Ampliùs. Eccleſiam eſſe Petro, & Pontifice majorem conſtat ex illo Matth.18. *Si peccaverit in te frater tuus vade, &c. quod ſi te non audierit, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus;* quæ verba dicta ſunt etiam Petro, & Succeſſoribus, ut deferrent peccatores ad Eccleſiam: ergo agnoſcere debent tribunal Eccleſiæ ſuo majus:

40 R. Argumentum eſt Calvini, qui non advertit Petrum non dixiſſe, *paſcite totum gregem Dei* (ſicut ei dixit Chriſtus, *paſce oves meas*) ſed reſtrictè loquutum, *qui in*

Vobis eſt, hoc eſt, qui vobis ſubditus eſt, & reſpectivè commiſſus: adeò ut ſenſus ſit, ut ſinguli particularem Eccleſiam ſibi cõmiſſam gubernent, quando ipſi totius Eccleſiæ cura eſt. Fortè, ex quo Rex Hiſpaniæ ſuos Vicereges moneat, ut commiſſos ſibi populos fideliter regant, concludi poteſt Regẽ Hiſpaniæ non eſſe illorum populorum Regem? conſequentia non tenet: ergo à pari ex monitione Petri ad Epiſcopos, & particularium Diœceſium capita, non ſequitur ipſum non fuiſſe illarum Diœceſium, totiuſque Dominici gregis caput ſupremum. Ipſe enim pro ſua adæquata Diœceſi habebat totam Eccleſiam, ſicut Epiſcopus Florentinus Florentinam, & Lucanus Lucanam Eccleſiam, & cùm Petro ſuccedant Romani Pontifices, hoc totum in iſtis pariter procedit.

41 Ad 2. Ea Chriſti ſententia omnes utuntur quotquot Concilii majorem eſſe quàm Romani Pontificis auctoritatem diſputant. Verùm *contr.*8. eos aberrare manifeſtum erit. Illo itaque textu præcipitur privata, & fraterna correctio; ubi verò quis cum delinquente non proficit, obduratuſque is fuerit, denuntiandus erit Eccleſiæ. Quo nomine non Communitas Fidelium per orbem diſperſa intelligitur: etenim criminis propalatio, potiùs apud plebem noceret, quàm prodeſſet: Quomodò hanc peccator audiret? Quomodo illi obediret? Neceſſe eſſet, ut totum orbem circumiret, & ita actum eſſet de fœminarum honeſtate, & religioſorum diſciplina, nec alia deeſſent pericula. Nec intelligitur Eccleſia in Concilio congregata; ridiculum enim eſſet ita præceptum intelligere, ut quoties peccantem aliquis, privata reprehenſione correctum denuntiare vellet, generale Concilium ex Epiſcopis omnibus congregandum foret. Hinc ſenſus eſt, *dic Eccleſiæ*, hoc eſt, Eccleſiæ Prælato: Prælatus enim Eccleſiam repræſentat. Hoc idem praxis Eccleſiæ demonſtrat; cæterùm quotidiè delinquentes denuntiantur Epiſcopis, & ſi cauſa de majoribus eſt, Summo defertur Pontifici, nec expectatur congregatio Concilii: quod ſi Prælatum non audit, ab eo præcidatur à Fidelium communione, & à Chriſtianorum cætu per cenſuram expellatur, ut inde tibi ſit *Sicut Ethnicus, & publicanus.*

42 Cùm ſubditur verbis illis, etiam Petro, & Pontifici demandatum eſſe, ut delictum ad Eccleſiam deferrent. Sciendum eſt, Prælatum Eccleſiæ poſſe dupliciter conſiderari, vel, ut perſonam privatam, & extra judicium, vel, ut perſonam publicam, & judicialiter procedentem: qua diſtinctione præmiſſa, inconveniens non eſt, & Petro, & Papæ dictum eſſe, *dic Eccleſiæ*, hoc eſt, dic tibi ipſi; quatenus verò ut perſonam privatam charitativè admonentem te delinquens non audiat, remitte eum ad te, ut ad perſonam publicam: & tunc *dicere Eccleſiæ* aliud non erit, quàm exire in actum judicii puniendo delinquentem: Quod habetur ex *Epiſt.*265. Gregorii, qui ad Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcripſerat: *Servamus, quod veritas dicit; Si peccaverit in te, &c. ego itaque per reſponſales meos ſemel, & bis verbis humilibus, hoc, quod in tota Eccleſia peccatur, corripere ſtudui, per me ipſum ſcribo: quidquid humiliter facere debui, non omiſi: ſi in ea correctione deſpiciar, reſtat, ut Eccleſiam meam adhibeam, hoc eſt, Eccleſiaſticam cenſuram opponere.* Quod præſtitit, nullo convocato Concilio.

At quid, ſi Papa delinqueret, & Eccleſiam ſcandalizaret? Sanè foret Concilio denuntiandus, aliàs de remedio ponendo actum eſſet.

43 R. De remedio eſſet proviſum; nam in caſu poſſent Domini Cardinales Papam humiliter monere, & modeſtè cum ipſo agere ea modeſtia, qua Paulus uſus eſt cum Petro; & præſertim Deum pro eo Eccleſia deberet orare; quo remedio uſa eſt Eccleſia, cùm ſuum Caput Petrus in carcere detineretur: & ideò negamus Concilio denuntiandum eſſe, de quo *contr.*8.

C A·

CAPUT II.

An D.Petrus ſimul cum Paulo fuerit Caput Eccleſiæ?

SUMMARIUM.

1 *Opinio Anonymi circa Primatum Pauli cum Petro.*
2 *Solus Petrus non ſimul cum Paulo fuit Caput Eccleſiæ.*
3 *Ea de re teſtimonia Scripturæ.*
4 *D.Paulus non fuit exceptus ab illis verbis.* Paſce oves meas.
5 *Solius Petri Primatus probatur Patrum doctrinis.*
6 *Idem Pontificiæ conſtitutiones confirmant.*
7 *Petrus, non Paulus Vicarius Chriſti.*
8 *Natura in rebus naturalibus ſtatum Monarchicum adumbrat.*
9 *Aſſociatio Pauli cum Petro in Primatu Eccleſiæ reprobatur.*
10 *Paulus Petrum ſibi ſuperiorem recognovit.*
11 *Paulus Evangelium accepit per revelationem à Jeſu Chriſto; & cur ipſum cum Petro contulit? &* n.19.
12 *Succeſſio Pontificum à Petro initium ſumit.*
13 *Sententia Anonymi ab Innocentio X. proſcripta.*
14 *Petrus gentibus, & Judæis prædicavit: idem de Paulo.*
15 *Qua ratione inferiores poſſint corrigere Superiores?*
16 *In quo Paulus fuerit par Petro?* nu.20. *&* 22.
17 *Petrus à Paulo non fuit reprehenſus de errore in fide.*
18 *Cur Paulus in uſu legalium non reprehenſus?*
19 *Paulus par Petro in Apoſtolatu.*
20 *Paulus plus cæteris Apoſtolis in prædicatione Evangelii laboravit.*
21 *Quo titulo Paulus antonomaſticè Apoſtolus dicatur?*
22 *Paulus fuit ſubditus Petro.*
23 *Paulus fuit cæteris Apoſtolis ſapientior.*
24 *Qua ratione Romanus Pontifex Epiſcopos fratres appellet?*
25 *Paulus fuit caput nationum.*
26 *Quo jure Apoſtoli dicantur Principes Eccleſiæ?*
27 *Poteſtas Petri ordinaria, illa Apoſtolorum ex privilegio, & delegata.*
28 *Oves Chriſtus Petro non Paulo commendavit uſque ad* 34.
35 *Cur Patres Pontifices appellent ſucceſſores Petri, & Pauli?*
36 *Eccleſia Romana alia ratione dicitur Thronus Petri, & Pauli.*
37 *Petrus fuit Epiſcopus ordinarius Urbis Romæ, uſque ad* 39.
40 *Formula Pontificum conſociandi in Bullis nomina Petri, & Pauli.*
41 *Duplex genus rerum comparativè ad Petrum, & Paulum.*
42 *An dignior ſit locus in dextris, quàm in læva?*
43 *Cur Paulus à dextris Petri ſæpè ponatur?*
44 *Ultimum* vale *Pauli, datum Petro, hujus primatum confirmat.*

1 DE anno 1645. Anonymus quidam opinionem evulgavit, jam diù à Marco Antonio de Dominis confictam, qua oſtendere conatus eſt non ſoli D.Petro, ſed item D.Paulo fuiſſe Primatum regiminis Eccleſiæ traditum; inde ſtatuens D.Paulum fuiſſe ſimul cum Petro primarium Epiſcopum, eamdemque Cathedram obtinuiſſe, ac parem Capitis, & Paſtoris Eccleſiæ auctoritatem, & dignitatem habuiſſe. Quoniam verò urgeri ſe videbat, quòd, eo ſyſtemate poſito, duo capita, & Principes de neceſſitate in Eccleſia fuiſſent, contra à Chriſto Domino inſtitutam regiminis Monarchici formam, juxta dicta *contr.ant.* ſenſum propriæ ſententiæ reſtrinxit, adjecta videlicet limitatione, & conſtituens D.Paulum caput Eccleſiæ, non ſeorſim ſumptum; ſed cum D. Petro, adeò ut

ut non duo Capita eſſent, ſed ambo ſimul efficerent unum integrum in Eccleſia Principem, ſupremumque Caput. Quæ opinio ſub eodem tempore fuit ab Innocentio X. proſcripta, omnique fundamento caret. Quę proinde ut manifeſtè teſtimoniis Scripturæ repugnans à Patribus reiicitur, & communis Theologorum ſenſus falſam, inſanamque eſſe pronuntiat: affirmans Eccleſiæ Primatum fuiſſe Petro à Chriſto ſingulariter traditum, privativè quoad Paulum, ſive alios quoſcumque, exceptis tamen Romanis Pontificibus, qui Petro in Primatu ſuccedunt, ex dicendis *controv. ſequenti*.

2 Dicendum. *Solus Petrus, & non ſimul cum Paulo fuit à Chriſto caput Supremum Eccleſiæ conſtitutus*. Eſt de fide. Defenditur à Diana *coord.to.9.tr.13. de Primatu ſolius D. Petri*. Macedo *de clavib. Petri lib.1.capit.1.* Beccano *to.6.opuſc.lib.2.ca.7.obiect.7.* Guarnieri *lib.2.de Eccleſ.milit.cap.3.§.6.* Leytam *Clyp.dignit.Pontif.diſceptat.3.ſect.6.*

3 Probatur 1. De hac re non aliter diſcurri poteſt, quàm fuerit ab Inſtitutore Chriſto diſpoſitum. Sed diſpoſitio Chriſti fuit, ut ſolus Petrus, non verò ipſe ſimul cum Paulo eſſet ſupremum Eccleſiæ caput: ergò, &c. Major eſt certa. Minor inde patet, quòd de diſpoſitione Chriſti, non poſſumus aliter diſcurrere, quàm nobis ſcripturis ſit manifeſtum; ſed nobis Scripturę ſignificant à Chriſto fuiſſe diſpoſitum, ut ſolus Petrus privativè, etiam quoad D.Paulum eſſet Caput Eccleſiæ. Siquidem hic eſt ſenſus textus *Matth.16. Ego dico tibi, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Tibi dabo claves regni Cœlorum*. Et textus *Joan.ult. Paſce oves meas*. Quæ teſtimonia expreſsè demonſtrant Chriſtum Dominum ſoli Petro promiſiſſe, & ſubinde dediſſe Eccleſię primatum. Quinimò, cùm hęc propoſitio, *paſce oves meas*, fuerit univerſalis (non enim Chriſtus dixit paſce has, vel illas, ſed abſolutè *oves meas*) comprehendit, etiam Paulum, qui planè, & ab Anonymo ovem Chriſti fuiſſe non negabitur, & ad Chriſti ovile pertinere.

Reſpondet Anonymus, D. Paulum ex privilegio excludi ab illa univerſali, *paſce oves meas*, quemadmodum ſecundùm claſſicos Doctores B.Virgo excipitur ab illa regula generali: *Omnes in Adam peccaverunt*.

4 Contra. Neque ratione ulla, aut aliquo Scripturæ textu, vel Patrum auctoritate colligi poteſt privilegium exceptionis D.Pauli ab illis verbis univerſalibus, *Paſce oves meas*, eumque non fuiſſe D.Petro in regimine ſubditum; ſicut ex Patrum, & nonnullorum Doctorum auctoritate, colligitur, excepta B.Virgo ab illa generali regula, *Omnes in Adam peccaverunt*: ergo reſponſio Anonymi falſa prorſus eſt. Maximè quia, univerſales Sacræ Scripturę propoſitiones illos non includunt, quos aliundè colligitur habere privilegium exceptionis in contrarium. Conſtat autem B.Virginem in illa regula comprehenſam non eſſe. Nam Alex.VII. in ſua conſtitutione *Solicitudo* 117. *Bullar. tom.5.* declaravit B. Virginem à peccato originali præſervatã fuiſſe. Et Trid. *ſeſs.5. in decret. de peccat. originali* decrevit B.Virginem non comprehendi ſub definitione ſua generali de peccato originali: conſequenter facultatem dat dicendi eam in illa generali locutione Scripturæ non includi. Nulla autem eſt auctoritas, quæ Paulo d.privilegium pręſervet, ut non fuerit ſubditus Petro; ſed potiùs Patres, Concilia, & Pontifices contrarium ſtatuunt, & non ſemel promulgant:

5 Probatur 2. Concluſio Patrum teſtimoniis. Damaſus Papa *Epiſt.4.* inquit. *Princeps Apoſtolorum Petrus ſolus, & præ omnibus creditus eſt, ac percipere meruit à Rege Regum Chriſto claves regni Cœlorum: Solus*, ergo Paulus excluditur. Pacianus *Epiſt.3. ad Symphorianum: ad Petrum locutus eſt Dominus: ad unum ideò ut veritatem fundaret ex uno*: ergo non ex duobus.

D.Cyprianus *de unit.Eccleſ. Super illum*

unum

unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas: ergo & Paulum, qui fuit ovis Chriſti.

D.Leo *Ser.3. die anniverſar. ſui Pontificat. Unus de toto mundo Petrus eligitur, qui & Univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur;* adeòque & Paulo, qui unus Apoſtolorum fuit.

Optatus Milevitanus *lib.7. de ſchiſmat. Petrus præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claves regni Cœlorum communicandas cæteris ſolus* (nota) *accepit.*

Petrus Damianus *Serm.27. Unus eſt, quem prænobilitant ſingularis primatus inſignia. Unus*, ergo Petrus, & non cum Petro, etiam Paulus.

D.Auguſtinus *Serm.137. de verb. Evangel. Joan.10. cap.3. Dicit enim* (Chriſtus) *Petro, in quo uno format Eccleſiam. Serm.147. de verb. ejuſd. Joan.20. Simon Joannis, &c. cap.2. In uno Petro figurabatur unitas omnium Paſtorum. Lib.2. de baptiſ. contr. Donatiſt. cap.1.* referens verba Cypriani, ait, *Ecce, ubi commemorat Cyprianus Apoſtolum Petrum, in quo Primatus Apoſtolorum, tam excellenti gratia præeminet:* Et infra ſua ponit. *Quapropter cùm Petrus illud faciens à Paulo poſteriore corrigitur.* Obſerva illud *poſteriore*, quo denotatur non æqualitas Pauli cum Petro, ſed ſubjectio in regimine.

Hieronymus *lib.5. contr. Jovinian. Inter duodecim Unus eligitur, ut, capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio.* Omitto alia Patrum teſtimonia, quæ videri poſſunt apud allegat. Macedo, & Dianam; quę cum productis optimè concludunt primatum juriſdictionis in ſolo Petro, ac apertè ponunt ſubjectionem D.Pauli ad Sanctum Petrum.

Reſpondet Anonymus, non officere, ſi nonnulli ex Patribus ſolùm mentionem faciant de Petri Primatu, non Pauli; nam non loquuntur excluſivè, ſicut, cùm in Scripturis Pater Deus appellatur, non excluditur divinitas Filii.

Contra. Diſcrimen obvium debebat Anonymo occurrere. Ideò enim in Scripturis expreſsa divinitate Patris, non excluditur divinitas Filii, quia alibi Scriptura facit mentionem de Filii divinitate, ut *Joan.1. Deus erat Verbum, & cap.5. Nemo aſcendit in Cœlum, &c.* & *cap.7. Si videritis Filium hominis.* Ibi *cap.20.* paucis verbis Thomas expreſſit: *Dominus meus, & Deus meus.* Et alibi ſæpè Scriptura id dicit, & pariter Traditione conſtat. Nullibi verò Scriptura Primatum Pauli commemorat; & Traditione excluditur.

Inſtat. Sufficere quòd plures Patres Paulo primatum tribuant.

Contra. Cùm Scriptura nec verbum quidem unum afferat de Pauli primatu, ubi Patres ſecundùm Anonymum Paulo primatum videntur tribuere, reducendi ſunt ad habilem ſenſum, ut nimirùm loquantur non de primatu regiminis, ſed ſcientiæ, de quo in objectionibus.

6 Idem probatur 3. ex litteris Unionis editis in Concilio Florentino, ubi hęc Eugenius IV. *Definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B.Petri, Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B.Petro paſcendi, & gubernandi Univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Hìc definitum eſt Pontificem eſſe ſucceſſorem B. Petri, non Pauli: aliàs trunca, & manca foret Concilii definitio, quod abſurdum eſt dicere; & majoris inſaniæ, ac temeritatis ipſam alterare per additionem Pauli. Item, Concilium vocat *B.Petrum Principem Apoſtolorum:* ergo & Pauli: Tandem ſubdit, Pontifici in B.Petro à Chriſto traditam eſſe plenam poteſtatem, ſi in Petro: ergo non in Paulo.

Idem habetur ex Innocentio III. *in cap. Solitæ de major. & obed.* ubi ait. *Dominus dixit ad Petrum, & in Petro dixit Succeſſoribus ipſius:* quodcunque ligaveris ſuper

terram, erit ligatum & in Cęlis, &c. *Nihil excipiens, qui dixit, quodcumque*. Si in Petro, non in Paulo: & ſi nihil excepit,& Paulum ſubditum conſtituit.

7 Idem legitur *In Extravag. Unam Sanctam eod.tit. int.conc.* per hęc. *Eccleſiæ unius, & unicæ, unum corpus, & unum Caput, non duo capita, quaſi monſtrum: Chriſtus videlicet, & Chriſti Vicarius Petrus, Petrique Succeſſor: dicente Domino paſce oves meas: meas inquit generaliter, non ſingulariter has, vel illas: per quod commiſiſſe ſibi intelligitur univerſas*. Ubi non dicitur Paulus, ſed Petrus Vicarius Chriſti: nec Paulo, ſed Petro Chriſtus oves paſcendas committit,& non has, aut illas, ſed univerſas; adeòque & Paulus tanquàm Chriſti ovis fuit ſub regimine Petri conſtitutus; quod ſanè in illis verbis: *paſce oves meas*, implicitè, & virtualiter revelatur.

8 Deinde. Eccleſia eſt una ex Symbolo Nicęno, *& unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*, ejuſque forma regiminis Monarchica, ut diximus *controv. præter.cap.3.* Una autem minimè eſſet, ſi Paulus etiam fuiſſet caput Eccleſiæ; nam *una* (aliis titulis omiſſis) *ab uno Paſtore dicitur, cui plebs Chriſtiana adunata coheret*, ex Cypriano *lib.4.Epiſt.9.* Nec Monarchicè regeretur; etenim ad eſſentiam Monarchiæ ſecundùm notata loc.alleg. pertinet, ut unus ſummus præſideat, & cæteris imperet; in quo concordant Doctores, quos cumulat. Diana *cit.ſect.3.v. Dicendum eſt igitur*. Et conſtat exemplo rerum, in quibus natura, ut obſervat Henricus Velſtenius *politicar.quæſt.decad.7.q.3.* Monarchiã expreſſit: ita *rerum principia unam cauſam; apes, & grues unum regem; partes corporis cor unum, & unum caput; orbis lineas unum centrum; ſtellas omnes unum recognoſcere*: ergo & in Fidelium congregatione unus Rector eſt Petrus, ejuſque poſt eum Succeſſores.

Reſpondet Anonymus, ſe ſua opinione non lædere Eccleſiæ unitatem, & ſtatum Monarchicum, hoc titulo, quòd quamquàm affirmet Petrum, & Paulum fuiſſe Pontifices, non duo tamen conſtituit capita, ſed ambo unum Eccleſiæ Caput faciunt: & affert exemplum de SS.Trinitate, in qua eſtò ſint tres perſonæ realiter inter ſe diſtinctæ, tamen non tres orbis Domini ſunt, ſed unus Dominus, unus Rex, & unus Monarcha.

Contra. Hæc nova, inaudita, & chimerica mixtio, ac conſociatio Pauli cum Petro in ſuprema Eccleſiæ prefectura teſtimoniis ſuper allegatis reprobatur, aliiſque verboſo invento magis occurrimus.

9 Primò. Itaque jam aſſociationem pecutit Pius II. *Conſt.In minoribus X. Bullar. to.1.* ubi §.3.hęc ſunt. *Nec profectò in alium tanquam ſui exercitus ducem, ſupremam auctoritatem Chriſtus principaliter derivaſset, quàm in ſuum Vicarium, qui primus fuit Petrus, cui commiſſam novimus Dominici gregis curam; nec duos, pluresve Petros Evangeliſtæ commemorant; nec duos, aut plures inſtituit Dominus, qui ſuum locum, tanquam capita tenerent æqualia, ſed unum conſtituit, ut Verticem, ac Ducem, & Paſtorem univerſi gregis, Simonem Petrum dicens. Tu es Petrus, &c. Quæ nulli alteri ſeorſim dicta leguntur, niſi Petro; ut in Petro unitas, & ſumma contineretur auctoritas*. Et §.10.*Cùm* (Chriſtus) *aſcendiſſet in Cęlum, eum indubitanter ſui gregis paſtorem reliquit, cui dixerat*, paſce oves meas; &, tibi dabo claves regni Cœlorum; *neque enim dixit, & non fecit, qui ſolus eſt verax: Grex Chriſti Eccleſia eſt. Paſtor primus ipſe Chriſtus fuit...... Secundus Paſtor Petrus extitit ab ipſo Domino inſtitutus, atque omni poteſtate donatus, quæ ad benè regendum commiſſas oves neceſſaria dicitur.* In quibus clarè patet Petrum abſolutè, & non aſſociatum cum Paulo à Pontifice dici ſupremam poteſtatem ad regendas oves neceſſariam à Chriſto recepiſſe, & non cum eo Paulum.

Secundò. Tantùm abeſt, quòd Paulus paris, & æqualis poteſtatis fuerit cum Petro, ut potiùs Scriptura eum Petro inferiorem oſtendat.

10 I.

10 I. *Actor.*15. Ipſe cum Barnaba aſcendit Jeroſolymam ad *Apoſtolos, & Presbyteros*, occaſione quæſtionis excitatę ſuper obſervatione Legalium. In Concilio Petrus omnium Princeps, Primus Eccleſiæ, ſupremuſque Judex quæſtionem decidit, & legalia non eſſe obſervanda definit. Paulus autem ſiluit, & Petri ſententiam, ſicut cæteri Apoſtoli, reverenter recepit. Unde Hieronymus *Epiſt.*75.inter Auguſtinianas. *Petrum hujus decreti Principem fuiſſe affirmat*: & Theodoretus in Epiſt. ad Lenonem ait: *accurrit Paulus, ut quæſtionem de circumciſione ſolutam ab eo afferret.*

Ad *Galat.*1. ubi Paulus; *veni*, ait, *Jeroſolymam videre Petrum*; hoc eſt, honorare totius Eccleſiæ caput, ac Principem Petrum, ut inquit Hieronymus in hunc locum: *Ivit non dicendi ſtudio, ſed honoris priori Apoſtolo deferendi.* Theodoretus ibi: *Cùm humana doctrina non indigeret, ut qui ab univerſorum Deo eam accepiſſet, Apoſtolorum Principi, quem par eſt, honorem tribuit.* Theophilactus ibid. *Honorans eum, ſe majorem.* Oecumenius *pergit ad Petrum, tanquam majorem.*

11 Ad Galat.2. *Iterùm, aſcendi Jeroſolymam.... & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus.* Hi erant, quos infra nominat, Petrus, Jacobus, Joannes. Cur contulit Evangelium? Cur de eo rationem reddidit? niſi, quia jactantibus pſeudo-apoſtolis, quod ejus doctrina non eſſet conformis doctrinæ Vicarii Chriſti, & Principis Apoſtolorum, neceſſe illi fuit, ut auctoritate Petri ejus doctrina (quę aliàs infallibilis erat, utpote per revelationem à Deo accepta) approbaretur, & conformis declararetur illi, quam ipſe Petrus, & cæteri Apoſtoli prædicabant, ut ea forma oſtenderet ſe rectè evangelizare, ſe unitatem amare, & primatum Petri recognoſcere: ergo paris non fuit auctoritatis cum Petro, aliàs non Petri judicium requiſiviſſet. Videantur, quæ diximus *contr.3.cap.*4.

12 Tertiò. Cùm Patres volunt unitatem Cathedræ ex uno ſedente, & Eccleſiam legitimam, ac veritatem doctrinæ fidei contra hęreticos, & Schiſmaticos ſtatuere, & confirmare, ſolent recenſere ſucceſſionem interruptam in Cathedra Apoſtolicæ Sedis, numerando ſucceſſores à Petro ad ſua uſque tempora. Inducunt in ea ſerie Petrum dumtaxat, uti caput, & Principem, & ab eo ſucceſſionem inchoantes filum Pontificum deducunt.

Unde argumentum eſt Romanam Sedem eſſe unius Petri, & Pontifices eſſe unius Petri, & non Pauli Succeſſores. Quòd ſi Romana Sedes, Pauli etiam ex æquo foret, injuriam ei, ac fidei Patres illi arrogaſſent, ſi eum prætermiſiſſent. Ita Tertullianus *lib.3. contr. Marcionem in poeticis* à Petro uſque ad Theleſphorum Succeſſionē enumerat. Optatus *lib.2.contr. Parmenianum* Donatiſtam. *Negare non potes*, ait, *ſcire te in Urbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus eſt: ergo in Cathedra unica, quæ eſt prima de dotibus ſedit prior Petrus*, cui ſucceſſit Linus: cujus Succeſſores enumerat uſque ad Liberium, Damaſum, & Siricium: S.Auguſtinus *Epiſt.*53. *ad Generoſum cap.*2. *Si enim ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt. Quanto certius; & verè ſalubriter numeramus ab ipſo Petro, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait*: Super hanc Petram ędificabo Eccleſiam meā, &c. *Petro enim ſucceſſit Linus*; & omnes enumerat uſque ad Anaſtaſium. Quo Pontifice Epiſtolam ſcribebat. An ne Patres hoc argumento uterentur, ſi Paulus ſimul cum Petro in Cathedra Romana ſediſſet, & fuiſſet Pontifex: Cur tam religioſè ſervaretur unitas in ſucceſſoribus, ſi in primo ſedente ea non fuiſſet? Malè ſanè fili deductio cum capite cohæreret. Quo circa optimè Cyprianus *Epiſt.*40. *Primatus Petro datur, ut una Eccleſia, & Cathedra una eſſe monſtretur.* Et *Epiſt.*55. *Ad Petri Cathedram & Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt.* Non dicit ad Cathedram, etiam Pauli, quod planè non taceret, ſi

cum

cum Petro Paulus regimen Eccleſiæ habuiſſet, & in eadem ſediſſet Cathedra.

Hinc exemplo, quod affert de Sanctiſſima Trinitate nihil probat. Ideò enim tres Sanctiſſimæ Trinitatis perſonæ unam Monarchiam habent, & ſunt unus Dominus, quia in eis eſt una ſingulariſſima eſſentia, una potentia, una voluntas, unus ſimpliciſſimus intellectus; ſed in Petro, & Paulo una non extabat ſimpliciſſima natura, adeòque nec una individua voluntas, nec una par poteſtas Pontificia. Erant enim ſubjecta diverſa, & diviſa, in quibus proinde una indiviſa poteſtas eſſe non poterat. Si verò dicat, quod ex particulari Dei ordinatione in illis una fuit. Sine fundamento, & neceſſitate ulla ad miracula recurrit. Si verò duas pares poteſtates fuiſſe affirmet; tunc Petrus ſummam non habuiſſet contra ſuperius ex Pio II. adnotata. Et hinc ſatis patet aſſertam ab Anonymo aſſociationem Pauli cum Petro in regimine Eccleſiæ univerſalis chimericam eſſe, Scripturæ, decretis Pontificum, & Patrum doctrinis repugnantem.

Tandem, falcem ad radicem ponit Innocentius X. à quo 24.*Januarii* 1647. Error Anonymi fuit proſcriptus, & tanquàm hęretica damnata ſententia aſſerens Paulum non fuiſſe Petro ſubjectum, ſed in primatu æqualem. Verba decreti ſunt. *Sanctiſſimus relata unanimi Theologorum ad hoc ſpecialiter deputatorum cenſura, & auditis votis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium generalium Inquiſitorum propoſitionem hanc.* S.Petrus, & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, qui unicum efficiunt: vel ſunt duo Eccleſię Catholicę Coriphæi, ac Supremi Duces, ſumma inter ſe unitate conjuncti: vel, ſunt geminus univerſalis Eccleſiæ vertex, qui in unum diviniſſimè coaluerunt: vel, ſunt duo Eccleſiæ Summi Paſtores, & Præſides, qui unicum caput conſtituunt: *ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter D.Petrũ, & S.Paulum ſine ſubordinatione, & ſine ſubjectione S.Pauli ad S.Petrum in poteſtate ſuprema, & regimine univerſalis Eccleſiæ, hæreticam cenſuit, & declaravit.* Quod refero etiam *Offic.Cur. Eccleſiaſt.cap.*29.*§*.4.*n.*15.

Opponit Anonymus. Inter Petrum, & Paulum diviſum eſt munus regendi Eccleſiam, dicente eodem Paulo ad Galat.2. *Creditum eſt mihi Evangelium præputii*, hoc eſt præputiatorum, ſeù Gentilibus annuntiandum; ſicut & Petro circumciſionis, ideſt, Judæorum: *Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum* (circumciſionis) *operatus eſt, & mihi inter gentes*; hoc eſt, idem Deus, qui in Petro ſuam vim, & efficaciam oſtendit ad Judæos convertendos, in me quoque eamdem exercuit ad converſionem gentium procurandam: ergo paris, & æqualis poteſtatis fuerunt in Eccleſię regimine. Aliàs cur potiùs Paulus ſe Petro comparat, quàm cęteris Apoſtolis?

Confirmat. Paulus ibi, *reſtitit in faciem Petro, qui reprehenſibilis erat*: ergo erat æqualis Petro.

14 R. Negatur antecedens. In allegato textu non agitur de primatu regiminis, ſed de munere ſolùm propagandi Evangelium gentibus præcipuè per Paulum, utpote Judæis exoſum, & Judæis per Petrum, quibus charus erat, ut legit Tirinus in *d. loc.* Unde diviſio illa non fuit juriſdictionis, ſed muneris, ſpectantis œconomiam, ut nimirum Evangelium propagaretur. Nec Paulus eo loco dixit ſe Apoſtolum gẽtium, ad coarctandam Petri poteſtatem, vel ad metas Petro circumſcribendas, ſed ſolùm ratione prædicationis Evangelii gentibus per eum maximè annuntiandi.

Cæterùm de Gentium converſione, & Petrus, & Apoſtoli cęteri fuerunt ſoliciti. Siquidem omnibus Chriſtus dixit *Marci ult. Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Matth.ult. Euntes docete omnes Gentes.* Quare nec Petrus privatus erat poteſtate prædicandi Gentibus Evangelium, nec Paulo interdictum fuit, ne Judæis ſecundùm opportunitatem illud prædicaret. Et reverà Petrus Evangelium prædicavit Cornelio, & toti do-

domui ipſius. *Actor.*10. Qui *cap.*15. dixit: *Vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus elegit per os meum gentes audire verbum Evãgelii, & credere.* Et Paulus debebat etiam procurare convertere Judæos: nam *Actor.* 9. de eo Chriſtus dixit. *Vas electionis eſt mihi iſte* (hoc eſt inſtrumentum ſingulariter electum) *ut portet nomen meum* (ut legatus, præco, ac Doctor) *coram Gentibus, & Regibus, &* (etiam) *filiis Iſrael*. Qui non ſemel Judæis prædicavit Actor. *cap.*13. & 14. Unde 1. *ad Corinth.*9. dicit: *factus ſum cum Judæis, tanquàm Judæus, ut Judæos lucrarer.* Hinc ipſe dictus Apoſtolus Gentium, quia primariò deſtinatus ad Gentium converſionem: Petrus verò Apoſtolus Judæorum, quia ab initio ſtudere debuit Judæorum converſioni: & hoc reſpexit Paulus ſe comparans Petro, & non Apoſtolis reliquis.

Verùm Paulus non ſic fuit Apoſtolus Gentium, ut Petro tanquam capiti non ſubordinaretur; nec obſtat, quod ad *Galat.*1. dicat, *ſe conſtitutum eſſe Apoſtolum non ab hominibus, ſed per Chriſtum.* Nam & cæteri Apoſtoli fuerunt in hoc pares cum Paulo, quòd fuerint Apoſtoli conſtituti, & à Chriſto Jeſu edocti, ſed cum ſubordinatione ad D. Petrum. Quem & ipſe tanquam Caput, & Principem recognovit, etiam in controverſia illa de obſervatione legalium inter Gentiles, & Judæos exorta, quam ipſe non determinavit, ſed pro deciſione ad Petrum acceſſit, ut dictum eſt *nu.*10.

Quinimò id dixerat, non ut ſe cæteris Apoſtolis eminentiorem oſtenderet, ſed ut erroris, & deceptionis argumentum diſſolveret. Ut enim falſi Doctores apud Galatas faciliùs errorem proprium diſſeminarent, & D. Pauli doctrinam penitùs everterent, illius auctoritatem tollere, & maculare tentarunt, ne gentes eum Apoſtolum Chriſti eſſe reputarent, ſed ſolùm Apoſtolorum diſcipulum, & ab eis miſſum; ſed qui eorum doctrinam, & mentem non eſſet aſſecutus. Et inde illius textũ pro ejus primatu ſtatuendo allegabilis haud eſt.

15 Ad confirmationem, non ſequitur: Petrus à Paulo eſt reprehenſus: ergo Petrus non habuit Eccleſiæ primatum. Sicut non benè infertur: David fuit reprehenſus à Joab 2. *Reg.*19. ergo David non habuit primatum regni. Hinc Patres ex hac ipſa Petri reprehenſione docent Superiores poſſe corrigi ab inferioribus, quando fit cum debita humilitate, & charitate. Ita Auguſtinus *Epiſt.*82. *ad Hieronymum cap.*2. *nu.*22. *Ipſe verò Petrus*, ait, *quòd à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis ſanctæ, ac benignæ, pietate humilitatis accepit: atque ita rarius, & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quod non dedignarentur, ſic ubi fortè recti tramitem reliquiſſent, etiam à poſterioribus corrigi.... Eſt laus itaque juſtæ libertatis in Paulo, & Sanctæ humilitatis in Petro.* Quare hoc? quia eſtò Petrus major Paulo fuerit, adhuc humiliter recepit à Paulo reprehenſionem.

Et notari debet ex D. Thoma 2.2. *qu.*33. *art.*4. duplex eſſe correctionis genus. Unum ex juſtitia, ex auctoritate, & juridicè. Hęc correctio fit per inflictionem legitimæ pœnæ: & hęc convenit Prælatis reſpectu ſubditorum, requirens juriſdictionem, quæ eſt in ſolis Prælatis; nec hoc reprehenſionis genere Paulus Petrum reprehendit. Aliud eſt charitatis, quæ fit per fraternam correctionem; & hæc convenit, tam ſubditis, quàm Prælatis; quæ eſt actus charitatis, quæ ad omnes proximos, ſive Prælatos, ſive ſubditos ſe extendit. Omnes enim tenemur ex charitate proximum diligere, ac proinde omnes peccantes corripere, ſervatis circumſtantiis, quas charitas exigit; cujus generis fuit reprehenſio Pauli in Petrum.

Dices. Paulus Petrum non reprehendiſſet, ſi illum agnoviſſet pro ſupremo Eccleſiæ Capite, dicente Hieronymo relato in *cap. Paulus* 2. *q.*7. *il* 2. Paulus Petrum reprehendit, *quod non auderet, niſi ſe non imparem ſciret*: idem habet Ambroſius ad cap.2. *Epiſt. ad Galat.* ergo, &c.

16 R. Negatur antecedens juxta datę di-

diſtinctionis membrum. Quod ſpectat ad Hieronymum, obſervat ibi Adnotator textum illum non reperiri in Exemplaribus S.Doctoris, ſed in Gloſſa ordinaria ad ea verba ipſius Epiſtolæ ad Galatas. Cæterùm ibi ſolutio per hæc datur. *Hoc non de officio Eccleſiaſticæ dignitatis, ſed de puritate vitæ, & Sanctitate converſationis intelligitur: Solus enim Petrus inter Apoſtolos primatum gerebat*. Hinc Paulus dupliciter poterat cum Petro comparari. Primò, quoad Eccleſiaſticam dignitatem. Secundò, quoad puritatem vitæ, & converſationis. Priori modo Paulus fuit inferior, & ſubditus Petro: poſteriori verò non impar. Affert exemplum Auguſtinus *lib.2. de baptiſm. contr.Donatiſt.cap.*1. Ubi ſcribit Cyprianum fuiſſe æqualem Petro in martyrio, minorẽ verò in poteſtate. Unde Paulus non reprehenderet Petrum, niſi ſciret ſe non imparem in puritate vitæ, & converſationis (qui enim alium reprehendit, immunis eſſe debet ab eo genere vitii, de quo alium arguit) licèt inæqualem in Eccleſiaſtica dignitate ſe cognoſceret.

Similis diſtinctio adhibetur ad locum Ambroſii. Ambroſius enim confert Petrum cum Paulo. Primò ratione poteſtatis, & hoc modo præfert Petrum, illum vocans, *primum Apoſtolorum, cui claves regni Cælorum Dominus dedit*. Secundò, ratione electionis, in quo Paulum facit Petro æqualem, quia ſicut Petrus immediatè à Chriſto electus eſt Apoſtolus, ita etiam Paulus ubi *ſupr. ad Galat.*1.

Dices. At Paulus immunis ab eo non fuit, de quo Petrum reprehendit; nam eum reprehendit, ex eo, quòd incautè, & cum ſcandalo Gentilium converſorum converſationem cum Judæis habuerit, ciboſque cum eis comederet, ex quo poterant Gentiles meritò credere legalia ſibi eſſe ad ſalutem neceſſaria; & tamen Paulus legalibus uſus eſt. Nam *Actor.16.* circumcidit Timotheum; &, ſuadente Jacobo, legalem purificationem ſuſcepit ibi *capit.*21. ergo Petrum ideò reprehendit, quia eo ſe inferiorem non agnovit?

17 R. Petrus à Paulo reprehenſus minimè fuit de errore in fide, in qua errare non poterat juxta promiſſionem Chriſti *Lucæ* 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*. Sentiebat enim legalia non eſſe ſervanda juxta à ſe definita in Concilio Hieroſolymitano, *Actor.*15. Hinc cum Gentilibus edebat, & eorum more omnibus cibis indifferenter veſcebatur. At cùm Antiochiam ipſe veniſſet, & ſubinde quidam Judæi eò ab Jeroſolymis acceſſiſſent; Petrus metu Judeos illos offendendi ſe ſubtrahebat à Gentilium convictu, ac ab eſu ciborum lege Moſayca prohibitorum; & ita in facto converſationis cum Judæis erravit, de quo à Paulo fuit reprehenſus. In quo Petrus venialiter peccaverat, ex vano nimirùm timore diſplicendi Judæis, & inconſideratione quadam, qua Gentiles ſcandalizavit, quos ſuo facto potuit inducere, ut crederent, ſe ad legalium obſervantiam pro ſalute teneri. Propter hoc à Paulo verè reprehenditur, ut d. Epiſt. inquit Auguſtinus contra Hieronymum aſſerentem, & Petrum tantùm ſimulatè, & fictè legalia obſervaſſe, & à Paulo ſimulatè, & non ex animo reprehenſum. Quod non cohæret cum textu dicente. *Petrum non rectè ambulaſſe, & quia reprehenſibilis erat*, hoc eſt, reprehenſione dignus. Videas S.Doctorem.

18 Quare nec Petrus, nec Paulus legalia uſurparunt, quòd crederent eſſe ad ſalutem neceſſaria. Verùm ideò Paulus nullius, nec levioris noxæ reus fuit in uſu cæremoniarum antiquæ legis, quia diligentiam adhibuit, & ita opportunè illis uſus eſt, ut nullus eſſet locus offenſioni, ac in circumſtantiis talibus, in quibus, tantùm abeſt, quod earum obſervatio ſcandalo fuerit, ut potiùs ædificaverit; ita circumcidit Timotheum ex matre Judæa natum (ſed Chriſtiana) ne ipſum Judæi reiicerent, ſed prædicantem audirent; & conſilio Jacobi ſe purificavit, ut oſtenderet ſe (ut à nonnullis calumniatus fuerat) non doce-

docere legem Moyſis à Deo datam non fuiſſe, & ſacrilegam eſſe, prout patet ex textu *v.*21.& *d.Epiſt.* habet Auguſtinus *cap.* 2.*nu.*9. Petrus vero è contra ex inconſideratione leviter peccavit, quia non attendit, ut attendere debuerat (cùm Paſtor eſſet Eccleſiæ) ad ſcandalum, quod ex illius facto in Gentibus ſuboriri poterat. Et hinc inſtantia nihil ad primatum Pauli cum Petro.

Opponit 2. Paulus eadem Epiſt.parem, & minimè ſubditum Petro ſe cognovit, ideò dixit: *Quibus* (hoc eſt, Petro, Jacobo, & Joanni, quos nominat *v.*9.) *neque ad horam ceſſimus ſubjectione, &c, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt ſocietatis eidem, & Barnabæ.*

19 R. Fuit Paulus planè par in Apoſtolatu cum Petro, & cæteris Apoſtolis; à quibus doctrinam Evangelii non didicit, ſed per revelationem à Chriſto Jeſu accepit, ut dictum eſt; propterea ibi *v.*6. dixit: *Ab iis autem, qui videbantur aliquid eſſe* (Petro videlicet, Jacobo, & Joanne, qui erant apud omnes maximæ auctoritatis, ſalvo Petri primatu (licèt ante ſuam à Chriſto vocationem fuerint piſcatores, rudes, & illitterati) *nihil mihi contulerunt:* hoc eſt, nihil addiderunt doctrinæ meæ, quam cum illis contuli, ſed probarunt; ac *dederunt mihi dexteras ſocietatis;* hoc eſt, in Apoſtolatu ſocium agnoverunt. Quinimò non ſolùm ſibi, ſed & Barnabæ dexteras porrexerunt, ut ibi textus. Et inde ſi ex eo Anonymus intendit probare æqualitatem Pauli cum Petro, idem de Barnaba, ut dicat, oportet, quod ſanè non debet.

Immò obſervatur, verba illa textus, *quibus, &c.* non referri ad Petrum, Jacobum, & Joannem, ſed ad falſos fratres (quos nominat *v.priori*) judaizantes, ſeù redigentes Galatas in priſtinam ſervitutem legis Moſaycæ, à qua per Chriſtum liberi ſumus. Illis itaque nec per nomen tum ſubiici voluit, cum illis judaizando, ſed totus fuit in libertate chriſtiana tuenda, curam adhibens, ut veritas Evangelii Galatis prædicata, undequaque ab erroribus illibata præſervaretur.

Dices. Eadem ratio non eſt de Barnaba, ac de Paulo. Siquidem Paulus 2. *ad Corinth.*11. ait, *ſe premi cura, & ſolicitudine omnium Eccleſiarum:* ergo Paulus ęqualis poteſtatis fuit cum Petro; cui nonniſi omnium Eccleſiarum cura commiſſa eſt.

20 R. Ibi Paulus non agit de cura regiminis Eccleſiæ Univerſalis, quæ in ſolo Petro fuit; ſed de cura miniſterii prædicationis. In quo plus cæteris Apoſtolis debebat laborare; ex quo à Chriſto electus eſſet inſtrumentum, ut nomen ſuum, inſtar Legati, Præconis, ac Doctoris, Gentibus, & Judæis portaret; in quo copioſiùs laboravit, quàm ſinguli omnes; vel, quàm unuſquiſque Apoſtolorum: ut ſcribit 1. *ad Corinth.*15. *Abundantiùs illis omnibus laboravi.* Nullus enim eorum tot ſpatia percurrit, tot populis prædicavit, tot perſecutiones pertulit, quàm Paulus. Eſtò enim omnibus Chriſtus dixerit *euntes in mundum univerſum, prædicate, &c.* tamen Petrus ſingulis determinatas Provincias aſſignavit, ut ita ordinatiùs, & expeditiùs evangelizarent; propter quod eorum miſſio ad particularia loca reſtringebatur; ſoli Paulo liberum reliquit, ut omnibus Evangelium annuntiaret. Propterea eum non alicujus Eccleſię particularis Epiſcopum conſtituit ut ait Mauclerus *de Monarch.to.*1.*p.*2. *lib.*4.*cap.*10.

At non ex quo Paulus fuerit cęteris Apoſtolis ſapientior, ut teſtatus eſt Petrus *Epiſt.* 2.*cap.*3. ac in exercitio Apoſtólici muneris plus cæteris eminentior extiterit, ſequitur eum majorem, vel æqualem cum Petro juriſdictionem habuiſſe; quæ ſolùm confertur ab eo, qui poterat illam conferre, nēpè à Chriſto, qui planè illam ſoli Petro, ejuſque Succeſſoribus contulit, dicens ſoli Petro: *paſce oves meas.* Aliàs, ſi ex præciſa ratione Sapientiæ, & majoris laboris Eccleſię Primatum obtinuiſſet, quicunque in Eccleſia vel ſapientior eſſet, vel plus laboraret in miniſterio prædicationis, quàm Ro-

manus Pontifex; ille eſſet caput Eccleſiæ: Quod ſanè non admittet Anonymus. Alioquin non Stephanus fuiſſet Primas Eccleſiæ, ſed Cyprianus, utpote illo ſapientior: non Damaſus, ſed Hieronymus, qui ſapientia præ illo excelluit: Miſſuſque à Clemente XI. ad prædicandum Evangeliũ Cinenſibus, & non ipſe Clemens eſset Caput Eccleſiæ; nam ille quoad corporis defatigationem plus laboraret in prędicationis miniſterio, quàm Clemens. Hæc ſunt incommoda, quæ ſunt inevitabilia, ſi regat inſtantia.

21 Quare Paulus ex eminentiori Sapientia, & copioſori labore in prædicationis miniſterio, hoc ſolùm obtinuit, ut per anthonomaſiam Apoſtolus appelletur, adeò ut dicendo *Apoſtolum*, intelligatur Paulus, quin neceſſe ſit expreſsè Paulum nominari, quod dixit Auguſtinus *li.3. contr. duas Epiſt. Pelagianor. ad Bonifacium cap.3. Apoſtolus cùm dicitur, ſi non exprimatur, quis Apoſtolus, non intelligitur, niſi Paulus: quia pluribus eſt Epiſtolis notior, & plus omnibus illis laboravit.*

Opponit 3. Patres Paulum æqualem Petro faciunt. I. Sanctus Leo *Serm. de natal. Apoſtolor.* ait. *Hos gratia Dei.... nihil diverſum, nihil debemus ſentire diſcretum: quia illos, & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales;* ubi notanda ſunt: *pares, æquales, ſimiles; nihil diverſum*. Quæ dici minimè poſſent, ſi Paulus ſubditus, inferiorque fuiſſet Petro.

II. S. Maximus *Serm. ult. de S. Petro, & Paulo: Ergo B. Petrus, & Paulus eminent inter univerſos, & peculiari quadam prærogativa præcellunt: verùm inter ipſos, quis cui præponatur, incertum eſt: puto enim eos æquales eſſe meritis, quia æquales ſunt paſſione*. Et hìc notari debet illud: *incertum eſt, &c.* Nam ſi Petrus eſſet Paulo ſuperior, non eſſet incertum Petrum Paulo præponi.

III. Sanctus Gregorius *lib.1. Dialog. cap. ult. Paulus Apoſtolus Petro Apoſtolorum primo, in Principatu Apoſtolico frater eſt. Si frater, Petrus Pater, eoque major non eſt.* Et *lib.4. in 5. Reg.* ubi D. Paulus dicitur effectus caput nationum, & obtinuiſſe totius Eccleſiæ principatum.

IV. D. Auguſtinus *lib.2. de baptiſ. contr. Donatiſt. cap.4.* appellat Paulum *collegam* Petri. Ab aliis ſæpè vocantur *duo Choriphæi: duo Paſtores; duo Principes: duæ columnæ: duo lumina Eccleſiæ Catholicæ, & fundatores fidei;* qua nomenclatura ſocietatem æqualitatemque exprimere volunt.

R. Diſtinguendo antecedens. In Apoſtolatu, & gratia prædicationis, aut meritis, & corona martyrii conceditur: in auctoritate, juriſdictione, & regimine negatur. Cùm Patres ſibi non contradicant, & Primatum Eccleſiæ tribuant Petro, quando æqualem faciunt Paulum cum Petro, in bono ſenſu ſunt intelligendi, & ita ut non præjudicent primatui regiminis Petri.

22 Quocirca conſiderandum eſt: duobus modis poſſe comparari Paulum cum Petro. Primò in poteſtate Ordinis, & Apoſtolatus, ac virtutibus: Secundò, in dignitate, juriſdictione, & poteſtate regendi Eccleſiam. Priori modo æqualitatem Patres ponunt inter Petrum, & Paulum: ambo enim fuerunt Apoſtoli à Chriſto electi; uterque fuit Epiſcopus, uterque Sanctus, uterque Martyr: ſed ex hoc nihil evincitur contra nos. Poſteriori verò titulo non æqualis, ſed Petro ſubditus fuit Paulus. Nam Petro, & non Paulo Chriſtus gregem regendum commiſit, & claves dedit, ut expreſsè ait D. Gregorius *lib.4. c.32.* Scribens ad Mauritium Imperatorem, ubi ſic. *Cunctis Evangelium ſcientibus liquet, quòd voce Dominica Sancto, & omnium Apoſtolorum Principi, Petro Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt*. Ipſi quippe dicitur: *Petre amas me? Paſce oves meas*. Unde Jannerus *to.3. diſp.1. q.10. dub.2. n.96.* dixit. *Petro ſoli nominatim claves ſolvendi, & ligandi traditas eſſe, tanquàm ſupremo Patri-familias, & gubernatori Eccleſiæ: Paulo verò, & reliquis Apoſtolis uſum potiùs clavium, quàm abſolutam poteſtatem, ac poſſeſſionem clavium;*

ſoli enim Petro dictum eſt. Matth.16. *Tibi dabo claves regni Cælorum: quando cæteris Apoſtolis ſimul cum Petro*, Matth.18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, &c.*

Dices. Etiam cæteri Apoſtoli fuerunt in Apoſtolatu Petro pares: ergo cùm Patres adeo frequenter iiſdem laudibus, & titulis Paulum tantùm cum Petro exornant, æqualitas Pauli cum Petro ſtare minimè poteſt in prærogativa Apoſtolatus.

23 R. Propter quatuor, Patres Paulum, & non reliquos Apoſtolos tot laudibus celebrant, & Petro (ſemper tamen ſalvo hujus primatu) conſociant. Primò, propter copioſiores labores, quos ſuſtinuit in Evangelii prædicatione. Secundò, propter doctrinæ excellentiam, & plura, quæ diverſis Eccleſiis ſcripſit; in quibus non ſolùm fuit cæteris Apoſtolis æqualis, ſed etiam ipſo Petro excellentior. Tertiò, propter prædicationem Evangelii Romanis exhibitam ſimul cum Petro; hoc tamen diſcrimine, quòd Petrus primò Romę Evangelium prædicavit, Eccleſiam Romę fundavit, cujus ipſe fuit Epiſcopus ordinarius. Paulus verò Romanos in fide confirmavit, & Petri in eadem Eccleſia dilatanda coadjutor, ut ex *cap. ſequent.* Sed ex inde nihil ad primatum Pauli cum Petro.

Ex quibus eſtò plana eſſe poſſit reſponſio allegatis auctoritatibus, adhuc ſingulis nominatim reſpondemus.

Ad I. D. Leo loquitur de æqualitate in meritis, & virtutibus: ait enim ibi: *De quorum meritis, ac virtutibus nihil diverſum, nihil debemus ſentire diſcretum*. Sed ex hoc inferre æqualitatem juriſdictionis Pauli cum Petro, non eſt niſi regulis bonæ argumentationis abuti.

Ad 2. Idem ſentit S. Maximus per ea verba: *puto enim eos æquales eſſe meritis*.

24 Ad 3. A D. Gregorio Paulus dicitur Frater Petri ratione Apoſtolatus, & Epiſcopatus; & hoc poſteriori titulo Romanus Pontifex cæteros Epiſcopos *Fratres* appellat. Verùm ipſe Pontifex eſt Fratrum Princeps; ſicut dicitur de Rege, qui alios Fratres habet, quorum eſt ſuperior. Quare eſtò Epiſcopi ratione dignitatis Epiſcopalis ſint Fratres Pontificis, tamen quia ſunt oves Chriſti, filii etiam ſunt, eique ſubditi; cùm ipſe ſit Princeps, Pater, & Paſtor Supremus Eccleſiæ: ita diſcurras de Paulo in ordine ad Petrum.

25 Ad aliam ejuſdem Gregorii. Illæ prærogativæ non ſolùm D. Paulo, ſed etiam reliquis Apoſtolis convenire poſſunt, quorum ſinguli ratione prædicationis, & gubernationis dicuntur particularia capita Nationum, & Eccleſiarum, quas fundarunt, & rexerunt: & in hoc ſenſu Paulus dicitur effectus caput Nationum (plures enim, & quidem plures Nationes ad Chriſtum convertit) Sed non eodem modo, quo Petrus: nam Petrus fuit ſupremum totius univerſalis Eccleſię Caput. Quod obſervavit, etiã Duvallius *de Rom. Põt. p.1. q.3.*

26 Ita cùm ait, Paulum obtinuiſſe Eccleſiæ Principatum, hoc intelligitur ratione poteſtatis extraordinariæ, quam habebat in totam Eccleſiam. At non hoc fuit ipſi peculiare, ſed omnibus Apoſtolis conveniens. Omnes enim fuerunt Chriſti legati, & pro Chriſto legatione fungebantur. *2. ad Corinth.5.* à quo extraordinariam juriſdictionem acceperunt in Eccleſiam, ſed ſub Petro.

Propterea à Sanctis Patribus appellantur Eccleſiæ Principes, ut notat Marchant. *in feſto S. Jacobi in ſua vite florigera*; ſed nonniſi delegati, & ſub Petro Principe ſupremo, & ordinario Paſtore, qui & ipſorum, & totius gregis Princeps fuit. In quo poteſtas regendi Eccleſiam fuit ordinaria, & tanquam in ordinario Paſtore reſedit; in cæteris verò Apoſtolis fuit dumtaxat extraordinaria, & per accidens, hoc eſt, propter neceſſitatem dilatandi Eccleſiam, ad effectum, ut eà in diverſis Regionibus conſtituti, & longis locorum intervallis à Petro ſeparati uterentur pro neceſſitatibus Eccleſiarum, quas fundabant, & pro quibus, ob locorum diſtantiam, vix eum adire, & conſulere poterant.

27 Quoniam verò illa tam Pauli, quàm reliquorum Apoſtolorum poteſtas fuit ex privilegio, extraordinaria, & delegata, ipſis mortuis, extincta eſt, & in hoc diverſa ab illa Petri, in quo fuit ordinaria, & plenior, ac univerſalior, quàm in aliis: etenim eorum nullus in Petrum, vel alium Apoſtolum poteſtatem habuit: Solus Petrus, tanquam omnium (nullo excepto, qui ad Eccleſiæ ædificium, & ad Chriſti gregem pertinent) primum poſt Chriſtum fundamentum, Paſtorque ſupremus conſtitutus, in alios Apoſtolos totumque gregem poteſtate eſt donatus.

28 Ad 4. Ibi Auguſtinus appellat Paulum collegam Petri, quatenus fuit ejuſdem collegii Apoſtolici cum ipſo, ac prædicatione, & martyrio ſocius, ſed in regimine inferiorem dicit: ait enim: *Si* (Cyprianus) *Petrum laudat, & prædicat ab uno inferiore collega* (nota) *patienter, concorditerque correctum; Petro enim oves ſuas Chriſtus commendavit*, ipſo teſte *Serm.296. in natal. Apoſtol. Petri, & Pauli cap.2.* nec ait eas fuiſſe Paulo commendatas. Quod repetit *ſerm.147. cap.1.* ubi, præmiſſo Petrum à Chriſto etiam tertiò interrogatum, ait: *& reſpondenti dilectionem commendavit gregem.*

29 Tandem dicuntur duo Coryphæi, ſed diverſa ratione, ut vult Cœffeteau adversùs Marcum Antonium de Dominis *to. 1 lib.1. cap.4. n.2.* Petrus auctoritate juriſdictionis: quia Petrus inſtitutus eſt Caput, & Paſtor ovium: Paulus verò merito doctrinæ, & quia in munere Apoſtolico adimplendo plus cæteris laboravit. Propter quod dicitur ab Origine *lib.1. contr. Celſum, fundamentum præcipuum Apoſtolorum poſt Chriſtum.*

30 Item, dicuntur Paſtores, ſed alio titulo Petrus, & alio Paulus: ille fuit ſupremus Paſtor ordinarius totius Eccleſiæ, Paulus verò Paſtor delegatus, & extraordinarius ſub Petro, qua ratione, & reliqui Apoſtoli Paſtores Eccleſiæ fuerunt, dicente Auguſtino *Serm.135. cap.6. Apoſtoli Sancti, primi Summi arietes gregis, Paſtoris membra Paſtores:* ubi membra appellantur, ſed non omnia membra ſunt æqualia.

31 Item. Dicuntur duo Principes, ſed genere diverſo, ut diximus *nu.26.*

32 Item. Dicuntur duæ columnæ. Sed inter columnas Una poteſt eſſe alia ſublimior: ſicut inter ſummos unus poteſt eſſe alio altior.

33 Item. Dicuntur *duo lumina*. Sed eo modo, quo explicat Ugo Victorinus *Serm. 64. de Petro, & Paulo. Petrus cæteris eminet eminentia poteſtatis: Paulus excellentia prædicationis. Petrus Sol, Paulus Luna. Petrus Sol per collatam ſibi divinitùs poteſtatem: Paulus Luna per collatam ſibi divinitùs ſapientiam.* Unde Paulo poſſet concedi primatus ſapientiæ, & doctrinæ; ille verò juriſdictionis proprius eſt Petri, ejuſque Succeſſorum, privativè quoad alios quoſcunque.

34 Item. Dicuntur *fundatores Fidei*. At diverſo modo Petrus eſt fundator, ac Paulus, & cæteri Apoſtoli: hi enim ſua prædicatione, laboribus, ac ſudoribus dicuntur fidem fundaſſe; & hoc titulo appellantur fundamenta fidei, ſed abſque præjudicio primatus Petri, cui erant ſubordinati. Petrus verò alio ſingulari etiam modo dicitur fundamentum fidei, quatenùs conſtitutus eſt à Chriſto fidei, & Eccleſiæ fundamentum, à quo Eccleſiæ ædificiũ dependet: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos: paſce oves meas.* Quæ prærogativa fuit in Petro ordinaria; eique à Chriſto tradita, non ut cum ipſo periret, ſed ut ad ejus Succeſſores tranſmitteretur. Unde S. Leo *Serm.3. anniverſ. ſuæ aſſumpt.* dixit: *Petro præ cæteris ſolvendi, & ligandi tradita eſt poteſtas.*

Quapropter Patrum doctrinæ minimè æquant Paulum Petro in regimine, & poteſtate regendi Eccleſiam; quidquid ex illis extorqueat Anonymus. Quinimò notabis, quòd eſtò quidam Patres in laudibus

da-

datis Petro, & Paulo videantur illos æquare; tamen, quia panegyricè loquuntur, & non dogmaticè, ipſorum textus ſunt accomodè exponendi.

Opponit 4. Pontifices dicuntur Petri, & Pauli ſucceſſores, dicente Hadriano I. *Epiſt. ad Conſtantinum, & Irenem, Petri, & Pauli Vicarii, eorumque Throni ſucceſſores.* Eccleſia enim Romana eſt Eccleſia Petri, & Pauli, ut ipſe ad eoſdem. *Eccleſiæ*, ait, *B. Petri, & Pauli, Principum Apoſtolorum acquieſcite* apud Bail. *Sum. Concil. to. 1. Nicænum II.* Hinc Epiſt. 1. ad Baſilium Auguſtum Sedem Petri vocat communem cum Paulo: ait enim: *Precamur, ut eos ob amorem præcipuorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, à quorum ſede mittuntur, benignè ſuſcipias.* Quos Epiphanius *her.* 27. vocat *Romanos Epiſcopos: Primi Romæ Apoſtoli, & Epiſcopi fuerunt Petrus, & Paulus.* Quod dixit etiam Leo magnus *Serm. 1. de Petro, & Paulo: Petrus*, ait, *& Paulus Romanæ Eccleſiæ verè Paſtores*: ergo, &c.

Confirmat. Mos Pontificum eſt in ſuis Bullis apponere nomina Petri, & Pauli; & tum concedendo gratias, tum decidendo anathemata, ajunt, *ſe eorum auctoritate facere*: ex quo concludit eos ipſamet confeſſione Pontificum pares in auctoritate fuiſſe.

Addo Paulus in antiquis imaginibus depingebatur ad dexteram, Petrus verò ad ſiniſtram, quod obſervavit etiam Petrus Damiani *Epiſt. 16. ad Deſiderium to. 2.* Et D. Thomas in *Epiſt. ad Galat. lect. 1.* ergo, quia Eccleſia eum judicabat Petro æqualem.

25 R. Cùm Patres vocant Pontifices Petri, & Pauli Succeſſores, non ita loquuntur, quaſi Paulus cum Petro junctus fuerit Caput Eccleſiæ, & Pontifex Romanus, ſed quia cum Petro Romæ in fundanda Eccleſia collaboravit, ſed modo dicendo *cap. ſeq.* Nec Pontifices propriè dicuntur Succeſſores Pauli, ſed propriè ſunt ſucceſſores Petri, qui Romanæ Eccleſiæ fuit jure ordinario Epiſcopus: Paulus verò ſolùm jure delegationis, & officio coadjutoris Epiſcopus in Urbe Roma dictus. Delegatis autem nullus ſuccedit. Siquidem eorum juriſdictio ipſorum morte finitur; benè verò ordinariis, quorum poteſtas, utpote ordinaria ad ſucceſſores tranſit.

Dices. Gregorius VII. in excommunicatione contra Henricum IV. Imperatorem pronuntiata, dicit *ſe eſſe collocatum in Throno Petri, & Pauli, ac ipſorum ſpecialem Eccleſiam obtinere*: ergo Eccleſia Romana eſt amborum Thronus: ergo futilis eſt data reſponſio.

36 R. Negatur conſequentia. Anonymus non obſervavit, nec obſervare voluit Gregorium in Bulla d. excommunicationis poſuiſſe, & recognoviſſe differentiam inter Petrum, & Paulum: in qua in principio ait. *Beate Petre, Princeps Apoſtolorum, & tu Beate Paule, doctor Gentium dignamini quæſo, &c.* prout in Bullar. *to. 1. in d. Pontif.* Unde diverſo genere Eccleſia Romana dicitur Thronus Petri, etenim de Petro dicitur, quatenus ipſe, ut illius proprius, & ordinarius Epiſcopus eam ſibi deſponſavit, & cathedram tenuit; de Paulo verò, quatenus ibi fuit coadjutor. Quod nihil detrahit Petro, ſicut nihil etiam detrahebat Jacobo, cùm alii Jeroſolymis Apoſtoli erant.

Ex quibus patet ad auctoritates ex Hadriano. A quo ſub alia ratione Romana Sedes dicitur ſedes Petri, & Pauli.

37 Quod attinet ad Epiphanium. Eſt ſenſus Petrum fuiſſe Romanæ Urbis proprium, & ordinarium Epiſcopum. Paulum verò tantùm coadjutoris officio, quatenus ibi, & quidem de Petri licentia Epiſcopalia munia egit.

38 Quapropter notetur duplici modo poſſe accipi Paulum Epiſcopum Romæ fuiſſe: Altero, ut Romæ jure delegato, & Petro conſentiente, Epiſcopatus functiones habuerit, ibique pro fide dilatanda laboraverit, prout & in aliis Civitatibus exercere ſolebat: qua ratione non magis Romæ, quàm Athenis, Corinthi, aut alibi addictus erat. Nullius enim determinatæ Eccle-

Eccleſiæ Epiſcopus fuit, ac particularis Provinciæ adſtrictus: ut ait Petrus Damiani *Epiſt.16.Paulus nullam cathedram ſpecialiter tenuit*. Altero, ut Romæ propriam Sedem haberet, & ordinarius Paſtor ſimul cum Petro eſſet, ac unum cum eo Caput, & Paſtorem gregis efficeret. Primo illo modo negari non poteſt Paulum Romæ Epiſcopum egiſſe, & ibi plurimùm laboraſſe. Nec propterea ſequitur, Epiſcopum Romanum fuiſſe: aliud enim eſt Romę agere perſonam Epiſcopi, quæ cum officio tranſeat; & aliud eſſe Romæ Epiſcopum, hoc eſt, deſponſare ſibi, ut ordinario Paſtori illam Eccleſiam, & in titulum habere eique uti Caput præeſſe cum jure ſucceſſionis. Hoc ſecundo modo nullus Patrum aſſeruit Paulum Epiſcopum Urbis Romæ fuiſſe; etſi nonnulli dixerint ipſum in Urbe Roma fuiſſe Epiſcopum. Quod tamen non probat ipſum fuiſſe Epiſcopum Romanum; nam diverſa ſunt, & à diverſis non fit illatio: Sicut aliud eſt eſſe Epiſcopum Lucanum, & aliud eſſe Epiſcopum in Urbe Lucæ.

39 D.Leo, etiam ſano modo accipitur, & ita, quod Petrus fuerit Eccleſiæ Romanæ Paſtor ordinarius, Paulus verò ſolùm officio coadjutoris ſub Petro.

40 Ad confirmationem. Illa praxi Pontifices intendunt illos duos Apoſtolos venerari, & in patrocinium advocare, tanquàm eos, qui ſimul Romanam Eccleſiam ſuo ſanguine conſecrarunt, & magiſterio docuerunt: manente tamen ſemper illibato primatu Petri. Ideò verò ſemper non alios Apoſtolos, ſed Paulum cum Petro conſociant, ut hac ratione ſignificent Paulum cum Petro adlaboraſſe in fundanda Romana Eccleſia. Uterque enim fuit Apoſtolus Romanorum ſed Petrus peculiari ratione Epiſcopus cum juriſdictione ordinaria Paſtoris.

Dicitur Sedes Petri, Sedes Apoſtolica, quia à Petro Apoſtolorum Principe fundata, ex dicendis *cap.ſeq.* Et auctoritas Pontificum dicitur *Apoſtolica*, quia eſt à Chriſto eis tradita in B.Petro Apoſtolo, prout definitum eſt in Florentino; Petrus enim confitendo Chriſti Divinitatem: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, pro ſe & ſuis Succeſſoribus meruit univerſalis Eccleſię primatum, & curam regendi illam. Et inde conſtat de ſenſu clauſulæ adjectæ Bullis: *auctoritate Apoſtolica decernimus, mandamus, &c.*

41 Quapropter eorum, quæ conjungunt Paulum cum Petro, duplex eſt genus. Primum, eorum, quę ſpectant ad doctrinam, prædicationem, & martyrium citra auctoritatem, & regimen ordinarium. Secundum, aliorum, quæ reſpiciunt juriſdictionem ordinariam, quæ eſt propria Paſtorum. Illa prioris generis, tota, quadrant in Paulum. Poſterioris verò nequaquam, cùm Paulus Romanæ Urbis Epiſcopus minimè fuerit, ut Patres concordant.

In rem noſtram præclarè Rupertus in *cap.3.Jonæ* dixit. *Roma, & quòd Principis Apoſtolorum Petri Sedes facta ſit, & Pauli ejus conſortis prædicatione illuſtrata, & martyrio coronata, cunctis Eccleſiaſticis extollit caput*. Galaſius Papa in *Concilio Romano I. Sanctam Romanam Eccleſiam Chriſto Domino conſecrarunt* (Petrus, & Paulus) *talemque omnibus Urbibus in univerſo Mundo, præſentia, atque venerando triumpho prætulerunt*. Id expreſſit Leo IX. *Epiſt.ad Patriarch. Conſtantinopolit.Juſtum eſt*, ait, *ut ibi lex ſancta Caput habeat Principatus, ubi Salvator noſter B.Petrum Apoſtolum obtinere præcepit cathedram; & ibi gentes colla flectant pro Chriſti nominis Confeſſione, ubi earum gentium Doctor Paulus pro Chriſto extenſo collo eſt martyrio coronatus*. En Petro cathedram attribuit, reverentiam magiſterii Paulo ob doctrinam, & martyrium aſſignat. Servat Sedem Petro ob auctoritatem, & dignitatem Capitis: admittit ad conſortium Paulum, ob doctrinam, & coronam martyrii ſimul cum Petro in Urbe Roma receptam. Hinc eſt, ut in ſigillis utriuſque imago in Bullis, amborum nomina, & eorumdem auctoritas adhibeantur.

42 Ad

42 Ad additum. Illa non deberet eſſe conſequentia, ſed potiùs hæc: *ergo Paulus Petro dignior fuit*: etenim meliorem locum tenet dexteram occupans, quæ fuit ſemper majoris honoris ſignum: à loci enim præſtantia perſonarum dignitas peti ſolet. Quocirca eo utuntur Hæretici contra primatum Petri argumento. Ideò inquirendum hic eſt. An Læva ne, an dextera ſit nobilior? Sunt, qui affirmant ſiniſtram dexteræ præſtare, & digniorem eſſe, maximè in Sacris, & Eccleſiaſticis, ut poſt Baronium, & Binium notavit Spondanus *Epiſt. ad an.*325.*nu.*17.& conſiderant illud *pſal.*44.*Aſtitit Regina à dextris tuis*, hoc eſt, Regis Chriſti; qui licèt ad lævam Reginę, eà tamen eſt multò præſtantior. Alia affert Macedo cit.§. *de Corepiſcopis*. Secundùm hanc ſententiam non ideò Paulus fuit Petro dignior, eſtò à dextris Petri poſitus.

Aliis placet dexteram manu lęva nobiliorem eſſe. Ita Ariſtoteles *lib.3.de hiſt.animal.* docet dexteram ſiniſtræ eſſe præferendam. De qua re agunt plures apud allegatum Macedo; & probant ex illo *pſal.ſupr.* quia enim Filius voluit Matrem honorare ad dexteram collocavit. Et ex illo 3.*Reg.*2. ubi Salomon in argumentum honoris erga matrem ad ejus ſiniſtram ſedit. Ac ex alio Matth.25.ubi dicitur Chriſtus in die Judicis electos à reprobis dividens, collocaturus Agnos à dextris,ideſt,in loco nobiliori, & honoratiori, ut ex D. Thoma Tirinus *in d.loc.* Hædos à ſiniſtris. Et hinc patet, quanti ſit dextera manus, quæ prædeſtinatis, & electis aſſignatur. Hanc ipſam ſententiam, & nos ſequimur.

43 At dices. Si dextera eſt nobilior, cur Paulus Petri dexteram tenet? Varii ſunt modi reſpondendi, quos ibi recenſet Macedo. Nobis dicendum eſt. I. Non ſemper Paulum ad dexteram Petri eſſe; ſæpè enim ad ſiniſtram collocatur, ut notat Bellarminus *lib.*1.*de Rom. Pontif.cap.*27. Ratio affertur à Petro Damiani *Epiſt.*16.ubi ſcribit. *Cùm Petrus ad dextram ponitur, primatus ejus honoratur: cùm verò Paulus, in Benjamin, qui filius dexteræ nuncupatur, redolet Sacramentum*. Arcanum autem hoc eſſe poteſt; quòd Paulus erat de Tribu Benjamin, ut ipſe teſtatur ad *Rom.*11. & quemadmodum Benjamin filius fuit ultimus, ita Paulus fuit ultimò vocatus Apoſtolus. Quin etiam, ſicut Benjamin fuit à Patre ſuo Jacob vocatus filius *dexteræ*. *Geneſ.*35. quia erat ſibi chariſſimus, ut legit Menochius in *d.loc.* Ita Paulus in Benjamin figuratus, ſortitus eſt nomen filii dexteræ: Tum quia fuit Petro chariſſimus: Tum quia,dextera agilior, & actuoſior eſt ſiniſtra;ipſe autem actuoſior fuit in prædicatione Evangelii, in quo plus cęteris laboravit, ut dictum eſt ſupra. Unde ab aliquibus Pontificibus ideò Pauli Imago in diplomatibus ponebatur ad dexteram Petri, ut ita ſuam Tribum Benjamin (quę fuit cæteris fortior) ac amorem Petri erga ſe, copioſioreſque labores in dilatanda fide ſuſceptos, clariùs exprimerent. Et inde, quemadmodum Benjamin major non fuit, nec æqualis cum Patre ſuo Jacob, ſic nec Paulus dici debet æqualis, major, ac dignior Patre, equidem ſuo, ac ſupremo Principe Petro.

Quare cùm ad dexteram Petrus ponitur, ejus plenitudo, primatuſque poteſtatis exprimitur; cùm verò Paulus in ea collocatur, excellentis doctrinæ primatus, majoreſque labores in eo honorantur. Nec ex majoritate honoris ſequitur primatum juriſdictionis Eccleſiæ Paulo tribui, & Petro negari: Eccleſia enim in plus honorandis Sanctis non tam reſpicit majorem præeminentiam principatus, quàm alias cauſas. Ita Feſtum Protomartyris Stephani, & martyris Laurentii celebrat cum octava; & tamen uterque erat Diaconus: ille Jacobi Apoſtoli, ut ait S.Ignatius *Epiſt.ad Trallianos*, hic B.Sixti Summi Pontificis, quorum Feſta non celebrat cum octava.

44 Tandem facit, quòd primatus Petri fuit à Paulo, etiam in ultima ſuæ vitæ periodo expreſſus. Siquidem ex Dionyſio Areopagita Canus *lib.6.de loc.Theol.cap.*3. & Jacobatius *lib.*10.*art.*7. referunt, quòd

Q 2 cùm

cùm ambo Apoſtoli ducerentur ad loca martyrii, extremum vale ſibi dederunt; & Paulus dixit Petro: *Pax tecum, fundamentum Eccleſiarum, Paſtor ovium, & Agnorum Chriſti*. Et prius, cùm Simon Magus per aerem à Dæmonibus portaretur, Petro dixerat: *tuum eſt imperare, meum orare*. Quo ſuperioritatem Petri demonſtravit. Ita Rodulphus Cupers *in tom. de Eccleſ. ad cap. oportebat d.79*.

CAPUT III.

An Petrus fuerit Romanæ Eccleſiæ fundator, & Epiſcopus?

SUMMARIUM.

1 *Petrus Romæ prius quàm Paulus prædicavit.*
2 *Quo Anno Paulus Romam pervenerit?*
3 *Cur Paulus Romanos videre deſideraverit?*
4 *Occaſio Pauli ſcribendi Epiſtolam ad Romanos.*
5 *D. Petrus ſpecialiter Romæ prædicavit.*
6 *Anno 2. Claudii Imperatoris Romam venit.*
7 *D. Petrus fuit Epiſcopus Eccleſiæ Romanæ Urbis.*
8 *Uſque ad mortem ibi cathedram tenuit.*
9 *Quo anno martyrium SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli contigerit?*
10 *An Petrus, 25. annis completis, Romæ cathedram rexerit?*
11 *Romani in priori ad Pauli prædicationem fuerunt in fide inſtructi uſque ad 14.*
15 *Claudius Imperator omnes Chriſtianos ex Urbe in exilium agit.*
16 *Cur Paulus in Epiſt. ad Romanos Petrum non ſalutet?*
17 *Concilium Jeroſolymitanum celebratum an. 51.*
18 *Petrus, & Paulus redeunt an. 68.*
19 *Romana Eccleſia duplici titulo dicitur.*
20 *Duplex genus fundationis Eccleſiarum.*
21 *D. Petrus Eccleſiam Antiochenam fundavit: & quanto tempore cathedrã tenuerit?*
22 *Cur Eccleſia Alexandrina preponatur Antiochenæ?*
23 *An Evodius, vel Ignatius immediatè ſucceſſerit Petro in Cathedra Antiochena?*
24 *Corepiſcopi non erant veri Epiſcopi.*
25 *Linus fuit coadjutor Petri.*
26 *Coadjutoria expirat mortuo Epiſcopo coadjuto.*
27 *Petrus Apoſtolis Provincias particulares ad prædicandum aſſignavit.*

MArcus Antonius de Dominis jam prius blaſphemaverat à Petro non eſſe Romæ prędicatum Evangelium, nec ibi Eccleſiam fundaſſe, aut cathedram conſtituiſſe; id tribuens Paulo in odium Petri, & Romanorum Pontificum, ut hos ſuaderet Petro non ſuccedere, neque plenitudine poteſtatis in Eccleſia gaudere; contra quem

Dicendum. *Petrus Romæ Evangelium prius Paulo prædicavit, & Eccleſiam fundavit; cujus ad mortem uſque Epiſcopus fuit.* Ita Catholici omnes cum Beccano *tomo 5. opuſculor. lib. 3. cap. 1.* Boyvin *de Pontiſ. qu. 5.* Petavio *rationar. tempor. lib. 5. partis primæ cap. 3.*

1 Probatur prima pars. Petrus anno 44. à Chriſti nativitate anno 2. Claudii Romã acceſſit, ut notat Spondanus *Epiſt. to. 1. ad d. an. nu. 10.* Et ex tunc prædicatione Evangelii Romanos in fide Chriſti inſtruxit, pluresque convertit, & Eccleſiam ibi fundavit, ut quæ terrena Sedes erat Imperii, ſuprema quoq; Sedes conſtitueretur Chriſtianæ religionis, & Eccleſiaſticæ poteſtatis. Quod ipſe Petrus ſignificat *Epiſt. 1. c. 5.* illis verbis: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta*: hoc eſt, Fideles, qui hìc Romæ ſunt. Ubi appellatione *Babylonis* Patres Romam intelligunt; non prout eſt ſub Pontifice, ſed prout Ethnica fuit ſub Imperatoribus Paganis; inde dicta, quia permiſit omnibus populis religionum libertatem, & omnium populorum Deos coluit, excepto ſolo Chriſto. Verùm ea appellatio aptabilis nec pro tunc erat Ro-

mæ

mæ ea parte, qua Chriſtiana erat. Neque Romana Civitas eſt hoc tempore Babylon, cujus ſit fugienda communio, vel, à qua populus Dei debeat exire, ut ex 18. *Apocalyp.* peſſime Proteſtantes diſcurrunt. Siquidem fuit Roma aliquando magna illa meretrix, fuit Babylon, mater fornicationum, hoc eſt, Idololatriæ, & aliorum ſcelerum: Sed, ut Joannes ibi prædixit, brevi periit, ſeù in Sanctam Jeruſalem, & Civitatem Dei, atque in *arcem Religionis*, ut ſcribit Hieronymus *lib. 2. contr. Jovinian.* in tutiſſimum Chriſtianæ communionis portum, commutata eſt.

Quinimò obſervandum, Petrum non dixiſſe: *Salutat vos Babylon, ſed Eccleſia, quæ eſt in Babylone*: ubi Beda inquit: *typicè Romam dicit*, V.G. *propter confuſionem multiplicis* Idololatriæ, *in cujus medio Sancta Eccleſia jam rudis, & per parva fulgebat*.

2 Epiſtola verò à Petro, teſte Spondano ad *an.* 145 *num.* 5. fuit Romæ, ibi firmata cathedra, ſcripta, & directa ad Chriſtianos per Græciam diſperſos, hoc eſt, ad Pontos, Galatas, alioſque, quos anteà converterat, ut ex textu *cap.* 1.

At ex eo tempore Paulus adhuc Romæ non fuerat: ergo Petrus Romæ prius Paulo Evangelium prædicavit, fundavitque Eccleſiam. Minor eſt undequaque certa. Prima enim vice Romam non pervenit, niſi poſtquàm Cæſarem ſub Feſto appellavit Actorum 25. *&* 28. anno nimirum 59. poſt natum Chriſtum, & Neronis 3. juxta computationem adnotatam à Coriolano in *Breviar. ſub eod. an.* & Spondano ad *d. an. nu.* 1. & ibi per biennium manſit. Et hinc Petrus pluribus annis Paulum in acceſſu ad Urbem præceſſit. Hic verò in ſuo adventu invenit Romæ Chriſtianos, ut habetur Actor *cap.* 28. ibi. *Cùm audiſſent Fratres* (hoc eſt, Chriſtiani) *occurrerunt nobis uſque ad Appii forum, ac tres Tabernas*. At illi non ejus, ſed Petri prædicatione fidem Chriſti ſuſceperant: ergo, &c.

3 Quod quidem fatetur ipſe Paulus *Epiſt. ad Rom. cap.* 1 *n.* 11. *Deſidero*, ait, *videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandum vos*. De qua verò conſolatione loquatur, exprimit *verb. ſequen. Ideſt ſimul conſolari in vobis per eam, quæ invicem eſt, fidem veſtram, atque meam*: quaſi diceret: deſidero videre vos, ut mutua ſit nobis conſolatio per unam, atque eandem fidem: & ego de veſtra gratuler, & vos de mea. Et inde non ſolùm vult Romanis dare, ſed ab eis etiam, conſolationem accipere; ex quo Pauli humilitas eminet, ut ait Theodoretus ibi: *non enim dixit, ut dem, ſed ut impertiar, communico enim ex iis, quæ accepi: & quia primus, & magnus Petrus doctrinam Evangelii præbuit, neceſſariò intulit ad confirmandos vos: non enim aliam vobis doctrinam afferre, ſed eam, quæ jam oblata eſt, confirmare, & arbores jam plantatas irrigare volo*: ergo ex ſententia Theodoreti Petrus primus fuit, qui Romanos ad fidem convertit, quos Paulus deſiderat videre, ut tam ipſe, quàm illi percipiant aliquam conſolationem ex mutua fidei communicatione, & ſic in fide magis confirmentur.

4 Quòd autem Paulus ſcripſerit Romanis ad fidem converſis patet, tum ex occaſione ſibi data ſcribendi Epiſtolam: occaſio fuit, contentio orta inter eos, qui ex Judæis, & illos, qui ex Gentibus fidem receperant. Judęi gloriabantur, quòd Dei populus erant, cui data erat lex; ad quem Prophetæ miſſi, cui promiſſus, & datus eſt Chriſtus: & ſe ob obſervantiam legis Moſaycæ dignos arbitrabantur gratia Evangelii; & ita Gentes quaſi Dei gratia indignas aſpernabantur. Gentiles verò propter opera moraliter bona, ſe digniores affirmabant, ut ſibi Evangelii gratiam Deus exhiberet. Paulus litem dirimit oſtendendo, quòd gratia Evangelii, vocatio ad fidem, & juſtificatio, nec Judæis ſit data ob Moſaycæ legis obſervantiam: nec Gentilibus ex legis naturæ cuſtodia, ſed merè gratis ex pura Dei miſericordia ſint vocati, & juſtificentur, ut ex textu.

Tum ex titulo Epiſt. *eod. cap. v.* 7. *Omnibus, qui ſunt Romæ dilectis Dei, vocatis ſanctis*

hoc eſt, vocatis ad fidei, & morum ſanctitatem. Olim enim Chriſtiani vocabantur *Sancti*, à vocatione, profeſſione, & debito. Et ſubdens, *quia fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo*. Laudat fidem ab eis acceptam. Ubi ex Chryſoſtomo *hom.2.in Epiſt.ad Rom.* eſt obſervatione dignum Apoſtolum non dixiſſe: *Fides veſtra manifeſtatur, ſed annuntiatur in univerſo mundo*, quaſi diceret, veſtra fides celebris eſt, & prædicatur in univerſo mundo: eſtque prærogativa Romanæ Eccleſiæ, ut cæteræ Orbis Nationes credere debeant, ſicut illa credit. Quod occaſio Patribus fuit ſummis laudibus extollendi Romanam Eccleſiam; ad quam perfidia non habet acceſſum, ex Hieronym. *lib.3.contr. Rufinum cap.4.* ſed perpetuam in fide conſtantiam ſervavit, ac ſervatura eſt.

5 Confirmat hoc auctoritas S.Leonis, qui *Serm.1.de natal.Apoſtolor. Petri, & Pauli*: ait. *Cùm Apoſtoli imbuendum Evangelio mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus, ſuſcepiſſent, Beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur imperii*; hoc eſt, ut illam partem Evangelica inſtrueret veritate. Et *Epiſt.6. ad Maximum Antiochen. Epiſc. Oportet dilectionem tuam ejus meminiſſe doctrinæ, quam præcipuus Apoſtolorum omnium B.Petrus per totum mundum quidem uniformi prædicatione, ſed ſpeciali magiſterio in Antiochena, & Romana Urbe fundavit*. Quid eſt hoc, ſpeciali magiſterio? niſi ſpecialiter ibi prædicaſſe?

6 Concordant alii. Oroſius *lib.7.hiſtoriar.cap.6.Exordio*, inquit, *Regni Claudii, Petrus Apoſtolus Domini noſtri Jeſu Chriſti Romam venit, & ſalutarem cunctis fidem fideli verbo docuit, potentiſſimiſque virtutibus approbavit: Atque exinde Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt*. Ubi hæc ultima notabis: quibus exprimitur ante Petri adventum Romæ Chriſtianos non fuiſſe.

Idem narrat Gregorius Turonenſis *li.1. hiſtor.Francor.cap.25. Beatus Petrus Apoſtolus ſub Imperatore Claudio* (ejus an.2.) *Romam aggreditur, ibique prædicans manifeſtiſſimè Chriſtum eſſe Filium Dei comprobavit: ab illis enim diebus Chriſtiani apud Civitatem Romanam eſſe cæperunt*. Idem ſcribit Euſebius *lib.1.Hiſtor.cap.14.* Arnobius *lib.2.contr.Gentes*, & cum aliis Theodoſius Imperator de *Sum.Trinit. & fide Cathol. Quid ad hæc poteſt dicere impudentiſſima pertinacia* (ut utar phraſi Auguſtini *lib.1.de morib. Eccleſ.c.29.*) *Si enim in dubitationem res adducitur tanta hominum, & temporum conſenſione firmata, de fide actum eſt, humanis etiam hiſtoriis debita*; ut ibi S.Doctor.

7 Probatur 2.pars, hoc eſt, Petrum fuiſſe Epiſcopum Eccleſiæ Romanæ Urbis. Eſt hic Eccleſiæ ſenſus, & Traditio, ac Patrum doctrina. Cyprianus *lib.4.Epiſt.2. ad Antonianum* ſcribit. *Factus eſt Cornelius Epiſcopus cùm Fabiani locus, ideſt, cùm locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret*.

Optatus Milevitanus *lib.2. contr.Parmen. Negare non potes, ſcire te in Urbe Roma à Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus*.

S.Hieronymus in *catalago Scriptor. Eccleſiaſt. Petrus Romæ viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit*. Et in *Epiſt. ad Damaſum: cum ſucceſſore Piſcatoris, & diſcipulo Crucis loquor. Ego Beatitudini tuæ*, ideſt, *Cathedræ Petri communione conſocior*.

Auguſtinus *lib.2.contr.Epiſt.Petiliani cap.51.* reſpondens Petiliano omnes Cathedras per Orbis regiones conſtitutas criminanti: *Cathedra*, ait, *tibi, quid fecit Eccleſiæ, Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet?* Et in *pſal. contr. partem Donati. Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri Sede*. Longius eſſet alios recenſere, qui ea de re apertè teſtantur.

Patribus conſentiunt Hiſtorici: Euſebius in *Chronico an.44. Petrus*, ait, *natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex primus, cùm primùm Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur, ubi Evangelium prædicans, viginti quinque annis ejuſdem Urbis Epiſcopus perſeverat*.

Se-

Severus Sulpitius *lib.2.hiſt.* *Namque eo tempore divina apud Urbem religio invaluerat, Petro ibidem Epiſcopatum gerente; & Paulo, poſtquàm ab injuſto Præſidis judicio, Cæſarem appellaverat; Romam deducto.*

Coriolanus in Breviar.*ad an.33.* *Cùm Petrus Antiochiæ annis 7. ſediſſet, poſteà, jubente Chriſto, Romam venit, Tiberio Cæſare, & Romanam Cathedram 25.annis adminiſtravit, ac Romanus Pontifex primus appellatus eſt. Hic Romana in Urbe totius Orbis cathedram orthodoxam erexit; contra quam neque portæ inferorum prævalebunt; & cui omnes, quotquot fuerunt, ſuperſunt, & ſupererunt Eccleſiæ, Eccleſiarumque filii, veluti matrici, & Principi inclinabunt:* ergo innegabile à quovis prudente eſt, Petrum Eccleſiæ Romanæ Urbis Epiſcopum fuiſſe.

8 Probatur 3.pars, hoc eſt, Petrum ad mortem uſque Romæ Cathedram tenuiſſe. Petrus Romæ martyrio fuit coronatus: ergo ibi ad mortem uſque Cathedram tenuit. Ad antecedentis probationem ſatis videtur Traditio Eccleſiæ, conſenſus Patrum, Scriptorumque concordia. Euſebius enim *lib.2.hiſt.cap.23.*refert ex Dyoniſio Corinthio (qui centum annis ab obitu Apoſtolorum floruit) *ambo in hac Urbe* (Petrus, & Paulus) *ſimul docentes, etiam martyrio, pariter uno, & eodem tempore coronati ſunt.* Et *lib.3.cap.2.* ex Origene *lib.3. in Geneſ.* narrat. *Petrus ad ultimum commoratus in Urbe Roma, ibi, & crucifixus eſt, deorſum capite verſo: quod ipſe ita fieri precatus eſt, ne exæquari Domino videretur.* Quibus cæteri ſubſcribunt. Cabaſutius *notit. Eccleſiaſt.ſæcul.1.in hiſtor.Synopſ.n.20.* Spondanus ad *an.69.num.1.* Petavius *ubi ſupra.* Tirinus in *Chronico ad an.37.* *Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus martyrium ſubeunt Romæ uno, eodemque die 29.Junii, ille Cruce, hic gladio.* Aliique, quos, ne ſim legenti moroſus, recenſere lubens, omitto.

9 Contigit autem martyrium Petri, & Pauli 3. *Kal.Julii*, ſeù 29. *Junii ann.69.* à Chriſto nato, & 13. Neronis, ut narrat Coriolanus ad *d.an.* & Spondanus *ibi nu.1.* & non prius, quàm Petrus Romanam Cathedram adminiſtraverit 25. annis; hos annos numerando à prima illius erectione, quæ evenit 18.*Januarii an.45.* (cujus anniverſariam memoriam univerſę per Orbem Eccleſiæ celebrant) à quo tempore uſque ad 29.*Junii an.69.* currunt viginti quinque anni.

10 An verò annus 25.completus fuerit? Videtur inter Scriptores dubium. Coriolanus cit.in *catalogo Pontif.* tradit Petrum 25.annis Urbis fuiſſe Epiſcopum. Idem ex Euſebio refert Petavius *loc.cit.* Spondanus verò ad *d.an.69.* narrat Petrum Romæ ſediſſe an.24. menſibus quinque, & diebus undecim; Conſentit Cabaſutius in *indice Chronolog. Roman. Pontif.* Cherubinus in Bullar. *to.1.in princip.* ponit quidem 24.annos, menſes tres, & dies duodecim.

Cæterùm quidquid ſit de Scriptorum diſſidio; omnes conveniunt, Petrum Romæ paſſum ſub anno 25. ſui Romani Epiſcopatus. Ita pariter, eſtò nonnulli initium erectionis ſedis in Romana Urbe reportent ad annum Chriſti 43. ut Petavius *loc. cit.* omnes tamen concordant, Petrum prius Romæ fuiſſe, ibique Evangelium prædicaſſe, quàm eò Paulus pervenerit. In utroque tamen ſenſu ſequimur ſententiam Spondani; quam antea firmavit Baronius, meritò Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Pater appellatus.

Opponunt I. contra primam partem. Paulus fuit anxius, & ſolicitus de Romanorum converſione, ut legitur *Actor.19.* *His autem expletis, propoſuit Paulus in ſpiritu, tranſita Macedonia, & Achaja, ire Jeroſolymam dicens: quoniam poſtquàm fuero ibi, oportet me Romam videre.* Et quidem ut ibi Evangelium annuntiaret, juxta mandatum, de quo ibi *cap.13.* *Sequenti nocte aſſiſtens ei* (Paulo) *Dominus* ait. *Conſtans eſto: ſicut enim teſtificatus es de me in Jeruſalem, ſic te oportet, & Romæ teſtificari.* Propterea *cap.1. ad Rom.* conqueritur, quòd fuerit impeditus, ne eò citiùs iret: *Nolo vos ignorare, fratres, quia ſæpè propoſui venire*

ad vos (& prohibitus ſum uſque adhuc) ut aliquem fructum habeam, & in vobis, ſicut & in cæteris Gentibus.... Ita (quod in me) promptum eſt, & vobis, qui Romæ eſtis, evangelizare. Unde verò tanta ſolicitudo evangelizandi Romanis, ſi jam Romæ erat Petrus, & per Petrum ipſi converſi?

11 R. Ratio, cur Paulus optaverit Romam videre, illa fuit, de qua diximus *num.3.* Conſolatio nimirum, quam Romani ab ipſo, & ipſe à Romanis ex mutua fide viciſſim erat percepturus, ut ſic in fide magis confirmarentur: etenim ſi opus fuiſſet, ut iiſdem Evangelium annuntiaret, cur *cap.15. ad Rom.* ait: *Cùm in Hiſpaniam proficiſci cæpero, ſpero, quòd prætereriens, videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis primùm ex parte fruitus fuero.* Quare in tranſitu Romam videre intendit, & rectà in Hiſpaniam tendere? niſi quia ſentiebat Hiſpanos, qui vix de Chriſto aliquid audierant, ſua prædicatione egere, non verò Romanos, utpotè jam anteà inſtructos? prout ſignificat ibi *v.14. Certus ſum, fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis directione, repleti omni ſcientia, ita ut poſſitis alterutrum monere.* Quaſi diceret, quàntum ad me, licèt vos doceam, ò Romani, ſcio tamen, & certus ſum, quòd mea non indigetis inſtructione, utpote qui pleni eſtis charitate, & omni ſcientia repleti, atque ita potentes ad vos invicem monendos. Propter quod ſuam Epiſtolam, quaſi ſuperfluam inſinuat, *v. ſequen. Audaciùs autem ſcripſi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vobis reducens;* hoc eſt, ſic ſcripſi vobis, & forſan paulò liberiùs ſcripſi, non tam ut vos, velut ignaros doceam, quàm ut in memoriam, quæ ſcitis reducam, ut ita Apoſtolico muneri, à Deo mihi gratis impoſito, ſatisfaciam.

Hinc patet ad primam auctoritatem ex Actibus deſumptam.

12 Ad 2. Ex ea non probatur Paulum propterea Romam contendiſſe, ut primus ibi Evangelium prædicaret. Nam utrobique eſt eadem forma loquendi: *teſtificari in Jeruſalem, & teſtificari Romæ;* ſed ex hac formula: *Paulus teſtificatus eſt in Jeruſalem de Chriſto,* non ſequitur; ergo *Paulus primus in Jeruſalem Evangelium prædicavit?* cùm conſtet Petrum ibi primò prædicaſſe. *Actor.2.* ergo neque ex iſta: *Paulus teſtificatus eſt Romæ de Chriſto,* ſequitur quod ipſe fuerit primus, qui id fecerit. Planè utroque loco teſtificatus eſt, & multos ad fidem convertit; ſed negandum eſt ante Petrum id feciſſe.

13 Ad 3. Ibi D. Paulus confirmat deſiderium ſuum videndi Romanos, prout ex *verſu 11.* & propterea illis *cap.15. v.22.* aperit ſe ad determinatum tempus fuiſſe per alia Evangelica negotia magis urgentia impeditum: magis enim urgebat neceſſitas prædicandi Evangelium in locis, in quibus Chriſtus nondum fuerat annuntiatus, ut inquit ibi *v.2.* quàm, ubi jam prædicatus erat. Cùm verò omnibus locis Græciæ, Macedoniæ, & Achajæ Evangelium annuntiaſſet, ut ibi *v.23.* decrevit ad Romanos pergere, *ut aliquem fructum habeam,* ut ait textus *cit.* hoc eſt, ut inter eos, ſicut, & inter alias Gentes fructum aliquem haberet, rigando, quod D. Petrus, & ejus diſcipuli apud illos prædicatione ſeminarunt, & confirmando fidem ab eo fundatam. Ideò nulla ex allegatis evincit, Paulum primò Romæ prædicaſſe.

Dices. Paulus teſtatur Romanos ab ipſo fidem accepiſſe ad *Rom.16. v.25. Ei autem, qui potens eſt vos confirmare juxta Evangelium meum, & prædicationem Jeſu Chriſti, &c.* ergo, &c.

Addunt. Si Romani converſi fuiſſent à Petro in fide Chriſti inſtructi, non oportuiſſet, quòd Paulum de dubiis circa ipſam excitatis conſulerent; quod tamen egerunt, ut dicitur *Actor.28. Rogamus autem à te audire, quæ ſentis: nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia ubique ei contradicitur.* Quæ dubia potuiſſent à Petro enodari, ſi Romæ fuiſſet.

14 R.

14 R. Antecedens eſt falſum, ſi prætendatur Romanos primò à Paulo fuiſſe viva voce in Evangelio inſtructos. Senſus textus eſt. *Ei autem* (hoc eſt, Deo omnipotenti ſit gloria) *qui poteſt gratia ſua vos confirmare, & ſtabilire in ea fide, & doctrina, quæ eſt juxta Evangelium meum, quod ubiq; prædico, & hoc ſcripto vos doceo*. Quaſi diceret, non alia doctrina vos inſtructi eſtis à Petro, ſed ea, quam à Chriſto per revelationem accepit, & quam, & nunc ego vobis inſinuo, ut conſtantes in ea permaneatis: ſcientes, quod tam Judæi, quàm Gentiles juſtificantur ex fide Chriſti, & nullus præ alio poteſt ſe extollere, quòd ſuis meritis, & non ex Dei gratia fuerit à Deo ad fidem Chriſti vocatus.

Inſtant. Paulus loquitur de Evangelio, quod ipſe Romanis prędicaverat, non quidem per ſe, ſed per ſuos diſcipulos, priuſquàm ipſe perſonaliter Romam veniret; propterea eodem *cap.16.* multos nominatim ſalutat, ut *Priſcam*, *Aquilam*, alioſque. Immò, ex quo Petrum non ſalutet, infertur, Romæ cum illis non fuiſſe; aliàs ipſum quoque ſalutaſſet.

15 R. Nunquam Spalatenſis, cujus eſt objectum, probabit ſalutatos à Paulo, ejuſdem diſcipulos extitiſſe, ac ab eo Romam miſſos, ut Romanos converterent. De quolibet enim Scriptura ſilet omninò. Immò oppoſitum colligitur ex *cap.18. Act.* ubi Lucas narrat Paulum Corinthi inveniſſe quemdam Judæum nomine Aquilam cum uxore ſua Priſcilla (ſed Chriſtianos, qui nuper venerant ab Italia, eò quòd Claudius Imperator omnes Judæos, ſive converſos, ſive non, ex Urbe ſuo edicto depulerat) apud quos manebat, & operabatur; erant enim ſcenofactoriæ artis, vulgò *Coramari;* qui cum Paulo profecti ſunt Epheſum; & ibi in Chriſtiana fide perfectè inſtruxerunt Judæum quemdam nomine Apollo, ex quibus hęc colliguntur,

I. Quòd Aquila, & Priſcilla habitaverint Romæ tempore dicti Claudii.

II. Quòd ab eodem Claudio anno Chriſti 51. & ejus Imperii 9. apud Spondanum ad *d.an.51.n.1.* juſſi ſunt cum aliis Judæis, etiam converſis ad fidem ab Urbe excedere.

III. Quòd poſt expulſionem Corinthum contenderint, ibi à Paulo cogniti.

IV. Quòd ſubinde cum Paulo Epheſum profecti ſunt; & ibi d. Apollo de rebus fidei inſtruxerunt.

V. Quòd ob hanc inſtructionem eos Paulus *d.cap.16.v.3.* vocat ſuos adjutores in Chriſto Jeſu.

Cùm verò morte Claudii, quæ contigit *an.56.* extinctum fuerit edictum adversùs Judæos, ne in Urbe agerent, ut refert Spondanus ad *d.an.nu.13.* Satis veriſimile eſt, quod Aquila, & Priſcilla Romam ſint reverſi, & ibi fuerint de anno 58. Sub quo Paulus Epiſtolam ad Romanos ſcripſerat; & en ratio, cur Paulus eos ſalutat, non verò, quòd fuerint ejus diſcipuli.

16 Fuit autem omiſſa à D. Paulo ſalutatio D. Petri, quia ſciebat Petrum unà cum aliis Judæis, jam edicto Claudii Roma expulſum, non rediiſſe, ſed occupatum eſſe in Evangelio propagando, & fidem remotiſſimas nationes docendo; Nominatim verò tunc temporis in Brittaniam, Hiſpaniam, & Africam ad Eccleſias illic fundandas, & firmandas docet Innocentius I. & ex eo Baronius, Piconius *comment. in Epiſt. D. Pauli in d. loc. ad Roman.* & Tirinus *ibi*. Quòd, ſi Romæ etiam tunc adfuiſſet, opus non erat, ut in publicis litteris eum per alios ſalutaret; cùm potuiſſet familiaribus litteris id agere, diſtinguens à cæteris Capitis prærogativam: ergo ex omiſſione ſalutationis in Epiſtola Pauli nulla ratione ſequitur Petrum prius Paulo Romæ non fuiſſe. Cæterùm videtur magis veriſimile, quòd tunc Romæ non fuerit, adhuc in miniſterio Evangelico ad partes multùm diſtantes occupatus. Siquidem ſi Romæ fuiſſet, ortum diſſidium inter Judæos, & Gentiles Chriſtianos

planè

planè compoſuiſſet; nec D. Paulus, rumore præaccepto, hac de re ſcribendi Romanis ſumpſiſſet officium.

Ad additum. Dicimus tam Judæos, quàm Gentiles Evangelium à Petro audiviſſe. Verùm non omnes illi adhæſerunt. Multi adhuc manſerunt, vel in gentilitate, vel Judaiſmo; nonnulli dubitarunt: plures ex curioſitate voluerunt audire, quid Paulus utpote Doctor eximius, de Evangelio, quid de Meſſia ſentiret: vêneritne, an venturus eſſet? Et an ille ſit Jeſus nuper crucifixus? quia ajebant, de *ſecta hac*, hoc eſt, religione, quæ Jeſum Meſſiam eſſe credit, *ſcimus, quòd ubique ei acerrimè contradicitur*. Quibus Paulus veritatem aperuit: *& quidam credebant his, quæ dicebantur, quidam verò non credebant*, ut ait textus; prout factum eſt Iconii *Actor.*14. Paulo, & Barnaba Evangelium prędicantibus: & Theſſalonicæ, ac alibi, ibi *cap.*17. Paulo doctrinam fidei annuntiante. At inde non evincitur Paulum primò Romanis evangelizaſſe; ſed potiùs jam anteà fuiſſe de religione Chriſtiana inſtructos; & quidem à Petro, qui tunc ad tempus aberat, ut ſupra notatum eſt.

Opponunt 2. Petrus nuſquam fuit Romæ: ergo ruit concluſio. Antecedens patet. Nam non potuit illuc tendere ante an.18. à paſſione Domini, & 51. ab ejus nativitate: hoc enim anno celebratum eſt Concilium Jeroſolymitanum, cui ipſe Præſes adfuit. Nec poſt Concilium potuit in Urbem proficiſci, vigente Claudii edicto, de quo dictum eſt ſupra:

Ampliùs. Romana Eccleſia fuit à Chriſto fundata, ut probat Lauræa de fide *diſp.* 6.*art.*4.*v.*169. *& ſequent.* ergo eam non fundavit Petrus.

17 R. Negatur ant. Ut enim diximus *n.*6. Petrus venit Romam an.2. Claudii; ſubinde ex *n.*15. Roma cum reliquis Chriſtianis ejectus eſt. Porrò, ſic diſponente providentia, contigit illud exilium, ut Petrus poſſet præeſſe Jeroſolymitano Concilio, in quo actum eſt de legalium abrogatione, celebrato anno 9. Claudii, & à Chriſto nato 51. ſub quo d. edictum emanavit, ex allegato Spondano ad *an.*35.*n.*3. & *ad an.*51.*nu.*1. *&* 2. Nec difficile fuit Petro Romam redire, Nerone imperante; etenim tunc reſciſſa fuerant, quæ dixerat Claudius.

18 Et reverà anno Neronis I. Romam revertitur, poſtquàm Orbem Occidentalem circumeundo perluſtrat, varias in Oriente, ſicut in Occidente Eccleſias fundans ex Sophronio de *laborib. & peregrin. S. Petri*. Subinde Romam rediit an.68. & Neronis 12. ſcribente Spondano ad *d. an. num.*1: *Petrus, & Paulus Apoſtoli divino conſilio, ut afflictatæ à perſecutoribus Eccleſiæ Romanæ ſuccurrerent, è diverſis Orbis partibus Romam ſe iterùm contulerunt*. Ratio reditus illis, fuit notitia illius immanis perſecutionis à Nerone in Chriſtianos Urbis excitatæ occaſione incendii Civitatis; cujus ipſe auctor fuit, ſed illis iniquè attributi, ut idem narrat ad *an.*66. *&* 67. Romam autem pervenerunt *an.*68. ac Neronis 12. ut negotio fidei, & Fidelium ſaluti eo in diſcrimine conſulerent.

Intereà Eccleſiam inſtaurarunt, ſuiſque prædicationibus fidem conſolidare curarunt; precibuſque Petri Simon Magus per aerem auxilio Dęmonum ſublatus, in terram proſtratus eſt, qui, lapſu fractis cruribus, poſteà miſerè periit. Propter quod Nero in iram actus, Sanctos Apoſtolos carcere mancipari committit; in quo novem menſibus ſubſtinuerunt, & poſteà an.69. martyrio coronati, Romanam Eccleſiam ſanguine conſecrarunt.

19 Ad ampliùs. Vide diſtinctionem, quam dedimus *contr.*1.*cap.*1.*n.*21. Et conſidera à Chriſto Domino fundatam eſſe Eccleſiam Romanam, prout Eccleſia Romana idem eſt ac univerſalis, quæ fuit commiſſa Petro, & Succeſſoribus ejus Romanis Pontificibus, à quibus tanquàm à Capite Romana denominatur. Verùm quidem eſt, quòd pro tunc, cùm fuit primò fundata, Romana denominativè non erat;

erat tamen pro tempore futuro, quatenus Fidelium cætus, & Chriſtianitas, quæ primò cępit Jeroſolymis, deinde Samariæ, poſteà Antiochiæ, & alibi propagata, & propaganda, eſt illa Eccleſia commiſſa Petro, ut ſupremo Paſtori; quia verò Petrus Romæ Cathedram erexit, & fixit, ab eo Romana denominata eſt. Lege Laur. *loc.cit.n.*180. A Petro verò fuit fundata Eccleſia Romana, hoc eſt, Eccleſia illa particularis, quæ Romæ eſt reſtricta ad limites Romanæ Diœceſis, quæ tamen eſt Caput, & Matrix cæterarum. Ad quam ſcribit Iræneus *lib.3.cap.3. Eccleſiam Romanam propter potentiorem principalitatem oportet omnem convenire Eccleſiam*, hoc eſt, *omnes, qui ſunt undique Fideles.*

Dices. At non ſolus Petrus Romanam Eccleſiam in ſenſu poſteriore acceptam fundavit: Nam Patres unanimi conſenſu ſcripſere Romanam Eccleſiam à Petro, & Paulo fundatam fuiſſe.

20 R. Negatur ſubſumptum. Cæterùm ad rem noſtram duplex genus fundationis conſiderari poteſt. Unum, quod per Evangelii diſſeminationem, & fidei prædicationem peragitur: hoc genere fundamenti aliqua Eccleſia tum primò fundari dicitur, cùm populus ab errore revocatus, ad Chriſti fidem convertitur. Alterum eſt, cùm populo ab errore converſo, & in Chriſti fide inſtructo, novus ibi Epiſcopatus erigitur, & Epiſcopalis ſedes in Eccleſia erecta à ſuo Epiſcopo adminiſtratur. Utroque modo Petrus primò Eccleſiam Romanam fundavit; ſiquidem Romę primò Evangelium prædicavit, ut dictum eſt, ibique Cathedram Epiſcopalem erexit eamque ut ordinarius Paſtor adminiſtravit, prout notavimus *cap.præced.n.*37. *&* 38. Quia verò, etiam Paulus poſt Petrum Romæ prædicavit, & laboravit in confirmando populo in fide, ac ſuo ſanguine Romanam Eccleſiam illuſtravit, ideò Patres illam dixerunt, & à Paulo fundatam; Et hæc eſt ratio, cur Romani Pontifices ſuas Bullas ſub utriuſque nomine conficiant; &, cùm Petri memoriam celebrant, Paulum à Petro nunquam disjungunt, ut ibi dictum eſt *n.*40. & ex Boverio in *cenſura Marci Antonii de Dominis l.4.c.*1. obſervavit Diana *coord.to.9.tr.13.ſect.verb. quod poteſt.*

Opponunt contra 2. & 3. partem. Petrus fuit Epiſcopus Antiochenæ Eccleſiæ: ergo non Romanæ: duas enim Sponſas ſimul unus habere non poteſt.

Confirmatur. Linus, adhuc vivente Petro, dicitur à Patribus Epiſcopus Romanus. Clemens *lib.7.conſtitut.cap.*47. ait: *Linus Claudiæ filius Romanorum Epiſcopus eſt ordinatus à Paulo*. Nicephorus Caliſtus *lib.2.cap.*33. inquit: *Dum adhuc viveret Petrus, dedit Lino claves Eccleſiæ Romanæ*. Irenæus *lib.3.cap.3. Linum affirmabat ab Apoſtolis Petro, & Paulo fuiſſe factum Epiſcopum*: ergo Patribus repugnat dicere Petrum fuiſſe Epiſcopum Romanę Eccleſię; tunc enim duo ſimul in eadem Cathedra ſediſſent, & eamdem ſibi copulaſſent ſponſam, quod omninò repugnat: Et Nicænum I. poſteà *can.*8. prohibuit.

21 R. Tēpora diſtinguenda ſunt, ut textus concordentur. Equidem Petrus fuit uno tempore Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, & pro alio Romanam Eccleſiam rexit. Antiochenam Eccleſiam fundavit an. Chriſti 39. & Caii Imperatoris I. apud Spondanum ad *d.an.n.3.* in qua ſeptem circiter annis Cathedram tenuit, ut ex Euſebio Coriolanus *cit. ad d.an.* & eſt communis majorum traditio. De qua re Gelaſius Papa in Concilio Romano celebrato *an.* 494.*cap.*1. apud Bail. *Sum.Conc.to.*2. hæc ſcribit. *Prima Petri Apoſtoli ſedes, Romana Eccleſia non habens maculam. Secunda autem Sedes, apud Alexandrinam B.Petri nomine à Marco ejus diſcipulo, & Evangeliſta conſecrata eſt. Tertia verò Sedes apud Antiochiam ejuſdem Beatiſſimi Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis, eo quòd illic, priuſquam Romam veniſſet, habitavit, & illic primùm nomen Chriſtianorū novellæ gentis exortū eſt.*

22 Ratio verò, cur Alexandrinæ Antiochena poſt poſita fuerit, & tertio loco col-

collocata, refertur à Spondano ad *an.*45. *n.*16. Quia tunc temporis Alexandria erat florentiſſima Civitas, & veluti quoddam Orbis Theatrum, ad quod ex Aſia, Africa, & Europa univerſæ ferè gentes confluebant; propter quod placuit D. Petro eam Antiochenæ Eccleſiæ præferre.

23 Poſtquàm verò Petrus ann.45. ſibi Romæ Cathedram erexit, & Romanam Eccleſiam omnium totius Orbis Principem inſtituit, ac Sede Pontificia decoravit, Antiochenam reliquit, ſibique in ea ſucceſſorem Evodium delegit, qui poſt eum primò Epiſcopus ibi ſedit; licèt plures tradant primò à Petro fuiſſe eidem Sedi præfectum S. Ignatium, qui tamen Evodio ſucceſſit, ut ex eodem Ignatio, aliiſque narrat Spondanus ad *d.an.*24. quod à nobis magis probatur. Cæterùm quidquid ſit, an Evodius, vel Ignatius primus poſt Petrum fuerit; certum eſt, quòd unus, vel alter ibi à Petro Romæ Pontificia Cathedra ſtabilita, eſt Epiſcopus inſtitutus.

24 Ad confirmationem. Plures negant Linum, vivo Petro, Epiſcopum fuiſſe, ſed nudum Chorepiſcopum ſtatuunt, ut apud Petavium *ritionar. tempor. lib.*5.1.*par. cap.*3. alioſque plures recenſet Macedo de *clavib. Petr. lib.*1.*cap.*3.*tit. Diatriba Pauli cum Petro*. Ubi, nonnullis allegatis, probat Chorepiſcopos non fuiſſe veros Epiſcopos; poſt quem fuit Juvenim *comment. hiſtor. de Sacrament. diſſert.q.*2.*cap.*10. *concl.*1. Et expreſſum eſt in *d.can.*8. Nicæni, ubi ſtatuitur, quòd ex Catharis aliquo, qui fuerit Epiſcopus, relicta hæreſi ſua, ad Eccleſiam veniente: Si Epiſcopus loci noluerit eum titulo, & nomine Epiſcopali donare: *providebit ei, aut Chorepiſcopatus, aut Presbyterii locum, ut in clero prorſus eſſe videatur:* addita ratione, *ne in una Civitate duo Epiſcopi exiſtere probentur*. Unde ipſi erant ſimplices Presbyteri cum juriſdictione ſpirituali, ſed infra Epiſcopalem in plures Parochias, multoſque rurales Presbyteros. In qua ſententia confirmatio nō urget.

25 Quæ nec urget, ſi Linus dicatur fuiſſe Epiſcopus ſive à Paulo auctoritate Petri, ſive ab ipſo Petro ordinatus. Nam, vivente Petro, non fuit proprius Epiſcopus, & ordinarius Romanæ Eccleſiæ Paſtor (idem pro eo tempore dicitur de Cleto, & Clemente) ſed miniſter à Petro aſſumptus in partem curarum Romanæ Eccleſiæ; cui proinde aliquas regiones Urbis commiſit, ſicut aliàs Cleto, & Clementi. Unde *cap. Si Petrus* 8.*q.*1. dicitur. *Si Petrus Princeps Apoſtolorum adjutores ſibi aſcivit Linum, & Cletum....* & infra. *Linus, & Cletus miniſtrabant exteriora*; hoc eſt, ut ibi Gloſ. pauperibus temporalia erogabant; quam Gloſſæ interpretationem adeò limitatè non probamus. Quoniam in nonnullis ſpiritualibus etiam Petro adjutores fuiſſe, videtur negari non poſſe. Propterea ubi Linus, Petro vivente, à Patribus dicitur Romanorum Epiſcopus, intelligitur, *Epiſcopus coadjutor*, & in cura paſtorali Petri miniſter; qui & Romanæ particularis, & univerſalis Eccleſiæ ſolus ordinarius Paſtor erat, & poſt eum ſunt ejus ſucceſſores Romani Pontifices.

26 Petro autem defuncto, in Lino coadjutoria expiravit. Nam ut notat Fagnan. *in* 5. *ad cap. Epiſcopalia de privileg. num.*58. mortuo Epiſcopo coadjuto, deſinit coadjutor, niſi habeat futuram ſucceſſionem. Dicitur enim coadjutor à coadjuvando; & ideò coadjutoria expirat per obitum Epiſcopi, quia tunc non eſt, quem coadjuvet. Non enim quis eſt coadjutor populi (aliàs perpetuus eſſet ſicut populus) ſed Epiſcopi. Idcircò, ſicut coadjutoria non eſt titulus perpetuus, ut de Suffraganeato dixit S. Congr. Concilii apud *alleg. numer.*59. ita nec Coadjutor dicitur habere titulum, & poſſeſſionem beneficii, ſed tantùm exercitium, & adminiſtrationem: jus enim titulus, & poſſeſſio eſt penes coadjutum, & ordinarium Paſtorem. Hinc Linus poſt obitum Petri, Petro non ſucceſſiſſet in præfectura Eccleſiæ tum particularis, quæ Romæ eſt, tum univerſalis toto Orbe dif-

diffuſæ, niſi Romanus Pontifex electus fuiſſet.

Neque Romanam tantùm Eccleſiam Petrus fundavit, ſed alias plures erexit, prout ex Actibus Apoſtol. patet, & habetur ex Hugone Ætheriano *lib.3.cap.17.* dicente: *Petrus magnus Chriſti Apoſtolus in omnibus ferè Civitatibus Syriæ, Cappadociæ, Phrygiæ, Macedoniæ, Hellados, Cypri, Siciliæ, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, & extremitatum, ut Eccleſiaſtica hiſtoria perhibet Epiſcopos ordinavit.* Quinimò influxum habuit, ut alias reliqui Apoſtoli fundarent; nam eos ſuo exemplo, & auctoritate ad prædicandum deſtinavit: ait Gravina de *præſcriptionib.to.3.p.2.lib.4.contr.4.art.4.* de qua re Coriolanus cit. *ad ann.44.* ſcribit. *Apoſtoli Spiritus Sancti inſtinctu, Petro Primarchio diſponente, atque adeò jubente, Jeroſolymis profecti ſunt in Mundum univerſum, ſinguli ad ſibi deſignatas Provincias.* Et poſt eum Cherubinus *to.1. Bullar. in d. Petro. Petrus injuncti ſibi muneris haud immemor, ad imbuendum Evangelio Mundum, Apoſtolos per varias Orbis partes diſtribuit.* Siquidem ut notavit Leytam *clypeus Pontif. dignit.diſcept.3.ſect.6.num.147. Chriſtus Dominus non determinavit Apoſtolis certas aliquas Provincias; ſed omnes univerſaliter miſit in univerſum Mundum, illis verbis* Marci 14. *Euntes in mundum univerſum, &c. relinquens liberum Eccleſiæ,* hoc eſt, Petro, hás vel illas determinatas Provincias pro regimine ordinario his, vel illis Apoſtolis aſſignare.

Subinde ad Petri tempora Romani Pontifices ejuſdem Succeſſores de diffuſione Romanæ fidei ſoliciti; ad diverſas Orbis Provincias Paſtores, ac Doctores deſtinarunt; & ad præſens, ut ad ovile Chriſti oves reducant apud Sinenſes, diſponente Clemente XI. plures laborant Sancto in opere occupati: vide ſupr. *contr.4.cap.3.nu.13.*

CONTROVERSIA VI.

De Romano Pontifice.

IN Romanum Pontificem ſolent Proteſtantes inſolenter declamare, negantes eſſe Petri ſucceſſorem, Primatu in Eccleſia gaudere, Caputque eſſe, cui Chriſtus commiſerit ſui gregis præfecturam, & Catholici ovilis curam demandaverit. Quem calumniis onerant, diriſque virulentis emordent: hinc Antichriſtum nominant: modò Apoſtaſia ſugillant: nunc Principatus Eccleſiæ uſurpatorem deprædicant: ſed quàm iniquè, quàm falsò, ſatis jam, & ad evidentiam uſque, orthodoxi tum Doctores dixere, tum nos præſenti hac controverſia aperire ſuſcipimus.

CAPUT I.

An Romanus Pontifex ſit Petri Succeſſor?

SUMMARIUM.

1 *Error Conringii, & Spalatenſis.*
2 *Petro mortuo, ſuccedere alius debuit in regimine Eccleſiæ.*
3 *Verbis illis*, paſce oves meas, *Chriſtus ordinarium Paſtoris officium conſtituit.*
4 *Chriſtus Eccleſiæ reliquit poteſtatem eligendi Summum Pontificem.*
5 *Auctoritas Papalis eſt à Chriſto immediatè.*
6 *Solus Romanus Pontifex eſt D. Petri ſucceſſor.*
7 *Romana Eccleſia eſt Caput cæterarum.*
8 *Probatio ex Patribus.*
9 *Privilegium perſonale duplex.*
10 *Romanus Pontifex non ſuccedit Petro in prærogativa Apoſtolatus.*
11 *Succeſſor eſt in pertinentibus ad curam Paſtoralem.*
12 *Romanus Pontifex gerit perſonam Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primatis, Patriarchæ, & Capitis totius Eccleſiæ.*
13 *Patriarcha Alexandrinus parem non habet juriſdictionem cum Romano Pontifice.*
14 *Provinciæ ſuburbicariæ quæ? Et quæ Eccleſiæ ſuburbanæ?*
15 *Patriarcha Conſtantinop. par non Romano Pontifici.*
16 *Qua ratione Papa dicatur Epiſcopus univerſalis?*
17 *Papa eſt Sponſus Eccleſiæ Chriſto ſubordinatus.*
18 *Papa eſt Filius, & Pater Eccleſiæ.*
19 *Quomodo mortuo Papa, claves ſint in Eccleſia?*
20 *Papa officio, juriſdictione, & dignitate à membris Eccleſiæ diſcretus.*
21 *De quo toto procedat maxima:* totum eſt majus ſua parte?
22 *Papa in foro confeſſionis ſubditur Confeſſario.*
23 *Nulli verò in judicio externo.*
24 *Poteſt reſignare Papatum.*
25 *Cur reſignatio Papatus fiat apud Eccleſiam?*
26 *Eccleſia non poteſt Papam Papatu ſpoliare.*
27 *Pontifex eſt Petri ſucceſſor, non Vicarius.*
28 *Regum Franciæ liberalitas erga Pontifices.*
29 *Papa eſt Epiſcopus Eccleſiæ Romanæ, tum particularis, tum univerſalis.*
30 *Eccleſiam regit Pontifex per ſe ipſum, & per Epiſcopos Eccleſiis particularibus præpoſitos.*
31 *Cur Papa non utatur baculo, ſeù virga paſtorali?*

1 Con-

1 CONringius Calviniaňæ hæreſis propugnator Romanum Pontificem non ſuccedere Petro jam docuit, aliis diſſidentibus cohærens, aſſerentibus ſimul cũ obitu Petri ſpiritualem Eccleſiæ univerſalis Monarchiam expiraſſe; nec ab illo in ejus eſſe ſucceſſores translatam. Spalatenſis verò ſyſtema confixit, pronuntians omnes Epiſcopos in ſolidum eſſe Petri ſucceſſores, adeò ut omnes, & ſinguli habeant plenitudinem poteſtatis regendæ Eccleſię, & non in partem ſolicitudinis ſint vocati. In quo concordat cum Nilo Epiſcopo Theſſalonicen. *in libr. adversùs Primatum Petri*, ubi ſcripſit: *Papam ſuccedere Petro, ut erat Epiſcopus Romanus, non verò ut erat Caput Eccleſiæ;* & inde ſtatuit Petrum fuiſſe primum inter Epiſcopos æquales, non verò Epiſcopis ſuperiorem.

2 Hinc I. notandum. Quòd, Petro mortuo, debuit jure divino, ſeù ex Chriſti inſtitutione alius pro regimine Eccleſiæ ſuccedere. Aliàs Chriſti promiſſiones, quibus promiſit Eccleſiam uſque ad finem mundi duraturam. Matth. ult. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Joan. 14. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*, eſſent prorſus inutiles, & ſine effectu. Nam, quomodo Eccleſia eſſet uſque ad mundi finem duratura, ſi, mortuo Petro, alius non eſſet Caput viſibile Eccleſiæ, qui eam in externo regimine regeret? Forſitan Petrus jam mortuus eam gubernaret? Fortè Chriſtus voluit ſuas oves ſine Paſtore ordinario errantes eſſe, & abſque ductu, ac Rectore; ſuamque Eccleſiam acephalam eſſe, hoc eſt, ſine capite? Impium eſt hoc aſſeverare, & contra ſpecialem Chriſti providentiam erga ſuum gregem.

Propter quod Patres, & Concilia, verba illa. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: confirma fratres tuos: paſce oves meas*, in Petro eſſe, & ejus ſucceſſoribus dicta intellexere. Petri enim Primatus non fuit perſonalis, ſed in ſucceſſores uſque ad finem mundi derivatur. Siquidem fundamentum, ſuper quod Eccleſia univerſalis fundata eſt, eſt Petrus: ergo quamdiù Eccleſiæ viſibilis corpus in terris manet, tamdiù Petrus perſeverat: non perſeverat autem in perſona ſua ſingulari: ergo perſeverat in Succeſſoribus ſuis. Hinc Patres in Concilio Calcedonenſi *act.* 2. lectis Epiſtolis Leonis Pontificis, clamaverunt, ut infra ſub *n.* 7. Non enim ſtructura ſine fundamento, Regnum ſine Principe, ovile ſine Paſtore, Corpus abſque capite vivum, ſtare poteſt ordinaria poteſtate.

3 Maximè ponderandum eſt, quòd Chriſtus verbis, *paſce oves meas*, ordinarium paſtoris officium conſtituit. Hinc optimè ſciens Petrum brevi duraturum, Petri nomine ejus etiam Succeſſores intellexit, in quibus perpetua eſſet ordinaria cura paſcendi: Si quidem, ut etiam Proteſtantes admittunt, perpetua in Eccleſia ſunt ea, quæ ordinariæ ſunt poteſtatis, teſtibus Valemburgiis *tom.* 2. *contr. tr.* 1. *c.* 11. Agnoſcunt autem uſum clavium, rationẽque paſcendi ad officium ordinarium pertinere; ideò in uno debet permanere, & continuari. Indeque ineptiſſimè de Succeſſione Epiſcopi Romani litigant Sectarii.

Ad hoc item poſſet alius conſiderari finis, propter quem Chriſtus unum in Eccleſia Caput viſibile poſuerit: *Ut nimirùm ſchiſmatis tolleretur occaſio*, ex Hieronymo *lib.* 1. *contr. Jovin. Et una Eccleſia, & una Cathedra monſtraretur;* ut inquit Cyprianus *de unit. Eccleſ.* atque, ut in *una illa Eccleſia unitas ab omnibus ſervaretur*, ut dixit Optatus *lib.* 2. *contr. Parmenian.* Qua verò ratione poſt obitum Petri hæc obtinerentur, ſi Petro unum Caput eandem cum ipſo auctoritatem habens, non ſuccederet?

4 II. Catholici Doctores conveniunt Chriſtum Dominum poteſtatem ſuæ Eccleſiæ militanti reliquiſſe proponendi, vel eligendi Petri ſucceſſorem: & hujus ſucceſſoris alium, atque alium ſucceſſorem

in perpetuum, hoc eſt, uſque ad finem Mundi, ut ſemper eſſet eadem forma regendi Eccleſiam: Etenim cùm voluerit ſemper in Eccleſia eſſe unum Caput ipſam dirigens, & hoc nollet ſemper vivere, nec poteſtatem ſuam ſpiritualem per generationem ad poſteros ſuos derivare, eſt evidens ex interpretativa Chriſti voluntate, relictum eſſe diſpoſitioni Eccleſiæ ſtatuere de Petri ſucceſſore, & pro ratione temporum, & circumſtantiarum definire quomodo Pontifices ſint eligendi: *nam qui vult efficaciter finem, vult etiam efficaciter media*.

5 III. Conveniunt pariter, poſtquàm Eccleſia Epiſcopum Romanum canonica electione propoſuit, & obtulit Chriſto, ut Petri Succeſſorem, ſtatim à Chriſto ille, ſic oblatus, & electus ampliſſimam juriſdictionem regendæ Eccleſiæ neceſſariam recipit, ac eam omnem habet, quam D. Petrus, ut ordinarius, ſupremuſque Eccleſiæ Paſtor obtinuit.

Hoc ultimum additur; quia Romani Pontifices ſuccedunt Petro extra rationem præciſam Apoſtolatus, ſed in præfectura univerſalis Eccleſiæ cum ordinis, & juriſdictionis poteſtate, & eodem modo collata, hoc eſt, ordinaria, & non delegata, ut ex Macedo *de clavib. Petri diſſert.4.cap.*1. quibus præmiſſis.

6 Dicendum. *Solus Romanus Pontifex eſt D.Petri Succeſſor in Primatu, ſupremaque poteſtate regendi Eccleſiam*. Ita omnes Catholici contra Lutheranos, Calviniſtas, & Græcos Schiſmaticos.

Probatur. Petrus fuit viſibile Caput cum primatu juriſdictionis regens Eccleſiam, ut diximus *contr.præter.cap.*1. ergo poſt obitum Petri debuit aliud Caput viſibile in ea eſſe Petro ſuccedens, à quo ipſa regeretur; aliàs Eccleſia eadem non eſſet, ſed, mutata forma regiminis, alia: quoniam ad mutationem formæ, regendæ Reipublicæ variantur, ex dictis *contr.4.cap.3.n.5*. At nullus alius poſt Petrum dici, & eſſe poteſt Caput Eccleſiæ viſibile, quàm Romanus Pontifex, Petro in præfectura, & Eccleſię Primatu ſuccedens: ergo ſolus Romanus Pontifex eſt D.Petri ſucceſſor. Subſumpta minor patet, tum ex praxi communi Eccleſiæ, tum ex Conciliis, tum ex Patribus. Ex praxi quidem. Siquidem mos Eccleſię fuit, ut, mortuo Petro, ſtatim Romanus Epiſcopus, ut eidem Petro ſucceſſor, eligeretur; & exinde ad noſtrum uſque tempus, ea invariabilis conſuetudo ſervata eſt, ut, uno Romano Pontifice è vivis ſublato, alius ei ſufficeretur; & univerſa Eccleſia Romanum Epiſcopum de novo electum, ut ſuum ſupremum Paſtorem abſq; ulla poteſtatis reſtrictione recepit, recipit, adorat, & cum ipſo communicat. Ad quē, tanquam Principem, & omnium Judicem, omnes majores cauſæ Eccleſiæ per omnes priores ætates ab univerſo Orbe fuerunt delatæ, & uſque nunc deferuntur: prout tetigimus *contr.3.cap.5*. & recenſet Porter *Syſtema decret.* aliique plures.

7 Ex Conciliis eadem ſubſumpta patet. In Concilio Epheſino Patres in damnatione Neſtorii hæc habent. *Sanctiſſimique Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi Cæleſtini Patris noſtri*.

In Calcedonenſi *act.*1. dicitur. *Beatiſſimi, atque Apoſtolici viri Papæ Urbis Romæ (quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum)* & *act.*2. Leo D.Petri ſucceſſor recognoſcitur. Siquidem lecta Leonis Epiſtola contra Euthycetem: *Epiſcopi clamaverunt. Hæc Patrum fides. Hæc Apoſtolorum fides; omnes ita credimus. Anathema, qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus eſt.* Act.16. Primatus Romani Pontificis legitur. *Decernitur Sedem Romanam eſſe in omnibus, & per omnia primam*. Non ibi primò datur: Nam ex jure divino habet, ſed declaratur.

Concilium Lateranenſe IV. *can.*5. declaravit: *Romana Eccleſia, diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet Principatum*; utpote, *Mater univerſorum Chriſti Fidelium, & magiſtra*. Et legitur *cap. Antiqua de privil. de exceſſibus Prælat.*

In Concilio Conſtantienſi damnata eſt hæc propoſitio Joannis Vvicleſ (quæ in ordine

dine eſt 41.) *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſuperiorem inter alias Eccleſias*. Error eſt, ut ibi notatur, *ſi per Romanam Eccleſiam intelligat univerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale; aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares*: ut in *conſtitut.1. Martini V. Inter cunctas: Bullar. tomo 1.*

Expreſſiùs in Concilio Florentino res eſt definita, prout in *Conſt. Eugenii IV. Lætentur, litteræ unionis nuncupata*: ibi: *definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in Univerſum Orbem tenere primatum; & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe B.Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B.Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe*. Quæ definitio fuit etiam à Græcis recepta, in hoc Concilio Eccleſiæ unitis; eſtò prius in errore fuerint, quòd novæ Romæ Epiſcopus, ſeu Patriarcha Conſtantinopolitanus, non ſolùm æqualis eſſet poteſtatis cum Romano Pontifice, ſed & major, teſte Cabaſut. *notit.Eccleſ. ad can.3. Concilii Conſtantinop.II.* ibi. *Thronum*, ait, *Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Græcorum hæreſis à Romana, & Apoſtolica Sede divulſit impioque ſchiſmate ſubtraxit, ſed etiam ſupra illam ſe ſe evexit, ſuoque ſacrilego ſimul, & ridiculo auſa eſt ſubiicere judicio; & tetris fulminibus impetere*. Unde Photius Patriarcha Conſtantinop. eò amentiæ devenit, ut Nicolaum Pontificem anathemate percuſſerit, ut refert Bail. *Sum.Concil.to.1. in Concilio Conſtantinopol. IV. lit. E*

Et Concilium Tridentinum *ſeſ.24.cap.1. de ref. Beatiſſimus Romanus Pontifex*, ait. *Sollicitudinem univerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio habet*.

8 Eadem ſubſumpta minor liquet Patrum teſtimoniis. Irenæus *lib.3.cap.3.* tradit, *ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem aliam Eccleſiam convenire*.

Cyprianus *lib.4.Epiſt.8. ad Cornel. Pontif.* docet. *Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matricem*.

Optatus Milevitanus *lib.2.contr.Parmenian.* numerans Pontificum ſucceſſionem, inquit: *Petro ſucceſſit Linus, &c.*

Hieronymus *Epiſt.57. ad Damaſum Papam*, ſcribit: *eumdem Piſcatoris* (Petri) *Succeſſorem eſſe in eadem fidei Cathedra, ſupra quam ſit ædificata Eccleſia*.

Auguſtinus Epiſt.43.ad Glor.&Eleuſium cap.3. prærogativam Romanæ Eccleſiæ oſtendit, *quia in ea ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus*. Et *Epiſt.63. ad Generoſum cap.1.* reportans ordinem ſucceſſionis Pontificum habet: *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certiùs, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti, Dominus*, ait, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam. *Petro ſucceſſit Linus*; & uſque ad Anaſtaſium tunc temporis Pontificem Romanum ſeriem recenſet. Et de præeminentia Epiſcopatus Romani fatetur *lib.1.contr. duas Epiſtolas Pelagianor. ad Bonifac. Roman. Eccleſ. Epiſcopum cap.1.* ſcribens: *Communis eſt omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio (quamvis ipſe in ea præemineas celſiore faſtigio) ſpecula paſtoralis; facio, quod poſſum, pro mea particula muneris*.

Tertullianus *lib.1.de pudicit.Papam vocat Pontificem maximum, Epiſcopum Epiſcoporum*. Ab Athalarico Rege apud Caſſiodorum *lib.9.Epiſt.15.* dicitur, *Pater Patrum, Epiſcopus Patriarcharum*.

Euſebius *lib.3.cap.4.* eum appellat, *Petri Apoſtoli ſucceſſorem*.

Alii innumeri referri poſſent, qui agentes de primatu Eccleſiæ ſolis Romanis Pōtificibus convenire concordant, eoſque, & non alios D.Petro in Eccleſiæ præfectura ſuccedere. Sed in re adeò clariſſima abſtineo; remiſſo lectore ad Bzovium, à quo in

ſuo Romano Pontifice cap.5.& 6. pleniſſimus index exhibetur. Etenim ad contradictores revincendos puto Auguſtinum ſufficere, ſcribentem *lib.de utilit. credendi cap.17.* *Dubitabimus nos ejus Eccleſiæ condere gremio, quæ uſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.*

Evidens ratio ad firmandam concluſionis veritatem ſumi poſſet ex principiis jam poſitis *n.2.& 3.* quæ hìc non repetimus, ne per pluries dicta, inutiliter pagellæ impleantur.

Opponunt I. Nullibi in Scriptura dicitur Pontificem Romanum debere D.Petro in Pontificatu ſuccedere: ergo non ſuccedit; & aſſerenti non eſt credendum, juxta regulam traditam à Bonifacio VIII. *cap.Injunctæ de electijon.inter.com. Aſſerenti cum mandatis Principis ſe veniſſe, credendum non eſt, niſi hoc ſcriptis probaverit.* Antecedens probatione non eget, vel adducatur textus.

9 R. Negatur antecedens. Etenim, ut dictum eſt, ubi ſupra, cùm Chriſtus verbis illis. *Tibi dabo, &c. Paſce oves meas*, conſtituit Petrum paſtorem Eccleſiæ, non ita ei curam paſcendi commiſit, ut cum ejus vita finiretur, ſed, ut poſt eum ad ejus ſucceſſores tranſiret; licèt enim privilegium perſonale privatum, ſeù datum perſonæ privatæ, cum perſona extinguatur, juxta *regul.7.jur.in 6.* Non ſic privilegium publicum, ſeù factum publicæ perſonæ. Si quidem hoc datur tam pro perſona, quàm pro ſuis ſucceſſoribus per *regulā 46.*ibi. Privilegium verò Petri fuit ſecundi generis, juxta dicta ſupra. Inde fit, ut, eo extincto, non perierit, ſed in ſucceſſoribus continuetur. Idcircò, ubi in Scripturis, locis allegatis, explicitè dicitur, Petrum eſſe Paſtorem Eccleſiæ, ad minùs implicitè relevatur debere Succeſſores habere; &, cùm ſemper ſoli Romani Epiſcopi fuerint ab Eccleſia propoſiti, & electi, ut Petri ſucceſſores, per optimè ſequitur ſolos ipſos Romanos Pontifices D.Petro ſuccedere. Et hac ipſa ratione eſt hoc de fide tenendum: quia de fide eſt eum eſſe Petri ſucceſſorem, quem Eccleſia, ut talem, proponit: ut notavit ex Gregorio de Vallentia Leytam *clyp.Pontif.dignit.diſcept.3.ſect. 4.num.113.*

Dices. Petrus plura geſſit, quæ ejus ſucceſſoribus non conveniunt; ita ſua umbra morbos ſanabat; & libros canonicos ſcripſit, in quibus nec Romanos Pontifices ſucceſſores habuit: ergo, quòd ipſe verbis illis, *paſce oves meas*, fuerit conſtitutus Paſtor Eccleſiæ non ſequitur, quòd in eo munere ſucceſſores habeat.

Item, ſi verba illa, *Paſce*, ita intelliguntur de Petro, hoc eſt, ut etiam comprehendāt ejus ſucceſſores Romanos Pontifices, quatenus Paſtoris officium Petro traditum, in ipſis continuare, & perſeverare debeat; pariter alia apud Lucam 22. *Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos*: ita accipienda ſunt, quod Romani Pontifices Petri ſucceſſores debeant prius Chriſtum negare, & converti, ut poſteà officium Paſtoris accipiant, & Fratres in fide confirment? Quod ſanè abſurdiſſimum eſt.

10 R. Argumentum ſolùm probat, Pontifices non ſuccedere Petro in Apoſtolatus prærogativa, & dotibus particularibus, non verò, quod non ſuccedant in præfectura totius Eccleſię cum ordinaria, & ampliſſima jurisdictione ad eam regendam. Debent itaq; Sectarii dotes particulares perſonæ Petri diſtinguere ab iis, quæ officium ordinarium Paſtoris ſpectant: ut eſt, *paſcere, regere, curare oves, lupos ab illis arcere: leges, & jura pro bono univerſalis Eccleſiæ regimine ſtatuere; & ſimilia agere*, ſine quibus boni Paſtoris munus, quis obire non poſſet. In poſterioribus Romani Pontifices pleno jure ſuccedunt, in prioribus minimè. Nec in illis opus eſt, quod ſuccedant: Quod & in politicis patet: Ubi, ut quis ſucceſſor ſit alicujus Regis, opus non eſt, quòd ſui prædeceſſoris perſonales prę-

roga-

rogativas habeat; aliàs Rex non eſſet, niſi æquè ſapiens, æquè prudens, æquè juſtus, pius fortis, ac ille exiſteret; & inde, quæ incommoda in Mundo non ſequerentur? Ideò, ut Rex ſit, ſufficit ut ſuccedat in omne jus, juriſdictionem, & poteſtatem regendi: ita in propoſito.

11 Ad 2. Nomen *converſus* duplicem ſenſum poteſt habere. Primò, ut idem ſit ac emendatus, & à culpa reſurgens. Secundò, ut idem ſit, ac applicatus, & intendens, ut ſumitur ibi *v.62. converſus Dominus reſpexit Petrum*. Juxta primum ſenſum ſupponit propriam, & perſonalem culpam, quæ reſtringitur ad perſonam peccantem, & non tranſit ad Succeſſorem. Juxta ſecundam acceptionem reſpicit curam Paſtoralem, quæ tranſit in eum, qui in eadem ſuccedit dignitate, & juriſdictione paſtorali. Hinc verba Lucæ, accepto ly *converſus* in primo ſenſu, ſucceſſores Petri nō complectuntur; qui ſolùm ſunt ipſius ſucceſſores in eo, quod ſpectat ad paſtoralem curam totius Eccleſiæ. Ad quam ſpectat privilegium non errandi in fide; quod Petro datum fuit, non, ut cum perſona ipſius extingueretur, ſed, ut in ſucceſſoribus ejus perpetuò continuaretur. Petro enim traditum eſt intuitu neceſſitatis Eccleſiæ, ut ſcilicet portæ inferi adversùs eam non prævaleant; ac ut in omni dubio poſſet gregem Chriſti ſine erroris periculo docere, confirmare ſtabilire, ne caderet, ne erraret; quæ neceſſitas cùm ad finem uſque mundi duratura ſit, debet, & hoc privilegium perpetuum eſſe, & Petri continuò ſucceſſoribus adhærere; ut ait Tirinus in *d.loc.*

Opponunt 2. Æqualis poteſtas eſt Epiſcopi Alexandrini cum Romano Pontifice, ut habetur in *can.6. Concilii Niceni I. Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Libiam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem; quia & Urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt*. Quinimò in Concilio Chalcedonenſi ſtatutum eſt: Eccleſiam Conſtantinopolitanam (eo quòd Imperio, & Senatu, quemadmodum Romana Civitas decorabatur) pari cum Romana Eccleſia privilegio, & dignitate præfulgere debere, ut narrat Cabaſut. *cit. in Concil. Chalcedonenſi n.24.* ergo non ſolus Romanus Pontifex Petro in pleniſſima auctoritate ſuccedit. Aliàs poſſet appellari *Summus Sacerdos, vel Princeps Sacerdotum*; quod vetuit Concilium Africanum 6. ut ex *cap. Primæ ſedis 99.* diſt. Vel, dici *Epiſcopus univerſalis*, qui titulus Romano Pontifici attributus reprobatur à S.Gregorio *cap. Ecce d. diſt.*

12 R. Sed prius notetur, Romanum Pontificem conſiderari poſſe I. Ut eſt Epiſcopus Urbis Romæ. II. Ut Archiepiſcopus. III. Ut Primas Italiæ. IV. Ut Patriarcha Occidentalis. V. Ut Papa. Ut Epiſcopus, eſt Caput ſui Epiſcopatus, ſeù Romanæ Diœceſis. Ut Archiepiſcopus, eſt Caput ſuæ Metropolis, ſeù ſuorum Suffraganeorum. Ut Primas, eſt Caput omnium Eccleſiarum Italiæ. Ut Patriarcha, eſt Caput omnium Eccleſiarum Occidentalium. Ut Papa, eſt Caput omnium Eccleſiarum totius Orbis, & Epiſcoporum Epiſcopus, ut tradit Leytam *cit. ſect.3. nu. 95.* Juvenim *comment. hiſt. de Sacram. diſſert.9. q.1. cap.4. Quæres 2.* Spondanus *Epiſt. ad an. 325. nu.36. in not.*

Modò, negatur antecedens. Et aptando verba Canonis allatæ diſtinctioni: Nonnulli cenſent eo ſignificari, eſſe ſervandum morem antiquum, ut nimirùm, Patriarcha Alexandrinus, & Antiochenus ea omnia poſſent in ſuo reſpectivè Patriarchatu, quæ Romanus Pontifex, quatenus Occidentis Patriarcha, poteſt in Occidente: ſed inde non ſequi, quod Romanus Pontifex, ut Papa, & totius Eccleſiæ Epiſcopus, ſuperior illis non ſit, Primatumque non habeat in tota Eccleſia, & nihil poſſit in Provinciis illorum (ut Catholicis ex eo Canone objectant Calviniſtæ) ſicut Alexandrinus ingerere ſe nō poteſt in cura Eccleſiarum de Patriarchatu Antiocheno: Nā eorū juriſdictio eſt ſuis limitibus reſtricta.

13 Verùm, aliter nos reſpondendum eſſe cenſemus; conſiderantes cum Bail. *cit.in Conc.Nicen.* & Cabaſut.ibi ad *Canonem 6.* quod d.Canoni initium deeſt, ſuffuratū ab hoſtibus Primatus Romani Pontificis. Illud autem eſt: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum, antiqua autem conſuetudo ſervetur, &c.* Qui approbatus fuit in Concilio Calcedonenſi, in quo Paſchaſinus Legatus Sedis Apoſtolicæ ad Synodum hæc dixit. *Beatiſſ.mi, atque Apoſtolici Papæ Urbis Romæ, quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum*, apud Coriolan. *in breviar. ad an.*451. Ideò vera illius Canonis expoſitio eſt; ex Bail. Eccleſiam Romanam ſemper habuiſſe Primatum in Eccleſia, & Epiſcopum Alexandrinum debere regere Provincias illas, quia Romanus Pontifex ita conſuevit, hoc eſt, quia Romanus Pontifex ante omnium Conciliorum definitionem conſuevit permittere Epiſcopo Alexandrino regimen Ægypti, Lybię, & Pentapolis; ſive conſuevit per Alexandrinum Epiſcopum illas Provincias gubernare; quomodo illum intellexit Nicolaus I. in *Epiſtola ad Michaelem*. Non ergo illo canone fines aſſignantur Romano Pontifici, & aliis Patriarchis, ut falsò Calvinus,& Nilus exiſtimarunt; ſed cavetur tantùm, ut Alexandrino, & Antiocheno Patriarchis ſua privilegia ſerventur; juxta antiquam conſuetudinem. Propterea conſtat Concilium non ponere æqualitatem in Alexandrino Patriarcha cum Romano Pontifice,ſed ſtatuere ſolùm conſervanda eſſe illi privilegia, ſicut conſuevit Romanus Pontifex ea illi dare, & conſervare; & hoc ſignificat illud, *quia & Urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt*, hoc eſt, ab eo conſuevit, vel ſimilis mos ſervatur. Unde textus Græcus habet: *Quandoquidem, & Epiſcopo Romæ, hoc eſt, conſuetum*, apud Cabaſut. *loc.cit.n.* 1. Hinc Concilium non æqualem, ſed inferiorem Romano Epiſcopo recognoſcit Alexandrinum. Siquidem privilegiatus eſt privilegiante inferior.

Propterea errant, qui falſæ Ruffini verſioni innitentes, dicunt, à Concilio Niceno certos fines aſſignatos Romano Pontifici, ut nimirùm ſolùm curam gerat ſuburbanarum Eccleſiarum, quas Ruffinus in canonem intruſit. Siquidem, ſi Epiſcopus Romanus eſt primus, & præcipuus Patriarcha, etiam ex confeſſione Doctorum ſequentium ſententiam Ruffini, quomodo credibile eſt illi aſſignatam eſſe anguſtiſſimam regionem, aliis autem minoribus latiſſimam? Nam Antiochenus habuit maximam Orientis plagam; Alexandrinus tres ampliſſimas Provincias, Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim: Romanus autem habuiſſet tantùm ſuburbanas Eccleſias, ideſt; ſex Epiſcopatus Romæ viciniſſimos.

14 At dicunt, ex Ruffino legi *ſuburbicarum Eccleſiarum*? Sed inde anguſtior fortè non eſſet juriſdictio Epiſcopi Romani? Non enim dicitur *ſuburbicarum Provinciarum*. Quod latiùs patet, quàm illud; cùm Eccleſiæ ſuburbicariæ illæ ſint, intrà paucos lapides ab Urbe conſtitutæ, & coincidunt cum ſuburbanis. Suburbicariæ verò Provinciæ (ad quas protendebatur juriſdictio Vicarii Urbis Romæ) erant Campania, Thuſcia, ſimul cum Umbria, Picæni pars dicta ſuburbicaria, Sicilia, Apulia, ſimul cum Calabria, Corſica, & Valeria; Quæ tamen jus Patriarchicum Romani Epiſcopi non adæquabant; quod Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, & magnam Africæ partem complectebatur.

Sed quidquid ſit, an Ruffino in mentem venerit *ſuburbanas Eccleſias*, vel *ſuburbicarias Provincias* ſcribere, nulla fides ei debita eſt. Audiatur Anaſtaſius Papa *Epiſt.3. Ruffinum ſcito, ita haberi à noſtris partibus alienum, ut quid agat, aut ubi ſit, neſcire cupiamus. Ipſe denique viderit, ubi poſſit abſolvi*. Et legendus Hieronymus *apolog.*1. *in Ruffinum*.

15 Quod ſpectat ad Concilium Calcedonenſe. Sciendum eſt, teſte Cabaſutio, quod ſoluto Concilio, & abſentibus Romani

mani Epiſcopi Legatis, tres Anatolii Conſtantinopolitani Antiſtitis fraude, nonnullorumque Orientalium occulta conſpiratione adaućti ſunt Canones, inter quos ille, de quo loquitur inſtantia; aliuſque, qui primum locum ſtatuit Conſtantinopolitano Epiſcopo poſt Romanum, à D.Leone cum aliis fraude in actis inſertis reprobatos.

Quod adducitur de Concilio Carthaginenſi, nihil probat; nam Concilium id ſtatuit non de Epiſcopo Romanæ Sedis, (cui nec Concilium generale poteſt leges præſcribere, atque ita multò minus Nationale, ut fuit allegatum) ſed de primæ Africanæ Sedis Epiſcopo, ſeù Primate Affricano. Noverant Patres illi apud Orientales quemdam primatem Epiſcopum ambitionis titulo, vanaque jactantia ſibi nomen Summi Sacerdotis, & Principis Sacerdotum arrogaſſe; id ipſum, ne contingeret in Africa, in primæ Sedis Africanæ Epiſcopo prohibuerunt.

16 Ubi verò S.Gregorius vetat ſe vocari *Epiſcopum univerſalem*, ſeù *Oecumenicum*: Sciendum, duobus modis poſſe intelligi Epiſcopum univerſalem. Primo modo, ut ita ſit univerſalis Epiſcopus, ut reliqui Epiſcopi ſimpliciter, & propriè Epiſcopi non ſint: Sed tantùm ipſe aliis excluſis, ſit unus propriè Epiſcopus omnium totius Orbis Eccleſiarum. Hunc titulum S.Gregorius reprobat adversùs Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui primò, ſe *Oecumenicum*, ſeù *univerſalem Epiſcopum* temerè nominavit. Secundo modo, ut cęteri ſint quidem particularium Eccleſiarum Epiſcopi, & quilibet curam ſuæ Eccleſiæ Epiſcopalis, vel Patriarchalis diſtinctæ habeat; unus verò ſit, qui ſupremam ſuper omnes totius Orbis Eccleſias juriſdictionem habeat. In quo ſenſu S. Gregorius (reprehendens etiam in d.Patriarcha titulum Oecumenicum) non negavit ſe eſſe Epiſcopum univerſalem, nec negare poterat. Siquidem Romanus Pontifex eſt ita Oecumenicus, ſeù univerſalis, ut divino jure curam generalem habeat totius Eccleſiæ (ita tamen, ut non excludat alios Epiſcopos in Eccleſiis particularibus) Nullus verò alius, quàm Romanus Pontifex eſt eo titulo, aut eſſe poteſt Epiſcopus univerſalis. Hoc titulo appellatur Leo *art.3. in Concilio Chalcedonenſi*. *Univerſalis Archiepiſcopus: univerſalis Patriarcha: Univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus*. Et Paſchaſinus Legatus Summi Pontificis ſe ſubſcripſit: *Ego Paſchaſinus Epiſcopus, vice Domini mei beatiſſimi, atque Apoſtolici univerſalis Eccleſiæ Papæ Urbis Romæ, Leonis, Synodo præſidens ſtatui, conſenſi, ſubſcripſi*. Apud Bail. *cit.in d.Conc.act.6. & in Conc. Niceno II.tit.controver.quædam*.

Dices. Ergo Eccleſia haberet duos ſponſos, Chriſtum, & Pontificem: repugnat autem unam ſponſam duos ſponſos habere: ergo non eſt Pontifex Eccleſiæ univerſalis Epiſcopus.

17 R.D.Thomas *opuſc.contr. impugnantes religion.* dicit; quòd propriè loquendo Chriſtus eſt ſponſus Eccleſiæ; eo enim Eccleſia ſpiritualiter fęcundatur ad generandos filios. Alii autem Paſtores dicuntur ſponſi, quatenus miniſtri ſponſi, cooperantes exteriùs ſuo miniſterio per ſacramenta, & ſemen ſpirituale doctrinæ ad ſpiritualium filiorum generationem. Qui quidem miniſtri in tantum ſponſi dicuntur, in quantum vicem veri ſponſi obtinent. Et ideò Papa, qui ſponſi vicem obtinet in tota Eccleſia univerſalis Eccleſiæ ſponſus dicitur: Et addit, quòd Chriſtus, & Papa non computantur, niſi ut unus Eccleſiæ ſponſus; nam Papa ſuo miniſterio cooperatur ipſi Chriſto ad generationem filiorum, quos non ſibi, ſed Chriſto generat. Et ex hoc patet nullam eſſe inſtantiam. Nec duos ſponſos ſupremos admittimus, ſed unum; vel, duos, unum alteri ſubordinatum. Quod tamen in conjugio carnali lex omnis prohibet, non in myſtico.

Notetur, quod Eccleſia dicitur virgo propter integritatem fidei, ex Cyrillo Ale-

Alexand. in *Levit lib.*12. Dicitur verò Mater, quia fęcundata eſt, & fideles Chriſto parit per Sacramentum baptiſmi, ut mox dicendum eſt.

Opponunt 3. Pontifex eſt Filius Eccleſiæ: nam Eccleſia eſt mater, quæ per baptiſmum continuò filios parit, dicente Auguſtino in *pſal.*127. *ad verba filii tui: Chriſtianos per baptiſmum quotidie parit Eccleſia*. Chriſtiani autem Eccleſiæ ſunt filii. Conſtat verò, quod Mater eſt filio major: ergo non Pontifex ſuccedit Petro in primatu, & ſuprema juriſdictione, ſed hæc convenit Eccleſiæ: Quod ita probant. Vel, moriente Papa, manent claves in Eccleſia, vel non? non ſecundum, aliàs non amplius poſſent homines ſolvi, & ligari. Si primum, ergo Eccleſiæ datæ fuerant: quas Pontifex cùm eligitur, ab ea accipit: neque enim ab alio poteſt accipere; & ita pleniſſima poteſtas clavium data eſt Eccleſiæ, à qua accipit Pontifex, ut miniſter ejus.

Addunt Eccleſia eſt Corpus, & totum; Papa autem membrum, & pars illius: Corpus autem eſt majus membro, & totum majus parte: ergo Eccleſia eſt major Papa: ergo eſtò Papa ſuccederet Petro, non inde ſequitur, quod ſit Eccleſia major, & primatum in ea habeat.

18 R. Alia ratione Pontifex eſt Filius, & alia Pater Eccleſiæ. Filius eſt generatione ſpirituali per baptiſmum. Pater verò auctoritate, & regimine. Ita Epiſcopus eſt filius naturalis alicujus mulieris, cujus eſt Pater ſpiritualis. Et Rex eſt filius ſuę Matris: ſed eſt in politicis, & in regimine major, ut dixit Pius II. *Conſt. In minoribus* 10. *in Bullar. to.*1. *§.*10. ibi. *Pontifex, & ſi Filius eſt propter regenerationem, propter dignitatem tamen Pater habetur: & ſicut filiationis causâ venerari debet Eccleſiam, tanquam Matrem, & prælationis cauſa præfertur ei, ut paſtor gregi, Princeps Populo, Rector familiæ*.

19 Ad probationem. Dicimus, quòd, mortuo Papa, claves, ſeu juriſdictio ab eo, dum viveret, communicata Epiſcopis, in iſtis manet, quoad ſuas particulares Eccleſias: & ita homines poſſunt ſolvi, & ligari. Suprema verò juriſdictio Papalis remanet in Eccleſia, quatenus claves remanent Chriſto, à quo accipit ille, qui ei ab Eccleſia poſteà miniſterio electionis præſentatur; & accipit antiqua illa ordinatione, qua Petro tradidit, & in ejus perſona cuilibet Petri ſucceſſori. Verbum enim Chriſti vivum, & ſemper efficax dat claves cuilibet ſuccedenti Petro, ut non ſit neceſſe Unum Papam ab altero, vel ab Eccleſia accipere. Sicut, ſi Rex diceret, moriente Prorege in aliqua Provincia, ſe illicò facere Proregem illum, quem Populus eligeret: facta per populum electione, illicò Prorex habet juriſdictionem, non ab ipſo populo, ſed à Rege; & ita vana eſt quęſtio, cui Papa moriens relinquat claves?

20 Ad additum. Qualiter Papa ſit mēbrum Eccleſiæ diximus *contr.*5. *cap.*1. *nu.*34. Eſt itaque membrum principale, caput nimirum. Quinimò non eſt membrum, prout hoc importat partialitatem juriſdictionis, quia hæc in eo eſt plena, & integra ſine limitatione. Dicitur autem membrum, prout hoc importat diſtinctionem à cæteris membris Eccleſiæ: tribus verò ab ipſis diſtinguitur.

I. *Perfectione, & poteſtatis plenitudine*. Siquidem ipſe per Orbem terrarum habet ſine loci, ac juriſdictionis exceptione, integram poteſtatem regendi Eccleſiam.

II. *Officio*. Quatenus ipſe influit juriſdictionem in alios Prælatos, prout in *Conſt. Eugenii IV. Non mediocri* 15: *Bullar. cit.* & dicendum cap.8.

III. *Dignitate*. Quippe dignitas Pontificia eſt ſuprema in Eccleſia, qua in Orbe nulla eſt major. Dignitas enim eſt præeminentia in gradu cum juriſdictione. Præeminentia verò Pontificis eſt omnium excellentiſſima, nam ei omnes ſive Eccleſiaſtici, ſive Principes ſubſunt, & tenentur obedire ex *Cap. Solitæ de majorit. & obedientia, & cap. Unam Sanctam eodem titulo inter*

com.

com. Juriſdictio verò illius ſuprema eſt ex dictis. Quod notavi etiam *Offic. Cur. Eccleſiaſt.cap.29.§.2.nu.*8.

Quocircà pars Eccleſię non dicitur, prout hoc importat partem, & non plenitudinem juriſdictionis ad regendam Eccleſiam. Sed, ut notat Turrecremata *lib.2. de Eccleſ.cap.73.* Papa in ratione poteſtatis nedum principaliter eſt Eccleſiæ pars, ſed tota Eccleſia Virtualiter, cùm in Papa ſit totalitas, & plenitudo poteſtatis, ut ſæpè diximus *loc.cit.* Ita ab Ambroſio in *examerон lib.6. cap.29. Totus homo in capite eſſe dicitur, quia ex eo virtus cæteris membris communicatur.*

21 Maxima verò illa, *totum eſt majus ſua parte*, verificatur in toto quantitativo; lignum enim palmare, eſt majus ſemipalmo; & in toto numerali: Denarius enim eſt major ternario, & quælibet congregatio eſt major extenſivè ſuo capite; non verò procedit, ubi agitur de majoritate quantitatis virtualis; hac enim quantitate nulla dignitas in Eccleſia eſt major Papali dignitate, ſed hęc major eſt: in plura enim, & majora objecta ſe extendit, ad quæ ſe extendere non poteſt quælibet inferior dignitas, ſive ſeorſim, ſive unitim omnes accipiantur. Et ita, licèt Eccleſia cum Papa ſit major extenſivè, quàm Papa ſolus, quatenùs tunc juriſdictio in pluribus reperitur extenſior, quàm in ſolo Papa; non tamen eſt major intenſivè, quàm ſolus Papa; nam aliorum Prælatorum juriſdictio, neque eſt plena, neque intendit, vel auget Papæ juriſdictionem, ſed ipſe pleniſſimam habet à Chriſto, & cæteris habilem communicat.

Opponunt 4. Papa in foro pęnitentiali eſt ſubjectus ſuo confeſſario: ergo ipſe Eccleſiæ primatu, & Principatu non gaudet; & ita in ſuprema auctoritate Petro non ſuccedit.

Deinde. Papa poteſt renuntiare Papatui, ut definitur in *cap. Quoniam de renuntiatione in 6.* quem reſignavit Cœleſtinus V. Renuntiatio autem apud ſuperiorem fieri debet, *cap. Admonet eod.tit.* Sed nullus alius poteſt eſſe ſuperior Papæ, quàm Eccleſia, vel Concilium eam repræſentans: ergo in Concilio, & non in Papa eſt ſuprema Eccleſiæ juriſdictio:

22 R. Negatur conſequentia. Eſt de fide certum à Chriſto Domino inſtitutum eſſe, ut peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa remittantur per Sacramentum Pęnitentiæ in re, vel in voto; quod dicitur forum poli, & tribunal Dei; cui omnes, nullo excepto, ſubiiciuntur, adeòque, & Pontifices; etenim diſpoſitio eſt univerſalis, & pro omnibus dicente Tridentino *ſeſſ.14. cap.5. de pęnit. Omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſarium exiſtere, integram nimirum peccatorum confeſſionem.* Quare adeſt lex Dei, quod Papa clavibus ſubiiciat peccata, & à Sacerdote Dei miniſtro judicetur, & abſolvatur; Quod non repugnat cum ejus Primatu in Eccleſia; ei enim tunc non quà Pontifex, ſed quà perſona privata, & homo peccator ſubiicitur ex lege divina; & ideò in foro interno, in quantum peccator habet ſuperiorem, ex Sylveſtro apud Fagnan. *in 5. ad cap. omnis de pęnit. nu.25.*

At dices, cur etiam non poterit in judicio externo judicari, & alicui ſubiici?

23 R. Quia nulla divina lex de hoc extat, nec Deus ullum Tribunal externum conſtituit, à quo omnes omninò homines in terra quoad externa judicari poſſent; ſui enim ſupremi Vicarii actiones non terreno exteriori judicio reliquit, ſed ſuo reſervavit. Hinc conſiderari poterit differentia inter Tribunal Confeſſionis, & externum. Illud eſt juriſdictionis voluntarię, alterum coactivæ: Siquidem primum non exercetur, niſi, reo liberè volente; ſecundum verò, etiam reo non volente, exercetur. Nullus autem poteſt Pontificem ad judicium cogere; quinimò neque ipſe poteſt ſe judicio externo, etiam Concilii ſubmittere: cùm ex jure divino ſit in externa gubernatione, à quovis exemptus, à Chriſto conſtitutus Caput cętero-

rum, ſive unitim, ſive diviſim; Cui privilegio, in ſenſu compoſito Pontificię dignitatis, cedere non poteſt, ut alibi dicendum: tametſi poſſit dignitatem reſignare. Hinc D.Thomas in 4. *diſt.*19.*q.*1.*ar.*3. docet Papam non poſſe concedere alicui poteſtatem in foro exteriori, hoc eſt, quod aliquis eum excommunicet: apud Fagnan. in 1.*ad cap.ſignificaſti de elect.nu.*80. ex Bail. *Sum.to.*1. *de triplici verbo Dei tit. ſolutio ſeptuaginta trium q.*26.

24 Ad ſecundum. Poteſt profectò Romanus Pontifex renuntiare Pontificiæ dignitati; non enim conjugium ſpirituale, quod eſt inter ipſum, & Eccleſiam univerſalem, eſt indiſſolubile: nam non eſt ſponſus primarius Eccleſiæ, ſicut eſt Chriſtus Dominus, ſed ſecundarius, ſeù primarii ſponſi Vicarius, ut dixit Guarnieri de *cap. Eccleſ.militant.lib.*2.*cap.*12.*nu.*6. *& nos ſupr. num.*17.

25 Renuntiatio autem juxta allegatum textum fieri debet apud ſuperiorem, quando datur, ut notat Gloſ. ad *d.cap. Quoniam verb.videbantur*. Papa autem ſuperiorem in terris non habet, à quo inſtituatur, vel confirmetur, ſicut habent alii Prælati inferiores: Papalis enim poteſtas, & dignitas à Deo immediatè confertur: Quocircà reſignatio apud Eccleſiam fit, ut per eamdem auctenticè conſtet in manibus Chriſti Domini factam fuiſſe; ſicut electio Pontificis ab Eccleſia fit, ut auctenticè viſibiliter conſtet de perſona deſignata, & Chriſto Domino propoſita, à quo juriſdictionem accipit.

At petitur. An ſicut Pontifex poteſt reſignare Papatum, ſic Eccleſia poſſit ipſum Papatu ſpoliare, vel dare libellum repudii?

26 R.Negativè. Ideò enim poteſt Papa, quia non obligatur à Deo, ut Papatum acceptet, acceptatumque ſemper retineat. Ab Eccleſia Papæ auctoritas non confertur: ergo neq;ipſa eam tollere poteſt;ut ſuperior, eſt à Deo Papa datus, atq;adeò Eccleſia ſe nequit ab illius obediẽtia ſubducere.

Opponunt 5. Papa in *cap. Ego Ludovicus 63.diſt.* appellatur *Vicarius Petri*: ergo non ſucceſſor. Intereſt enim inter Vicarium, & ſucceſſorem; nam Vicarius poteſtatem habet ab eo, cujus vices gerit; ſucceſſor verò non eam recipit ab illo, cui ſuccedit, eſtò eadem gaudeat.

27 R.Hìc unus locus explicandus eſt per mille alios textus, in quibus Papa appellatur Vicarius Chriſti, & Petri ſucceſſor. Unde in textu idem ſonat Vicarius Petri, ac ſucceſſor Petri. Quæſtio de voce non excitetur. Vicarii enim propriè non eſt Vicarius; ideò, quia Petrus eſt Chriſti Vicarius, qui Petro ſuccedit, non ejus, ſed Chriſti Vicarius eſſe debet. Quòd verò propriè Pontifices ſint, & dicantur Vicarii Chriſti, apparet; quòd, cùm Vicarius ille ſit, qui Vicariam ejus, cujus vices gerit, poteſtatem ita habet, ut nihil inter utrumque interſit, præter perſonam, & radicem poteſtatis (ideò dicuntur habere idem Tribunal, & Conſiſtorium) profectò Pontifices in ſuo munere regendi Eccleſiam exprimunt, eam rationem poteſtatis, & auctoritatis, quæ in Chriſto ſunt (excepta illa excellentiæ, ad quam Sacramentorum inſtitutiò pertinet, Pontifici non communicata): & ita cum Petro ſuccedunt, ita poteſtatem accipiunt, ut Vicarii Chriſti, non Petri.

28 Deinde: ubi vis in eo textu ponatur: Sciendum, verba illius eſſe Ludovici Regis Francorum, adhibita in conceſſione, & confirmatione Romanę Urbis cum ſuo territorio, & Dominio, ut in textu; facta etiam à ſuis Prædeceſſoribus Romanis Pontificibus; ideò nullam nobis debet difficultatem ingerere.

Dices. Ergo, ſi eſt Petri ſucceſſor, ſequitur eſſe ſolùm ſpecialem Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ particularis, cujus fuit Petrus Epiſcopus, non verò univerſalis: ergo, vel non eſt Petri ſucceſſor, vel ſi eſt, non eſt Epiſcopus, totiuſque Eccleſiæ Caput.

Accedit. Eccleſia poſt tempora D.Petri

adcò

adeò crevit, & toto Orbe diſperſa eſt, ut unum Caput viſibile ad ipſam regendam non ſufficiat, ſicut abundè fuit, cùm grex erat adhuc exiguus, ſed multa ſunt neceſſaria, ut melius regatur; At, hoc poſito, non ſolus Romanus Pontifex; ſed cæteri omnes Epiſcopi D.Petro ſuccedunt: ergo, &c.

29 R.Negatur ſequela. D. Petrus fuit Epiſcopus Eccleſiæ tum Romanæ particularis, tum Romanæ univerſalis, juxta dicta *contr.præced.cap.3.n.19.* In quo ei Romanus Pontifex ſuccedit; & ita utriuſque eſt Epiſcopus: utrique præeſt, *Romanæ* ſpecialiter, & *Univerſali* generaliter; Romæ, ut in ſpeciali ſua Diœceſi perſonaliter reſidet, ſed inde univerſalem gubernat; tam particularibus per Orbem Eccleſiis præficiendo Epiſcopos, quàm eorum recipiendo appellationes, & recurſus: reſolvendo dubia fidei, & morum; ac ſimilia præſtando ad regimen Eccleſiæ opportuna.

30 Ad 2. Argumentum eſt Calvini, & Spalatenſis, ſed nihil relevat. Etenim ut diximus ſub *nu.3.* Chriſtus voluit, ut Eccleſia Sponſa ſua, abſolutè, adeòque ſive parvula, ſive adulta, eſſet una, juxta illud, *una eſt columba mea*. Quomodo ergo, facta adulta, debuiſſet repellere cauſam unitatis; & diviſionem, ac ſchiſmata per tot diviſa ſuprema capita introducere? Petro fuit Eccleſia univerſalis commiſſa, habuitque ſupremam, ac generalem ſolicitudinem omnium Eccleſiarum; ſed forſan Eccleſiam adhuc infantem ita per ſe ſolum regebat, ut eo etiam tempore plures, per diverſas Orbis Provincias, Epiſcopos, non conſtituerit, qui fidem prædicarent, & quiſque Eccleſiam particularem, ſibi ab eodem aſſignatam non gubernaret? Profectò id ipſe egit, ut ex Chronicis patet. Hoc ipſum agit Romanus Pontifex Romæ degens D.Petri ſucceſſor; ut praxi docemur. Propter quod & optimo regimini Eccleſiæ eſt conſultum, & unitati eſt proviſum, dum ipſi Paſtores toto Orbe diſperſi, eidem ſupremo capiti ſubiiciuntur, & cum ipſo in eadem fidei doctrina communicant. Si hoc unitatis ſyſtema ab Eccleſia tolleretur, quis diſſidentes, ad pacem reduceret? Quis dubia contra fidem toto Orbe ſuborta, reſolveret? Quis eos Paſtores, ſi fortè evaderent Lupi, compeſceret? Si quivis eſſet in ſua Diœceſi ſupremus, quomodo unus ab alio frænaretur? Par enim in parem, poteſtate non gaudet, ut notatum eſt *contr.4.cap.3.* Sectarii itaque Eccleſiam Dei conſtituunt Synagogam Sathanæ. Et inde inconſutilem Chriſti Tunicam in partes diverſas, oppugnanteſque, diſcerpunt. Fateantur itaque Romanum Pontificem S.Petri ſucceſſorem cum ſuprema auctoritate in Eccleſia.

31 Summa, & à cæteris de Eccleſia, independens Romani Pontificis juriſdictio, hoc ipſo pariter conſtat, quòd ipſe baculo paſtorali non utitur; eſtò enim baculus inſigne ſit Epiſcoporum, & paſtoralis dignitatis, ut legitur in actione 7. Concilii Conſtantinopolitani. IV.ubi: *Ingreſſus eſt Photius ad Synodum baculo innixus, quem ab eo Marinus Vicarius Romanus juſſit auferri, dicens; Baculus ſignum eſt dignitatis Paſtoralis, quod hic habere nullatenus debet, quia lupus eſt, non Paſtor:* adhuc eo Pontifex propter duo non utitur. Primò, quia cùm Pontifex à nullo hominum, ſed à Deo accipiat juriſdictionem, non poteſt de alicujus manu baculum accipere, ſicut accipiunt Epiſcopi; quo facto ſignificatur eos ab alio juriſdictionem habere. Secundò, quia baculus in ſummitate curvus, ſignificat juriſdictionem eſſe coarctatam, ex D. Thoma *in 4.diſt.24.in fine*. Pontifex autem limitatam juriſdictionem in Eccleſia non habet. Videndus Gonzalez *in 1.tit.15.cap.1.in notit.nu.42.* Et Durantus *de ritib. Eccleſ. lib.2.cap.9.nu.39.* & Gloſ. ad *cap.Cùm veniſſet de Sacra unctione in verbo myſticam rationem*. Ubi verbo *propter hiſtoriam* commemorat S.Petrum Baculum ſuum miſiſſe Eucherio, primo Trevirorum Epiſcopo, cui ſucceſſit Maternus, qui per baculum

S.Pe-

S.Petri à morte reſurrexit; ſed de hiſtoria Allegati dubitant. Ejus tamen veritate poſita, ſequitur D.Petrum à ſe baculum removiſſe, & dediſſe ſubditis. Nec credendum iis, qui referunt Pontifices aliquando baculo uſos fuiſſe. Siquidem id in nullo Eccleſiæ Concilio legendum proponitur, ut advertit Gonzalez *cit.num.*38. & fabellam cenſet, quod dicitur ex Luitprando *lib.6.hiſt.* nimirum, Benedictum Antipapam geſtaſſe. Verùm à Pſeudo-Pontifice ad legitimos Petri ſucceſſores nefas eſt diſcurrere.

An autem jure divino conveniat Primatus Eccleſiæ Romano Pontifici? Dicendum.

CAPUT II.

An divino jure Primatus Eccleſiæ univerſalis ſit annexus Romano Epiſcopatui?

SUMMARIUM.

1 *Solus Romanus Pontifex eſt D.Petri ſucceſſor.*
2 *Primatus Eccleſiæ eſt divino jure conjunctus cum Epiſcopatu Romano.*
3 *Probatio ex auctoritate.*
4 *Judex ſupremus poteſt cognoſcere de ſua juriſdictione.*
5 *Epiſcopus Romanus Primatum in Eccleſia non obtinuit à Concilio Nicæno.*
6 *Neque ex quo Roma, ſedes fuerit Imperialis.*
7 *Sedes Apoſtolica non poteſt à Romana Urbe divelli, & n.9.*
8 *Praxis Eccleſiæ eligendi ſemper in ſucceſſorem Petri Epiſcopum Romanum.*
9 *Romana Eccleſia non poteſt in fide deficere.*
10 *Chriſtus Petro revelavit tempus, & modum mortis.*
11 *Conſtantinus donavit Romanæ Eccleſiæ temporalem ditionem.*
12 *Phocæ Imperatoris edictum circa Primatum Romani Pontificis, & ibi plura ad hiſtoriam ſpectantia.*
13 *Concilium Chalcedonenſe à D.Leone confirmatum in cauſa fidei.*
14 *Pontifices non recipiunt poteſtatem à Cardinalibus eligentibus.*
15 *In Papatu conſideratur materiale, & formale.*
16 *Primatus Papæ ex inſtitutione Chriſti perſonalis, & localis.*
17 *Traditione conſtat Primatum Eccleſiæ connecti cum Epiſcopatu Romano.*
18 *Opinio contraria eſt practicè improbabilis.*
19 *Eſt de fide Romanum Epiſcopum eſſe ſucceſſorem D.Petri.*
20 *Romæ Civitas durabit uſque ad finem mundi.*
21 *Petro Romæ defuncto ſuccedit in Pontificatu Epiſcopus Romanus.*

1 SUperiori capite reſolutum eſt ſolùm Romanum Pontificem eſſe legitimum D.Petri ſucceſſorem; quod de fide eſt, quia ab Eccleſia ſolus Romanus Pontifex proponitur, ut D.Petri ſucceſſor, & ejuſdem auctoritatis cum eodem. In præſenti difficultas eſt, quo jure primatus Eccleſiæ Romano Epiſcopo conveniat, divino, vel humano? Quod eſt idem, ac difficultatem movere; an Epiſcopatus Romanus ſit jure divino, & ex inſtitutione Chriſti, vel humano connexus cum primatu Eccleſiæ?

Prima ſententia eſt Soti *in 4.diſt.24.qu.2. art.ult.* Bannes 2.2.*q.*1.*art.*10. aſſerentium Romanum Epiſcopatum conjunctum eſſe cum primatu Eccleſiæ, ex facto, & propria electione Petri, quia nimirum, Petrus Romam elegit in ſui, & ſucceſſorum Sedem. Quos ſequuntur plures ex doctrina Belarmini *lib.2. de Roman.Pontif.cap.*12. ubi ſcripſit. *Succeſſio ipſa* (in Pontificatu Petri) ex Chriſti inſtitutione, & jure divino eſt, quia Chriſtus inſtituit in Petro Pontificatum duraturum uſque ad finem mundi: & proinde, quicumque Petro ſuccedit, à Chriſto accipit Pontificatum: at verò,

verò, quòd Epiſcopus Romanus, quà Epiſcopus Romanus eſt, ſit Petri ſucceſſor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Chriſti inſtitutione; nam potuiſſet Petrus nullam ſedem particularem ſibi unquam deligere, ſicut fuit quinque primis annis, & tunc, moriente Petro, non Epiſcopus Romanus, neque Antiochenus ſucceſſiſſet, ſed is, quem Eccleſia ſibi elegiſſet; potuiſſet quoque ſemper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus ſine dubio ſucceſſiſſet; quia verò Romæ Sedem fixit, & tenuit uſque ad mortem, inde factum eſt, ut Romanus Pontifex ei ſuccedat.

Secunda verò ſententia docet Epiſcopatum Romanum eſſe totius Eccleſiæ primatui conjunctum ex immediata inſtitutione, & mandato Chriſti, adeòque divino jure. Hinc fit, ut ſi alius, qui non eſſet Romanus Epiſcopus, ab Eccleſia Chriſto proponeretur, ut ſucceſſor Petri, à Chriſto non acceptaretur; quippe eum non proponeret, quem Chriſtus vult, & inſtituit: & ita irrita foret electio. Ita Cajetanus *tom.1.opuſc.tr.3. de Pontif. inſtitut.cap.* 13. Canus *lib.6. de Locis Theologicis cap.4.* Valentia *de fid.diſput.1.qu.1.punct.7.§.37.* Guarnieri *de Capite militant. Eccleſ. lib.2.c.8.* Leytam Synopſ. *de Eccleſ.militant. diſcept.5. ſect.4.nu.409.* plures referens. Et Tirinus *in Summar.controverſiar.contr.6.n.11.*

2 Dicendum. *Primatus Eccleſiæ ex inſtitutione, & Chriſti præcepto eſt annexus Romano Epiſcopatui*: Ita cum Doctoribus ſecundæ ſententiæ.

3 Probatur primò auctoritate. S.Marcellus Papa ſcribit Epiſcopis per Provinciam Antiochiæ conſtitutis, ut in *cap.Rogamus 24.q.1.Ejus enim* (Petri) *ſedes primitùs apud vos fuit, quæ poſteà, jubente Domino, Romam tranſlata eſt: cui, adminiculante gratia divina, hodierna præſidemus die.* S. Anacletus Papa, ut in *cap.Sacroſancta* 22. *diſt.* inquit. *Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro primatum obtinuit: & eminentiam poteſtatis ſuper univerſas Eccleſias, ac totum populi Chriſtiani gregem aſſecuta eſt.*

Nicolaus I. *in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem*, inquit. *Eccleſiæ Romanæ privilegia Chriſti ore in B.Petro firmata, in Eccleſia ipſa diſpoſita, antiquitùs obſervata, atque à cuncta jugiter Eccleſia venerata, nullatenùs poſſunt minui, nullatenùs infringi, nullatenùs commutari: quoniam fundamentum, quod Deus poſuit, humanus non valet amovere conatus, & quod Deus ſtatuit, firmum validumque conſiſtit.* Et infra. *Illa igitur privilegia huic S.Eccleſiæ à Chriſto donata, à Synodis non donata, ſed ſolummodò celebrata, & venerata*: Et mox. *Proinde animadvertendum eſt, quia non Nicæna, non denique ulla Synodus, quidquam Romanæ contulit Eccleſiæ privilegiis, quæ in Petro noverat eam totius veræ poteſtatis pleniter meruiſſe, & cunctarum Chriſti ovium regimen accepiſſe.*

Nicolaus II. reportatus in *cap.Omnes d. diſt.* Mediolanenſibus per ſuum Legatum ſignificavit. *Qui Romanæ Eccleſiæ privilegium, ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum Capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæreſim labitur.*

S.Gelaſius Papa, ut in *cap.Quamvis 21. diſt.* Omnibus orthodoxis ſcribens dixit. *Quamvis univerſæ per Orbem Catholicæ Eccleſiæ unus thalamus Chriſti ſint; Sancta tamen Romana Catholica, & Apoſtolica Eccleſia nullis Synodis conſtitutis, cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Evangelica voce Domini, & Salvatoris noſtri primatum obtinuit.*

Innocentius III. *cap.Per venerabilem qui filii ſint legit.Locus*, ait, *quem elegit Dominus, Apoſtolica Sedes eſſe cognoſcitur: cùm enim Petrus, Urbem fugiens exiviſſet, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat, revocare; interrogatus ab eo: Domine quò vadis?* reſpondit: *venio Romam iterùm crucifigi: quod intelligens pro ſe dictum, ad locum ipſum protinus eſt reverſus.* Quæ ad evidentiam ſignificant primatum Eccleſiæ eſſe annexum Epiſcopatui Romano ex inſtitutione, & diſpoſitione Chriſti: ergo, &c.

Di-

Dicunt. Teſtimonia hæc eſſe nullius momenti; ſiquidem credendum non eſt Pontificibus, cùm ſint Judices in cauſa propria.

Contra. Nam, etiam jure humano cautum eſt Judicem cognoſcere, an ſua ſit juriſdictio *l. Si quis ex aliena, ff. de judic. l.2.ff. Si quis in jus vocatus*. Quod maximè procedit de Judice ſupremo, qui non habet alium ſupra ſe, uti eſt Romanus Pontifex. Deinde, ſimilis inſtantia abſque horrore non auditur propter graviſſimam injuriam, qua afficit tot Sanctiſſimos Pontifices, quaſi ſimilia fuco ambitionis ſcripſerint. Denique, juſtè defendunt contra quoſcumque inobedientes, & poteſtatem, ac prærogativam in dubium vocantes, non cauſam propriam, ſed divinam ordinationem, & à Conciliis univerſalibus propoſitam, & in obſervantia univerſalis Eccleſiæ conſpicuam, ut dixi alibi.

5 Ideò ut ſecuris ad radicem ſit, & pervicacia Hæreticorum appareat, conſiderandum eſt, Romanum Pontificem primatum Eccleſiæ non accepiſſe à Concilio Niceno, ut Græci Schiſmatici effutiunt, nec à Chriſtianis Imperatoribus, ut blaſphemarunt Lutherus, Calvinus, & Magdeburgenſes; ſed à Chriſto Domino Salvatore noſtro. Sextus enim Canon Nicæni ita habet: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*, ut notarunt Bail *Sum.Concil.to. 1.in Concilio Chalcedonenſi ad can.27.* & Cabaſut. *notit.Eccleſiaſt.ad d.Canon.6. Nicæni*, referentes canonem à nonnullis mutilatè, & abſque eo initio produci. Circa quem notabile eſt, Patres non dixiſſe, quaſi decretoriè, & inſtitutivè: *Romana Eccleſia ſemper habeat primatum*, ut legit Queſnilianus codex; ſed *enuntiativè*, & *declarativè* locuti ſunt: *ſemper habuit*. Unde in præfatione d.Nicæni, teſte Bail *ubi ſupra* expreſsè dicitur: *Quod Eccleſia Romana nullis Synodicis decretis prælata eſt cæteris Eccleſiis, ſed Evangelica voce Domini, & Salvatoris noſtri Primatum obtinuit.*

6 Quibus jugulatur inſtantia aſſerentium primatum Eccleſiæ eſſe conceſſum Romano Epiſcopo, quia Roma erat Sedes Imperii: Nam, ſi voce Domini, ut ait Nicęnum: Si ab ipſo Salvatore, ut inquit Anacletus: Si Chriſti ore, ut ait Nicolaus; non ideò primatum habet, quia erat Epiſcopus Romæ, ubi ſedes erat Imperii. Quod etiam à vero alienum eſſe conſtat ex eodem Gelaſio, ut in ejus *unic. conſtitut. Valdè mirati in Bullar. tom.1.§.26.* Dardanis ſcribente adversùs prætendentes Eccleſiam Conſtantinopolitanam aliis eſſe majorem ob Imperatoris præſentiam: *Riſimus autem, quòd prærogativam volunt Acacio comparari, quia Epiſcopus fuerit Regiæ Civitatis. Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, Firmium, apud Treviros multis temporibus non conſtitit Imperator? Numquid harum Urbium Sacerdotes ultra menſuram ſibimet antiquitùs deputatam, quidpiam ſuis dignitatibus uſurparunt?* Ergo ex præſentia Imperatoris, prærogativa primatus non pendet, nec obtinetur. Quòcirca non eo titulo Romana Sedes principatum ſuper cæteras Eccleſias habet, ſed quia B. Petrus Domini voce illum percepit, ut idem firmat *ibi §.6.*

7 Ulterius. Eugenius IV. in Concilio Florentino in litteris unionis rem apertè confirmat, ut infra. *Diffinimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum Orbem tenere primatum .... & ipſi in B.Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eße.* Ex qua definitione conſideratur, non poſse Sedem Apoſtolicam Romà amoveri, & aliò transferri, aliàs definitio Concilii perpetua non foret. Siquidem, tunc verum non eſſet Romanum Pontificem in B. Petro poteſtatem gubernandi Eccleſiam à Domino Jeſu recepiſſe; nam in hypotheſi non Romanus Epiſcopus, ſed alius, ſcilicet Diœceſis, ad quam Sedes eſſet tranſportata, foret Petri ſucceſſor. Poſſet autem, ſi facto, vel poteſtate propria Petri, & non ex Chriſti præcepto, Romæ Cathedra

dra fixa fuiſſet. Quippe Succeſſor Petro in plena poteſtate paſtorali ſuccedit; quatenus verò alibi ea transferretur, allegata definitio vacillaret, quod nefas eſt aſſerere, cùm Pontificum definitiones varietatem non admittant, ut modò ſint veræ, modò falſæ; aliàs ſanè fides noſtra nutaret, quod niſi de hęretici ore prodibit.

8 Probatur 2. Praxis Eccleſiæ fuit, Petro mortuo, ei ſufficere Epiſcopum Romanum, & ſemper continuata eſt; adeò ut, Romano Pontifice defuncto, ſemper Chriſto Eccleſia propoſuerit in ſucceſſorem Romanum Antiſtitem: ergo, quia traditio eſt, quòd Chriſtus id inſtituerit, & præceperit: juxtà regulam Auguſtini *lib.4.de baptiſm.contr.Donatiſt.cap.24. Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Et doctrinam Irenęi, qui eſt omnibus antiquior, & Apoſtolorum temporibus vicinus; & *lib.3.cap.3.* Romanæ Eccleſię hoc tribuit elogium. *Ad hanc*, inquit, *Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt undique Fideles, in qua ſemper ab iis, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio*: ergo traditio eſt, & profectò Dominica, quod Eccleſiæ primatus Romano Epiſcopatui ſit annexus.

Propter quod factum eſt, quòd, non obſtantibus tot Eccleſiæ perſecutionibus, tot Romanæ Urbis excidiis, ſemper Apoſtolica ſedes Romæ fixa permanſerit, neque illam aliò quis eam tranſtulerit, ſicut Petrus Antiochiâ Romam tranſtulit, adeò ut Antiochiæ jam non remanſerit Sedes Apoſtolica: & licèt Pontifices pluribus annis Avenione fuerint, tamen Apoſtolica Sedes Romæ ſemper fuit fixa, & ipſi ſemper Romani Pontificis titulo ſunt uſi. Quod eſt argumentum ſatis concludens ordinatione divina, & non diſpoſitione terrena Eccleſiæ primatum cum Romano Epiſcopatu annexum eſſe, ideòque relictum non eſſe arbitrio Petri.

9 Probatur 3. Patres abſolutè dicunt perfidiam non poſſe habere acceſſum ad Eccleſiam Romanam, & hanc nunquam in fide erraſſe, nec errare poſſe, ut ex Lauræa *Epitome Canon.verb. Eccleſia Romana circa propriam fidem.* Concilium Conſtantienſe damnavit errorem Vvicleff in ordine 41. *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.* Pius II. *conſtitut.in Minoribus* 10. *Bullar.to.1.§.3. Quicumque*, ait, *Romanæ, ſecundùm canonicas ſanctiones præficitur Eccleſiæ, quam primùm electus eſt in ſacro collegio, ſupremam à Deo poteſtatem ſine medio conſequitur.* Bonifacius VIII. *cap. Unam Sanctam de majorit. & obedien.intr.com.* hæc habet. *Subeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, diffinimus, & pronuntiamus omninò eſſe de neceſſitate ſalutis.* Quæ abſolutè certa non eſſent, ſi connexio primatus Eccleſiæ cum Romano Epiſcopatu penderet ſolùm ex facto, & propria Petri auctoritate; nam tunc Succeſſor Petri poſſet primatum à Romana Eccleſia divellere, & adnectere Lucanæ, Florentinæ, vel alteri Eccleſiæ (pari enim poteſtate eſt præditus, qua S.Petrus, cui ſuccedit) & quatenus divelleret, allegata de Romana Eccleſia non verificarentur: ergo ideò Romana de Eccleſia abſolutè pronuntiarunt prædicta, quia ut certò illi habuerunt, Chriſti præcepto fuiſſe primatum Eccleſię Romano Epiſcopatui unitum; & inde impoſſibile credidere unum ab altero cujuſvis hominis facultate poſſe disjungi.

10 Præterea. Chriſtus Petro ſignificavit tempus mortis, *2.Petri cap.1.* & mortis genus *Joan.ult.* ergo veriſimile eſt, & ut certò dicendum, quòd revelaverit locum, in quo deberet Sedem, & Cathedram Apoſtolicam pro univerſalis Eccleſiæ regimine conſtituere. Etenim, ſicut voluit, quod in Eccleſia eſſet certa perſona, ad quam Fideles in fidei controverſiis, & morum doctrina recurrerent, ita diſpoſuit, ut ſtabilis ſedes in determinato loco eſſet,

ex qua fidei decreta emanarent, & ſingula deciderentur ad univerſalis Eccleſiæ regimen ſpectantia.

Cur verò Chriſtus Romanæ potiùs, quã alteri Eccleſiæ voluerit Primatum annexum, adeò ut Epiſcopus Romanus, & non alius eſſet Caput Eccleſiæ? noſtrum non eſt reſolvere. *Nam quis novit ſenſum Domini?* Conjectura fortè eſſe poteſt, quòd ex Urbe Roma, utpotè quàm latiſſimè tunc imperante, & diutiſſimè adhuc imperatura, Evangelium faciliùs per omnes Mundi partes propagari, & tota Eccleſia commodiùs gubernari poſſet, dicente Paulo *ad Rom.1. Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo*. Atque ita caput Eccleſiæ Chriſtianæ toto Orbe diffuſæ ea Urbs ſtabiliretur, quæ caput tunc erat Orbis.

Opponunt 1. Romanus Pontifex primatum habet in univerſo Orbe ex decreto Conſtantini Magni *cap.Conſtantinus.96.diſt.* Quæ prærogativa eidem conceſſa, ſubinde fuit à Phoca Imperatore, qui vetuit, ne ullus alius, præter Romanum Pontificem, Patriarcha univerſalis nominaretur: ergo primatus Eccleſiæ non eſt jure divino, vel inſtitutione Chriſti unitus cum Romano Epiſcopatu, ſed jure purè humano.

Confirmatur. In Concilio Chalcedonenſi *can.27.act.16.* declaratum eſt Romanam Eccleſiam à Patribus habuiſſe primatum, eò quòd illa Civitas Imperio Orbis eo tempore potiretur.

Prætereà. Ab Eminentiſſimis S.R.E. Cardinalibus eligentibus Romanum Pontificem videtur ipſum obtinere Primatum, & auctoritatem in univerſam Eccleſiam: ergo non ex Chriſti inſtitutione.

11 R. Negatur antecedens. A Conſtantino fuit quoad temporalia S.Silveſtro, & Succeſſoribus Romanis Pontificibus conceſſa Romana Civitas cum attinentibus ad eam, aliiſque, ut in *d.textu*; quæ fuerunt ſubinde confirmata à Ludovico Pio, *cap.Ego Ludovicus 63.diſt.* Non verò indultum ipſis fuit, ut primatum agerent in Catholica Eccleſia, quem ab ipſa Pontificatus erectione à Chriſto receperunt, & pluries, etiam ante tempora Conſtantini exercuerunt.

Quare ſuo edicto non eis dedit primatũ cauſativè, ſed executionem decrevit. Cùm enim tunc temporis omnes Eccleſiæ eſſent in Imperiali ditione, ipſe intendens, quòd omnes Romano Pontifici honorem deferrent, decrevit, ab omnibus eſſe eidem obedientiam præſtandam; ita ut timore pœnarum agerent, quod aliàs implere debuiſſent ſtudio virtutis.

12 Quod attinet ad edictum Phocæ. Sciendum eſt, quòd nonnulli Epiſcopi Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ob Sedis Imperialis reſidentiam, primum locum poſt Romanum Pontificem ſibi deberi cõtendentes, omnem conatum adhibuerũt, ut ſuper eo conciliaris diſpoſitio emanaret. Unde primò hęc prærogativa eſt illis attributa in Concilio Conſtantinopolitano I. *can.5*: Quamvis ſine effectu ob diſſenſum Romani Pontificis, qui canonem reprobavit. Secundò, eandem Imperator Martianus extorſit à Concilio Chalcedonenſi, etſi contradicerent Sedis Apoſtolicæ Legati: ſed, & hujus Concilii indulgentiæ conſtanter reſtitit Leo Papa. Quinimò ulteriùs eorum proceſſit ambitio. Nam Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus favore Mauritii Imperatoris, congregato nonnullorum Epiſcoporum conventu, Patriarcham Oecumenicum, ſeù univerſalem ſe pronuntiavit. Quod conciliabulum damnavit, & irritum dixit Pelagius II. Papa, *conſtit. unica Manifeſto in Bullar.cit.* & Epiſcopis ſub interminatione anathematis prohibuit, ne ſuperbi animi inſolentiæ conſentirent. Subinde S.Gregorius acriter reprehendit Mauritium illius temeritatis patronum; quo divina ultione percuſſo, Phocas Imperator deinde vetuit, ne ullus alius præter Romanum Pontificem Patriarcha univerſalis appellaretur. Non dedit hic prærogativam Pontifici, nec poterat conferre, utpote Laicus (& inde privatus facultate tribuendi quid-

quidquam minimę etiam poteſtatis ſpiritualis) ſed eam in ipſo ſuppoſuit, & ſolùm decrevit, ut appellatio daretur executioni, & nullus ſibi jura Romani Pontificis uſurparet. Ut optimè Spondanus *Epitome to.2.ad an.606.nu.2.& 3.*

Hinc conſtat fabellam eſſe, græcanica arte confictam, diploma, quod allegatur, ad Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum nomine Hadriani Papæ, hac Epigraphe: *Dilecto fratri Taraſio Patriarchæ Oecumenico*, (ideſt univerſali, aut generali) *Hadrianus ſervus ſervorum Dei*. Fortè potuit tantus Pontifex Hadrianus eo titulo Taraſium appellare, poſtquàm ſui Prędeceſſores adeò conſtanter Patriarcharum Conſtantinopolitanorum præſumptioni reſtiterunt, & ambitionem in ea Oecumenici nomenclatura præoſtenſam reprobarunt? Nimis certè imprudens, qui hoc cenſet, nimiſque mendax; & à vero exorbitans aſſertio: ut ſcribit Bail *cit.in Concil. Nicænum II.*

13 Ad confirmationem. Canon ille clandeſtinus eſt, & ſurreptitius, quem Anatholius cum reliquis Orientalibus ad primatum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ comparandum, Legatis abſentibus, & contradicentibus, decerni, & conſtitui procuravit; & quem ideò S.Leo pluribus Epiſtolis damnavit, & reprobavit, ac à confirmatione excluſit, confirmans Chalcedonenſe ſolùm in cauſa fidei, ut videri poteſt in ejus *conſtit.Omnem 2.Bullar.cit.* Non tantùm, quòd citrà auctoritatem Romani Pontificis editus, illegitimè conſtitutus fuerat contra decreta Nicęni I. in quo *can.6.* præſervantur privilegia Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno: nec tunc temporis Eccleſia Conſtantinopolitana in Patriarchalem erat erecta, cui primus locus poſt Romanum Pontificem eſt primò indultus in Lateranenſe IV. ut dictum eſt *contr.præt.* Verùm etiam, quòd in eo refertur à Patribus Nicænis Romano Pontifici primatum eſſe attributum, quaſi eum ante non habuerit, quod falſum eſt. Hinc, ubi Patres, & Concilia primatum Romano Pontifici tribuunt, loquuntur ſolùm declarativè; Vel declarant à Chriſto accepiſſe immediatè, ut dictum eſt *nu.5.*

14 Ad prætereà. Negatur antecedens; Siquidem Pontifex ſuam poteſtatem accipit immediatè à Deo, *cap.Electionem 79. diſt.* Nec Cardinales eligendo perſonę electæ, poteſtatem Pontificiam conferunt, ſed eam ſolummodò Deo præſentant, & offerunt, à quo ſuam poteſtatem accipiat: Quapropter electio eſt conditio ſolummodò, ſine qua Deus poteſtatem Pontificiam in hominem non transferret: non verò eſt ratio, vel medium, quo Electores ipſi electo eam poteſtatem tribuant, ut poſt alios dixit Diana *Coord.tom.9. tract.2. reſolut.20.*

15 In quo conſentit cum Auguſtino de Ancona ponderante; quòd ſi Papatus conſideretur quantùm ad officium, & auctoritatem (quod eſt quid formale) Papatus non eſt per Cardinalium electionem, ſed per electionem immediatè à Chriſto: Siquidem omnes Papæ, qui à principio fuerunt uſque nunc, & erunt in finem uſque Mundi, non ſunt niſi unus Papa; quoniam, ex quo omnes illud idem officium, & auctoritatem habeant, quam habuit S.Petrus ſequitur, quòd omnes formaliter non ſint, niſi ſicut Petrus; qui non fuit electus à puro homine, ſed immediatè à Chriſto, à quo auctoritatem Papatus recepit in ſua perſona pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus. Si verò conſideretur in Papatu determinatio perſonæ hujus, vel alterius (quod eſt quid materiale) profectò ſub hac ratione, Papatus eſt per Cardinalium electionem, quatenùs ipſi hanc perſonam præ alia determinant in Romanum Pontificem.

Opponunt 2. Primatus Eccleſiæ ex prima ſui à Chriſto inſtitutione fuit perſonalis, hoc eſt, annexus, & connexus perſonæ Petri, *Matth.16. Tu es Petrus, &c. Joan. ult. Paſce oves meas*; non verò affixus particulari loco, vel determinato Epiſcopatui; nam Chriſtus Petrum conſtituit generalē

to-

totius Eccleſiæ primum Epiſcopum, ſupremumque Paſtorem: ergo, quòd ſit Romano Epiſcopatui potiùs annexus, quàm Lucano, vel Florentino, non habetur ex Chriſti inſtitutione, ſed, quia Petrus Romæ ſedem fixit, & conjunctum Epiſcopatum Romanum cum primatu Eccleſiæ ad mortem uſque retinuit.

Deinde. Si Primatus Eccleſię foret jure divino connexus Romano Epiſcopatui, non poſſent ad invicem ſeparari; ſed hoc eſt falſum; nam, ſi Romana Civitas funditùs everteretur, ceſſaret Epiſcopatus Romanus, non verò Summus Pontificatus Eccleſiæ. Item Petri ſucceſſores poſſent, vel in nulla particulari Dięceſi Sedem figere, & tunc quilibet ſuccedens eſſet Epiſcopus, & Primas Eccleſiæ Catholicæ, quin diceretur Epiſcopus Lucanus, Florentinus, vel alterius loci; vel aliquam particularem Diœceſim eligerent, ut ſibi propriam, quantùm etiam ad perſonalem reſidentiā, ſicut Petrus, relicta Antiochena, Romanam ſibi deſponſavit; & quatenus Lucanam eligerent, primatum Eccleſiæ obtineret Epiſcopus Lucanus.

16 R. Primatus Eccleſiæ ex prima inſtitutione à Chriſto facta fuit perſonalis, hoc eſt, annexus perſonæ Petri, non ut erat perſona privata, ſed ut publica, ipſi nimirùm collatus, & in ipſo ſucceſſoribus ejus: & ex tunc fuit juſſu Chriſti, etiam localis, ſeù certo loco, Romæ nimirum affixus, non pro tunc, ſed tempore ſubſequenti, Petro à Chriſto ſignificato. Propter quod Primatus Eccleſiæ eſt in Petri ſucceſſore: & Petri ſucceſſor eſt Romanus Epiſcopus.

Dices. Hoc non conſtat, nec verbo ſcripto (nullibi enim in Scriptura id exprimitur) nec verbo Tradito, ſeù Traditione à Chriſto Apoſtolis facta, & ab Apoſtolis ad Eccleſiam tranſmiſſa; neque jure interpretativo, hoc eſt, ex aliqua definitione Concilii generalis, vel Pontificis extra Concilium ex Cathedra definientis; cùm nulla hac de re definitio uſque adhuc prodierit; ergo, non divino jure primatus Eccleſiæ eſt Romæ affixus; etenim pręter triplex jus allegatum, nullum aliud extat.

17 R. Id conſtat Traditione Dominica à Pontificibus, & Conciliis, ut ſupra declarata. Ubi abſolutè non pronuntiaſſent Spiritum Sanctum ſemper aſtiturum Romanæ Eccleſiæ (hoc eſt Romano Pontifici) ne in fide deficeret, niſi à majoribus accepiſſent, Petri ſucceſſores aliò transferre Cathedram Pontificiam non poſſe, & Chriſti ore eſſe Romæ affixam; nam, ſi ſolo jure humano primatus Eccleſiæ connecteretur cum Romano Epiſcopatu, poſſet profectò alibi à Pontifice transferri, ut dictum eſt *nu.*7. Item, conſideratur conſuetudo Eccleſiæ, quæ à Petri obitu ſemper Romanum Epiſcopum in Pontificatu ſucceſſorē elegit. Inveriſimile autem videtur, quod ſemper fuerit Pontifici mortuo ſuffectus Romanus Epiſcopus, & nullus alius electus, vel alibi Cathedra non ſit conſtituta, ſi Traditio Dominica non eſſet, quòd Cathedra Pontificia ſit ex Chriſti inſtitutione Romæ affixa, & ſucceſſor Petri debeat eſſe Epiſcopus Romanus. Jam 242. Pontifices ſederunt in Cathedra Petri, omneſque fuerunt Romani Epiſcopi; & inde optima eſt illatio, ſenſum Eccleſiæ fuiſſe; quod inſtitutio Chriſti fuerit, non poſſe alium, qui Romanus Epiſcopus non ſit, Chriſto, ut Petri ſucceſſorem proponi. Et ubi Electores alium eligerent, nihil facerent operantes contra inſtitutionem Chriſti; ac gravi, pernicioſoque ſchiſmati Eccleſiam exponerent.

Dices. Ergo de fide eſt Epiſcopatum Romanum eſse primatui totius Eccleſiæ conjunctum; & inde ſententia contraria, utpote hæretica, à Doctoribus Catholicis propugnari haud poſset. Quam tamen pluresеam defendunt.

18 R. Hic noſtræ facultatis non eſt, nec genius adeſt taxandi opiniones, quæ inter Catholicos controvertuntur. Ideò dicimus, quòd ſi non ſit de fide primatum Eccleſiæ Univerſalis conjunctum eſse cum

Epiſ-

Epiſcopatu Romano, adhuc tamen noſtra ſententia eſt probabilior, verior, ac tutior, cùm multæ pro ea rationes, adminicula, auctoritates, & conjecturæ vehementes ſint, ut poſſit prudenter exiſtimari de Chriſti voluntate, & inſtitutione, quod Pontificatus ſit annexus Romano Epiſcopatui. Propterea oppoſita tuta non eſt, ſed practicè improbabilis: Etenim in praxi ea opinio eſt improbabilis, ex qua damnum aliquod irreparabile ſequitur, vel periculum eſt, quod ſequatur. Quod planè ſequeretur, vel, periculum non abeſſet, ut ſequeretur, ſi alius eligeretur ſucceſſor Petri, qui non eſſet Epiſcopus Romanus; nam poſſet eſſe, quod electio apud Deum eſſet nulla, & Pontifex irritus. Idcircò, tametſi oppoſita ſententia non eſſet hæretica, nec ſpeculativè improbabilis, tamen tuta non eſt, & ad praxim deduci minimè poteſt.

19 Dixi, *ſi non ſit de fide*, quia mihi eſt certum id eſſe, propter motiva reſolutionis, quæ magni ponderis ſunt. Abſit tamen, quòd dixerim hæreticos ſtantes pro ſententia contraria. Tum quia, pertinaces non ſunt. Tum quia, & ipſi concedunt de fide eſſe ſolum Romanum Pontificem eſſe legitimum Petri ſucceſſorem; quod ſequenti diſcurſu concluditur. *Deus revelavit eum eſſe D. Petri ſucceſſorem, qui ab Eccleſia, ut illius ſucceſſor proponitur: Sed ab Eccleſia ſolus Romanus Pontifex proponitur, ut D.Petri Succeſſor:* ergo *de fide eſt ſolum Romanum Pontificem eſſe D.Petri Succeßorem;* cui non ſolùm in Papatu, ſed etiam in Epiſcopatu Romano ſuccedit.

20 Ad Deinde. Utique Primatus Eccleſiæ nequit à Romano Epiſcopatu ulla humana poteſtate divelli. In caſu verò, quòd Romana Civitas penitus extingueretur, tamen non periret Epiſcopatus Romanus: Siquidem, ut ſemper duret, ſufficit aliquando fuiſſe cum connotatione ad illos terminos materiales Urbis, ita Guarnieri *cit.num.6.* Cæterùm ex ſuperioribus colligitur caſum illum eſſe impoſſibilem, & ſperandum à Divina providentia Romam duraturam uſque ad Mundi finem. Propterea, ſuppoſitio eſt falſa: ex falſo autem verum, nec colligitur, nec colligi poteſt unquàm.

Opponunt ultimò. Quia Petrus obiit Romæ, Sedes Pontificatus eſt Romæ, & Epiſcopi Romani Petro in Pontificatu ſuccedunt. Ergo, quia Moyſes, & Aaron mortui ſunt in deſerto, Sedes Pontificalis Legis Veteris debuit ſemper eſſe in Deſerto. Sed hoc eſt falſum. Ergo & illud.

21 Reſp. Non præcisè, quia Petrus obiit Romæ, ejus ſucceſſores in Pontificatu ſunt Epiſcopi Romani, ſed quia Petrus ibi obiit, ſede immutata. Petrus cùm Romæ mortuus eſt, erat determinatè Epiſcopus Romanus, nec anteà per reſignationem, vel alia ratione Sedem mutaverat, ideò ſuccedentes in hac Sede, Petro ſuccedunt. Succeſſio enim in Epiſcopatu aliquo morte Prædeceſſoris habetur. Mors enim in ſucceſſionibus confirmat hæreditatem, Moyſes autem, & Aaron non erant Pontifices Deſerti, ſed per illud ad terram promiſſionis tranſibant, in qua erat eligendus locus Altaris, & Sacrificii. Ideò paritas ruit.

CAPUT III.

An ſit de fide, quod hic numero Romanus Pontifex, nunc exiſtens, legitimè electus ſit Chriſti Vicarius, & Petri Succeſſor?

SUMMARIUM.

1 *Diverſitas opinionum inter Catholicos.*
2 *Eſt fide divina credendum,* hunc numero, &c. *eſſe Verum Papam.*
3 *Id conſtat Traditione.*
4 *Determinata Eccleſia, & determinatum Caput credi debet.*
5 *Medium contra hæreticos eſt, credere,* hunc

hunc canonicè electum, &c. *eſſe Verum Pontificem.*

6 *Papa eſt regula viva infallibilis proponendi toti Eccleſiæ res fidei.*

7 *Fides divina non poteſt ſtare cum notitia probabili divinæ revelationis.*

8 *Evidentia moralis, quæ?*

9 *Parochi ſufficiunt ad propoſitionem credendorum ſuis ſubditis.*

10 *Cauſa rationabilis dubitandi de veritate alicujus, ex quo titulo deſumenda?*

11 *In propoſitione univerſali implicitè revelantur particularia.*

12 *Eſt de fide Eccleſiam hoc anno extantem eſſe veram Eccleſiam Chriſti.*

13 *Quid ſit credere implicitè, quid explicitè?*

14 *Modus electionis Pontificis eſt de jure poſitivo Eccleſiaſtico.*

15 *Dubium, an D.Petrus ſibi ſucceſſorem elegerit?*

16 *Plebs ad electionem quo titulo admiſſa?*

17 *Jus eligendi Pontifices nunquam fuit penes Imperatores.*

18 *Pontifex non poteſt ſibi ſucceſſorem inſtituere.*

19 *Electores Romani Pontificis ſunt DD.Cardinales.*

20 *Quòd electores naturaliter electionem cognoſcant, non impedit, quin de fide divina credatur,* quod hic numero, &c.

21 *Ad fidem divinam ſufficit prædicatum eſſe obſcurum.*

22 *Eſt de fide,* quòd hic numero, &c. *priuſquàm juriſdictionem exerceat.*

23 *Dubio capite, dubia eſt unitas Eccleſiæ.*

24 *Quando ex contingenti præmiſſa ſequatur contingens concluſio?*

25 *Concluſio deducta, & explicata, quæ?*

26 *Verum Concilium includit verum Papam.*

27 *Cardinales in facto electionis Papæ totam Eccleſiam repræſentant.*

28 *Papa proponit ſe eſſe Caput Eccleſiæ.*

29 *Et dari veram Eccleſiam.*

30 *Oppoſitio de Pontificibus intruſis, nullius roboris adversùs reſolutionem.*

31 *Conſenſus Eccleſiæ univerſalis, fallibilis eſſe non poteſt.*

32 *Papa electus nondum Epiſcopus, nec Presbyter, eſt verus Papa.*

APud Catholicos controvertitur: an ſit de fide, quòd *hic numero Papa,* (*V.G. Clemens XI. feliciter regnans*) *pro tempore exiſtens, canonicè electus, ſit Caput Eccleſiæ Chriſti Vicarius, & Petri ſucceſſor?*

1 In quo tria poſſunt conſiderari. Primò, ille temporis articulus, quo canonica electio perfecta eſt. Secundò, cùm jam electus proponitur univerſali Eccleſiæ, & ab illa recipitur, ac pro legitimo Paſtore acceptatur. Tertiò, quando aliquos actus exercet, qui nonniſi à poteſtate Pontificia fieri poſſunt; ut, definire aliquod dogma, Sanctum canonizare, Religionem aliquam approbare, &c. Bannez 2.2.*qu.*1. *art.*10.*dub.*2. quem alii ſequuntur, affirmat id eſſe tantùm certum certitudine morali, quod ſufficere dixit, ut Fideles teneantur debito charitatis, & obedientię illi parere in materia religionis, & fidei. Quidam dixerunt eſſe concluſionem dumtaxat Theologicam, ex una præmiſſa de fide, & alia naturali deductam. Nonnullis placuit aſſerere id eſſe ſolùm de fide, poſtquàm, ut Pontifex fuerit ab Eccleſia acceptatus; vel, cùm exercuit ſuam juriſdictionem, quantùm ad decidendas controverſias Religionis, aut convocationem Concilii generalis; quia tunc definit ſe eſſe infallibilis auctoritatis, & proponit ſe verum, & indubitatum Papam. Verùm nec poſteriores reſtrictiones admittimus, neque priores ſententias probamus, ſed abſolutè.

Dicendum. *Eſt de fide, quòd hic numero Pontifex,* V.G. Clemens XI. vel alius pro tempore exiſtens, *canonicè electus, ſit legitimus Papa, Caput Eccleſiæ, & Chriſti Vicarius.* Ita Lauræa *de fide diſput.6.art.5.nu.*207. Diana *coord.... to.9.tr.5.reſol.6.num.4.* Seſſa *Scrutin.doctrinar.cap.3.art.5.n.*10. Pontius *coment. in 3. Scoti ad d.diſt.23. num.92. & Cur.Theolog.* Gravina *de præſcript. tomo 3.*

mo 3. parte 2. libro 4. controverſ.4. difficult.3.

2 Probatur. Ex inſtructione Martini V. facta in Concilio Conſtantienſi, prout in ejus *conſt.Inter cunctas 1. in Bullar. tomo 1.* In qua pro examinandis circa credenda, & pro removenda ab eis errorum ſuſpicione, à Vvicleff, & Huſzio aſſertorum, quędam interrogatoria fuerunt conſtituta, ut inde eos errores deteſtarentur, & confiterentur veram fidem; inter quæ 24. in ordine eſt: *Verùm credat, quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine propriè expreſſo, ſit ſucceſſor B.Petri, habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei*: ergo, ſi Fideles tenebantur id credere, ut ab errore prædictorum cognoſcerentur alieni, dicendum abſolutè eſt, de fide eſſe, quòd hic numero Pontifex canonicè electus ſit legitimus Papa, Caput Eccleſiæ, & Chriſti Vicarius; adeò ut hæreticus ſit, qui id non credens diſſentit. Subinde Pius II. *conſtit. In minoribus* 10. ibi §. 30. habet. *Quicumque Romanæ ſecundùm canonicas ſanctiones præficitur Eccleſiæ, quamprimùm electus eſt in ſacro collegio, ſupremam à Deo poteſtatem ſine medio conſequitur.*

Confirmatur. Eſt hæreſis Lutheri, quod Papa non ſit Vicarius Chriſti; Cujus error 25. à Leone X. cum aliis proſcriptus *conſtit. Exurge* 40. ibi fuit: *Romanus Pontifex Petri ſucceſſor, non eſt Chriſti Vicarius ſuper omnes totius mundi Eccleſias ab ipſo Chriſto in B. Petro conſtitutus*. Loquebatur autem Lutherus de Pontifice canonicè electo, eoque, qui ab Eccleſia, ut talis recipiebatur, & tenebatur. Quoniam de non electo canonicè dici minimè poteſt, quod ſit Pontifex Romanus: ergo de fide eſt, quod hic canonicè electus ſit verus Papa, Chriſti Vicarius, & ſucceſſor Petri: aliàs dictum Lutheri non eſſet hęreſis; quod hęreſis eſt aſſerere.

Item: Habetur ex formula, quæ dabatur Schiſmaticis, & hęreticis Novatianis: cujus tenor erat, ut ſcribit Cornelius Papa ad Cyprianum *libr.3.Epiſtolar. Epiſt.*11. aliàs 46. *Nos*, inquiunt, *Cornelium Epiſcopum S.Catholicæ Eccleſiæ electum à Deo Omnipotente, & Chriſto Domino ſcimus, nos errorem noſtrum confitemur, nos impoſturam paſſi ſumus, circumventi ſumus perfidia: nam, etſi credebamur quaſi quamdam communicationem cum Schiſmatico, & hæretico homine habuiſſe, ſincera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit. Nec enim ignoramus unum Deum eſſe, unum Chriſtum eſſe Dominum, unum Spiritum Sanctum, unum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere*. At iſti non indefinitè, & vagè Deum, Chriſtum, & Spiritum Sanctum, ſed determinatè credebant: ergo & unum Epiſcopum, Cornelium nimirum, determinatè errorem Schiſmaticum, & hęreticam pravitatem deponentes, proteſtabantur: ergo de fide eſt, &c. Unde Cyprianus *Epiſt.*45. *ad Cornelium*, cognita hujus canonica electione, depoſita omni humana dubietate, certiores quoſdam fecit de electione, qui electum indubitanter receperunt: apud Gravinam *cit.§. Confutatio verb. ex Patribus*.

3 Manifeſtum id pariter eſt Traditione Dominica: quoniam de tempore in tempus ab initio Eccleſiæ, ut conſtat ex Eccleſiaſticis Chronicis, ac geſtis Conciliorum, Fideles credebant illos, qui erant canonicè electi in Pontifices, & pro talibus habebantur, fuiſſe Caput Eccleſiæ, Chriſti Vicarios, & Petri ſucceſſores, ac habuiſſe infallibilem auctoritatem ad decidendas fidei res; quæ praxis continuata eſt ſubſequentibus temporibus uſque ad noſtrum: ſed non eſt veriſimile, quod id feciſſent, niſi traditio eſſet, quod ſit verus Pontifex, & Chriſti Vicarius, qui canonicè eſt electus, & nulla de canonica electione adeſt rationabilis dubitandi cauſa. Ideò dicendum eſt, Chriſtum revelaſse Apoſtolis, & hos aliis dixiſſe: quod, qui canonicè eligeretur ab Eccleſia pro Pontifice, & de cujus legitima electione non eſſet rationabilis cauſa dubitandi, eſſet verus, & indubitatus Pontifex, &c. In quo currit regula tradita ab Auguſtino *Epiſt.*54.

*ad Inquiſit.Januarii cap.*1.*& lib.*4. *de baptiſm. contr.Donatiſt.cap.*24. quam reportavimus *cap.præced.nu.*8. Et virtute talis revelationis eſt id de fide credendum.

Dicunt. Sufficit, ut fide divina credatur vagè in Eccleſia eſſe verum Pontificem, ſine neceſſitate credendi in individuo, quod hic, vel ille ſit.

4 Contra I. Fide divina credendum eſt dari veram Eccleſiam Chriſti; nec ſufficit credere Eccleſiam indeterminatam, & in univerſali, ſed debet neceſſariò credi, hęc numero Catholica, & Romana, quæ ſcilicet, communicat cum Romano Pontifice; nam hæc ſola eſt vera Chriſti Eccleſia, ut dixi *contr.*1.*cap.*1. ergo eſt ſimiliter ob rationis identitatem fide Divina credendum, V.G. Clementem XI. vel, alium pro tempore canonicè electum, eſſe ejus viſibile Caput. Conſequentia ſequitur. Nam connexa ſunt corpus, & caput; & ſicut non poteſt corpus phyſicum in individuo, integrum intelligi ſine ordine ad unum caput determinatum, ita nec determinatè corpus aliquod myſticum, & morale, integrum eſſe poteſt abſque ordine, & connexione ad determinatum caput. Unde dixit Cyprianus *Epiſt.*69. definiens Eccleſiam. *Quod ſit plebs Sacerdoti adunata, & grex paſtori ſuo adhærens*: & ſubdit. *Scire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo*. Non enim Chriſtus collocavit ędificium Eccleſię ſupra incertum aliquod, vel dubium fundamentum, ſed ſupra determinatam, & firmam petram: *Super hanc* (nota) *petram ædificabo Eccleſiam meam*: ergo ſi creditur determinata Eccleſia, & caput determinatum, credendum eſt.

Contra II. Si non eſſet de fide, quod hic nunc exiſtens canonicè electus, ſit verus Papa, Chriſti Vicarius, ac Petri cum ejus auctoritate ſucceſſor, nec eſſet objectum fidei, quòd in Eccleſia daretur caput viſibile, ſupremuſque Paſtor, & Petri ſucceſſor: ſed hoc eſt hæreticum ex Conſtantienſi, & Florentino: in litteris Unionis: Ergo. Sequela eſt manifeſta, etenim nunquam homo vagus fuit, aut erit, vel eſſe poteſt Caput viſibile Eccleſiæ: ſed debet eſſe homo in individuo exiſtens: ergo, ſi non ſit de fide, quod hic nunc exiſtens Clemens XI. canonicè electus, ſit legitimus Papa, &c. nunquam fuit, aut erit de fide, quòd in Eccleſia detur Caput viſibile. Si autem ſemel dicatur, quòd aliquis in particulari ſit verus Papa, & Caput Eccleſiæ, de omni canonicè electo dici debet eſſe de fide, quod ſit legitimus Papa.

Ampliùs. Eſt de fide Deum dediſſe Petro, & ejus ſucceſſoribus infallibilem auctoritatem neceſſariam in Judice controverſiarum Religionis, & fidei; ac voluiſſe, ut omnes crederent ipſis eſſe conceſſam; ſed profectò, ſi non crederetur in particulari huic, & illi Pontifici pro tempore canonicè electo conceſſam eſſe talem auctoritatem, & eſſe controverſiarum Judicem, ad nihil deſerviret illud præceptum credendi in Succeſſoribus Petri eſſe talem auctoritatem; quod enim in generali ſic crederetur, non credendo id de perſonis determinatis, ad nihil prorſus conduceret, ut patet. Nam, ad quid pro praxi deſerviret aſſenſus de ejus quaſi vaga Judicis exiſtentia? Sanè non teneremur ex fide adire Papam pro illis controverſiis; quilibet enim diceret: fides ſolùm docet me teneri adire Judicem controverſiarum: at non dicit mihi *illum eſſe Clementem XI. vel, hunc canonicè electum*: ergo non teneor ex fide illum adire, aut decidenti credere; & ita controverſiæ eſſent in Eccleſia æternæ; quod eſt inſipientis aſſerere.

5 Item. Si Papa canonicè electus indubius omninò non eſſet, non haberemus certum, & infallibile medium ad confutandos hæreticos, & reprimendos ſchiſmaticos, quod eſſet hæreſibus, & ſchiſmatibus viam aperire: ergo, &c. Probatur ſequela; nam hæreticus, & ſchiſmaticus ad quancunque definitionem, & dogmatis propoſitionem, promptè ſe opponerent, allegando incertitudinem Summi

Sa-

Sacerdotis, & Judicis; & ſchiſmaticus ad aliam Cathedram erigendam viam pararet, vel à definitione Pontificis ad Concilium generale appellaret. Unde Cyprianus ad hunc caſum reſpiciens ſcripſit ad Cornelium *Epiſt.*55. *Neque enim aliunde hereſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus ad tempus Sacerdos, & ad tempus vice Chriſti cogitatur. Cui, ſi ſecundùm magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adversùm Sacerdotum collegium quidquam moveret.*

Dicunt. Ruſticus tenetur fide divina credere veritates fidei à Parocho ſibi propoſitas; quamvis infallibilitatem Parochi fide divina non credat, nec poſſit credere, aut evidentiam moralem habeat, quòd ſit infallibilis veritatis; evidentia enim moralis, quod vera dicta ſint alicujus dicta, tollitur, ex quo, tum phyſicè, tum moraliter poſſit mentiri, & falſum dicere: ergo, ut fide divina teneamur credere, quod Papa proponit, ut à Deo revelatum, neceſſe non eſt, ut credatur, quòd ipſe canonicè electus, ſit verus Papa, & infallibilis auctoritatis, ita ut non poſſit falſum proponere, ſed abundè ſufficit, ſi habeatur certitudo, & evidentia moralis, quod ſit Papa, quæ habetur, dum ab Eccleſia communiter pro Papa acceptatur, & recipitur.

Contra. Negatur conſequentia, & paritas. Nam nullibi in Scriptura eſt revelatum, & definitum, quòd hic numero ſit verus Parochus, & regula infallibilis proponendi res fidei; ſicut eſt revelatum, & definitum, quòd hic ſingularis homo Clemens XI. qui nunc præſidet, & pacificè in Eccleſia recipitur, *ſit* verus, & legitimus Papa, ut dictum eſt *n.*2. *&* 3. ergo paritas non urget.

6 Item. Quòd Papa ſit regula viva infallibilis proponendi toti Eccleſiæ res fidei, ac decidendi dubia circa religionem ſuborta, revelatum eſt, *Lucæ* 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Et patet ex Florentino per dicta *cap.*1.*nu.*7. in quo fuit definitum Romanum Pontificem, Cathedram, primatum, & poteſtatem regendi Eccleſiam in B. Petro accepiſſe; quæ poteſtas complectitur etiam privilegium ipſius, à quo habet, ut non poſſit errare in doctrinæ fidei, & morum definitione. Qua ſtante prærogativa, praxis Eccleſiæ fuit in dubiis fidei ad Pontificem pro deciſione ſemper recurrere: & Concilia generalia, ut robur haberent, & definita in ipſis eſſent certa, confirmationem à Pontifice conſueverunt expoſtulare; qui ſua confirmatione veritatem confert doctrinæ confirmatæ, definitæ, ac propoſitæ, ut latiùs *contr.*8.

7 Circa antecedens, eſt conſiderandum ab Innocentio XI. inter cæteras eſſe proſcriptam proximam propoſitionem, quæ in ordine erat 21. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis: immò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.* Ex quo habetur, quòd fide divina credens, dubitare non debet, nec formidare de divina revelatione, ſeù, quod Deus revelaverit myſterium propoſitum. Fides enim divina eſt aſſenſus firmiſſimus, omnem, tum falſitatem, tum formidinem, & dubietatem voluntariam excludens, & inde incompatibilis cum probabilitate revelationis divinæ: ideò in fide divina credente prærequiritur evidens credibilitas myſteriorum, ſeù evidentia moralis, quod Deus locutus ſit. Quæ evidentia habet ſuos gradus. Docti, & Sapientes morali evidentia ſunt certi de revelatione divina ex conſideratione credibilitatis motivorum, ut, miraculorum, conſenſus ſapientum, ſanctitatis doctrinæ, &c. per quæ moventur ad certò judicandum myſteria noſtræ fidei eſſe à Deo revelata, conſequenter eſſe credibilia propter revelationem divinam. Simplices verò, & Ruſtici evidentiam moralem habent, quòd Deus verè revelaverit myſte-

rium V.G. Incarnationis, ex auctoritate ſui Parochi id proponentis. Nam ipſi facilè efformant judicium moraliter evidens de revelatione myſterii propoſiti à Parocho, per hoc, quod quilibet intrà ſe diſcurrat: *ego indoctus in rebus à me ignoratis, ac præſertim religionis debeo ſtare judicio prudentum, & ſapientum, & inſtructioni eorum, quibus commiſſa eſt cura animæ meæ, quoties non adeſt motivum prudenter dubitandi de ejus veracitate: ſed Parochus eſt prudens, & Sapiens, eique commiſſa eſt cura animæ meæ, & abeſt prædictum motivum; quinimò præſumendum mihi eſt, quòd non velit mortaliter peccare me decipiendo; & quòd non fallatur, quia ſapiens eſt. Ergo ejus inſtructioni ſtare debeo: &, cùm mihi proponat, & referat myſterium Incarnationis eſſe à Deo revelatum, & ita ab Eccleſia proponi, & credi, hoc ego debeo judicare, & credere.* Quo ſtante judicio, voluntas Ruſtici gratia Dei adjuta prudentiſſimè imperat intellectui, ut firmiſſimè credat Verbum eſſe Incarnatum, quia Deus revelavit.

Habetur ex præjacto diſcurſu I. Quòd Ruſticus ſit moraliter certus Parochum hìc, & nunc non falli, nec fallere, adeòque quòd ejus dicta ſunt vera; quod poſſit decipi, & decipere aliquando, eſt per accidens: non enim ſequitur poteſt decipere; ergo hìc, & nunc decipit; aliàs actum eſſet de humana etiam ſocietate.

8 II. Quòd evidentiam moralem habeat de exiſtentia revelationis, non quidem abſolutam, ſed reſpectivam, hoc eſt, conſentaneam capacitati illius. Siquidem, ut ait Pontius *Theol.diſp.*28.*q.ult.n.*40. Appellatione evidentiæ moralis illa venit, qua res aliqua, quæ non eſt nota ex terminis, neque deducta ex principiis ſic notis, nec aliquo ſenſu externo percepta, ita apparet intellectui, ut hic nullam habeat rationem prudenter dubitandi, & imprudentiſſimus ab omnibus judicaretur, ſi non judicaret rem illam, ſicut apparet, vi cujus certò apparet ei myſterium Incarnationis eſſe à Deo revelatum; & aliis terminis dicitur eſſe ei evidenter credibile. Vide ibi Pontium, & Vivam ad *prop.*21. *ab Innoc. XI.proſcript.n.*10. & 19.

9 Hinc Lauræa *cit.diſp.*8. *a.*3.*§.*4.*n.*125. reſolvit, quòd, ut propoſitio myſteriorum fidei obliget adultos rudes juxta capacitatem eorum ad aliqua explicitè (ad omnia verò implicitè) credenda, ſufficit, ſi Parochus eis dicat ea doceri ab Eccleſia, & communiter ab omnibus Catholicis credi, quia à Deo dicta; tunc enim proponuntur cum notis credibilitatis. Propterea *cit.* Lauræa dixit per Parochos ſufficienter ſuis ſubditis proponi objecta fidei, jam firmata, & ſtabilita in Eccleſia, adeò ut ſubditi teneantur credere; aliàs, ſi hoc non ſufficeret, non benè eſſet proviſum pro ruſticis, & idiotis mulieribus circa doctrinam fidei; quod abſque errore affirmari non poteſt.

10 Cauſa verò rationabilis dubitandi de alicujus veracitate tunc adeſſe prudenter præſumitur; quando cognoſcitur oppoſita doctrina ab aliis proponi, quibus æquè eſt credendum; vel, quando res propoſita eſt contra bonos mores, aut lumen naturale; vel, quando proponens ſignificat ſe per diſcurſum collegiſſe id eſſe de fide, quod proponit: & diſcurſus ejus videtur malus, aut ipſe cognoſcitur indoctus, atque adeò non poſſe benè diſcurrere. Hæc omnia oportuit conſiderare, ut adæquatè vis inſtantiæ enervaretur.

Opponunt I. Nihil eſt fide divina credendum, quod non ſit à Deo explicitè, vel implicitè revelatum: atqui non eſt à Deo ullo modo revelatum hunc numero canonicè electum eſſe verum Pontificem: ergo, &c. Minor patet: Neque enim poteſt aſſignari locus Scripturæ, vel Traditio Dominica, in qua revelatum ſit: ſic electi erunt Petri, cum ejus auctoritate ſucceſſores; aliàs nunc poſſemus ſcire, quinam eſſent futuri Pontifices; nec reperitur aliqua propoſitio univerſalis revelata, in qua virtualiter, & implicitè contineatur hæc: Clemens XI. eſt verus Papa, & Petri ſucceſſor.

11 R. Negatur minor. Eſt implicitè revelatum in propoſitione univerſali revelata explicitè, omnis canonicè, &c. ut *ſup. nu.3.* Item in hac: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: & in iſta: *paſce oves meas*: quæ ſunt univerſales æquivalenter, & ſecundùm verum ſenſum. Non enim ea verba ſolùm de Petro, ſed, etiam de ejus ſucceſſoribus dicta fuiſſe in Eccleſia creditur; cùm non Petri tantùm tempore, ſed ad Judicii uſque diem Eccleſia permanere debeat, adeòque cum capite, & poteſtate, ſicut tempore Petri. Inde Florentinum definivit Romanos Pontifices ſuccedere D. Petro in Cathedra, primatu, & poteſtate; Conſequenter in illis propoſitionibus ſunt implicè revelati (in univerſali enim implicitè formaliter revelantur particulares) quotquot Petri erunt ſucceſſores; Vel, quòd Petro in regimine Eccleſiæ, alii erant ſucceſſuri. Conſtat autem explicitè, quod quis ſit de contentis implicitè in ea propoſitione: *omnis, &c. ſuper hanc petram, &c.* & ſit ſucceſſor Petri, ſi canonicè pro Pontifice electus ſit.

Dices. Non eſt de fide, quod hęc Fidelium multitudo exiſtens hoc anno 1712. ſit vera Chriſti Eccleſia: ergo neque quod hic numero canonicè electus, qui ei præſidet, ſit verus Papa, & ipſius Caput. Conſequentia ſequitur, quia ſi non eſt de fide exiſtentia corporis, nec illa Capitis. Probatur antecedens. Non eſt à Deo revelatum, quòd multitudo Fidelium nunc extans ſit Eccleſia illa fundata à Chriſto, perſeverans in hominibus nunc, extantibus. Neque juvat revelatio univerſalis, & implicita; quia hæc ſufficit ad fidem implicitam, non verò explicitam: in hoc enim hæ fides differunt; Et ita non eſſet explicitè credendum, quòd hic numero canonicè electus eſſet verus Papa, ſed ſolùm implicitè, & in univerſali: hoc eſt, quod aliquis vagè canonicè electus pro Papa, eſt verus Papa.

12 R. Negatur antecedens. Deus enim revelavit Eccleſiam duraturam uſque ad mundi finem, *Matth.28. Ecce ego vobiſcum ſum uſq; ad conſummationem ſæculi.* Ad *Epheſ. 4. Deus dedit Eccleſiæ ſuæ Paſtores, & Doctores ad conſummationē Sanctorum in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes, &c.* ideſt, uſque in diem Judicii univerſalis. Atque adeò revelavit in ea ſemper eſſe Paſtores, & Fideles, oveſque ovibus, & Paſtores Paſtoribus ſucceſſuros in eadem fidei doctrina, & Sacramentis colligatos, ac viſibiliter externa profeſſione fidei unitos, & communicantes cum Romano Pontifice; & inde implicitè in univerſali pariter revelavit, quod in Eccleſia, hoc anno extante oves ſint, & Paſtores, & ideò fide divina eſt explicitè credendum Eccleſiam nunc extantem eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

13 Hinc advertas. Quod explicitè credere, eſt credere aliquid in ſe ipſo, ita ut aſſenſus fidei terminetur ad objectum determinatum, Incarnationem, Euchariſtiam, &c. credere verò implicitè eſt credere in alio tantùm; quia, quod ſic creditur, reverà non expreſsè cognoſcitur ſecundùm ſua expreſſa prædicata, neque intellectus format proprium, & diſtinctum conceptum propoſitionis, quæ implicitè tantùm credi dicitur, ſed alterius, in qua illa continetur; ut, cùm quis credit in genere omne, quod in Scriptura continetur; vel, quod credit Eccleſia, aut Papa. Inde patet, quòd fides explicita, & implicita non differunt ratione revelationis implicitæ, aut explicitæ, ſed ratione objecti crediti, propoſiti, vel apprehenſi in confuſo, vel determinatè, aut diſtinctè; utrumque enim eſt formaliter revelatum. Et manifeſtum eſt, conſiderando, quòd ea, quæ Deus revelavit futura in univerſali, comprehendunt ſingularia determinata: V.G. *Erunt terræmotus, peſtilentiæ, & fames, &c.* cùm hæc in particulari accidunt, jam explicita fiunt, & non deſinunt eſſe revelata. Ideò, qui ea credit, antequàm ſint, habet fidem explicitam de univerſali illo complexo, implicitam de particulari; cùm autem hoc advenit, habet explicitam,

non quod evenerit, quia videt, ſed quod ſit illud prædictum. Ita dicitur de Eccleſia, & tempore Apoſtolorum, & nunc exiſtente, immò & de extitura uſque in finem Mundi; qui credit Eccleſiam duraturam uſque in finem, habet fidem explicitam de propoſitione hac univerſali, & implicitam de particularibus Fidelibus, & Paſtoribus in ea contentis: cùm verò credit hos particulares Paſtores, & Fideles hoc tempore exiſtentes, habet fidem explicitam de particularibus; non quòd exiſtant, quia hoc intuetur, ſed quòd ſint Paſtores, & Fideles in illa univerſali revelati, & quod profiteantur veram Chriſti fidem, & ſint Chriſti Eccleſia. Vide *contr.8. cap.ult.quær. 4.nu.*88. Inſtant. Eſtò concedatur eſſe implicitè revelatum omnes canonicè electos pro Pontifice eſſe veros Papas, non tamen eſt revelatum, quinam ſint canonicè electi: an ii, qui eliguntur à Clero Romano, vel à Cardinalibus. Uniformis enim ſemper non fuit forma eligendi Pontifices, ſed ſæpè variata eſt: & I.D. Petrus ſibi ſucceſſorem elegit S.Clementem, ut legitur *cap.Si Petrus* 8.*q*.1.

II. Per plura ſæcula à Clero Romano, & Populo Pontifices electi fuerunt, teſte Cypriano *Epiſt.*12. *ad Antonianum* referente electionem Cornelii Papæ poſt Fabianum. *Factus eſt*, inquit, *Epiſcopus à pluribus collegis noſtris, qui tunc Romæ aderant. Factus eſt Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti ejus judicio, de clericorum penè omnium teſtimonio, de plebe, quæ tunc adfuit ſuffragio.*

III. Jus eligendi Pontifices fuit apud Imperatores; quod etiam ab Hadriano Papa legitur conceſſum Carolo magno, ut in *cap.Synodus 63.diſt.*

IV. A Symmaco in Synodo Romana I. *cap*.4. ſtatutum eſt, ut electio ſucceſſoris à Deceſſore decerneretur, ut habetur *cap.Si tranſitus 79. diſt.* Hinc Bonifacius II. in Concilio Romano I. Sibi conſtituit ſucceſſorem Vigilium Diaconum apud Bail. *to.2.Sum.ſæcul.6.in d.Bonifacio.*

V. In Concilio Lugdunenſi II. Facultas eligendi Romanos Pontifices ad S.R.E. Cardinales fuit reſtricta. Ergo, cùm forma ſenſibilis electionis non ſit certa, ex illa univerſali, *Omnis canonicè, &c.* implicitè, & virtualiter continente ſucceſſores B.Petri, deduci certò non poteſt, quod hic, hac forma electus, ſit verus Papa.

14 R: Negatur conſequentia. Et advertitur, quòd eſtò ſit de jure divino, quòd Petri Succeſſor eligi debeat, modus tamen electionis eſt de jure poſitivo Eccleſiaſtico, & à Chriſto cum plena poteſtate datus Papæ: ex cujus auctoritate deſcendit, quod hac, vel illa forma eligatur; vel, quod pro temporum varietate, ſit una mutata, & alia conſtituta: Ut docet Cajetanus *de auct.Papæ, & Concil.cap.*13. Sicut enim populi, & Principatus humani poſſunt decernere de modo eligendi Principes, ita potiori ratione ex eminentia poteſtatis, & regiminis univerſalis Eccleſiæ poteſt Pontifex de electiva poteſtate Romani Pontificis decernere, eamque ſic legibus ordinare, ut contrario modo facta irrita ſit, & inanis: valida verò, & canonica celebrata ad præſcriptum formæ ſtatutæ, prout docemur ex praxi, & Traditione Eccleſiæ, ut ampliùs conſtabit ex infra dicendis.

15 Itaque, quantum attinet ad primum: Factum eſt incertum; de eo enim mentio fit in Epiſtola ejuſdem S.Clementis ad Jacobum fratrem Domini. Verùm, cũ Epiſtola fuerit ſcripta, Petro defuncto, & ſic poſt annum Neronis tertium decimum, dirigi non potuit Jacobo, qui teſte Spondano, Epiſt. ad *an.63.nu.*1. præcipitatus Jeroſolymis è vertice Templi glorioſo martyrio vitam finivit, anno ejuſdem Neronis 7. idcircò Epiſtola Clementis eſſe non poteſt, & ita dubiæ fidei, & notat, etiam Fagnan. *in* 1.*ad cap. Accepimus nu.*58. *de pactis*. Quinimò cùm Petro immediatè ſucceſſerit Linus, & Cletus ante Clementem, videtur, quòd non eum nominaverit in ſucceſſorem ſuum. Quamvis hoc Factum aliqui auctores affirment; tamen, ex

ex quo Clemens à Petro deſignatus Pontifex, animadverteret exemplum fore perniciosſum, ut aliquis ſibi eligeret ſucceſſorem, poſt obitum Petri Pontificatum non acceptavit; ad quem non fuit ſubindè electus, niſi, Cleto defuncto. De quo Bail. *ubi ſupra in controverſia*. Cæterùm cùm de jure naturali, & quaſi divino ſit, ex Turrecremata *Sum. de Eccleſ. lib. 2. cap. 51.* allegato à Fagnano *cit. nu. 39.* & Bail. quod Papa non faciat ſibi ſucceſſorem, nec poſt mortem, nec poſt reſignationem, profectò non regit Factum allegatum, cùm ea jura ſint indiſpenſabilia. Quinimò Factum Petri non eſſet in conſequentiam trahendum, ſicut nec quod ad ejus umbram ſanarentur infirmi.

16 Quantum ad 2. Jus eligendi Pontifices, primis Eccleſiæ ſæculis, fuit penes Clerum Romanum, præſente populo; uterque ad electionem concurrebat; ſed aliter Clerus, aliter populus. Clerus, ut ſuffragium, vel votum tribueret: populus verò per acclamationem dans teſtimonium probitatis vitæ; vel, ut electus eſſet acceptior multitudini, nunquam verò ut conſenſum auctoritativum exhiberet, ut habet idem Cyprianus *lib. 2. Epiſt. 4.* Cujus etiam tempore, populi teſtimonium excluſum fuit, dum quoſdam ordinavit, cujus vitam aliunde perſpectam habebat, ut dixit *lib. 4. Epiſt. 2. vel 52. In ordinandis Clericis, fratres chariſſ. mi, ſolemus vos ante conſulere, & mores, & merita ſingulorum cum conſilio ponderare: ſed expectanda non ſunt teſtimonia humana, cùm præcedunt divina ſuffragia;* & ita intelligendus textus in *cap. In nomine 23. diſt.* ergo, quòd teſtimonium populi admittatur, non eſt juris divini. Nec obſtat, quod Deus juſſerit Moyſi, ut coram univerſo populi cætu conſecraret Eleazarum Pontificem; nam præceptum illud fuit cæremoniale idcircò eſt revocatum; neque ea cęremonia neceſſariò requiritur. Et pro tempore, quo fuit talis praxis obſervata, id non fuit ex vi cæremonialis præcepti, ſed, vel, quia Eccleſia id ſtatuit, ut in *d. cap. In nomine*, vel exemplo Petri, qui *Actor. 1.* de ſubrogatione Mathiæ in locum Judæ proditoris, egit coram omnibus diſcipulis: & *Actor. 6.* ab Apoſtolis fuit convocata diſcipulorum multitudo pro Diaconorum creatione: quorum electio ab Apoſtolis facta eſt, licèt coram multitudine: ait enim textus: *conſiderate, fratres, viros ex vobis boni teſtimonii .... quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Hinc aliud eſt electionem Prælatorum fieri à plebe, aliud coram plebe. Primum plebi non conceditur, benè verò ſecundum, ut ita *præſente plebe detegantur malorum crimina, & bonorum merita*, ut ait Cyprianus. Quod obſervandum eſt adversùs Novatores contendentes Epiſcopos à populo eligendos eſſe. Verùm Epiſcoporum electiones eſſe reſervatas Romano Pontifici dubium nulli eſse debet: Quoniam cùm ipſe ſit univerſalis Paſtor agnorum Chriſti, & ovium (quæ ſunt Matres populorum) ejus eſt providere de Epiſcopis, qui particularibus Eccleſiis præſint. Et abſque illius privilegio aliis eligere non convenit; & ubi ejus permiſsu aliqui, licèt Eccleſiaſtici, eligunt, debet electus à Pontifice confirmari; ſicut ab eodem iis Eccleſiæ conferuntur, quos Reges ex S. Sedis indulgentia eidem præſentant.

17 Quantum ad 3. Nunquam Imperatoris ſuffragium, vel conſenſio fuit electiva, & auctoritativa, ſed ſolùm opitulativa, ſeù auxiliativa, & executiva; quatenus in publicæ pacis officium electionem promovebant, & jam factam ſua auctoritate ipſi fovebant, ac defendebant, ne ſchiſma oriretur, ortum comprimeretur, ac tumultus ſed arentur. Sub his reſtrictionibus eis conceſſum eſt, ut electioni intervenirent, ac electioni eorumdem auctoritas inſerviret; nunquam tamen, quòd electioni praeſsent, vel, in ea ſuffragium haberent, aut eamdem factam, aut firmarent, vel infirmarent. Ubi verò aliqui, vel præſidentiam, vel auctoritatem prætendere voluerunt, id ſolùm ad uſurpationem

tionem pertinuit, quàm ad legitimam facultatem, ut ait Gravina *cit.lib.4.contr.4. dubit.3.* In quo ſenſu intelligendus eſt Pamelius, cæterique Scriptores. Vide dicta *contr.3.cap.4.n.45.*

18 Quantum ad 4. Conveniunt Catholici, Pontifices non poſſe ſibi ſucceſſores eligere; etenim, ut ait idem Cajetanus ibi *cap.22.* Adoptio, vel quaſi inſtitutio ſucceſſoris ſuavi Eccleſiæ diſpoſitione repugnat. Poſſet enim evenire, vel, quòd Pontificatus in eadem familia æternaretur; vel, quòd ſimoniacis pactionibus inter duas familias alternatim divideretur, excluſis viris optimis, ac rei Chriſtianæ utiliſſimis, ut ex Turrecremata diſcurrit Bail. *ubi ſupr.* Et hinc optimum argumentum eſt, Papam non poſſe ſibi ſucceſſorem eligere, vel teſtamento ſubrogare; quod poſt Petrum nunquam id à quoquam factũ eſt: factum verò aliquando ab aliquo eſſet, ſi fieri potuiſſet. Unde dixit Anacletus, electionem Summorum Pontificum Dominum ſibi reſervaſſe.

Neque obſtat Sanctio à Symmacho facta; nam ea edita eſt ad reprimendum ambitum, & popularem tumultum. Sed eſt ponderandum: aliud eſt de ſucceſſore tractare per modum cujuſdam inveſtituræ, & inſtitutionis, ſicuti modò electus Romanorum Rex, Imperator efficitur; & aliud per modum deſignationis, commendationis, & exhortationis. Primum nunquam factum eſt, nec Symmachus id decrevit. Secundum verò ſæpè, ut refert Spondanus *ad an.*1085.*n.6.* ex Leone Oſtiẽſi *lib.3.Chronic.Caſſin.cap.64.* de Gregorio VII. qui, dum rogaretur, *quid de Romanæ Sedis, poſt obitum ſuum, ordinatione, juberet? hortatus eſt, ut, ſi quo pacto poſſent, ipſum Deſiderium Pontificem facerent.* Idem recenſet Coriolanus *in breviar. ad an.*1087. de Victore III. qui Cardinales admonuit (& juxta Spondanum ad *an.*187.*num.*4. etiam juſſit) ut poſt ejus obitum eligerent Pontificem, Othonem Epiſcopum Oſtienſem: quod factum eſt, & dictus eſt Urbanus II. Id tunc iniquitas temporum poſtulabat propter ſchiſma 19. quod tunc temporis Eccleſiam in partes ſecabat. Verùm, nec imperando id decrevit, ſed ſolùm monendo, & exhortando, ut narrat allegatus Spondanus. Signum verò, quòd nominatio, & deſignatio ſucceſſoris, à quocumque facta legatur, non fuerit per modum inveſtituræ, & inſtitutionis, ſed puræ commendationis, & exhortationis, eſt, quòd Clerus Romanus ſuo ſuffragio liberè approbare, vel reiicere poterat deſignatum, ſi ita bono Eccleſiæ judicaret: & perpetua conſuetudine ſervatum eſt, ut nunquam deſignati in Cathedra ſederent, niſi vota eligentium præceſſerint, & electione fuerint admiſſi.

Minùſque obſtat decretum Bonifacii. Siquidem, ideò Bonifacius ſucceſſorem elegit, ut, nullo vacantis Sedis loco relicto, eriperet è Gothorum Regum manibus jus, quod impiè ſibi illi uſurpare volebant ſubrogandi Romanum Pontificem Pontifice defuncto. Verùm in alio, Romę coacto Concilio: quod eſſet contra conſuetudinem Sedis Apoſtolicæ ſtatutum revocavit, & *reum ſe confeſſus eſt Majeſtatis, quòd Diaconum Vigilium ſua ſubſcriptione Chirographi, ante confeſſionem B. Petri Apoſtoli conſtituiſſet; ac ipſum Conſtitutum in præſentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus, incendio conſumpſit.* Et ita Conſtitutio effectum non habuit, ſed caſſata, & reſciſſa fuit.

19 Quantum ad 5. Lauręa cit. *diſput.6. art.6.nu.*222. narrat, quod eligentes Pontifices ab initio Eccleſiæ erant presbyteri, Diaconi, & alii Romanæ Eccleſiæ, hoc eſt, Urbis Romæ, Clerici: fuerunt aliquando ad electionem admiſſi Epiſcopi exteri, ut dictum eſt ſupra ex Cypriano: ſed qui erant in Curia; quod factum eſt gratia honoris, remanente ſemper jure eligendi apud Clerum Romanum. Subinde verò, cùm multiplicata Chriſtianitate in Urbe, & Clerus multùm auctus fuerit, ad evitandos tumultus, & confuſionem, jus eligendi

ad

ad pauciores prudentiſſimè redactum eſt; & ii fuerunt Cardinales, qui ut notat Beccanus *to.5.opuſcul.lib.3. de Republ. Eccleſiaſt. cap.3.nu.*10. dupliciter poſſunt conſiderari. Primò, quatenus ſunt Clerici principales Eccleſiæ Romanæ Urbis. Secundò, quatenus ſunt Procuratores, totiuſque Eccleſiæ miniſtri. Primo modo, eligunt Romanum Pontificem ut Epiſcopum Eccleſię particularis, quæ Romæ eſt, vel ſucceſsorem Petri in Epiſcopatu Romano. Secundò verò, ipſum eligunt, ut eſt Caput, & univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, ut ſucceſſor Petri in primatu Eccleſiæ univerſalis, & Chriſti Vicarius.

Quo verò tempore reſtrictio illa cęperit, parum refert. Certum eſt ante d. Lugdunenſe, coactum anno 1274. in Concilio Lateranenſe III. celebrato anno 1179. c.1. ſtatutum fuiſse. *Ne deinceps ullus in ſummum Pontificem legitimè cenſeretur electus, niſi à duabus Cardinalium partibus fuiſſet electus*. Nec tunc fuit Cardinalibus jus eligendi attributum, nam id prius apud eos fuiſse teſtatur Petrus Damiani, qui vixit ſub anno 1072. & *lib.1. Epiſt.20.* dixit: *Romanæ Eccleſiæ Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt*. In allegato Lugdunenſe circa electionem Papæ renovantur ſtatuta in citato Lateranenſe; & ulterius conſtitutum eſt, ut Cardinales omnes, poſt Pontificis mortem, in unum locum convenirent, & clauderentur, clauſique non priùs, quâm Pontificem elegiſsent, exirent, ut habetur in *cap. Ubi periculum de electione in 6.* A quo tempore Conclave inſtitutum eſt, ut hac forma electio celeriter fieret. Sedes enim ob mortem Clementis IV. prædeceſsoris Gregorii X. qui Concilio per ſe præſedit, duobus annis, & novem menſibus vacavit, ut refert Coriolanus *in breviar. ad an.*1274. Subinde Pius IV. *conſt. in eligendis 63. Bullar. to.2.* & tandem Gregorius XV. *Conſt. Æterni 13. ibi tom.3.* nonnulla ſtatuerunt in Romani Pontificis electione ſervanda.

Quocircà Cardinales poſsunt eſse moraliter certi, nullamque habere cauſam rationabilem dubitandi de electione Pontificis, aut cognoſcere, quòd ſit facta ſecundùm requiſita in jure canonico, & Apoſtolicis Conſtitutionibus. Et inde falſa eſt deducta conſequentia in quinta inſtantia: videatur ſupr. *cap.1.nu.4.*

Dices. Ergo Cardinalibus eſt naturaliter notum ſe in electione ſervaſse, quæcunque à jure ſunt præſcripta: ergo notum eis pariter naturaliter eſse debet, quòd electus ſit verus Papa; & ita hoc non erit de fide.

20 R. Diſtinguitur ſecunda cõſequentia; quod ſit verus Papa veritate juris canonici, concedo; veritate juris divini, nego. Hoc enim creditur. In hac re duo conſideranda occurrunt de vero Papa. Primum eſt, veritas reſultans ex jure canonico: hęc ſanè eſt naturaliter nota electoribus; quatenùs cognoſcunt electionem eſse conformẽ juris diſpoſitioni (in hoc conſiſtit veritas juridica) ſecundùm quam non eſt de fide, quòd hic ſit verus Papa, ſed eſt naturaliter notum. Secundum; eſt veritas Juris divini, hoc eſt, quòd hic canonicè electus, ſit ille, cui Deus confert poteſtatem, ac juriſdictionem Pontificiam. Hæc veritas Papæ neque formaliter eſt à Cardinalibus eligentibus, neque à Fidelibus electionem ſcientibus, neque ipſis electio hoc titulo, naturaliter nota, ſed credita: ita D. Petrus à Chriſto inſtitutus Pontifex, ſenſibus naturali modo operantibus, audivit Chriſtum promittentem ſibi Papatum: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: & poſteà ſibi conferentem: *Paſce oves meas*: & tamen in primo caſu credidit ſibi conferendum, & poſteà collatum. Unde electio à Cardinalibus facta formaliter non eſt objectum fidei divinæ, ſed electio à Chriſto facta, hoc eſt, collatio auctoritatis Pontificiæ à Chriſto ei datæ, qui à Cardinalibus eſt canonicè electus. Id enim fuit implicitè, & in illa univerſali *omnis canonicè, &c.* revelatum.

21 Hinc advertendum, quòd, dum exer-

exercendus eſt aliquis fidei actus circa rem aliquam, non eſt ſemper neceſſe, quòd tam ſubjectum, quàm prædicatum ſint obſcura, & non viſa; ſed ſufficit, ſi prædicatum ſit obſcurum. Hoc evidenter patet de *Cælo*, & *terra*: iſta videntur: at, quòd ſint *creata*, non videtur, ſed creditur; quòd *anima* ſit in homine, poteſt à Philoſophis demonſtrari; at, quòd ſit *creata immortalis*, & *beatitudinis capax* non videtur, ſed creditur. Quilibet poteſt videre multitudinem Fidelium, qui toto Orbe credunt idem, communicantes cum uno capite, Romano Pontifice; id profectò non credit: nam Hæreticus, & Turca, vel Judæus id poteſt experimento cognoſcere, & tamen nullus horum credit fide divina articulum unitatis Eccleſiæ. Fidelis ergo non credit multitudinem illam credentem unum, & idem, quia id videt, ſed credit multitudinem illam eſſe Chriſti Eccleſiam à Chriſto prædictam, & fundatam ſuper Petrum. Ita naturaliter videtur hic homo canonicè electus pro Papa, ideò hoc non creditur; ſed creditur, quòd huic canonicè electo Chriſtus contulit Pontificiam Poteſtatem; adeòque quod ſit Caput Eccleſiæ, ſucceſſor Petri, & Chriſti Vicarius, hoc enim non videtur.

Quinimò naturalis cognitio, & apprehenſio ſubjecti, vel prædicati non impedit, quin propoſitio ſit de fide, aliàs ferè nulla, fide divina, crederentur: Nam in omni propoſitione, quæ eſt de fide, neceſſe eſt terminos, vel à Magiſtro audire, vel in libro legere, & tamen aſſenſus circa connexionem prædicati cum ſubjecto, eſt aſſenſus fidei, elicitus cum auxilio ſupernaturali.

Inſtant. Non conſtat Cardinalibus, ſe eſſe baptizatos: ergo nec, quòd legitimè elegerint. Nam legitimi electores debent eſſe baptizati.

R. Diſtinguitur antecedens. Ante electionem conceditur: facta electione, eaque publicata, & acceptata abſque ulla ratione dubitandi, negatur. Tunc enim eis conſtat quod electio fuerit legitima, adeòque, quòd per legitimos electores fuerit facta: nam Deus voluit, ex baptizatis implere numerum eligentium. Qui verò Cardinalis ſuffragium non tulit, de eo certus non eſt.

Opponunt 2. Non eſt de fide, quòd in *hac numero hoſtia conſecrata ſit Corpus Chriſti*, ſed ſolùm, quòd *in hoſtia ritè conſecrata ſit Corpus Chriſti*: ergo neque de fide eſt, quod hìc numero homo canonicè electus ſit verus Papa. Conſequentia ſequitur. Etenim ideò in *hac numero hoſtia conſecrata eſt Corpus Chriſti*, non eſt de fide, quia dependet à multis contingentibus, vi quorum id poteſt eſſe falſum: potuit enim conſecrans non habere intentionem conſecrandi, non eſſe baptizatus, & non validè ordinatus; Sed pariter hæc veritas, *hic homo canonicè electus*, &c. dependet à multis contingentibus fallibilibus: Siquidem poteſt contingere, ut qui eligitur ſit fœmina, non ſit baptizatus, ſit Hæreticus: quin etiam, electio poteſt à parte rei eſſe irrita, & ſimoniaca, vel per metum facta; & ita fide divina credi non poteſt; fidei enim divinæ, falſum ſubeſſe nequit, cùm aſſenſus firmiſſimus eſſe debeat.

R. Propter hoc objectum, ut dictum eſt *n.*1. Nonnulli Catholici dixerunt id ſolùm eſſe de fide, vel, poſtquàm ab Eccleſia electus eſt communiter pro vero Papa receptus (cùm Eccleſia ſit infallibilis) vel, poſtquàm exercuit actum aliquem Papalis juriſdictionis: quoniam Deus non permitteret, ut in talem actum exiret, ſi non eſſet verus Papa. Verùm, neutra opinio regit. Siquidem ante univerſalem Eccleſiæ conſenſum, & exercitium ſuæ juriſdictionis, jam eſt verus Pontifex: non enim ſit verus Pontifex ab illo conſenſu, aut tali exercitio. Tum quia, vel tenetur Eccleſia recipere definitionem ſummi Pontificis, vel non? Secundum profectò non dixerint: ergo primum: ergo priùs in iſto homine canonicè electo, præintelligitur poteſtas Pontificia, quàm, quòd dogma de-

definiat. Pariter, vel Eccleſia tenetur acceptare hunc numero canonicè electum pro vero Pontifice, vel non? Secundum hæreſi, & Schiſmati viam aperit, & eſſet convenire cum Vvicleffo, & Luthero ex notatis ſupra. Si primum, ergo ante acceptationem præſupponitur verus Papa. Nunc

22 R. Ideò non eſt de fide, quod in hac hoſtia ſit Corpus Chriſti, quia hęc particularis propoſitio: *hæc hoſtia, &c.* non eſt ita applicata, ut ſit moraliter certum, & evidenter credibile contineri in illa univerſali revelata *ſub omni hoſtia ritè conſecrata eſt corpus Chriſti;* ſicut per concordem electionem Cardinalium, & receptionem totius Eccleſiæ, eſt moraliter certum in univerſali illa *omnis ritè, &c.* contineri iſtam: ergo *Clemens XI. eſt verus* Papa. Deinde, ſi hæc hoſtia eſt ritè conſecrata eſt de fide *quoad ſe*, quòd in ea ſit Corpus Chriſti; ſed non eſt de fide *quoad nos*, cùm non ſimus certi, ſi ſit ritè conſecrata: nobis enim non conſtat an conſecrans ſit Sacerdos, & de ejus interna intentione: exterior enim in verbis contenta non ſufficit, reprobata ab Alex. VIII. in proſcriptione *propoſit.* 28. *an.* 1690.

Ad minorem dicitur, ad Dei providentiam pertinere, ne electores communi conſenſu eligant pro Papa incapacem talis dignitatis: Siquidem, ſicut in ſententia prædictorum, ad providentiam Dei ſpectat, ut non debeat permittere, quod, qui non eſt verus Papa, quamvis pro tali eſſet electus, exerceat juriſdictionem Papalem, aut ab Eccleſia, ut verus Papa recipiatur; ita maximè dicendum, quod ſe extendat, ut non eligatur, niſi, qui ſit capax, & ut verus Papa credatur, qui talis ſit.

Quare ex pacifica electione Papæ, & ſubſecuta electorum adoratione, ac ex quo ſtatim non moveatur, & occurrat cauſa ſufficiens prudenter dubitandi de oppoſito, colligitur, quòd non ſit ſimoniaca, vel coacta, ſed legitima; nam Deus non permitteret, quod Cardinales, qui repræſentant Eccleſiam in ea actione, ipſis ſolis competente, in re adeò principaliſſima, deficerent, & deciperentur. Et ideò, licèt quod ſit baptizatus, ſecundùm ſe ſit contingens, tamen in ordine ad divinam providentiam inducit rationem cujuſdam neceſſarii.

Dices. Gratis videtur dictum, quod in ſecundo caſu providentia Dei non permitteret, quod incapax eligeretur, &, quòd in primo non impediret inhabilem ad conſecrandum, ne conſecraret.

23 R. Negatur antecedens. Nam ſi hic numero Summus Pontifex non eſſet indubitatus Paſtor, & Eccleſiæ Caput, fluctuaret unitas, & numeralis identitas corporis Eccleſiæ; neque enim individuatur Eccleſia hęc ex quocunque reſpectu ad Papã, vagè, vel quicumque ille ſit, ſive verus, ſive exiſtimatus (ut nonnullis placuit) ſed ad Papam unum numero canonicè eligendum tempore Sedis Vacantis: &, Sede plena, ad hunc in individuo canonicè electum. Sicut hoc phyſicum corpus determinatum non dicit reſpectum ad caput vagum, ſed ad hoc numero caput; & inde ne in dubium evocetur unitas Eccleſię (quę juxta articulum fidei, *credo unam Sanctam Eccleſiam*, eſt fide divina credenda) nec in dubium evocari debet, quòd hic numero homo canonicè electus, ſit verum Eccleſiæ Caput; præſertim, quando ſtatim in electione, nulla de ejus validitate cauſa rationabilis dubitandi mota eſt, & ſubſecuta eſt electorum adoratio; tunc enim quoad ſe, & *quoad nos*, eſt fide divina credendum.

Nullum verò inconveniens oritur, ex quo hæc hoſtia in particulari non ſit ritè conſecrata. Nam, quamvis non ſit de fide, quòd hęc in particulari contineat Corpus Chriſti: de fide tamen eſt, quòd innumeræ in Eccleſia ſint hoſtiæ, quæ continent Chriſti Corpus; quæ *quoad ſe* ſunt objectum fidei, licèt nulla particularis *quoad nos* ſit talis, quatenùs non poſſumus eſſe mo-

moraliter certi, quod hæc particularis ſit ritè conſecrata. Adhuc tamen licitè eam adoramus; quia prudenter tenemus Sacerdotem eam conſecraſſe; & ſemper retinemus implicitam conditionem, ſi eſt ritè conſecrata.

Ex quibus præoccupatur inſtantia, quòd non ſit de fide dari in Eccleſia Sacrificium, & Sacerdotes. Deus enim revelavit in Eccleſia eſſe Sacerdotes, & hoſtias continentes Corpus Chriſti: revelatio autem Dei falſa eſſe non poteſt; licèt non ſit de fide, quòd hęc hoſtia in particulari Chriſti Corpus contineat.

Opponunt 3. Aſſenſus hujus propoſitionis, *Clemens XI. canonicè electus pro Papa, eſt verus Papa*, eſt contingens, & fallibilis: ergo non eſt aſſenſus fidei divinæ, cui falſum ſubeſſe non poteſt. Probatur antecedens. Eſt aſſenſus concluſionis deductę ex majori neceſſaria: *Omnis canonicè electus pro Pontifice eſt verus Papa*; & minori contingenti: Sed *Clemens XI. eſt canonicè electus*: ergo, &c.

Confirmatur. Qui negaret Pontificem canonicè electum eſſe verum Papam, non eſſet hæreticus, ſed tàntùm Schiſmaticus, dividens unitatem charitatis: ergo. Antecedens patet, quia nihil eſt objectum fidei, quod à Papa, vel Concilio ab eodem confirmato definitum non ſit, & Fidelibus, ut res credenda non proponatur: Sed concluſio hæc, quod *hic numero homo canonicè electus ſit verus Papa*; deducta ex majori de fide, & minori naturaliter nota, neque à Papa, nec à Concilio ab ipſo confirmato, eſt definita, nec Fidelibus propoſita credenda:

24 R. Negatur antecedens. Pro ſolutione probationis, obſerva; concluſionem contingentem ſequi, ſi præmiſſa coaſſumpta cum propoſitione de fide aliquo modo ſecundùm aliquam cauſalitatem influat in concluſionem ipſam; & hìc verificatur, concluſionem ſequi debiliorem partem; non verò ſi ſit tantùm conditio manifeſtativa, ſeù explicativa ſubjecti, cui debeat applicari prædicatum revelatum: hoc enim caſu concluſio non participat certitudinem præmiſſæ contingentis, ſed ſolius præmiſſæ pertinentis ad fidem: & ideò dicitur fidei divinæ. In propoſito, minor illa: Sed *Clemens XI. eſt canonicè electus*, non influit veritatem in concluſionem: ergo *hic eſt legitimus Papa*, ſed adhibetur tantùm, ut explicativa, & manuductiva in notitiam ſubjecti; ideò tota certitudo refunditur in propoſitionem illam univerſalem de fide: *quicumque legitimè electus eſt à Cardinalibus, eſt verus Papa*. In qua omnes ſingulares immediatè continentur. Explicat Lauræa cit. *n.* 225. exemplo: dum majori de fide: *Omnis patiens pro Chriſto eſt Martyr, & Dei amicus*, adnectitur minor naturaliter nota: *Laurentius paſſus eſt pro Chriſto*; hæc ad aliud non inſervit, quàm ad manifeſtandum ſubjectum, de quo debet affirmari prædicatum revelatū, hoc eſt, *eſſe martyr, & amicus Chriſti*, quod continetur, non in minori, ſed in majori: ideò non ex vi minoris credo, quod *Laurentius ſit martyr, & amicus Chriſti*, ſed ex vi majoris creditæ. Et hinc minor inſervit ſolùm ad manifeſtandum ſubjectum, cui applicari debeat prædicatum revelatum.

Dices. Ergo nulla erit concluſio Theologica; vel, aſſignetur, quando præmiſſa coaſſumpta cum illa de fide non influat in concluſionem, & ſit tantùm conditio explicativa ſubjecti, cui debeat applicari prædicatum revelatum?.

25 R. Negatur conſequentia, de qua re diximus aliqua *contr.* 1. *cap.* 6. *nu.* 26. Quibus hìc addimus, unam propoſitionem poſſe dupliciter inferri ex altera; vel, per nudam illationem, & ratione connexionis, quam habet cum illa, quatenùs ejus ſignificatum habet naturalem connexionem cū ſignificato alterius; vel, ratione ſignificationis, & per nudam quaſi explicationem, quatenùs illa altera idem virtualiter ſignificat, quod iſta; quæ infertur.

Primo modo, hæc, *Chriſtus eſt viſibilis*, in-

infertur ex iſta, *Chriſtus eſt homo*, quia ſignificatum illius habet connexionem naturalem cum ſignificato iſtius alterius: & ideò eſt concluſio purè Theologica. Secundo verò modo, iſta: *Chriſtus mortuus eſt pro me*, infertur ex iſta altera de fide: *Chriſtus mortuus eſt pro omnibus hominibus*, quatenùs ſignificatum prioris continetur virtualiter in ſignificato poſterioris: Nam propoſitio, quæ dicit, & ſignificat *Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus hominibus*, virtualiter, & implicitè dicit, & ſignificat *mortuum eſſe pro me, pro illo, & alio homine*. Propterea deductio iſtius, *Chriſtus mortuus eſt pro me*, facta ex altera iſta, *Chriſtus mortuus eſt pro omnibus*, ratione ſignificationis, eſt potiùs nuda explicatio, ſive declaratio, quàm illatio diſcurſiva propriè dicta: & proinde propoſitio ſic deducta non eſt propriè concluſio Theologica, ſed propoſitio de fide, & potiùs explicata dicitur, quàm deducta. Quod, tum ex eo patet, quòd id, quod per illam ſignificatur, eſt à Deo immediatè revelatum (licèt implicitè) ſi non quoad eadem verba, ſaltem quoad ſenſum; quoniam *Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus hominibus*, eſt idem quoad ſenſum, ac *Chriſtum eſſe mortuum pro illo, & illo, pro me, & alio quocumque homine*; ſed eſt immediatè revelatum à Deo *Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus*: ergo & revelatum eſt quoad ſenſum, quod Chriſtus mortuus eſt pro me, illo, &c.

Ita cùm ſit immediatè à Deo revelatum: Quod *omnis canonicè electus pro Papa ſit verus Papa*; eſt etiam quoad ſenſum revelatum, quòd hic, iſte, & alius, nullo excluſo, canonicè electus pro Papa, ſit verus Papa. Siquidem propoſitio, quæ dicit *omnis canonicè electus pro Papa eſt verus Papa*, virtualiter, implicitè, & quoad ſenſum, dicit, & ſignificat, quod *hic, ille, vel alter canonicè electus ſit verus Papa*; ideò hæc *Clemens XI. eſt verus Papa*, eſt de fide; nam ex majori illa *omnis, &c.* infertur ratione ſignificationis; & minor aſſumitur explicationis gratia. Et hinc diſcurſus non intervenit ut ratio motiva, ſed ſolùm ut ratio applicans, & explicans concluſionem illam contineri in illa univerſali, in qua omnes particulares actualiter continentur, licèt implicitè.

26 Ad confirmationem, negatur major. Aliud eſt negare Pontificem non eſſe verè, & canonicè electum, vel, quia electores in partes diviſi duos eligunt, vel, contra electum altera pars ſe rationabiliter opponit; & aliud, negare verum Papam non eſſe, qui eſt canonicè electus: hoc ſecundum, qui negaret, hæreticus eſſet, quia rem fidei negaret. Nec video cur poſt tempora Conſtantienſis, poſt Florentinum, & Lutheri damnationem poſſit quis ab hæreſi excuſari; ſicuti non excuſaretur, qui negaret Nicænum, Calcedonenſe, aliudve Concilium à Papa confirmatum eſſe verũ Concilium; ſed teſte Gregorio in *cap. Sicut Sancti* 15. *diſt.* hæc negans hæreticus eſſet non minus, ac ſi negaret quatuor Evangelia: verùm autem Concilium formaliter includit verum Papam. Qui verò negaret primum, dummodò reverà non eſſet canonicè electus, nec Schiſmatis crimen committeret. Verùm concluſio noſtra procedit, canonica electione ſuppoſita; quæ hodie canonica eſt, ſi duæ Cardinalium partes in electum concordaverint, & conſenſerint, juxta allegatam Pii IV. conſtitutionem: hinc id ſciens, & negans, hæreticus foret.

Ideò non probamus opinionem Banæi *to.2. Theol. practicæ verb. Papam in ſupplemen. à nu.* 11. ubi dixit, negantem Papam canonicè electum non puniri tamquam hæreticum.

27 Ad probationem confirmationis, dico, quod hic numero canonicè electus ſit verus Papa, fuit definitum à Conſtantienſi, ut dictum eſt *nu.*2. Proponitur autem ſufficienter toti Eccleſiæ credendus pro vero Papa, cùm à Cardinalibus promulgatur, & recognoſcitur, ut verus Papa, qui de forma canonica ſervata in ele-

ctione

ctione ſecuri ſunt, non ſecùs, ac baptizans infantem certus eſt de ſua intentione. Hinc poſita per eos promulgatione, de fide eſt, etiam *quoad nos*, quatenus obligamur id fide divina credere, & acquieſcere propoſitioni eorum, qui totam Eccleſiam in facto electionis Papæ repræſentant.

Dices. Propoſitio illa non eſt infallibilis: nam infallibilitas non eſt promiſſa Cardinalibus, ſed Papæ: ergo Fideles, ea etiam poſita, non tenentur credere: nullus enim niſi Papa poteſt totam Eccleſiam obligare.

28 Reſp. Conceſſo antecedenti, negatur conſequentia. Acceptatio enim canonicè electi in Pontificem infallibilis eſt. Ideò ipſa illius electi acceptatio, & inthronizatio eſt propoſitio ſufficiens, ut tota Eccleſia obligetur credere eum eſſe verum Pontificem à Deo electum. Qua acceptatione Papa ſignificat infallibiliter, quod electores in electione non erraverint, & quod nullus in ea defectus irrepſerit electionem inficiens, & validitatem excludens.

29 Quocircà acceptatione Pontificatus Papa duo facit; unum, proponit ſe eſſe Caput Eccleſiæ viſibilis, & Eccleſiam dari. Ideò nulla eſt quorumdam inſtantia, aſſerentium Eccleſiam dari, non eſſe objectum fidei, nec Fideles obligari credere. Licèt alia via procedat Suarez de fide *diſp.* 9.*nu.*14. apud Lauræam *art.*4.*nu.*197. dicens, quod Eccleſia ſe ipſam proponit ut veram, & obligat ad credendum talem veritatem, non minus quàm cæteras ad veram fidem pertinentes.

Alterum, reddit Eccleſiam omninò certam, quòd Cardinalium propoſitio fuit vera, & electio bona abſque defectu ullo ipſam vitiante; conſequenter, quòd non fuit ſimoniaca, non coacta: Et electus ſit vir, non fęmina, baptizatus, non hęreſi infectus.

30 Nonnulli opponunt plures Pontifices ſe in Pontificatum intruſiſſe; ſed hæc non eſt noſtra quæſtio; reſolutio procedit de canonicè electo. Cæterùm, quidam intruſi fuerunt omninò abrogati, nec in Romanorum Pontificum ſerie computantur; nonnulli alii in ea recenſentur, ſed non pro tempore uſurpationis dignitatis, ſed pro ſubſequenti, in quo, accidente conſenſu Cleri, fuerunt, ut legitimi Pontifices ſolitis ritibus electi. Ita factum eſt in Vigilio, qui anno 537. iniquè Theodoræ Auguſtæ, & Beliſarii potentia in Pontificatum intruditur, pulſo in exilium Silverio legitimo Pontifice (& inde ſextum ſchiſma in Eccleſia ſuboritur) A quo Vigilius, tanquàm invaſor, & emptor Apoſtolicæ Sedis Fidelium communione fuit privatus. Audita Silverii morte, motuſq; miraculis ab eodem patratis, ſedem, quam occupaverat, Vigilius ſpontè dimiſit. Subinde verò Clerus Romanus timens, ne favore Principum Schiſma continuaretur, & iterùm intruderetur Vigilius, re diligenter diſcuſſa, & recepta prius ab eodem Catholicæ fidei profeſſione, eumdem Vigilium Romanum Pontificem ſolemni ritu elegit; & ſic ſchiſma ceſſavit; ipſe verò ſtatim in alium mutatus, Catholicam fidem, primatumque Romanę Eccleſię conſtantiſſimè propugnavit, ut refert Coriolanus Breviar. ad *an.*540. Spondanus Epitom. ad *d.an.*40. Nec verus Papa fuit, niſi à tempore canonicæ electionis (pro priori inter Antipapas recenſetur) poſtquàm Eccleſia Catholica eum, ut legitimum Pontificem agnovit, & credidit. Idem dicitur de Felice IV. quem primò nominavit Theodoricus Rex, uſurpans ſibi nominationem, & electionem Romani Pontificis: nec tamen legitimus Pontifex fuit, niſi poſt diem 58. ab aſſumptione; nam prius Clerus Romanus eum rejecerat; ſed poſteà ad ſchiſma evitandum, electioni conſenſit; & ſic de cæteris dicendum, ſi alii in exemplum producantur.

31 Ideò conſiderandum eſt, tunc de legitima electione conſtare cùm Catholica Eccleſia, ut legitimum, & indubitatum Pontificem, aliquem recipit. Nam conſen-

ſenſus univerſalis Eccleſiæ fallibilis eſſe non poteſt; cùm rei à Papa, vel Conciliis definiendæ Eccleſiæ conſenſus, & atteſtatio firmiſſimum præſtet fundamentum. Hinc, ſicut non poteſt colere Sanctum, qui Sanctus non ſit, nec aliquid de fide tenere, quod de fide non ſit; ita nec poteſt decipi recipiendo ut verum Pontificem, & certam horum omnium regulam, qui verus Pontifex, veraque regula viva non ſit.

Quæritur. *An ſi Papa electus non eſſet Epiſcopus, eſſet verus Papa, & Paſtor univerſalis Eccleſiæ?*

32 R. Affirmativè. Diſcernendum eſt inter poteſtatem ordinis, & juriſdictionis: hęc eſt ex injunctione, & commiſſione, illa verò ex conſecratione, vel ordinatione; nec mutuò ſe inferunt, & una ab altera ſeparari poteſt: nam ordo poteſt eſſe in aliquo ſine juriſdictione, & è converſo. Quare, eſtò Papa nondum Epiſcopus, non poſſit Epiſcoporum munia exercere, ut ordines conferre, &c. poteſt tamen ea, quæ ſunt juriſdictionis Papalis, quam ſuppoſita canonica electione, obtinet à Deo cum plenitudine. Qua etiam ratione poteſt eſſe quis Papa, quin prius ſit Presbyter, quo caſu ex vi electionis obtinet à Chriſto Domino poteſtatem juriſdictionis relatæ ad Corpus Chriſti myſticum, etſi in ordine ad corpus Chriſti verum poteſtatem non habeat, nec poſſit à peccatis Sacramentaliter abſolvere, & Euchariſtiam conſecrare, ad hoc enim poteſtas ordinis eſt neceſſaria, quæ in ordinatione recipitur. Vide Gravinam cit. ſupr. *lib.4. contr.4. dubitat.3. art.5.* Ubi verò quis non Epiſcopus eligitur, poſteà Epiſcopus ordinatur, ut praxi docemur.

CAPUT IV.

An ſucceſſio Romanorum Pontificum fuerit unquam interrupta?

SUMMARIUM.

1 *Succeſſio Pontificum nunquam interrupta.*
2 *Oves ovibus ſuccedunt.*
3 *Epiſcopi in partem ſolicitudinis ſunt vocati.*
4 *Patres ad probandam exiſtentiam veræ Eccleſiæ ſucceſſionem Roman. Pontif. adhibuerunt.*
5 *Sacrilega Donatiſtarum ſucceſſio intruſa in Romana Cathedra.*
6 *Unitas Eccleſiæ ſine legitima ſucceſſione non ſervatur.*
7 *Dempta ſucceſſione, ſchiſmata eſſent in Eccleſia.*
8 *In ſtatu legis naturæ, & ſcriptæ fuit ſucceſſio Pontificum ſacrorum.*
9 *Marcellinus non perdidit fidem internam.*
10 *Aſſertur hyſtoria Liberii ad 16.*
17 *Agitur de electione Felicis II. ad 20.*
21 *Honorius I. à Monotheliſmo immunis ad 47.*
48 *Joannes XII. præſervatus ab errore negantium animas juſtorum ante diem Judicii non viſuras intuitivè Deum ad 54.*
55 *Romanus Pontifex, nec ut perſona privata poteſt errare in fide.*
56 *Mendacium de Joanna Papiſſa ad 58.*
59 *Romana Cathedra eſt centrum unitatis.*
60 *Vacatio Sedis tempore interregni non interrumpit ſucceſſionem.*
61 *Succeſſio doctrinæ ſine illa perſonarum non ſufficit in Eccleſia Chriſti ad 63.*

COmmuniter Lutherani, & Calviniſtę conclamant legitimam Romanorum Pontificum ſucceſſionem interruptam eſſe propter ſchiſmata, quæ in Eccleſia fuere. Nec deſunt, qui planè mendaciter dixerint, ſucceſſionis ſeriem abruptam per hæreſim, quam nonnullis Pontificibus ore blaſphemo impingunt. Et inde ex tunc ſubinferunt Eccleſiam Romanam periiſſe; atque ita ſe ab eadem non injuſtè receſſiſſe. Cæterùm has ipſi ingeminarunt nugas, ex

quo noverint à Catholicis palmari ſucceſſionis argumento ad evidentiam uſque urgeri, & revinci, quòd Eccleſia, quam prætendunt reformatam, non Chriſti Eccleſia, ſed Synagoga ſit ſathanæ, à procacitate Lutheri, Calvinique reſpectivè conſtructa, à quibus initium accepit; & ideò originem ab homine, & non inſtitutionem à Chriſto recognoſcit. Quamvis nonnulla hac de re dicta ſint *contr.1.cap.1. nu.12.* attamen, quia maximè neceſſitatis eſt ex integro hìc eam pertractamus.

Dicendum. *Succeſſio Romanorum Pontificum à D.Petro ad Clementem XI.nunc Eccleſiæ præſidentem, ſemper eſt ſine interruptione legitimè continuata.* Ita omnes Catholici adversùs hæreticos.

1 Probatur. De fide eſt Eccleſiam Chriſti Domini uſque in diem noviſſimum eſſe permanſuram, juxta illud Lucæ 1. *Regni ejus non erit finis.* Eccleſia autem eſt regnum Chriſti, dicente Auguſtino *lib.83.quæſtionum quæſt.69.n.4.Regnum ejus ſunt, in quibus nunc regnat per fidem: & nu.9. Secundùm id, quod Verbum Dei caro factum eſt, cepit regnare in credentibus ſecundùm fidem Incarnationis ſuæ.* Et illud Matth.18. *Ecce ego vobiſcum ſum uſq; ad conſummationem ſæculi.* Quod ab eodem S.Doctore exponitur *Epiſt.199. ad Heſchium cap.12.n.49. Eum univerſæ Eccleſiæ promiſſæ, quæ aliis morientibus, aliis naſcentibus, hìc uſque in ſæculi conſummationem futura eſt:* ergo proviſum pariter eſt de capite viſibili ſemper futuro; Ut, uno moriente, alterum ejus loco ſuccederet: ergo ſucceſſio, &c.aliàs profectò Chriſti Eccleſia periiſset: Siquidem myſticum corpus viſibile, abſque viſibili Capite, diù conſiſtere nequit: Sicut nulla Reſpublica diù permanere poteſt, ſi ſucceſſio Regum, & Gubernatorum interrumpatur: juxta illud *Proverb.11.Ubi non eſt Gubernator, Populus corruit.*

2 Confirmatur. Si oves ovibus non ſuccedunt, nec ovile conſervabitur: ergo, niſi Pontifices Pontificibus ſuccedant, Eccleſia Chriſti, quæ ovile eſt, peribit: niſi Catholici velint eſſe ovile ſine Paſtore, quod omninò repugnat.

Dicunt. Sufficit, Epiſcopi Epiſcopis ſuccedant. Nam eis commiſſa eſt cura Eccleſiæ, dicente Petro *Epiſt.1.cap.5. Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei.* Unde Auguſtinus *Epiſt.232. ad Madaurenſes n.3.* ſcripſit: *Societas Chriſtiana per Sedes Apoſtolorum, & Succeſſiones Epiſcoporum certa per Orbem propagatione diffunditur:* ergo, ut Eccleſia perpetuò conſervetur, ſat eſt, quod Epiſcopi Epiſcopos perpetuò ſucceſſores habeant.

3 R.Diſtinguo antecedens. Quòd Epiſcopi communicantes cum ſummo Sacerdote, Romano Pontifice Epiſcopis ſuccedant, concedo: cum ipſo non communicantes, nego. Exiſtente enim quæſtione, quænam ſit vera Eccleſia, ſatis non eſt recurrere ad Epiſcopos, ſed neceſſe eſt videre, an Epiſcopi, qui particulares Eccleſias regunt, communicent cum Romano Pontifice; nam, quatenùs cum eo non communicarent, eſſent Schiſmatici, & propter defectum unionis cum capite extra Eccleſiam Chriſti conſtituerentur: cùm extra corpus ſit, qui capiti non eſt unitus. Neque Epiſcopis datum eſt, quòd paſcant gregem totius Eccleſiæ, ſed unicuique commiſſa eſt gregis portio paſcenda ſub Romano Pontifice, qui curam totius gregis habet, cæteri verò Epiſcopi in partem ſolicitudinis ſunt vocati: ideò Petrus non dixit abſolutè, *paſcite gregem, ſed gregem, qui in vobis eſt*, hoc eſt, vobis concreditus. Neque aliud ex Auguſtino probatur; Sed ſenſus ejuſdem eſt, quòd Chriſtiana ſocietas per Succeſſiones Epiſcoporum communicantium cum Romano Pontifice certa propagatione per Orbem diffundatur; etenim ſi aliam fidem morumque doctrinam prædicarent, quam teneat Romanus Pontifex, non Chriſtianam, ſed hæreticam Schiſmaticamque ſocietatem propagarent: Ipſe enim eſt fundamentum Eccleſiæ, & veræ fidei cuſtos, ut appellatur in Epheſino *cap.15.* De quo *cap.16.* Philippus Presbyter dixit: *Petrum Caput, Eccleſiæ*

cleſiæ Catholicæ fundamentum per Succeſſores ſuos hucuſque ſemper vivere cauſaſque decernere ſemperque victurum eſſe. Propterea in dubiis fidei, & morum hucuſque per tot temporum centurias pro deciſione recurſum habuerunt Epiſcopi, Patres, & Concilia ad Apoſtolicam Sedem.

4 Hinc Patres, non cæterorum Epiſcoporum, ſed non abruptam Romanorum Pontificum ſucceſſionem, in argumentum neceſſariò concludens veræ Eccleſiæ exiſtentiam, adversùs hæreticos, reſpectivè adhibuerunt. Irenæus *lib.3.cap.3.* Succeſſionem legitimè continuatam à Petro uſque ad Eleutherium tunc præſidentem enumerat.

Tertullianus *lib.3.contr.Marcionem cap.9.* ipſorum ſucceſſionem ſuis carminibus comprehendit.

Hac Cathedra Petrus, qua ſederat ipſe, locatum
Maxima Roma Linum primum conſidere juſſit,
Poſtquàm electus, & ipſe Gregem ſuſcepit ovilis, &c.

Optatus Milevitanus *lib.2.contr.Parmenian.* Omnes Pontifices enumerat à Petro uſque ad Siricium. ergo *Cathedra unica, quæ eſt prima in dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, &c. Veſtræ, ò Donatiſtæ, Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Eccleſiam vindicare.*

S.Auguſtinus in *pſal.contr.partem Donati: Numerate*, ait, *Sacerdotes, vel ab ipſa Petri Sede; & in ordine illo Patrum, quis, cui ſucceſſit, videte, ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Alias S.Doctoris auctoritates recenſeo *contr.cit.* Quocirca vera Eccleſia ex ipſorum ſucceſſione dignoſcitur; nec eſſet perpetua, ſi eorumdem ſucceſſio extincta fuiſſet. Siquidem, ſublato fundamento, in conſequentiam venit ſolo eſſe ædificium æquandum.

5 Tanti, etiam Donatiſtæ ſucceſſionem in Romana Cathedra fecerunt, ut licèt cũ Romanis Pontificibus non communicarent, ad notam ſchiſmatis declinandam, & ne ſucceſſionis negatione, ut ſchiſmatici haberentur, quoſdam è ſuis Romam miſerunt, qui hæreſim propagarent; & quamdam cryptam in monte extra Civitatem cancellis ſepſerunt, ubi conventicula ſua celebrabant, prout narrat Auguſtinus *Epiſt.53. ad Generoſum cap.1.* ex *Africa Ordinatum miſerunt, qui paucis præſidens Afris, in Urbe Roma Montenſium, vel Cutzupitarum vocabulum propagavit.* Ex Optato *ubi ſupr.* numerarunt eos, qui ſucceſſerunt Victori, *qui fuit*, inquit, *primus Romam à Donatiſtis miſſus, ramus erroris protentus de mendacio, non de radice veritatis.* Si ergo Donatiſtæ putarunt ex ſucceſſione in Apoſtolica Cathedra (quam ex tranſverſo contra Petri ſucceſſores inſolentiſſima præſumptione poſuerunt) ſe legitimam Eccleſiam poſſe demonſtrare; optimum argumentum eſt, ab hæreticis Lutheranis, & Calviniſtis etiam innegabile, ex ſucceſſione in Cathedra Petri veram Eccleſiam præſignari. Nam ſuas vires poſt Donatiſtarum tempora ſucceſſio non amiſit, ſed eamdem vim retinet, oſtendens, quinam legitimo titulo Petro ſucceſſerint, ſuccedantque, & in B.Petro à Chriſto curam regendi Eccleſiam receperint.

Ad quod viribus caret ipſa à Donatiſtis intruſa ſucceſſio; Nam eos ibi Optatus revincens ſe non poſſe demonſtrare ſuos legitimo ordine Petro ſuccedere, addit: *Si Victori diceretur, ubi ſederit? nec ante ſe aliquem ibi fuiſſe monſtraret: nec Cathedram aliquam, niſi peſtilentiæ oſtenderet:* Et Auguſtinus *Epiſt.cit.* enumeratis ſucceſſoribus Petri uſque ad Anaſtaſium, tunc viventem, concludit. *In hoc ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus invenitur.* Adversùs quos illud pariter currit, quod de Novatiano electo Antipapa, in primo ſchiſmate Eccleſiæ adversùs Cornelium legitimum Petri ſucceſſorem ſcripſit S.Cyprianus *Epiſ.76.ad Magnum: Novatianus*, inquit, *in Eccleſia non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt, qui Evangelica, & Apoſtolica Traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſe ipſo ortus eſt.*

6 Confirmatur Concluſio. Ideò unus Petrus cęteris Apoſtolis præfectus eſt, ut unitas in Eccleſia ſervaretur, dicente Optato loc.cit. *propterea omnium Apoſtolorum Caput Petrum Romæ in Cathedra ſediſſe, ut in una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur.* Sed Eccleſia debet eſſe una, & fidei unitatem uſque in finem retinere, ut fides docet in Symbolo: ergo, ſicut de unitate, ita & de ſucceſſione, in Petri Cathedra eſt divinitùs proviſum. Proviſum autem unitati non eſſet, ſi Pontificum ſucceſſio fuiſſet interrupta: ergo. Minor ſubſumpta patet: Nam, ſicut in Regno terreno unitas non ſervaretur, ſi, Regi decidenti, alter non ſuccederet; & in iſto caſu regimen mutaretur: ita in regno Chriſti dicendum eſt. In quo, & Cathedra periiſſet, ſi nullus in ea Prædeceſſori ſuccederet, ipſamque teneret.

7 Item. Si mortuo uno Pontifice, alius non ſuccederet, unum Tribunal non eſſet, ad quod recurri poſſet pro dubiorum deciſione in doctrina fidei, & morum ſubortorum; & inde quæ ſchiſmata, quæ factiones Eccleſiam non perturbarent, unitatemque non ſcinderent? Ad quæ incõmoda vitanda una Petri Cathedra erecta eſt, dicente Hieronymo ad Jovinian. *Inter duodecim unus eligitur, ut, Capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Et Cypriano *de unit. Eccleſ. Una eſt Sancta Eccleſia per totum Mundum in multa membra diviſa; Epiſcopatus unus Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus.* Quaſi dicat, multæ ſunt Eccleſiæ particulares, quæ membra ſunt, & partes materiales unius Eccleſiæ Catholicæ; at ſunt una formaliter Eccleſia, eadem Eccleſiæ forma inter ſe colligatæ, fide nimirùm, exteriori proteſtatione, & Sacramentorum adminiſtratione manifeſtata, in ordine ad unum caput viſibile, & Cathedram Petri, quæ eſt unitatis origo, & à qua fidem ipſam cæteræ mutuarunt, & in qua cum ipſa communicant. Ipſique Epiſcopi, licèt numero plures, concordes adhuc ſunt propter connexionem ad ſedentem in Romana Cathedra. Adversùs quam aliam collocans, & erigens ſchiſmaticus; & peccator eſt, ut docet Optatus *ubi ſupr.* Alteram verò collocaret, qui ipſam contemneret, eique parere detrectaret, & inter ſchiſmaticos reputaretur; Sicut in ſchiſmaticorum numero fuerunt Chore, Dathan, & Abiron, quòd rebellionem excitarunt contra primatum Moyſis, & Aaronis; ac Principatum, ſummumque Sacerdotium ſupra cæteros ambientes *ſteterunt adversùs Moyſem, & Aaron*, ut ait textus *Numerorum 16.*

8 Ampliùs. Deus ad demonſtrandum, quinam eſſet ſuus populus, ſuoque cultui mancipatus, tum in lege naturæ, tum ſcripta, ſpeciali providentia diſpoſuit de ſucceſſione ordinaria Principis Sacrorum, & Summi Sacerdotii: ergo potiori jure providendum erat de ordinaria ſucceſſione Pontificum in Eccleſia ſub tempore legis gratiæ; eò quòd glorioſior, & felicior Eccleſia ſub iſto ſit, quàm fuerit ſub tempore legis naturæ, & legis ſcriptæ: ut hac forma populus in vera fide, & religione ſervaretur, & ab infidelibus diſtingueretur. At proviſum ita non eſſet, ſi Romanorum Pontificum ſucceſſio interrupta, & non continuata fuiſſet: ergo. Antecedens patet. In ſtatu legis naturæ (qui duravit ab Adamo uſque ad Moyſen, & in quo omnes primogeniti fuerunt Sacerdotes, & divino cultui ſpecialiter mancipati (ut ſcribit Becanus *analog. veter. & nov. teſtamen. cap.7.*) Succeſſio Principum, & populi Dei, & Præconum juſtitiæ hoc ordine apparet, ut poſt Adamum fuerit Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Mathuſalem, Noe, Sem, poſt ejus obitum fuit continuata in poſteris Abrahæ. In lege vero ſcripta, quę à Moyſe uſque ad Chriſtum duravit, Summus Pontifex ordinarius fuit Aaron, cum jure ſucceſſionis in primogenitis ſuæ familiæ: Aaroni ſucceſſit Eleazar, huic Phinees, & ſic de cęteris, prout idem Becanus oſtendit *loco cit. qu.2.* reportans ſucceſſionis indiculum ex Scriptura uſque ad Joannem

Hyr-

Hircanum, qui fuit filius Simonis *Machab.* 1.*cap.*16.Reliquorum ſeries uſque ad Chriſti Domini tempora, cùm in Scriptura nulla ſit memoria, ex prophana hiſtoria petitur, quam deſcribit Tirinus *Chronicon tom.*1.*comment.cap.*42. Cæterùm ex Evangelio *Matth.*26.& *Joan.*11.conſtat Caipham fuiſſe Pontificem. Ergo, & in Romana Eccleſia continuata eſt ſucceſſio Pontificum.

Opponunt I. Hæreſis tollit legitimam ſucceſſionem. Hoc titulo Bellarminus *lib.* 4.*de notis Eccleſ.cap.*8. concludit, apud omnes Sedes Patriarchales Orientales veterum Paſtorum ſucceſſionem eſſe interruptam: Sed plures Pontifices Romani à fide defecerunt, & hæreſim admiſerunt. Quod objectis, & exemplis nonnullis cenſent Sectarii probaſſe.

I. Objectum.

Marcellinus in fidei præjudicium Idolis immolavit, ergo à fide defecit.

9 R.De veritate antecedentis controvertitur. Nam plures cenſent lapſum Marcellini commentum eſſe excogitatum, Catholiciſque objectum à Donatiſtis; quem tamen nunquam probarunt, teſte Auguſtino de *Unic. baptiſ. contr. Petilianum c.*16. Et ita, eo rejecto, in dubium vocatur Concilium Sinveſſanum ea de re celebratum.

Cæterùm, admiſſa veritate hiſtoriæ ex *Cap. Concilium autem* 21. *diſt.* & Breviario Romano in officio S.Marcellini cum Bail. *Sum.to.*2.*in d.Concil.* Cabaſut. *notit. Eccleſiaſt.* ibi. Spondano *Epiſt. ad an.*302. Coriolano in *Breviario ad an.*297. Lauræa *de fid. diſput.* 8.*art.*5.§.3.*nu.*117. aliiſque, negatur conſequentia, eoque facto Marcellinum à fide excidiſſe. Peccavit quidem contra externam fidei confeſſionem, ſed internam fidem minimè negavit. Proditor, ſeù negator Chriſti ore, & opere externo fuit, non tamen hæreticus corde; externam confeſſionem, non fidem internam perdidit. Sed poſteà facti pęnitens, crimen accuſavit deflevit, judicio ſuo ſe damnavit; & tandem glorioſus pro Chriſti fide martyr occubuit.

Neque ex fidei externa negatione ad hęreſim internam illatio tenet; quia, quamvis actus, quibus fides externè negatur, ſint inditia, & profectò vehementiſſima hęreſis internæ, tamen non ſunt evidentes probationes. Poteſt namque quis externè fidem negare, quin fidem internam perdat, ut habet Auguſtinus *l. contr. mendac. ad Conſentium cap.*6.*nu.*13. *Nonne penè omnes, qui Chriſtum coram perſecutoribus negaverunt, quod de illo credebant, corde tenuerunt? Et tamen ore ad ſalutem non confitendo perierunt, niſi qui per pęnitentiam revixerunt.* Et afferens exemplum Petri, ſubdit: *Quis ita evaneſcat, ut exiſtimet Apoſtolum Petrum hoc habuiſſe in corde, quod in ore, quando Chriſtum negavit? Nempe in illa negatione intùs veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat.*

II. Objectum.

Liberius ſubſcripſit formulæ fidei editæ ab Arianis in Concilio Sirmienſi, in qua nomen *homouſion*, ſeù *conſubſtantialis* à Niceno decretum, tacebatur; ac damnationi Athanaſii ſubſcripſit, & cum Arianis communicavit.

10 R.Sed priùs ponderandum duas Sirmii formulas fidei editas eſſe. Prima prodiit an.351.adversùs Photinum aſſerentem Chriſtum nonniſi hominem: Quæ filium aſſerit *Deum de Deo*: & damnat *affirmantes, ex non exiſtentibus Filium, aut ex altera eſſentia, & non ex Dei, & quia erat tempus ante ſæculum, quando non erat*; prout refert Bail.cit.in *Concil.Sirmien.* & Petavius *Theol. dogmat.tomo* 2. *de Trinit. lib.*1.*cap.*9.*n.*3.

Secunda edita eſt an.357. & in ea prohibitum eſt ampliùs diſſerere, & mentionem habere de voce *Uſiæ*, ſeù *ſubſtantiæ*, & *homouſion*, ſeù *conſubſtantialis*, ex quo Scripturæ nuſquam illarum vocum meminerint.

rint. Qua formula hæreſis Arianorum exprimebatur. Iſti enim dicebant: *Filium in divinis, nec Deum eſſe, nec genitum ex ſubſtantia Patris*; neque proinde eſſe conſubſtantialem, ſed eſſe creaturam, non ab ęterno, ſed in tempore, ante alias tamen creaturas productam.

Tantùm abeſt, quòd Liberius huic poſtremæ formulæ ſubſcripſerit, ut potiùs, teſte Sozomeno *lib.4.hiſt.cap.15.* alienos ab Eccleſia pronuntiaverit eos, qui Filium ſecundùm ſubſtantiam, & per omnia (excepta filiatione) ſimilem Patri, adeòque ejus *Uſiæ*, ſeù *ſubſtantiæ* non eſſe aſſererent. Et conſtanter reſtitit Conſtantio Imperatori conanti ei ſuadere, ut *homouſion negaret eſſe Patri Filium*. Subinde, cùm Arimini ab Arianis condita eſſet poſterior formula fidei, in qua Auctoribus Urſacio, & Valente Arianis, ſuppreſſum erat vocabulum *ſubſtantiæ*, & *conſubſtantialis*, & ſolùm dictum *Filium Patri ſimilem*, ut notat Cabaſutius ibi in *Concil. Ariminen.n.3.* vel *Filium non eſſe creaturam, ſicut cęteras creaturas*, ex obſervatis à Coriolano *loc.cit. ad an.359.* Liberius adversùs Arianorum, Semiarianorumque perfidiam eidem formulę aſſentiri detrectavit; propter quod ſecundò in exilium actus eſt: primò enim ante triennium fuerat Mediolano in Thraciam exul amandatus, ut refert Spondanus ad d.*an. n.13.* ex quo renuiſſet in condemnationem Athanaſii conſentire. Hinc idem Spondanus ad *an.357.n.14.* notavit non eſſe Hilarii, quæ ejus nomine circumferuntur ex ſcripta adversùs Liberium: ut, *Anathema à me tibi dictum Liberi*: & iterùm: *tibi Anathema*; & tertiò: *prævaricator Liberi*; utpote aliena, tum ab Hilarii modeſtia, tum ab ipſius ſtyli majeſtate.

11 Quocircà, quando Liberius, etiam formulæ ſubſcripſerit, non alteri à Petavio *loc.cit.n.5.* dicitur ſubſcripſiſſe, quàm uni formulæ ex tribus concinnatæ, hoc eſt, ex ea, quæ edita eſt contra Paulum Samoſatenum, & eà, quæ in Encęniis Antiochiæ concepta erat (quam ibi reportat n.2.) & eà denique, quæ contra Photinum apud Sirmium publicata eſt: quæ longè diſtat à ſecunda formula ſuperius expreſſa, cui Oſius minis coactus eſt ſubſcribere. In quibus tribus, nec rejectum eſt, nec damnatum *homouſion*, ſeù *Uſia*, ut ibi Petavius. Proinde, eſto Liberius *homouſion* concordiæ gratia diſſimulaverit tamen conceptis verbis non reſpuit *Uſiam*; conſenſitque in formulam, qua dicebatur: *Filius, Deus de Deo ante omnia ſæcula, ante omne tempus exiſtens, ſecundùm ſubſtantiam, & per omnia* (excepta filiatione) *Patri ſimilem*.

Dictum eſt, *quando ſubſcripſerit*, quia Lauræa de fide *diſp.8. art.5.§.5.n.245.* conſiderat, quod niſi Hieronymus præjactę ſubſcriptionis teſtis eſſet, poſſet id negari; cùm aliunde probari nequeat, quàm ex fama, & rumore non fundato, niſi in effectu, quòd fuerit ab exilio revocatus, & Romanis aliquando inviſus (à quo fortè Hieronymus, motus fuit) Fama verò ſemper creſcit eundo per mendacia.

Cæterùm, formula à Liberio ſubſcripta, Hilario, aliiſque viſa eſt Catholica, in qua conſubſtantialitas non improbabatur, eſto non exprimeretur. Hinc nullus unquàm probabit Liberium in hęreſim incidiſſe: Siquidem aliud eſt dicere, Liberium damnaſſe conſubſtantialitatem, eamque negaſſe, & aliud tacuiſſe, & non eſſe confeſſum. Quinimò aſſerendo Filium ejuſdem *ſubſtantiæ*, & *per omnia ſimilem, eſſe cum Patre*, idem eſt, ac ſi profeſſus eſſet eſſe *conſubſtantialem*.

12 Nec obſtat, quod Semiariani vocem ſubſtantiæ in pravum ſenſum inflecterent; quippè malitia hæreticorum nequaquàm verè invertere poteſt legitimum ſenſum, qui natura, & uſu vocibus ineſt, ut obſervat Spondanus ad *an.357.n.13.* Idcircò cùm formula à Liberio ſubſcripta ſecundùm legitimum verborum ſenſum hæretica non eſſet, hæreticum non erat ea uti: ſicut ex quo hæretici abutantur divina Scriptura, ad proprias hæreſes ſtabiliendas, non ideò Catholici eadem uti vetantur. Hac in re ſimi-

ſimile exemplum habetur in D. Auguſtino *Epiſt.*238. *ad Paſcentium Arianum cap.*1.*n.*5. ubi aſſerit ſeparatum eſſe ſubſcribere confeſſioni illius fidei, ſi nihil inveniret in ea Catholicę veritati contrarium, quamvis nomen conſubſtantialis in Scriptura non inveniatur. Quia *fieri poteſt, ut illud inveniamus, cui hoc vocabulum rectè adhibitum judicetur*, ut ibi loquitur Auguſtinus. Ita in Formula à Liberio probata dicendum.

13 Quatenus verò in Formula non fuit appoſita *vox conſubſtantialis*, in qua tamen fuit vox æquivalens exprimens identitatem naturæ, & omnimodam æqualitatem cum Patre, ut inquit Lauræa *cit.num.*25. Et Coriolanus *cit. ad an.*357. obſervavit ſubſignatam Formulam à Liberio retinuiſſe nomen *ſubſtantiæ*, Filio cum Patre communis, ac omnimodam Filii cum Patre ſimilitudinem. Et hinc irrationabiliter à quibuſdam de imprudentia Liberius criminatur.

14 Quatenus item poſt exactum in exilio biennium (quod ſubſtinuit, quia prius noluit in condemnationem Athanaſii conſentire, licèt muneribus à Conſtantio ſolicitatus, minisque extimulatus, ex Spondano ad an.355.n.8.) exilii, ærumnarumq; tędio victus ſuccubuit, & in damnationem Athanaſii conſenſit, & inde viſus eſt hæreſim approbaſſe, quod minimè fecit; cauſa enim Athanaſii non fuit cauſa fidei, ſed morum, & diſciplinæ, teſte Lauræa *cit.n.*249. Et inde, licèt Liberius ſententiam contra Athanaſium confirmans, malè egerit, & non bonus Judex aſſeratur, non tamen hæreticus, nec internè, nec externè.

15 Neque cum Arianis communicavit in doctrina contra fidem, ſed in aliis negotiis, & judiciis; & in iſtis eatenùs, quia ſe Catholicos oſtendebant. Unde ipſe in ſuis Epiſtolis teſtatur ſe communicaſſe cum Epiſcopis Orientalibus, quia invenit eorum fidem congruere cum Catholica, & alienam eſſe ab Ariana perfidia. Leytan. *Synopſ.de Eccleſ.militan.p.*2.*nu.*16.

Dices. Liberius in ſubſcriptione incidit in hęreſim: ex tunc enim à Papatu decidit; propter quod à Romanis fuit depoſitus, & in ejus locum ſuffectus eſt Felix II. Neque enim potuit alia de cauſa deponi, quàm illa hæreſis.

16 R. Negatur antecedens. Nunquàm enim Arianorum errorem in mentem habuit. Quantum ad Felicem: notandum, quòd Liberio cauſa fidei Beroeâ in Thracia amandato, ope Arianorum, & juſſu Conſtantii in locum Liberii Felix ſuffectus eſt, à tribus Epiſcopis Arianis conſecratus. Verùm Clerus Romanus juravit ſe nullum, vivo Liberio, Pontificem admiſſurum; poſt biennium autem exilii, publicato lapſu Liberii, Romanus Clerus abrogata Liberio Pontificia dignitate, ad Felicem ſe contulit, quem Catholicum eſſe ſciebat; & ex eo tempore cępit Felix verus Pontifex eſſe, ita Coriolanus ad *an.*358. Baronius, & Spondanus.

17 Cæterùm quoad hoc eos hallucinatos eſſe non dubito. Nam vivente Liberio, Felix verus Pontifex eſſe non potuit; aliàs duo viſibilia capita ejuſdem Eccleſiæ Catholicæ ſimul fuiſſent, quod omninò repugnat. Neque Clerus Romanus potuit Liberium Pontificia dignitate privare; cùm Romanus Pontifex non ab hominibus auctoritatem recipiat, nec hominibus ſubſit, ſed Deo immediatè. Neque opponendum eſt Liberio hęreſis crimen: Siquidem ut diximus ſupra, Liberius nunquam hęreſim admiſit, ſed ſemper fidem Catholicam conſervavit, & fortiſſimè defendit. Ideò Felix, Liberio vivente, in ſedem intruſus eſt; vel, nonniſi permittente Liberio, fuit Epiſcopus coadjutor, & Vicarius, ut optimè Lauræa *cit.§.*6. *num.*265.

18 Tandem negari haud poteſt Felicem fuiſſe legitimum Romanum Pontificem prout mirabile factum oſtendit. Dum enim ſub Gregorio XIII. ageretur de reformatione martyrologii, & de Felice controverſia ſuborta eſſet, expungendus

ne eſſet ob vitioſum ejus ingreſſum, vel abſque martyrii titulo relinquendus? accidit, ut in Diaconia SS.Coſmæ, & Damiani in foro Boario, cùm quidam clam Altare ſuffoderent, ut theſaurum invenirent, quem acceperant ibi eſſe reconditum, in arcam marmoream inciderent, in qua cum aliorum reliquiis repertum eſt corpus S.Felicis: hac epigraphe in lapide ſculpta: *Corpus S.Felicis Papæ, & martyris, qui damnavit Conſtantium*, ex Spondano ad *an.357.n.*18. Proinde non recipimus opinionem Baronii, & Spondani, & Coriolani aſſerentium Felicem ante Liberiū occiſum fuiſſe, aliàs nunquam legitimè ſediſſet. Sed ſequimur Laurȩam *cit.n.*268. ubi tradit, quod aliquo parvo ſaltem tempore, Liberio defunćto, ſedit, ut inter veros Pontifices adnumeretur.

Dices. Felix fuit Arianus: ergo ſequitur, quòd ſedem Petri tenuerit Pontifex hæreticus.

Item. Auguſtinus enumerans ubi ſupr. ſeriem Romanorum Pontificum in ea non ponit Felicem, ſed poſt Liberium immediatè Damaſum recenſet.

R.Negatur antecedens. Semper enim fidem in Concilio Nicȩno expoſitam ſervavit, ut ait Theodoretus in *lib.2.cap.*17. apud Lauræam *n.*158. Quia verò cum Arianis communicabat, ipſorum Sećtȩ prȩſumebatur. Et quando etiam Arianus fuiſſet tempore intruſionis; non tamen fuit tempore, quo fuit verus Pontifex, ſed pro fide Nicæna ſtrenuè decertavit, damnavit Conſtantium, & pro fide Martyr occubuit.

20 Ad Item. Dico, ab Auguſtino, & Optato poſt Liberium ponitur Damaſus, omiſſo Felice, quia curſim ſucceſſionem omnium Pontificum diſcuſſerunt in eum tantùm finem, ut adversùs Donatiſtas probarent in Petri Cathedra nullum Donatiſtam ſediſſe. Ulterius, ratio eſſe poteſt, ex quo poſt Liberii obitum non fuerit facta nova elećtio Felicis, ſed Damaſi. Videtur enim, quod Romanus Clerus, Liberio defunćto, Felicem, olim nulliter ab Arianis elećtum, abſque alia ſolemni elećtione, ut verum Papam acceptaverit, & adoraverit; quod fuit æquivalenter eligere; & hoc ſufficit, ut aliquo tempore poſt Liberium ante Damaſum legitimè ſederit, ut dixit Laurȩa *num.*272. Neque opponatur à Clero Romano non potuiſſe ut Pontificem acceptari eum, qui Arianis communicaret. Nam profećtò poſtquàm Liberius Romam rediit, certè ab Arianis Felix procul fuit. Quod faćto probatur; Siquidem cùm Arianæ Sećtæ Sećtatores publicaſſent, Liberium ob ſubſignatam Formulam Sirmienſem Arianiſmum admiſiſſe, Conſtantius, re percepta, per ſuas litteras dedit Liberio poteſtatem Romam revertendi; & Epiſcopi Sirmii congregati ſcripſerunt Felici, & Clero Romano, ut Liberium reciperent: Subinde, Felix fuit in Synodo ab Epiſcopatu depoſitus; & ex tunc traditur habitaſſe in ſuo prædio via Portuenſi, (nec ibi obiit, ut malè nulli ſentiunt) hinc locus fuit Clero, ut poſt Liberii obitum in verum Pontificem reciperet Felicem, qui ex tunc aliquo tempore legitimè ſedit; licèt quantum fuerit, non ſit certum. Hinc obſerva Hȩreticorum inconſtantiam circa ſupremum Apoſtolicæ Sedis Paſtorem: nunc, depoſito Liberio, Felicem aſſumunt; nunc, depoſito Felice, iterùm aſſumunt Liberium, & Sedem Petri, quæ firmiſſima, & immobilis eſt, mobilem faciunt, & verſatilem.

III. Objećtum.

Honorius I. Damnatus fuit ut hȩreticus Monothelita in ſexta Synodo. Ita Maimburgus *traćt.hiſtor.cap.*18. Et Dupinus. *De antiq.Eccleſ.diſcipl. diſſert.*5. eidem adſcribunt Monotheliſmum.

21 R. Negatur antecedens. Iniquè prorſus, & injuſtè Honorio, hæreſis impingitur, & à Sexta Synodo proſcriptus mendaciter aſſeritur. Etenim ejuſdem Epiſtola (quȩ Aćtis Synodi inſerta eſt *aćt.*12.) ad

ad Sergium, ſanam, veramque doctrinam continet de duplici in Chriſto voluntate, & operatione. Quod, ut expreſsè pateat, prænotandum eſt initium, & incrementum hæreſis Monotheliſtarum. Quia Synodus Epheſina ſub Cæleſtino Papa definierat contra Neſtorium unam eſſe dumtaxat in Chriſto perſonam; & ſubinde Concilium Chalcedonenſe contra Euthycem duas in Chriſto eſſe naturas: ex hac duplici definitione nonnullis oborta eſt occaſio novam hæreſim cudendi, dicendo, unam dumtaxat eſſe in Chriſto voluntatem, & operationem unam. Cujus auctores fuerunt Theodorus Pharanitanus Epiſcopus, Sergius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Cyrus Alexandrinus; Qui omnium primi in quadam fidei Formula communi conſilio conſcripta, auſi ſunt aſſerere: *Quòd ſicut in Chriſto unus eſt operator, & unus volens, ita una eſt voluntas, unaque operatio*. Quibus, & maximè Sergio reſtitit magno fidei zelo, Sophronius Monachus, poſteà Patriarcha Jeroſolymitanus. Scripta utrinque fuerunt multa inter ipſum, & Sergium. Tandem, eò deducta res eſt, ut inter illos conveniret: utriuſque ſupprimendam eſſe mentionem, ac nec unam, nec duas actiones, aut voluntates eſſe nominandas. Sed paulò poſt Sophronius epiſtolam Sergio direxit, in qua duas operationes diſtinctè adſtruit; qui, etiam Romam ad Honorium litteras miſit, quibus de nova Monothelitarum hæreſi certiorem illum reddidit. Eodem quo Sophronius anno ſcripſit Honorio, etiam Sergius, vir ſpecie bonus, cujus litteræ, cùm eſſent apparenter ſinceræ, & Orthodoxæ, & Honorio ſignificaſſet ingens bonum inde futurum, ſi nec una, nec duæ operationes in Chriſto nominarentur, ſed unus dumtaxat operans: Honorius ſperans, ſilentium de una, vel duplici operatione fore fibulam pacis, conſilium Sergii probavit, retinendæ concordiæ gratia. Verùm Sergius cum ſuis, conventionis leges perfidè transgrediens, unam tantùm in Chriſto voluntatem, idque (ſed falsò ex ſententia Honorii Romani Pontificis) poſteà prædicavit, ex Petavio *to.5. Theol. Dogm. lib.1. Incarnat. cap.19.*

22 Cæterùm, Honorius in ſua Epiſtola ad Sergium data, veritatem fidei propoſuit, & ſilentium de novitate vocis ad œconomiam, & pacem, ad tempus ſuaſit. Siquidem in ea vocibus, non quidem abſtractis exprimentibus duas operationes, & voluntates, ſed in concreto uſus eſt; quatenus aſſeruit duas naturas in Chriſto *inconfuſas, diſcretas, & indiviſas*, cum ſuis perfectionibus: *carnem eſſe unitam Divinitati: Chriſtum eſſe operatum divina, & humana: atque operatum in duabus naturis divinitùs, & humanitùs;* in quem ſenſum dixit: *nos enim non unam operationem, vel duas Dominum Jeſum Chriſtum ſacris litteris percepimus, ſed multiformiter* (nota) *cognovimus operatum*. Quibus vocibus in concreto uſi ſunt Patres. S. Leo, inquit in ſua ad Flavianum epiſtola: *Agit utraque forma, cum alterius communione, quod proprium eſt, Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt, & carne exequente, quod carnis;* ac ex ipſis concretis vocibus, utrumque Concilium, *Lateranenſe* ſub Martino I. & *Sextum* collegit, ipſas voces abſtractas, duas ſcilicet voluntates, duaſque operationes; & ita quoad rem, & ſenſum Honorius veram fidem propoſuit, quò verò ad voces diſcretam propoſuit œconomiam.

23 Favit Honorius ſilentio, ob temporis circumſtantias, ac à vocabulo unius, vel duplicis operationis temperavit, volens conſulere paci, & locum contentionibus adimere; ac ne hæretici in Ægypto Eccleſiæ reconciliati, ob novitatem vocabuli *unius;* vel *duplicis*, haud ampliùs redirent ad vomitum, aut hæreſis Neſtorianæ, aut Euthychiani erroris; Siquidem poterant intelligere *per duas* operationes duos operatores in Chriſto; & ita dici non potuiſſent duæ operationes; quia, in Chriſto

ſto eſſe duos operatores, eſt hęreſis Neſtorii, aſſerent is duas in Chriſto perſonas; Vel *per unam* operationem accipere unam tantùm naturam: & ſic non potuiſſet in Chriſto dici una ſolùm operatio; quia eſſe in Chriſto unam tantùm naturam, eſt error Euthychetis. Cæterùm nunquàm prohibuit, ne crederentur in Chriſto duæ operationes, & voluntates, neque ipſius ſilentium ejus generis fuit cum illo Janſeniſtarum à Clemente XI. proſcripto, ex dicendis *controv. ſequen. cap. 6. & 8.*

24 Quare, dum in Chriſto unam voluntatem eſſe reſcripſit, non intellexit, cum Monothelitis eſſe ſolùm Divinam, ſed non eſſe duas humanas contrarias, & pugnantes, ſicut ſunt in nobis poſt peccatum, in quibus *caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem*. Totus itaque Honorius fuit, ut à Chriſto vitiatam, & Adami labe corruptam minimè aſſumptam eſſe naturam probaret, ſed incorruptam, & integram, quæ vacua ſit concupiſcentiæ morbis, & motibus ſpiritui, ac rationi contrariis: quæ ſunt diſcordes illæ, & certantes in nobis contra ſe invicem voluntates; quod in nobis ſint duæ humanæ voluntates in actu primo, ſed quod eadem voluntas poſſit concupiſcere adversùs carnem, & ſpiritum, & ſæpè concupiſcat propter rebellionem partis inferioris ad rationem.

Quod autem hujuſmodi fuerit ſenſus Honorii inde patet, quòd Honorius id tantùm improbet, quod Sergius in ſuis Epiſtolis narrat de Sophronio; at de Sophronio Sergius narrabat, licèt dolo, quòd duos in Chriſto admitteret voluntates cōtrarias. *Ex iis* (hoc eſt duabus operationibus) *conſequens ſit* (verba ſunt Sergii ad Honorium) *duas agnoſcere voluntates inter ſe contrarias*. Ergo Honorius fraudis illius, & hæreticæ calliditatis ignarus, bona fide, eo ſenſu negavit, in Chriſto duas eſſe voluntates, quod fuit à Sergio propoſitum. Quod ipſa Honorii epiſtola ſignificat, qua dixit: *Unam voluntatem fatemur Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quia profectò à Divinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa*; illa profectò, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt prævaricationem vitiata, ut notarunt Petavius *cit. cap. 21.* & Spondanus *ad an. 633. nu. 7.*

25 Ipſam fuiſſe mentem Honorii apertè demonſtrat Joannes IV. (qui ſecundus poſt Honorium in Cathedra Petri ſedit) in Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, in qua inter cætera: *Decenter dicimus, & veraciter confitemur unam voluntatem in Sanctæ ipſius diſpenſationis humanitate, & non duas contrarias mentis, & carnis prædicamus: Secundùm quod quidam hæretici, velut in puro homine delirare noſcuntur. Secundùm hunc igitur modum, jam dictus deceſſor noſter prænominato Sergio Patriarchæ percunctanti ſcripſiſſe dignoſcitur, quia in Salvatore noſtro duæ voluntates contrariæ, ideſt, in membris ipſius penitùs non conſiſtunt, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis.*

26 Hinc Adverſarii credant eidem Joanni declaranti epiſtolas Honorii Catholicas eſse, nec ulla hæreſi infectas, & fraude Monothelitarum in alienos, perverſoſque ſenſus expoſitas. Credant Synodo Lateranenſi celebratæ *anno 649.* ſub Martino I. apud Bail *Sum. to. 2.* in quo diligenter de hæreſi Monothelitarum à Patribus actum eſt, damnatique iterùm nominatim Theodorus, Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, nulla ibi facta Honorii mentione, proſcriptaque fuit *Ecthesis* Heraclii, ſeu explicatio fidei, arte Sergii edita, in qua unius, vel geminę operationis voces ſupprimebantur; & præcipiebatur aſserere unam tantùm voluntatem in Chriſto ut ait Petavius *cit. cap. 21. n. 5.* In quo pariter reprobata fuit Formula credendi ab Imperatore Conſtante ſuo Edicto, quod typum nominavit, propoſita, apud Porter *Syſtema Decretorum ſæcul. 7. cap. 1. §. 3.*

27 Credant Agathoni, qui, tum in Epiſtola ad Conſtantinum directa incip. *Conſiderant*, quæ inſerta eſt *art. 4. Concilii VI.*

re-

reprobanti hæreſim Monothelitarum, & damnanti prænominatos, ad defenſionem Honorii dixit: *Apoſtolicam Eccleſiam unquam à tramite Apoſtolicę Traditionis erraſſe, nec hæreticis novitatibus depravatam ſuccubuiſſe, ſuoſque Prædeceſſores ſemper fratres ſuos in fide confirmaſſe*; tum in epiſtola ſynodica ad d.VI. Synodum tranſmiſsa, & Legatis pro inſtructione tradita, in qua inquit: *Prædeceſſores ſuos, abſque cuiuſpiam novitatis errore fuiſſe, & per ſucceſſores Petri, & Pauli gradatim, uſque ad noſtram parvitatem Dei opitulatione ſplendidiſſimum lumen ſervatum eſſe, nulla hæretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falſitatis nebulis confœdatum*. Utramque Agathonis epiſtolam Patres VI. Concilii curarunt actione quarta integrè legi, lectaſque velut oraculum Spiritus Sancti ſuſceperunt, aſserentes *act.8. Petrum per Agathonem loquutum eſſe*, & ſe Agathonis litteris conſentire; adeòque eos damnare, quos Agathon damnaverat, à quo Honorius minimè fuit, neque proſcribi potuit.

Hinc in litteris hoc notatu dignum eſt, de Honorio, & ejus lapſu altum eſse ſilentium, nullamque mentionem fieri; quæ tamen agitur de illo Sergii, Pyrrhi, Cyri, & Pauli qui damnati notantur.

28 Quinimò, ubi Honorius eorum errorem foviſset, ſuoque ſcripto confirmaſſet, non adeò liberè Agathon dixiſset, *ſuos Prædeceſſores fuiſſe à quavis erroris macula immunes*; & Patres Concilii ejus ſententiam facto Honorii improbaſsent, ac riſu potiùs, quàm encomio litteras præjactas ſuſcepiſsent, nec in litteris, quibus ab Agathone petierunt confirmari, quæ in Concilio egerunt, profiterentur ſe ejus *Doctrina fuiſſe inſtructos*, & juxta illam *infeſta dogmata depuliſſe*, ac nominatos homines condemnaſse.

29 Quocirca argumentum occurrit fundatiſſimè dicendi, nomen Honorii per corruptelam, & depravationem alicujus impoſtoris hęretici fuiſse actionibus Concilii ſuperadditum. Siquidem in litteris Agathonis à Concilio ſuſceptis nulla penitùs de Honorio ignominioſa mentio facta eſt, ſed honorifica potiùs; dum eum excipit à laude omnium Prædeceſsorum, quorum prædicat illibatam fidem Catholicam.

Item, ubi Concilium damnaſset Honorium Legati reclamaſsent; ſiquidem eis in d.Epiſtola ad Conſtantinum injunctum fuerat, *ut nihil præſumerent augere, minuere, vel mutare, ſed Traditionem Apoſtolicæ Sedis, ut à Prædeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, ſinceriter enarrare*. Et à Martino Honorium, cum cæteris Monothelitis fuiſse damnatum, minimè enarrare poterant, cùm reverà ab eo damnatus non fuerit.

30 Propter quod Auctores, & quidem Catholici, cenſuerunt, acta ſextæ Synodi fuiſse corrupta, & per fraudem à Theodoro Pharanita Epiſcopo Conſtantinopolitano (cum cæteris Monothelitis damnato) proprio nomine expuncto, illud Honorii eſse adjectum, priuſquàm acta ipſa vulgarentur, & Romam mitterentur. Ita Spondanus *ad ann.681.nu.5.* Lauræa *de fide diſp.8.art.5.§.an.309.* Boivin. *de Sum.Pontif. diſp.2.q.11.verſ.quantùm ad ea*, & Bzovius *in ſuo Roman.Pontif.cap.15.verſ. Honorium*. Ipſamque ſententiam damnationis in Honorium per dolum, & calumniam in Romanum Pontificem Concilio adjunctam tradit Porter. *cit.§.8.* ex eodem, & Bail, *ſum.cit.* ac Coriolano *in Breviar. ad an.680.* Alterum judicium mutilationis, & corruptionis dicti Concilii conſurgit, quòd in d. epiſt.Synodica Agathonis *Act.4.* lecta, ut dictum eſt, deeſt clauſula: *ex filio procedentem*, quæ fuit expreſsa in ſymbolo edito in Concilio Romano ſub Martino, & reportato in d. ep. Quo verò loco legebatur, *credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & Vivificatorem, ex Patre Filioque procedentem*, Græci nomen, *Filioque* expunxerunt. Detecta fuit hujuſmodi impoſtura Græcorum in Concilio Florentino à Juliano S.R.E.Cardinali, & id ipſum longè ab Emma-

Emmanuele Caleca Græco Auctore. Quod autem dicta clauſula fuerit in prædictis expreſſa, teſtis eſt Concilium Anglicanũ ſub Theodoro Epiſcopo Cantuarienſe, habitum tempore Agathonis ante ſextam Synodum, hæc habens: *Synodum, quæ facta eſt in Urbe Romæ tempore Martini Papæ Beatiſſimi ſuſcipimus, & glorificamus Deum Patrem, & Filium ejus Unigenitum, & Spiritum Sanctum procedentem ex Patre, & Filio*. Proinde nullum remanet dubium de falſatione ſextæ Synodi, quamvis eam non admittat Cabaſutius *notit. Eccleſ. in d. Concilio*, nec eam receperit Melchior Canus, quia ſecuti ſunt collectionem aliquam, quę correctione eget, ſicut eſt illą Caranzæ, ut inquit Coriolanus.

Dices. Teſtimonia Joannis, & Agathonis pro Honorio, cùm ſint domeſtica, ſunt ſuſpecta, nec in jure faciunt fidem; nemo enim eſt Judex in cauſa ſua.

Secundò. Dato, acta ſextæ Synodi fuiſſe corrupta, non eſt veriſimile, quòd depravata ſit ſeptima Synodus, in quibus Honorius, damnatis Monothelitis, accenſetur, aliàs de ipſius auctoritate actum eſſet.

Tertiò. Extant epiſtolæ Leonis II. ſcriptæ, tum ad Imperatorem Conſtantinum, tum ad Epiſcopos Hiſpaniæ in quibus pariter damnatio Honorii ſæpiùs reperitur; Leo autem potuit rem certè ſcire, cùm Honorio immediatè ſucceſſerit.

Quartò. Romani Pontifices, ut ex *Diurno Romanorum Pontificum* ex Ivone *p.4. cap. 132.* in profeſſione fidei, inter alia profitebantur ſe ſuſcipere ſextum Concilium, in quo damnati ſunt Sergius, Pyrrhus, &c. cum Honorio. Et confirmant lectiones antiqui Breviarii Romani in Feſto S. Leonis II. in quibus dicitur: *hic ſuſcepit ſextam Synodum, in qua damnati ſunt Sergius Pyrrhus, Honorius*. Id ipſum dicitur in vita ejuſdem Leonis in Pontificali Romano, ſeù vitis Pontificum.

Quintò. Ideò Ecthesis Heraclii, & Typus Conſtantis fuerunt damnati in d. Lateranenſi ſub Martino I. ex quo imponerent ſilentium vocabulo *geminæ*, vel *unius* operationis: ergo à pari debebant damnari litteræ Honorii, quibus pariter ſimile ſilentium imponebatur.

Sextò. Honorius, cum Sergio communicavit, illi reſcribens, ſe cum eo ſentire ſibique probari, quę Sergius propoſuerat; ergo meritò, & ipſe hæreticus Monothelita habitus eſt.

31 R. Negatur antecedens. Etenim Papa poteſt eſſe Judex in cauſa propria, ut ait Fagnanus *in 1. ad cap. Noſti de elect. n. 16.* cum Doctoribus ab eo congeſtis; Sicut Imperator eſt Judex in cauſa fiſcali C. *proximè ff. de his, quæ in teſtamen. delen.* & tamen res fiſci, quaſi propriæ Imperatoris dicuntur. *l. 2. §. Hoc interdictum, ff. ne quid in loc. publ.* Et Ordinarius, ſi dicat ſuam eſſe juriſdictionem, & ſubditus neget, benè cognoſcit, an ſua ſit juriſdictio *cap. ſuper litteris de reſcript. l. Si quis de aliena, ff. de judic.* Et Epiſcopus judicare poteſt in cauſa ſuæ Eccleſiæ Gloſ. 1 *in cap. cùm veniſſent de judic.* & ibi omnes; Unde ſicut Judęa, & Princeps poſſunt propria jura, auctoritatem, & dignitatem contra ſuos inferiores refractarios defendere, id non eſt Pontifici denegandum. Quinimò in caſu Joannes, & Agathon non propriam cauſam, ſed Eccleſiæ defenderunt juxta dicta ſupra *contr. 3. cap. 2. nu. 34.*

32 Deinde: Eſtò teſtimonia ipſorum dicerentur pro Honorio domeſtica, ſunt alia, & quidem incorruptæ fidei, non domeſtica, ſed externa, utpote Auctorum, etiam Græcorum omni exceptione majorum. Primus eſt S. Maximus Conſtantinopolitanus (qui vixit *ann. 662.* & ſic proximus Honorio) qui in Cathedra Petri ſedit *an. 626. & in Dialogo* cum Pyrrho defenſionem Honorii ſuſcepit, quem ab omni erroris ſuſpicione purgatum dedit apud Porter *cit. §. 4.*

Secundus eſt Anaſtaſius S.R.E. Bibliothecarius in epiſt. ad Joannem Diaconum, & alia ad Petrum Illuſtrium, quibus obſervat

vat non probari certò, an Honorius dictaverit illam Epiſtolam, nec ſynodicè, neque legitimè fuiſſe condemnatum; & licèt fateatur Synodum pronuntiaſſe ſententiam in Honorium, tamen ſeſſiones, in quibus infami illa calumnia laceſſitur Honorius, exiſtimat, non fuiſſe, aut legitimas, aut œcumenicas; eò nimirum, quòd nec intervenerit Legatorum Pontificiorum conſenſus, vel confirmatio Sedis Apoſtolicæ, eaſque Seſſiones, in quibus illa ſententia pronuntiata fuit, comparat illis ſeſſionibus Concilii Calcedonenſis, in quibus nec interfuere Legati Apoſtolici, nec fuere à Sede Apoſtolica confirmatæ; Sic nullius roboris eſt Canon 28. in quo jus Patriarchicum, poſt Romanam, tribuitur Sedi Conſtantinopolitanæ ut alibi diximus.

Tertius eſt prænominatus Emmanuel Caleca *in libro pro latinis edito*, in quo firmiter aſſerit Honorium Catholicum ſemper fuiſſe apud Lauræam *n.*317. Ubi *n.*315. refert Photium Apoſtolicæ Sedi infenſum *in lib. de ſeptem Synod.* recenſere damnatos Pyrrhum, Cyrum, Paulum, & Theodorum, nulla de Honorio mentione facta. Quænam verò ei fuiſſet opportunior occaſio detegendi Romani Pontificis pudenda? Quod ideò haud egit, ſciens ipſum à Monotheliſmo fuiſſe alienum.

33 Ad 2. Etiam Acta ſeptimæ Synodi fuerunt per impoſtores corrupta per inſertionem damnationis Honorii, prout ſcripſit allegatus Anaſtaſius *in præfat. in ſeptimam Synodum ad Joannem VIII. Sanè notandum eſt*, inquit, *quædam in hac Synodo ex Apoſtolorum, & ſextæ Univerſalis Canonibus, & ſententiis* (nota) *inveniri, quæ penes nos interpretata, nec habentur, nec admittuntur*. Idem dixit Humbertus in *notis ad cap. Habet 16. diſt.* ubi diſtinxit inter ſententias ſextæ Synodi attributas, ab Eccleſia Romana admiſſas, & alias, quas nec admiſit, nec approbavit; haſque ſic non admiſſas tradit, fuiſſe ſeptimæ Synodi inſertas, tamquàm editas à Concilio ſexto, de quorum numero fuit ſententia in Honorium in ſeptima Synodo repetita, quam nunquam Romana Eccleſia probavit, nec probare potuit, quia à Concilio œcumenico non proceſſit. Sufficit enim Romanæ Eccleſiæ admittere, & approbare principalem illam definitionem, ob quam præcipuè utrumque Concilium, tum ſextum, tum ſeptimum, fuit convocatum, hoc eſt: in illo, *dogma de duabus voluntatibus, & operationibus in Chriſto Domino, cum Monothelitarum damnatione: in hoc verò, cultum ſacrarum Imaginum*: Quorum definitiones firmæ ſunt, & ab omnibus tenendæ, utpote ſpectantes ad Acta Concilii œcumenici, cum approbatione Romani Pontificis; quam approbationem non receperunt plura, quæ, teſte Anaſtaſio, fuerunt à Græcis ex ſexta Synodo, ac Canonibus, qui tribuuntur Apoſtolis repetita in ſeptima.

34 Nec obſtat, quòd in verſione Anaſtaſii legatur nomen *Honorii*. Quoniam Anaſtaſius functus eſt officio veracis Interpretis, præmiſſa tamen præcitata declaratione, quòd non omnia habent vim, vel robur.

Etiam Albertus Pighius in Comitiis ratiſponenſibus notavit Acta harum Synodorum non eſſe rectæ fidei, maximè circa Honorium, quem hæreticum pronuntiant, ſed notis falſitatis fermentata, & technis, ſeù aſtutiis referta. Argumentum ad juſtificandam alterationem ſeptimæ Synodi ducit ab Epiſtola Adriani Papæ ad Tharaſium Antiſtitem Conſtantinopolitanum, à Patribus approbata, quem titulo *Patriarcha-œcumenico*, hoc eſt, *Univerſali*, ſalutat; quæ prærogativa fuit in Epiſcopis Conſtantinopolitanis à Pontificibus ſemper improbata; nec illa Patriarchæ indulta niſi in Concilio Lateranenſi IV. Cætera ex eodem recenſet *Bail. cit. tit. Concil. Nicæn. II. in contr. de ſeptima Synodo.*

Dices Adrianus II. ut in geſtis Synodi Romanæ approbatis in VIII. Synodo *act.* 7. refert in 6. ſynodo Honorium fuiſſe damnatum;

natum; ergo reverà in ipſa Honorius Monothelita eſt pronuntiatus, & non per imposturam ejus nomen ſententiæ adjunctum.

35 R. Negatur Adrianum approbare damnationem Honorii; eam Utique refert, ſed non ut factam à Concilio œcumenico, ſed à Conciliabulo, & Patribus Orientis, ſine præſentia Legatorum Agathonis congregatis. Textus enim, ait: *licèt enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum*; non dixit: à *Concilio legitimo*, quod includit, etiam Legatos Apoſtolicæ Sedis, ſed ab *Orientalibus*, quos ea in re non eſt dubium, nimiùm exceſſiſſe, ac adversùs Patrem refractarios fuiſſe.

36 Ibi Pontifex conqueritur de temeritate Photii, qui tantæ fuit inſolentiæ, ut contra reverentiam Apoſtolicæ Sedis præſumpſerit anathema dicere in Nicolaum Pontificem; & inde propter novitatem facti exclamavit: *quis veſtrùm unquàm tale quid audivit? Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus; De eo verò quemquam judicaſſe non legimus*. Hìc Pontifex damnationem à Photio peractam per modum admirationis, & rei prorſus inauditæ recenſet, ac igni tradi decernit, quæ à Photio in Conciliabulo ſtatuta fuere, ut *act.1. in epiſtola ad Baſilium Auguſtum*, apud Bail.

37 Cùm verò Adrianus de intolerabili Photii præſumptione conqueratur, remq; inauditam eſſe dicat, ſententiam pronuntiare in perſonam Romani Pontificis, evidens eſt, quòd Honorius non fuerit à legitima Synodo proſcriptus, aliàs temporibus Adriani non fuiſſet res inaudita. Quinimò propoſitio Adriani eſt Univerſalis, hoc eſt, *nullum contra Romanum Pontificem ſententiam pronuntiaſſe, ipſumque de omnium Eccleſiarum Præſulibus poſse jus dicere*. Si id nullus unquam fecit, profectò ſexta œcumenica Synodus nullo modo id egit; alioquin dicta propoſitio non eſſet univerſaliter vera, contra mentem octavæ Synodi, quæ geſta Adriani ſuſcepit, & ipſa cum contentis in ea, probavit; & ideò veriſſimum eſt, Honorium à nemine fuiſſe unquam legitimè, & jure damnatum.

38 Nec obſtat, quod Adrianus ſubinferat: *Sciendum, quòd fuerit* (Honorius) *ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus, majorum ſuorum moribus reſiſtere; vel, pravos ſenſus liberè reſpuere*; nam non dixit, Honorium hæreticum fuiſſe, ſed de hæreſi accuſatum, quod illi præjudicare non poterat, cùm alii, tam ſancti, quàm Romani Pontifices, ſæpè de hæreſi fuerint iniquè, & ex odio ab hoſtibus Romanæ Sedis calumniati, & accuſati; *& ſi accuſare ſat eſt*, inquit Seneca: *nemo innocens erit*. Affirmat hìc Adrianus, ob ſolam hæreſim poſſe fieri judicium de Romano Pontifice, data nimirum hypotheſi, quòd poſſet reverà eſſe hæreticus, quam non admittimus per dicenda *contr.7.cap.1.* Quam neque admiſit Adrianus, cùm ei incognita non eſſent privilegia Romani Pontificis. Ideò certò certius eſt verba illa *propter quam, &c.* non eſſe Adriani, ſed ab aliquo implanatore fuiſſe adjecta, ut veriſimilem redderet damnationem Honorii.

Hæc fraus falſandi ſcripta Patrum, & acta Conciliorum fuit perſpicua ipſi ſextæ Synodo. In qua *act.14.* acclamatum eſt: *anathema libello, qui dicitur Mennæ ad Vigilium* (utpote ficto ex *act.3.*) *Anathema libellis, qui dicuntur facti fuiſſe à Vigilio ad Juſtinianum, & Theodoram. Anathema ſimul, qui falſarunt acta ſancti, & univerſalis quinti Concilii.*

39 Ad 3. Litteras Leonis eſſe commentitias, & adulterinas refert Spondanus *an.683.nu.2.* nonnulla adnotans falſitatis, vel alterationis indicia. Inter quæ hoc conſideratur, quòd Leo in Epiſtola ad Conſtantinum dixit, ab Agathone fuiſſe per ſuos Legatos eidem Imperatori tranſmiſſa, quæ Agatho ipſe cum ſua Synodo decreverat de doctrina duarum voluntatum, & operationum in Chriſto, ac de condemna-

na-

natione eorum, qui aliter docuerunt, & crediderunt, eaque à ſexta Synodo fuiſſe ſuſcepta, ipſumque ſuſcepiſſe. Conſtat autem ex allegata Agathonis epiſtola ad d. Conſtantinum, ab eodem Agathone Honorium damnatum non fuiſſe; quinimò, cùm aſſerat, Apoſtolicam Sedem, ejuſque Pontifices *nunquam à fide aberraſſe, ſed potiùs juxta promiſſionem Petro factam devios, quoſque à veritatis tramite in vera fide confirmaſſe*; non potuit Leo definitionem ſui Prædeceſſoris recipiens, nec Imperatori, neque Hiſpanis reſcribere, ſe in damnationem Honorii conſentire, eamque confirmare; neque enim poterat ignorare d. definitionem Agathonis, quam prænominata epiſtola commemorat. Ideò dicendum ipſas ejuſdem epiſtolas, vel eſſe ſuppoſititias, vel à Monothelitis corruptas. Videatur Baronius *to.8. ad 683.*

40 Ad 4. Marcheſius *in vindiciis Honorii diſſert.4.cap.6. & 7.* notavit, aſſertum Diurnum eſſe ſuſpectæ fidei propter contradictiones, aliaſve implicantias inter Ivonem, & Gratianum circa contenta in illo. Item *cap.Sancta octo cit. diſt.* ubi formula traditur profeſſionis fidei à Pontificibus præſtanda, nihil dicitur de Honorio, ſicut altum ſilentium habetur in determinata à Concilio Conſtantienſi *nu.8. inter decreta Concilii apud Bail.* & in illa edita à Paſchali II. in Concilio Lateranenſi II. ſub eodem Pontifice in cauſa Inveſtiturarum; quæ hujus tenoris eſt: *Amplector omnem divinam ſcripturam, ſcilicet veteris, & novi Teſtamenti, legem ſcriptam à Moyſe, & à Sanctis Prophetis; amplector quatuor evangelia, ſeptem canonicas epiſtolas, & epiſtolas glorioſi Doctoris B.Pauli Apoſtoli, Sanctos Canones Apoſtolorum, quatuor univerſalia Concilia, ſicut quatuor Evangelia, Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Calcedonenſe, & præcipuè Decreta Domini mei Papæ Gregorii, & B.M. Papæ Urbani; quæ ipſi laudaverunt, laudabo; quæ ipſi tenuerunt, teneo*, apud Bail. *to.2.Conciliorum*. Ideò ſequitur, commentitium omninò eſſe, & à Monothelitis digeſtum Diurnum à quodam recenter objectum, referens profeſſionem fidei à Pontificibus emiſſam cum expreſſo anathematiſmo in Honorium. Obſervat doctus Auctor, dictum Diurnum editum fuiſſe Pariſiis *an.1680.* à Joanne Garniero; & hic in præfatione fatetur, interpolatorem quædam inſeruiſſe recentiora, & vilia; ergo interpolator, vel alius inſeruit nomen Honorii. Verùm d.Diurnum fuit à Sancta Inquiſitione ſuppreſſum.

Similis varietas, & alteratio extat in Lectionibus Veterum Breviariorum; quorumdam enim Exemplaria nomen Honorii non referunt, quod in aliis invenitur. Unde hæc diverſitas? niſi quòd, qui priores lectiones compoſuit (ſicut cæteri idem referentes) in codices corruptos inciderit, & ex illis acceperit, quod in lectionibus inſeruit. Varietatem in Officio S. Leonis agnovit, etiam Innocentius III. *in cap.Cùm Marthæ de celeb. Miſſar.* à quo fuit correcta *Secreta*, & pro *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc proſit oblatio*, dictum: *Annue nobis quæſumus, Domine, ut interceſſione B.Leonis, hæc nobis proſit oblatio*. Sicut itaque error prætactus in Secreta occurrere potuit, ut correctione opus fuerit; ſic dicendum de nomine Honorii illis Lectionibus appoſito, quę à Sancta Eccleſia, veritate detecta, correctæ fuerunt.

41 Ad illud, quod adducitur ex vita Leonis *ex libro Pontificalis*, dicitur, ſolutionem ex laudato Anaſtaſio patere; (ſi ille vitam Leonis deſcripſerit: cui ex Spondano ad *an.69.n.13.* tribuitur liber de Romanis Pontificibus; ideò non eſt Damaſi) nam cùm pro Honorio Apologiam ediderit, & in ea ipſum non agnoſcat damnatum, vel, certè non à Synodo legitima, ſed ab Acephala injuſtè, & invalidè, dicendum, vel, quòd ibi referat Factum Synodi Acephalæ, uſurpantis ſibi nomen Concilii Sextæ; Vel, quòd illud reportet, ut ab alio per corruptos codices decepto,

in vita Leonis inſertum. Hoc ſecundum, inſpecta ſupputatione temporis, videtur magis veritati cohęrens; Siquidem cùm ibi ſcribat: *hic Leo ſuſcepit ſextam Synodum, quæ nuper Conſtantinopoli celebrata eſt*, hoc *nuper* profectò reſpectu Anaſtaſii dici non potuit; nam ipſe floruit pluſquàm centum annis poſt D.Concilium; Etenim ſextum fuit celebratum an.681.& octavum an.869. huic Anaſtaſius fuit præſens ejuſque interpres, in cujus codice latino non reperitur, Honorium fuiſſe in octava ſynodo damnatum, quidquid dicat Forbetius adversùs Honorium apud Porter *cit.* §. 10.

42 Hinc advertendum, nonnullos Auctores in re hiſtorica, circa lapſum Honorii falſa proponere; vel, quia eorum operibus permixti à Græcis ſunt codices faventes Monotheliſmo; vel, quia ipſi ſcriptores ea tempeſtate ex fama lapſum Honorii narrent; propter quod quotidie videmus quamplures hiſtoricos, & Chronographos, aliàs graves, ſæpè ex falſis rumoribus falſas narrationes ſuis operibus inſeruiſſe. Ita Beda *de ſex mundi ætatibus* agens de Auctoribus Monotheliſmi nominat Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum aſſeritque in Concilio Lateranenſi, ſub S. Martino damnatos, ſed nec verbum profert de Honorio, quem tamen paulò infrà, cæteris damnatis annumerat; quæ non benè cohærent, maximè quia *lib.2. hiſt. Anglorum*, ut laudabilem Honorium commendat. Et præſertim facit, quod Bedæ fuit contemporaneus S.Joannes Damaſcenus Græcus, vivens *an.*731. & ita proximus ſextæ ſynodo, qui catalogum hæreſum, & hęreticorum à Simone Mago ad ſua uſque tempora contexuit, in quo recenſet Monotheliſmum, nec verbum habet de Honorio; ergo quia altum de Honorio ſilentium in Oriente fuit tempore hujus Sancti; atque adeò certum eſt, Orthodoxos tunc nullo modo ſenſiſſe malè de eodem: quòd ſcilicet nulla cauſa eis ſuppeteret, de illo malè ſuſpicandi. Ita Humbertus Cardinalis, qui vixit an.1049. & fuit Legatus Leonis IX. pugnantia ſcripſit, dum dixit Concilio ſexto præſediſſe Gregorium Patriarcham Conſtantinopolitanum, cùm tamen præſederint Legati Agathonis, ut ex Actis; ergo ei non eſt credendum, ſi à ſexta ſynodo aſſeveret Honorium damnatum. Cùm autem ſubjungat: *de Papa quoque Agathone omninò ſcimus, quia nec ſextæ Synodo per ſe ipſum præſedit, nec aliquibus capitulis ſubſcripſit, niſi quæ promulgata fuerunt adversùs Monothelitas*; deducitur, primò, Acta ſextæ ſynodi eſſe non à Leone, ſed ab Agathone confirmata, & ſolùm quantùm ad condemnationem hæreſis Monothelitarum, ob quam Synodus fuit indicta, ut in notis *ad cap. Habeo 16. diſt.* Secundò, quòd propria auctoritate, & contra inſtructionem Agathonis plures Seſſiones à Græcis fuerunt celebratæ, quas idem Pontifex noluit ratas habere.

Quapropter in hiſtoricis, ut fidem faciant, debent concurrere quæ diximus *Off.Cur.Eccleſiaſt.cap.47.nu.36.* hoc eſt, debent rei narratæ eſſe contemporanei, non ſuſpectæ fidei, nec gravibus, probatiſque hiſtoricis contradicere.

43 Ad 5. Ecthesis, & typus ideò fuerunt damnata, non quia præcisè imponerent illud ſilentium, ſed quatenus tanquàm fidei dogma præſcribebant, nec duplicem, nec unam in Chriſto voluntatem, & operationem; ſub qua ratione à Sergio, Pyrrho, & Paulo omnibus cum pertinacia promulgabatur. Hinc non ſe continebant ampliùs in ſolo illarum vocum ſilentio, ſed earumdem ſignificata intendebant penitùs è medio tollere, ut ex alleg. Concilio Lateranenſi: Honorius verò nunquam per favorem exhibitum ſilentio vocum *unius*, *vel geminæ voluntatis*, *& operationis* voluit id ſtabilire, tanquàm dogma fidei, ſed ipſum prudenti dumtaxat motivo ſuaſit, prout refert ejus epiſtola ad Sergium. *Hortantes*, ait, *ut unius, vel geminæ vocis inductum operationis vocabulum*

lum aufugientes, Chriſtum Dominum in duabus naturis operatum divinitùs, atque humanitùs prædicetis; E contra verò illi typum, & Ecthesim, tamquàm fidei dogmata, obſtinatè, & admonitionibus Sedis Apoſtolicæ refractarii propugnabant, ut ex d. Concilio, & alio ſub Theodoro Pontifice relato à Bail. *d.to.*2. & apud Binium *to.*2.*p.* 2. legitur, Sergium laudaſſe Heraclium ob exhibitum ſuæ hæreſi patrocinium, quem ſubinde aſſentationis modum amplexus eſt Pyrrhus Sergii ſucceſſor, & in Epiſcopatu Conſtantinopolitano, & in errore.

Quinimò cùm Ecthesis unam voluntatem in Chriſto expreſsè tantùm profiteretur, de ejus hæreſi dubium non erat. Ex cujus doctrina intulit S. Maximus, Chriſtum nullo modo exiſtere, ſi ipſa ſubſiſtat. Idem concludit de typo, ex quo non admittat in Chriſto nec unam, nec duas voluntates, & operationes, quod eſt rei non exiſtentis, ut ipſe ait *Porter* §.3. *Ecthesim, & Typum*.

44 Ad 6. Negatur conſequentia; neque Honorius communicavit cum Sergio in Monotheliſmo, neque pro tempore, quo ejus animus, errorque deprehenſus eſt, ſed ſolùm pro eo, quo ſimulata Religione Catholicus apparuit, & hæreſim occultavit; quam Pontifici non propoſuerat, ſed ſolùm ementita pietate, modum loquendi ab aliis, cum notabili Fidelium ſcandalo, ut ajebat, introductum retulerat; remedium poſtulans, & ſuadens illud ſilentium pro pace Eccleſiæ, cujus legitimum obedientemque filium ſe externa facie profitebatur. Hæreticusne Zoſimus Papa, quòd deceptus à ficta, callidaque confeſſione Pelagii, & Cœleſtii ad Africanos Epiſcopos litteras, non ſine increpatione dederit, eorum accuſatores ſugillans, ut ex ejuſdem epiſtola apud Auguſtinum *to.* 10 *in* 2. *appendice*? Quis enim dixerit hæreticum, qui ei ſe commiſcet, quem bona fide Catholicum judicat, & ut Catholicum honorat? nullus ſanè; *quoniam non debet crimini deputari ſimplicium, non intellecta verſutia malignorum*, ut loquitur Facundus Hermanienſis *lib. de appellat. cap.* 2. §. 38.

45 Honorius itaque nunquam cum Sergio in Monotheliſmo conſenſit, nec aliud ex Sergio externè Catholico probavit, quàm illam ſilentii œconomiam; propter quam Sergius non fuit ab Eccleſiæ communione ſemotus, ſed ob pertinaciam animi, quam licèt ſæpè rogatus deponere renuit, ſed pergebat propugnare, promulgareque, tenenda eſſe contenta in Ecthesi, ut dogmata fidei, & confitendam unicam in Chriſto operationem, individuamque voluntatem, à quo fuit Honorius alienus; qui licèt in vocum ſuſpenſionem *geminæ, & unius*, propenderit, tamen æquivalentibus verbis duas in Chriſto admiſit voluntates, ac operationum diverſitatem, ut ſæpè dictum eſt.

46 Quinimò aliud inter Honorium, & Sergium obſervatur à D. Thoma diſcrimen *3.p.q.*18.*art.*1. quòd Sergius cum ſuis Monothelitis diceret, *in Chriſto ſolum Deum operari, & humanitatem pati: in omnibus eſſe motum, in nullo egere*. Ubi Honorius duas naturas operatrices poſuit, ita ut *Divina operaretur, quæ Dei ſunt: humana, quæ hominis;* & hinc humanam naturam non pati tantùm, ſed etiam operari. Propterea ceſſent Maimburgus, & Dupinus, aliique Honorium incuſare, quòd cum Sergio in Monotheliſmo communicaverit, & à tali ſe blaſphemia contineant.

Dices. In ſexta ſynodo fuit expreſsè definitum, in Chriſto fuiſſe duas voluntates, duaſque operationes, divinam, & humanam; dictumque anathema aſſerentibus contrarium. Sed Honorius non dixit, illas fuiſſe: ergo cum Monothelitis ſenſit.

R. 1. Nonnulli dixerunt, ideò Honorium hæreſim non docuiſſe, quia, cùm Sergio reſcripſit, non erat adhuc res definita. Verùm hæc reſponſio non regit; ſiquidem Honorius, ut regula, & Cathe-

dra docens fidem, reſpondebat Sergio; ergo ipſe debuerat id docere; ſicut ſubinde docuit Synodus, & ante ipſam Martinus, & Agathon.

47 R.2.Negatur minor.Definitio Concilii Honorium non complectitur; quoniam in Chriſto rem, immò vocem pluralem fatebatur: Dixit enim, eſſe prædicandum, quòd *Chriſtus humanitùs, & divinitùs ſit operatus*: quòd *divina, & humana opera habuit*; quòd *multifariam, multiſque modis quoad humanitatem, & divinitatem operaturus ſit*; abſtinuit tamen, ex ſæpè allegato motivo, à voce illa *una*, vel *gemina*, utpote nova. Quoniam verò ſubinde Monothelitæ ſua malitia à vocibus illis dixerunt eſſe omninò abſtinendum, & ex negatione vocum ad neganda ipſarum ſignificata proceſſerunt, non profitentes diverſitatem voluntatum, & operationum Chriſti, humanæ, & Divinæ, ſed Divinam tantùm prædicantes, neceſſe fuit, ut res, etiam quoad vocem dualitatis definiretur. Ubi verò prædicaſſent in Chriſto operationes Divinas diverſas ab humanis, abſtinendo tantùm à voce *geminæ*, ſicut moniti fuerant ab Honorio fortè nec Concilium aliquid decreviſſet, immò nec celebratum fuiſſet; cùm omnes tunc ſcirent, quid ipſi affirmarent, quid verò negarent, ut notavit Laurea *nu.305.*

Quocircà juxta dicta non recipimus doctrinam Turrecrematæ, aliorumque dicentium, & ſextam ſynodum, & Leonem II. damnaſſe quidem Honorium: at in Facto erraſſe; quoniam id nec eſſe factum ſupra ſatis probavimus.

IV. Objectum.

Joannes XXII. erravit dicendo, quòd nulla anima, etſi innocens, vel purgata igne Purgatorii videt intuitivè Deum ante communem reſurrectionem, & diem Judicii.

48 R.Non conſtat, quòd Joannes illius ſententiæ fuerit, nec ex ipſius confeſſione, cùm nullum extet auctenticum ejus documentum, in quo id affirmet, neque ex teſtibus de viſu, ſeù de auditu proprio; nullus enim depoſuit, nec dicere poteſt ſe à Joanne audiviſſe, quòd illam ſententiam tenuerit; Indeque non eſt ei tale crimen imputandum; nulli enim poteſt crimen aliquod attribui, niſi videatur in facto delinquens, vel à teſtibus idoneis deponatur, aut id ejuſdem auctentico ſcripto doceatur; aliàs attributum calumnia eſt, & impoſtura.

49 Prætereà, Joannes partem affirmativam tenuit, ut conſtat ex ejuſdem epiſtola, quam refert Guarnieri *de Eccleſ.milit. lib.2.cap.22.num.130.* ſub his verbis: *Ecce quòd noſtram intentionem, quam circa ſtatum animarum habemus, & habuimus, ſerie præſentium declaramus: Fatemur ſiquidem, & credimus, quòd animæ purgatæ ſeparatæ à corporibus ſint in Cælo, Cælorum Regno, & Paradiſo cum Chriſto in conſortio Angelorum congregatæ, & vident Deum facie ad faciem, & divinam eſſentiam clarè, in quantum conditio, & ſtatus patitur animæ ſeparatæ.* Quæ epiſtola obiicitur alteri, quam Raynaldus *to.4.an.1233.nu.46.* narrat ab ipſo Joanne ſcriptam Philippo Galliarum Regi, ipſum rogante, ut permitteret prædicari utramque ſententiam (Rex enim fertur prohibuiſſe, ne prædicaretur ſententia negativa, nimirùm, quòd dictæ animæ non videant Deum facialiter uſque ad reſurrectionem)

50 Cæterùm, Joannes à nevo erroris præſervatur, etiam quòd Cathalogo Sanctorum adſcripſerit S.Ludovicum Epiſcopum, ut ex ejus *Conſtit.1 Sol oriens in Bullar. to.1.* in qua §.18. hec habet: *tandem glorioſam reſolutus in mortem, qui hic vivus ambulavit in innocentia in medio domus ſuæ ad Deum ſuum contemplandum in gaudio facie revelata* (nota) *in ſua innocentia eſt ingreſſus.* Item S.Thomam Epiſcopum Herfordienſem ibi *Conſtit.Unigenitus 7.* Item, S.Thomam de Aquino ibi *Conſtit.Redemptionem.* Hinc & Ochamus, Joanni infenſus de men-

mendacio notatur, eidem prætactum errorem affingens; & calumnia Calvini refellitur, tradentis, eumdem tenuiſſe, animam rationalem eſſe mortalem.

Dices. Joannes permiſit, ut alterutra pars prædicaretur; & ſubinde judicii diſcuſſioni ſubmiſit, ut quiſque produceret quid ex Scriptura, vel Traditione pro alterutra ſentiret, ut ex *Conſt. Benedicti XII. Benedictus Deus* 4. ibi §. 1. quæ probant, ipſum ea de re fuiſſe dubium; dubius autem in fide eſt hæreticus, *cap. dubius in fide de hæret.*

51 R. Potuit ipſe permittere, ut utraque ſententia prædicaretur uſquedum à Sede Apoſtolica articulus definiretur, (ut fuit praxis aliorum Pontificum circa alias controverſias) & rationes pro alterutra adducerentur; non quòd ipſe fuerit ſententiæ negativæ: ſed I. ad tollenda ſchiſmata, & ſcandala inter partes. II. intentione, ut rem ipſe ex Cathedra decideret, & litem ultimò finiret. Neque ea permiſſione, & cautela rem ex Cathedra definivit, ſicut nec Alexander VII. Decreto edito 5. *Maii* 1667. quo permiſit alterutram ſententiam, tam requirentem in attritione neceſſitatem alicujus actus dilectionis, quàm id negantem, prohibens in bonum pacis, & ad vitandas diſcordias, ne quis alterutram cenſuraret, donec à Sede Apoſtolica fuiſſet ea in re aliquid definitum.

52 Itaque tempore Joannis res illa non fuerat adhuc à Sede Apoſtolica definita; quod ſubinde factum eſt à Benedicto *d. Conſtit.* & Concilio Florentino *in litt. unionis*, & Trid. *ſeſſ.* 25. *in Decreto de Purgat.* Neque explicita erat in aliquo textu ſcripturæ; aliàs nullus Patrum ſine hęreſis nota negativam tenuiſſet, & de affirmativa dubitaſſet; & tamen plures fuerunt, ut notavit Petavius *Theol. dogmat. to.* 1. *lib.* 7. *c.* 14. & Du-hamel *Theol. Cleric. tom.* 1. *diſſert.* 3. *capit.* 3.

53 Itaque, ſi Joannes permiſit oppoſitum prædicari, quod negamus, nihil permiſit contra definitionem Eccleſiæ, neque adversùs explicitum ſenſum Scripturæ, ſed ad œconomiam ſolùm, ut prædicaretur, ſicut eò uſque fuerat prædicatum. Sileat proinde Dupinus *diſſert.* 5. *de antiq. Ecclenſt. diſcipl*, §. 3. Et Joanni hæreſim non tribuat, ac ab odio ſe revocet, quo Romanam Cathedram adeò iniquè proſequitur.

54 Circa quod conſideratur pariter, quòd in Conciliis, in quibus aliqua fidei doctrina eſt definienda, ſolent ante definitionem eſſe opiniones contrariæ, & ad examen vocari; nec propterea Auctores partis poſteà damnatæ dicuntur hæretici pro tempore antecedenti, ſed dumtaxat ſi perſeverant in ea poſt definitionem, & approbationem Sedis Apoſtolicæ. Ita *Act.* 15. orta controverſia inter converſos ad fidem, an *Gentiles, & baptizari deberent, & circumcidi;* affirmantibus nonnullis, negantibus aliis, magna conquiſitio facta eſt; neutri ante decretum Petri erant hæretici, ſed ſolùm, qui poſt illud in ſententia affirmante perſtiterunt, ut Phariſæi. Idem dicitur de cæteris. Cùm ergo ante Joannem nunquam fuiſſet ab Eccleſia dãnata ſententia aſſerens, animas juſtorum, etiam plenè purgatas, & innocentes, non viſuras Deum facialiter ante judicium, quicunque eam tenuiſſet (quam non tenuit Joannes ex dictis n. 49.) non poterat hæreſi ſugillari. Axioma illud: *dubius in fide eſt infidelis*, non poteſt procedere quoad Romanos Pontifices: & quantum ad alios, de illo accipitur, qui voluntariè, & pertinaciter dubitat de veritate à Deo revelata, quæ explicitè continetur in ſacra Scriptura, vel Traditione, vel ab Eccleſia eſt definita, ſufficienterque propoſita, per Gonzalez *in* 5. *tit.* 7. *de hæret. cap.* 1. cujus generis non erat articulus de Viſione ſub tempore Joannis XXII.

56 Ampliùs in ſententia, quam ſuſtinemus, dicendum, Pontificem, nec ut perſonam privatam poſſe in fide errare: ei enim à Chriſto promiſſa eſt indefectibilitas, non tantùm in definiendo ex Cathe-

 dra,

dra, ſed etiam in credendo. Et ſingulæ hiſtoriæ adverſus Pontifices congeſtę, tamquàm in hęreſim lapſos, intelligendæ ſunt, non hæreſi interna, ſeù, quòd fidem internam amiſerint, ſed de hæreſi externa, ſeù, quòd peccaverint ſolùm contra confeſſionem fidei, ore ipſam non confitendo ut dictum eſt ſupra *nu.9.* de D.Petro, & Marcellino. Ita poſt alios Viva *quæſt.prodroma ad prop.dam.ab Alex.VII. & VIII. & Joannes XI.num.16.* Qua doctrina fit ſatis omnibus difficultatibus objectis, quibus nonnulli videntur ſuccumbere, cùm non debeant; ſed de hac re *contr.7.cap.1.*

Opponunt 2. In ſede Petri ſedit fęmina, quæ dicta eſt Joannes VIII. de quo teſtatur Martinus Polonus in Chronicis an.855. Sęgebertus, & Marianus Scotus; aliique in poſterioribus ſæculis ab eis verba quoque mutuarunt, recenſentes cautelam, quòd, ne iterùm contingat, electus ſtatim in ſede porphiretica intus perforata collocatur, ad experiendum, an ſit vir; ergo ſucceſſio interrupta eſt.

Deinde. Tot in Eccleſia fuerunt ſchiſmata, quibus ſanè interrupta eſt Apoſtolica ſucceſſio; ergo Romana Eccleſia non habet ſucceſſionem perſonarum, ſine interruptione, legitimè continuatam.

Prætereà. Succeſſio Pontificum fuit ſępè temporis ſpatio interrupta; ergo non eſt legitimè continuata.

57 R. Aſſerta Fabella Sectarii ſuis ſuadere curant, Religionem Romanam in Babylonicam meretricem mutatam, Romanorumque Pontificum ſucceſſionis filum fuiſſe diſruptum; verùm, non tam fabellam dixerim, ſed manifeſtum mendacium apertumque commentum à perditiſſimis S.R.E. refractariis è Sathanicis typis luci datum: quæ inde eis fides? profectò nulla. Neque enim inter ſe conveniunt. Siquidem alii ponunt eam fuiſſe Anglam, alii Germanam, ex Moguntia. Diſſident in nomine Papiſſæ Joannæ; nam alii eam vocant Joannem VII. alii VIII. alii IX. Quidam dicunt, eam ſediſſe poſt Sanctum Martinum Pontificem. Quidam poſt Stephanum V. Quidam verò poſt Leonem IV. Cùm tamen quicunque de ſucceſſione Romanorum Pontificum pro veritate hiſtoriæ ſcripſerunt, S.Martino ſubrogatum eſſe Eugenium I. Stephano Paſchalem, & Leoni Benedictum III. concordant. Ideò in re adeò varia, & conficta, credendum minimè eis eſt. Fabulam fuſo calamo retundunt Gravina *p.2.tom.3. lib.4.contr.4. art.ult.difficult.1.* Spondanus *Epit. to.2. ad an.853.num.5.* & Coriolanus *in Breviar. ad d.an.* Et alii innumeri.

Hi poſtremi addunt, quòd tempore, quo Marianus ſcripſerat (quem, fabulæ inventæ poſt ducentos, & ampliùs annos, vixiſſe, & ſcripſiſſe narrant) fama erat de fęmina ordinata Patriarcha in ſede Conſtantinopolitana, ut conſtat ex epiſtola 1. *Leonis IX.cap.23.* ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum; & quæ de fęmina illa fama vulgaverat, ſchiſmatici ex odio in Romanam Eccleſiam mendaciter tranſportarunt. Quin etiam referunt, ſub *anno* 879. quod cùm Joannes VIII. non reſtitiſſet Photio, eumque Conſtantinopolitanæ Eccleſię reſtituiſſet (quod conſtanter fuerat denegatum à Nicolao, & Adriano) ob nimiam animi facilitatem, & mellitudinem per contumeliam fuit dictus non Papa, ſed Papiſſa, fęmina non vir; juxta communem loquendi modum, quo viros nimirum faciles, & irrationabiliter favoribus concedentes, appellare ſolemus fæminas, non ſexu, ſed operatione. Et ita, quod de Joanne contumelioſè dicebatur, tranſivit poſteris rerum inſciis in relationem rei, tamquàm veræ; ut à nonnullis decantatum fuerat Joannem VIII. reverà fuiſſe fęminam: quomodò vulgata fabula invenit locum.

58 Illud de Sede perforata, nunquam fuit in uſu, & eo magis de aſſerto in eum finem omninò fingitur. Via enim tutiſſima affirmandi electum eſſe virum non fæminam, eſt ſi ab Electoribus concorditer eligatur, recipiaturque pacificè in Pontificem;

cem; Deus enim non permitteret, ut pro Pontifice eligeretur, acceptareturque, qui non eſſet vir. Gravina *cit. ad 3.* refert *ex lib. 1. Cerem. ſect. 2.* tres ſedes uſu fuiſſe tempore coronationis Papæ. Prima erat vilis, & abjecta, in qua Papa coronandus ſedebat; quæ & ſtercoraria dicebatur ad ſignificandum ex loco vili aſſumptum ad ſublimem adeò dignitatem. Secunda *Porphii-retica*, in qua in ſignum poſſeſſionis accipiebat claves. Tertia, in qua parùm ſedens, alter claves recipiebat, in ſignum brevitatis vitæ. De nulla perforata fit mentio, ut perſpicuum eſt omnibus.

Ad deinde, quod eſt Achilles Proteſtantium ad declamandum ſucceſſionem Romanorum Pontificum eſſe ſuccisam. Videantur dicta *contr. 1. cap. 1. n. 13. & contr. 8. cap. 6. nu. 44.*

Inſtant. Ex ſucceſſione Pontificum in Eccleſia particulari non ſequitur Univerſalis Eccleſiæ ſtatus, vel unitatem non diſrumpi; non enim ea, quæ eſt Romæ, eſt Univerſalis Eccleſia Chriſti.

59 R. Romanus Pontifex, ut dictum eſt *cap. 1. n. 29.* non ſuccedit Petro ſolùm in Epiſcopatu Romanæ Urbis, ſed etiam in Primatu Eccleſiæ Univerſalis: utriuſque enim eſt Epiſcopus; ideò ex illorum ſucceſſione ſequitur ſtatus Eccleſiæ Univerſalis. Ideò enim particulares Eccleſiæ una Univerſalis Eccleſia ſunt, quia ſunt communione conjunctæ cum uno capite, Petri ſucceſſore, & illarum Paſtores, ſub uno ſunt Supremo Paſtore; & hinc Sedes Romana in medio totius Eccleſiæ eſt conſtituta, ut eſſet aliis viſibile ſignum, ad quod omnes reſpicerent, & adversùs hæreſes, ac ſchiſmata, unione cum ipſa ſervata, ſe munirent, dicente Optato *lib. 2. contra Parmen. In qua una Cathedra unitas ſervaretur .... ac jam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, Cathedram alteram collocaret.* Et Irenæus *lib. 3. cap. 3. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt, omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, qui ſunt undique Fideles: in qua ſemper ab iis, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis tradita,* nimirùm doctrina; Unde Romana Eccleſia non eſt ita particularis, quin ſit cæterarum caput.

60 Ad præterea, negatur conſequentia. Succeſſio Pontificum non ita continua dicenda eſt, ut excludat quancunque temporis interruptionem, aliàs D. Petrus debuiſſet ſemper vivere, & ſedes nunquam deberet vacare, contra inſtitutionem Chriſti, qui Pontifices voluit eſſe homines mortales, & unum non ſemper vivere, ſed alteri per electionem canonicam eligendum ſuccedere: ideò aliquam interruptionem inter unum, aliumve Pontificem intendit; & hinc interruptio ſucceſſionem obrumpens non fit per vacantiam Sedis tempore interregni, vel electionis, ſed per hæreticas perſonas, quarum nulla, Deo providente, ſedit unquam, nec eſt ſeſſura in Cathedra Petri.

Opponunt 3. In Eccleſia ſufficit ſola ſucceſſio doctrinæ Apoſtolicæ, & quòd ipſa interrupta non ſit, aut depravata, ſine illa Pontificum à Petro ſuccedentium: Ab ea enim dicta eſt Apoſtolica, priuſquàm eſſet Pontificum ſucceſſio.

61 R. negatur antecedens. Doctrina enim à Chriſto tradita, & Apoſtolis prædicata non potuit certò integra, & illibata conſervari, & ab Apoſtolis ad nos uſque tranſmitti, ſine ſucceſſione perſonarum, quæ in ea proponenda errare non potuiſſent, cujuſmodi ſoli ſunt Romani Pontifices: Ideò ſola ſucceſſio doctrinæ non ſufficit. Et unde probatur, quòd non ſit corrupta? Nullus enim hæreticorum eſt, qui non clamet, ſe doctrinam ab Apoſtolis traditam prædicare. Hoc Sectariis eſt familiare aſſerere. Lutheranus id affirmat contra Calviniſtas, & hi adversùs Lutheranos ſe extollunt. Cur tanta varietas, & tot figmentis procedunt? niſi quia, ut ait Cyprianus *lib. 4. epiſt. 9. Sacerdoti Dei* (Romano nimirum Pontifici) *non obtemperatur: ex eo enim natæ ſunt hæreſes, &* ſchiſ-

ſchiſmata orta. Quare ſicut apud Patres ad demonſtrandam contra veteres hęreticos unitatem Eccleſiæ, & veritatem doctrinę irrefragabile argumentum fuit ſucceſſio Romanorum Pontificum, ita adversùs modernos Sectarios vim habet. Qui falsò dicunt ſe communicare cum Eccleſia in doctrina Apoſtolorum, cùm non communicent cum Succeſſore Petri, cum quo Eccleſia Chriſti communicat, & cujus eſt veram doctrinam proponere, & depoſitum ſervare.

62 Quo verò titulo Eccleſia dicatur Apoſtolica notavimus *contr.1.cap.1.n.24.* Et hìc addimus ante Pontificum ſucceſſionē appellatam eſſe Apoſtolicam in actu primo, quatenus ex Chriſti inſtitutione ſucceſſionem Apoſtolicam habitura erat in Romanis Pontificibus, ſucceſſuris D.Petro Apoſtolorum Principi, ſuper quem Chriſtus Eccleſiam fundavit. Ita ab initio licèt non actu diffuſa per Orbem dicta eſt Catholica, quia veriſſimè pro futuro diffundenda erat. Ita Cathedra Petri appellatur ſedes Apoſtolica, quia à Petro Apoſtolorum Principe erecta: Et ipſe Pontifex dicitur Apoſtolicus, quia Principi Apoſtolorum ſuccedit.

63 Contra prædicta opponunt ſucceſſionem nedum interruptam, ſed etiam extinctam à tempore Concilii Conſtantienſis: dubia enim fuit electio Martini V. utpote facta à Cardinalibus dubiis, creatis nimirùm à dubiis Pontificibus, Gregorio XII. & Joanne XXIII. Et ita dicendum de electione Eugenii IV. facta à Cardinalibus dubiis, creatis à Martino dubio Pontifice; & ſic de cæteris aliis electionibus ſubſecutis aſſerendum.

Reſp. Negatur Martinum fuiſſe dubium Pontificem, & non Legitimum; cujus electio fuit canonica: Nam in ea votum habuerunt Cardinales, numero 20. præſentes Concilio unà cum aliis electoribus è quinque Nationibus à Concilio ad id deſignatis. Et ſicut ea vice extraordinaria, exigente bono Eccleſiæ potuit Concilium vocem activam dare illis ex Nationibus deputatis, ita potuit ſupplere quemcunq; defectum, ſi in Cardinalibus reperiebatur. Et validitas electionis maximè evincitur, quòd, electione facta, ſtatim ingenti gaudio fuit Martinus à Concilio, & Imperatore pacificè ut verùs Pontifex receptus acceptatus, adoratus, & creditus; & ſubinde tota Eccleſia ut talem eum recepit: quod Deus non permiſiſſet, ſi verus Pontifex non fuiſſet: impoſſibile enim eſt, quòd tota Eccleſia in fide erret, & credat eſſe verum Pontificem, qui reverà non eſt. Quinimò tunc non fuiſſet ſchiſma ſublatum, quod tamen eventus non probavit. Et ita de electione Eugenii, & aliorum Pontificum ſubſecutorum nefas eſſet dubitare. Vide *contr.8.cap.6.num.32. & ſequent.*

CAPUT V.

An à ſententia Romani Pontificis dari poſſit appellatio?

SUMMARIUM.

1 *Appellatio à Papa ad aliud Tribunal, etiam Concilii, eſt abſolutè interdicta.*
2 *An appellans ad Concilium non futurum, ſed actu congregatum ligetur cenſura Bullæ Cœnæ* ad 4.
5 *Appellatio eſt ab inferiori ad Judicem Superiorem.*
6 *Appellans ad futurum Concilium rumpit unitatem Eccleſiæ.*
7 *Auguſtinus reprobat inſolentiam appellantium ad Concilium.*
8 *Janſeniſtæ implicitè provocant ad Concilium.*
9 *Nullus poteſt eximi à juriſdictione Romani Pontificis.*
10 *Appellans recedit ab obedientia Judicis* à quo.
11 *Papa non poteſt parti à ſuo judicio appellanti dare Judicem* ad quem.
12 *Nulla eſt appellatio facta ad Concilium,*

lium, etiam à Papa confirmandum.
13 *Appellatio ad futurum Concilium, eſt ad Judicem non exiſtentem.*
14 *Appellare ad Concilium oppoſitum Papæ, eſt appellare ad non ens.*
15 *Impudens Donatiſtarum prætenſio poſt deciſionem Romani Pontificis, in cauſa Ceciliani* ad 16.
17 *Jus appellandi ad futurum Concilium, ut Papa pleniùs informetur, improbatum.*
18 *Formula interponendi appellationem continet præjudicialia Romano Pontifici.*
19 *Factum injuſtum non probat jus.*
20 *Exiſtente lite inter Concilium, & Papam, Papa judicat.*
21 *Papa in definitione pertinentium ad fidem, mores, & facta cum jure connexa, errare minimè poteſt.*
22 *In cauſis fidei eſt ſemper ad Apoſtolicam Sedem provocatum.*
23 *Agitur de Canone Millevitano prohibente appellationem, ad Sedem Apoſtolicam* ad 30.
31 *Patres nunquam improbarunt appellationes ad Sedem Apoſtolicam.*

PRopugnantes ſupremitatem Concilii Generalis ſupra Papam, hæc in conſequentiam mendacia ſuperædificant. Primò, quòd à Papa ad Concilium non ſit appellatio interdicta. Secundò, quòd fidei, & morum Decreta à Romano Pontifice edita extra Concilia, infallibilia non ſint, & poſſint à Concilio reformari. Ex una radice falſitatis, quot commenta naſcuntur! De cæteris ſuo loco erit examen, hìc intereà

Dicendum. *A Romano Pontifice, nec ad Concilium Generale appellari poteſt.* Ita Bellarminus *lib.2.de Concil.cap.15.& 17.* Gonzalez *in 2.Decretal.tit.27.cap.7.n.1.* Fagnan. *in 1.ad cap.ſignificaſti n.61.de elect.* Seſſa *Scrutin.Doctrin.cap.3.art.11.nu.33.* Duvallius *de juriſd.Pontif.lib.4.q.poſtuma*, & eſſe debet omnium Catholicorum.

1 Probatur. Provocatio ab Apoſtolica Sede ad alia quævis Tribunalia eſt à ſacris Canonibus abſolutè interdicta. Ita Gelaſius Papa, ut in ejus *Conſtit. unic. Valdè mirati in Bullar.to.1.§.11.* Dardanis ſcripſit: *Non reticemus autem, quòd cuncta per Mundum novit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata, Pontificum Sedes B.Petri Apoſtoli jus habeat reſolvendi, utpote quod de omni Eccleſia fas habeat judicandi; neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio: Siquidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus.* Quatuor hìc Gelaſius ſignificavit I. quòd ſedes Apoſtolica omnes judicat II. quòd à nemine judicatur III. quòd ad illam de quavis parte Mundi appellari poteſt IV. quòd ab illa nulli liceat provocare. Quod ſubinde fuit repetitum à Pio II. *Conſt.Execrabilis* 5.ibi, edita lege, quæ in appellantes ad futurum Concilium, eorumque Conſiliarios, ac auxilium dantes, excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſervatam pronuntiat, eamque irrogat pęnam, qua Rei læſę Majeſtatis, & fautores hęreticorum plectuntur; quæ poſteà fuerunt confirmata à Julio II. *Conſt.ſuſcepti regiminis* 22. ibi adjecta ulteriùs declaratione, quòd ſint habendi tamquàm veri, & indubitati ſchiſmatici, ac de Catholica fide malè ſentientes; qui quolibet anno excommunicantur in die Cænæ Domini.

Ex quibus ſequitur, quòd appellatio ad futurum Concilium ſit nulla; etenim appellatio expreſſo jure prohibita, nulla eſt, *cap.conſuluit il 3.de appellat.l.ſi res 7.§.1.ff.de appellat.recipiend.* Sed appellatio ad futurum Concilium eſt à Summis Pontificibus graviſſimè prohibita, ergo eſt nulla.

Dicunt. Præjacta jura prohibere dumtaxat, ne appelletur ad futurum Concilium, non verò quin appellatio interponatur ad Concilium jam Congregatum, & actu exiſtens.

Confirmant. Ex illis evincitur, ſolùm, appellationem non eſſe licitam, non verò eſſe nullam.

2 Contra. Gelaſius loquitur abſolutè; ergo complectitur quamcunque appella-

tionem non interponendam à ſede Apoſtolica ad aliud Tribunal, ſive laicale, ſive Eccleſiaſticum, tam Concilii Provincialis, quàm Generalis, tum futuri, tum præſentis legitimè congregati.

Difficultas eſt inter DD. an appellans ad Concilium jam legitimè congregatum incurrat excommunicationem à Pio, Julio, & Bulla Cęnæ præfixam?

Negat Diana *Coord.to.5.tr.1.reſol.39.n.1.* quod pluribus allegatis, repetit *reſol.*40. quia lex dicit: *ad futurum Concilium*, & lex pęnalis non excedit proprium caſum; ergo non eſt extendenda ad appellantes ad Concilium tam futurum, quàm præſens.

3 Affirmat Ugolinus *in Bullam Cęnæ Can.2.§. in ver.quinto*, & Gambarupta *de excom. Bullæ cap.2.nu.*11. apud eumdem, conſiderantes, quòd utraque appellatio eſt occaſio ſchiſmatis, & utraque videtur Concilium conſtituere ſupra Papam. Idcircò cùm eadem ratio in utroque militet, & eadem pęna eſſe debet. Neque obſtat, quòd lex dicat: *ad futurum*: nam *ideò futurum* dixit, quia raro contingit, concilium actu eſſe congregatum, ad quod quis appellet; ſed non propterea excludit, quin appellans ad Concilium jam congregatum excommunicatione Bullæ ligetur. Et licèt eorum ſententiam Durandus *in Bullam Cęnæ lib.2.can.2.q.7.conc.1.nu.*12. falſam exiſtimet, id tamen non probat Diana, dicta *reſol.4.n.1.*

4 Apud quem dubium non eſt, & omnes concedunt, quòd ſunt ſacrilegi contra Primatum Sedis Apoſtolicæ, & malè ſentiunt de fide.

5 Ad confirmationem: nedum illicita eſt provocatio ab Apoſtolica ſede ad aliud Tribunal, verùm & nulla, nulliuſque roboris; ſiquidem natura, & ſubſtantia appellationis eſt, ut fiat ab inferiori ad Superiorem, ſeù ut Superior Judex adeatur *l.1.§.Si quis in appellatione ff.hoc tit. cap.Placuit. Cap.Anteriorum §.Illud 2.q.6.* Ideò nec ad parem, neque ad inferiorem provocari poteſt; *Cap.Romana §.1. de appellat. in 6.* ubi ſtatuitur, appellationem non poſſe interponi ab Officiali, ſeù Vicario Generali Epiſcopi ad ipſum Epiſcopum, aliàs appellatio eſſet ad eumdem: cùm Epiſcopi, & Vicarii idem Tribunal ſit *cap.Non putamus de conſuet.*ibi; Hac enim de cauſa appellatio interponitur, ut Judex ſuperior corrigat, & reformet, quæ fecit Judex inferior, non è contra. Siquidem, qui inferioris eſt auctoritatis, non poteſt eum, qui majoris poteſtatis eſt, ſuo judicio ſubmittere; Ideò quia Romanus Pontifex in terris Superiorem non habet, eſtque Supremus Eccleſiæ Judex, ab eo ad Epiſcopos, etiam in Concilio congregatos, appellari non poteſt: Semper enim Epiſcopi ſunt Pontifice inferiores ab ipſo in partem ſolicitudinis vocati; de quo infr.*cap.* 8. Quatenus verò appellatio interponatur, nulla eſt provocatio, utpote in ſubſtantialibus deficiens.

6 Rem noſtram confirmat *D. Antoninus in ſum.tit.23.cap.3.§.3.* ubi hæc ſunt: *neque ad Concilium generale à Papa appellari poteſt, quia Papa omni Concilio Superior eſt; nec robur habet, quidquid* (in eo) *agitur, niſi auctoritate Romani Pontificis, & roboretur, & confirmetur: Sentire ergo quod ad Concilium à Papa appellari poſſit, eſt hæreticum, & contra illum articulum: unam Sanctam Eccleſiam Catholicam*; hæc ille. Quia ergo de fide eſt Eccleſiam eſſe *unam*, nefas omninò eſt à Papa ad aliud Tribunal provocare; nam ſic provocans diſrumpit unitatem: Siquidem vel ponit Papam non eſſe caput, quod eſt contra fidem in Florentino definitam, & in Sacra Scriptura expreſſam; vel duo capita eſſe in Eccleſia, quod eſt monſtruoſum, & Eccleſiæ unitatem diſrumpit.

7 Item: Abuſus, & corruptela provocandi à Papa ad Concilium Generale ab Auguſtino reprobatur. Quoniam cùm Pelagiani ab Innocentio I. damnati (ut ex ipſius Epiſtola ad Patres Concilii Carthaginenſis, & Milevitani II. inter Auguſtinianas 181. & 182.) conquererētur, quòd à ſim-

ſimplicibus Epiſcopis in locis ſuis ſedentibus ſine Congregatione ſynodi, hoc eſt generalis (prædictæ enim fuerant provinciales) extorta ſubſcriptio erat apud Auguſtinum *lib.4.contr. duas Epiſtolas Pelagian. cap.12.n.34.* & appellaſſent, poſtulaſſentque, ut Orientis, & Occidentis Synodus congregaretur: Sic eorum inſolentiam ibi perſtringit: *An verò Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi Congregatione damnata ſit?* Et *libr.2. oper.imperfect.contr.Julian.q.103. Quid adhuc quæris examen, quod jam factum eſt apud Apoſtolicam Sedem?* Et *lib.3.contr.Julian.cap.1.nu.5. nolite ulterius hæc vana jactare; vobiſque ſufficiat, quòd vos Eccleſia Catholica* (per Romanum Pontificem) *& materna lenitate ſubſtinuit, & judicari à ſeveritate, vel potiùs medicinali neceſſitate damnavit.*

8 Quę pari titulo urgeri poſſunt adversùs Janſeniſtas detrectantes variis actibus recipere damnationem propoſitionum Janſenii; ex quo proceſſerit à Romana Cathedra extra ſynodum; ex eo enim implicitè provocant ad Concilium, & expreſsè determinant, Decreta Romanæ Cathedræ edita extra Concilia, infallibilia non eſſe, quod eſſe falſum, dabit *contr.7. cap.8.*

9 Probatur 2. ex Duvallio *cit.* In cauſa appellationis, appellans à poteſtate, & juriſdictione ejus, à quo appellat, eximitur *d.cap.Romana §.cum verò.* Sed in nullo caſu poteſt quis à juriſdictione, & poteſtate Romani Pontificis eximi: alioquin, non eſſet ampliùs illius ovis, & per conſequens nec Chriſtianus; Cùm Chriſtus in quoſcunque Chriſtianos Petro dederit poteſtatem his verbis: *paſce oves meas, non has, aut illas, non hujus, aut illius regionis,* ſed Univerſim, *oves meas,* ideſt *omnes,* qui Chriſtianæ Religioni nomen dederunt, ut eleganter *lib.3. de conſiderat. ad Eugenium* docet Bernardus, expreſsèque habetur in *Conſt.X.Pii II. In minoribus §.10.Bullar.cit.*

10 Confirmatur. Per appellationem recedit appellans ab obedientia, & communione ejus, à quo appellatur; atqui nulli Chriſtiano in quacunque dignitate ſit conſtitutus, ab obedientia Romani Pontificis, & communione cum ejus Sede licet recedere: Quiſquis enim extra hanc domum Agnum comederit, profanus eſt: Si quis in Arca Noe non fuerit, regnante diluvio, peribit, ut Hieronymus Damaſum Sedis Apoſtolicæ rectorem alloquitur: Hæc Duvallius; quòd ſciret Romanum Pontificem ſupremum eſſe Eccleſiæ Univerſalis Judicem, nemini mortalium ſubeſſe, à nullo poſſe judicari, ejuſque judicia reformari; Cujus Ovis, & Agnus non eſt qui eum ad alium cognitorem vocat.

11 Probatur 3. Solius Romani Pontificis eſt Æcumenica Concilia indicere, congregare, & confirmare, eorumque Decretis robur tribuere *cap.ſignificaſti de elect.* & dicendum *contr.8.* ergo, ſi ab ejus judicio ad Tribunal Concilii ſit provocatio, non debet, nec ipſe poteſt parti condemnatæ dare Judicem, *ad quem* provocat; aliàs deberet ipſe contra ſe ipſum agere: Arma, quibus emendatur, & corrigatur ſuppeditare; & quòd ampliùs eſt, iſta omnia contra ſe, ſuumque judicium definita, novo ſuo calculo confirmare, & ſe ſubiicere inferiori, quod nullo modo poteſt, cùm divino jure ſit ſummum caput, & Princeps.

12 Quæ optimè probant, appellari etiam non poſſe ad Concilia à Papa confirmanda, vel, in quibus ille per ſe, vel ſuos Legatos præſit; & in his terminis pariter appellationes factæ nullæ ſunt, & ab Apoſtolica Sede ſemper rejectæ. Ita Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi I. (in quo ad occurrendum Eccleſiæ calamitatibus à Friderico II. Imperatore illatis, fuit idem excommunicatus, ab Imperio depoſitus, aliiſque Regnis ſpoliatus) ut nullam rejecit appellationem ad futurum Pontificem, & Concilium generale, interpoſitam ab Advocato Friderici, nomine Thadæo, apud *Bail.Sum.to.1. in d.Concil.*

13 Am-

13 Ampliùs conſideratur, quòd appellatio ad futurum Concilium eſt frivola, & juribus nova: Siquidem hæc clamant, appellationem eſſe à minori ad majorem Judicem; Ubi autem eſt futurum Concilium? ubi ſedet? ubi eſt ejus Tribunal? quomodo major eſt, qui non eſt, nec erit: aut ſi erit, incertum quando, & ubi? Hoc appellationis genere omnes ſententię eludi, & impunita ſcelera currerent; nam eadem facilitate poſſent, vel impediri illa Concilia, vel aliqua obiici, cur unum non recipiatur, & ad aliud pleniùs appelletur, ideò appellatio non tenet; hæc enim induĉta eſt ad juſtitiam, & innocentiam tuendam; proinde non admittuntur appellationes frivolæ, cauſa morandæ litis *cap. Cùm ſit de appellat.* Appellationes autem ad Concilia lites æternant, propter infinita impedimenta, quæ in convocatione recurrunt.

14 Item, eodem titulo appellatio non poteſt eſſe ad Concilium, ut oppoſitum Papæ, ipſo contradicente convocatum; nam hoc eſſet appellare ad non ens, & Judicem exiſtentem in ſpatiis imaginariis; quoniam Concilium, Papa non conſentiente, vel non approbante, convocatum, eſt nullum, omni auĉtoritate ſpoliatum, ut jura clamant; ergo appellatio ad ipſum faĉta, eſt frivola, & nulla; & ita appellatio ad Concilium ſub quavis ratione inſpeĉtum prohibita.

Opponunt 1. Provocatio à judicio Papæ ad Concilium admittitur ab Auguſtino; etenim, cùm Donatiſtæ à ſententia Melchiadis Papæ lata pro Cæciliano adversùs Donatum à Caſiſ-nigris provocaſſent ad Conſtantinum, eorum perſtringit audaciam *Epiſt. 43. cap. 7. ad Glo. & Eleuſium: Ecce putemus, illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe; reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ Univerſæ Concilium, ubi etiam cum ipſis Judicibus cauſa poſſet agitari, ut ſi malè judicaſſent, convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur*; ergo.

15 R. Negatur antecedens. Circa quod, & pertinaciam Donatiſtarum, in cauſa Cæciliani ſatis diĉtum eſt *contr. 3. cap. 4. à num. 36. ad 39.* Nec ex mente Auguſtini neceſſe erat aliud adire Tribunal poſt Romani Pontificis deciſionem, quæ, ipſo teſte, ibi *cap. 5. nu. 16.* fuit ultima *innocens, integra, provida, atque pacifica, & d. cap. 7. n. 20.* ſcribit: *dedit ille* (Conſtantinus) *aliud Arelatenſe judicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum, non quia jam neceſſe erat* (nota) *ſed eorum perverſitatibus cedens, & omnimodè cupiens tantam impudentiam cohibere*. Quare Auguſtinus illis verbis Concilium non cōcedebat, tamquàm neceſſarium, ſed ſolùm ut minus malum permittebat: malum planè eſt, à Papa ad Concilium provocare, ſed peſſimum ab eodem ad laicam poteſtatem recurrere; quod erat Auguſtino perſpicuum; ideò illorum inſolentiam redarguendo, zelo per exceſſum ad evitandum majus malum, dixit, eos potuiſſe à Melchiade, cum aliis XVIII. Epiſcopis, Romæ judicante, provocare, potiùs ad plenarium Concilium, ſed in quo Melchiades præſideret, & illi Epiſcopi cum aliis judicarent, quàm appellationem interponere ad Imperatorem. Neque hoc infert Auguſtinum poſitivè conſulere, ſed ſolùm tamquàm minus malum permiſiſſe eis provocationem ad Concilium; non enim loquitur in ſenſu conceſſivo, & abſoluto, ſed ſolùm in permiſſivo: *Ecce putemus*.

16 Verùm hęretica Donatiſtarum protervia, quæ eſt cæteris Seĉtariis in exemplum, quemadmodum noluit acquieſcere judicio Romani Pontificis, ita nec ſtetit ſententiæ Concilii Arelatenſis, ſed iterùm appellarunt ad Conſtantinum, ut habet ibi Auguſtinus *nu. 20.* Sed Imperator vehementiùs in eos commotus exclamavit: *ò rabida furoris audacia! ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt*, apud Optatum *lib. 1.* Cæterùm, quoniam Imperator aliquando in alienam meſſem falcem miſit; tum, quando poſt ſententiam Melchiadis aliud Epiſcoporum

rum judicium dedit, tum ubi ipſe, illorum peracto judicio, ſententiam iterùm in cauſa dixit, (licèt nonniſi ad tollendum ſchiſma) maximè doluit, & veniam ab Epiſcopis flagitavit, vide *cap. cit. numero 39.*

Opponunt 2. Jus appellandi à Papa ad futurum Concilium, non ut Judicem ſupra Papam, ſed ad meliùs informandum Papam per Patres Concilii, propugnatur, etiam inter Catholicos; à Viva ad propoſitionem 29. *ab Alex. VIII. damnat. num. 7.* à Gonzalez *in 2. Decretal. tit. 27. cap. 7. de appellat. nu. 1.* & ab Eugenio Lombardo *lib. 2. de regal. Sacerdot. §. 7.* allegantibus Auguſtinum *epiſt. ſupr. cit. & lib. 1. de baptiſ. contra Donatiſtas cap. 7. & lib. 2. cap. 9.* quod non derogat auctoritati Pontificis ſupra Concilium, nec ſequitur Concilium eſſe ſupra Papam: nam facultas informantis non indicat ſuperioritatem Judicis; & in his terminis non eſt appellare à Papa ad Concilium, ſed à Papa malè informato ad Papam meliùs informandum (quæ dicitur impropriè appellatio). Ita Gonzalez *in 1. tit. 6. cap. 6. n. 16. de elect.* narrat ex D. Antonino Philippum Pulchrum Galliæ Regem appellaſſe ad futurum Concilium: aliqua exempla alii recenſent; ergo, &c.

17 R. Objectio non poteſt procedere de jure appellandi à Papa definiente ex Cathedra in cauſa fidei, & morum, vel Facti cum jure connexi; Siquidem hujuſmodi Decreta propter infallibilitatis privilegium ipſi proprium, ſunt omninò irreformabilia. Nec minus de jure appellandi à Papa pronuntiante extra Cathedram in Factis purè privatis, proviſionum, collationum, abſolutionum, aliiſque non connexis cum jure, & doctrina fidei; quoniam ſic appellantes realiter non tam conſiderant in Concilio rationem informationis, quàm poteſtatem Judicis, ut conſtare poteſt hac appellationis formula: *A SS. D. N. Papa Clemente XI. minus debitè informato, ad ſe ipſum melius informandum, & ad Sedem Apoſtolicam melius informandam, necnon ad Sacroſanctam Synodum celebrandam illumque, vel illos, ad quem, vel ad quos de jure appellare nobis licet, appellamus.* In qua clauſula *disjunctiva ad quem*, vel *ad quos* denotat diverſitatem inter Judicem, & Judicem, Auctent. *ex cauſa Cod. de liberis præteritis*. Item alternativa non exigit concurſum omnium, ſed contenta eſt altero ex requiſitis, juxta regulam 70. *juris in 6.* & ponitur inter æqualia *lib. 1. ff. de reb. dubiis*.

18 Quapropter tenor illius Formulæ infert nonnulla injurioſa ſupremę auctoritati Romani Pontificis. Primò, ſignificat Concilium eſſe diverſum Judicem à Papa, & iſto ſuperius; nam reverà interponitur appellatio ad Concilium: & appellatio eſt ſemper ad majorem Judicem, ut ſupra notatum eſt, & jura clamant.

Secundò, importat poſſe Concilium, relicto Papa, judicare. Tertiò, non eſſe fortius judicium Papæ, quàm Concilii: & ponit in iſto æqualitatem cum Papa ad judicandum. Quæ omnia repugnant Sacris Canonibus, Conciliis, & Patribus, aſſerentibus Superioritatem Papæ ad Concilia, ut *contr. 8.* expreſsè. Hinc aſſertam Doctorum ſententiam, nonniſi à veritate alienus probabilem, & non falſam dixerit.

19 Ideò omnia exempla, quæ adduci poſſunt, jus non probant, & Factum contra formam juris continent; ex facto autem injuſto nulla concludens probatio cõſurgit; nec poteſt ex eo juſta poſſeſſio allegari, aliàs fur ex multis actibus ſurripiendi res alienas, rectè probaret jus retinendi res furto ablatas.

Ad priorem auctoritatem Auguſtini patet per dicta ad primam objectionem. In poſterioribus non agit de appellatione à Papa ad Concilium, ſed ſignificat ſolùm ſæpè Concilia utiliter congregari.

Dices. Non eſt credendum Pontifici judicanti in propria cauſa.

Item. Concilium generale errare non poteſt; ergo ad illud poteſt provocari, ut ad oraculum infallibile.

Tan-

Tandem: Ergo pars, à gravamine injuſto non poſſet relevari, ut ſi Papa in judicio minus rectè pronuntiaret; ergo,&c.

20 R. Inſtantia eſt nullius momenti, ad quam ſatis datum eſt *cap.2.n.4. & cap.ſupr. n.31.* quibus hìc additur: Supponatur, quòd lis orta ſit inter Pontificem, & Concilium de Superioritate Papæ ſupra Concilium: quis erit in caſu Judex? Non Concilium, quia & ipſi poterit obiici, ipſum in cauſa propria ad pronuntiandum non admitti, ſicut obiicitur Papæ; atque in caſu iſto in Eccleſia Dei lis eſſet graviſſima, quæ ex defectu Judicis nunquàm poſſet dirimi; & inde Chriſtus non benè providiſſet regimini ſuæ Eccleſiæ, quod ſine hæreſi, & blaſphemia dici haud poteſt.

Si reſpondeas. Judicabit Pontifex cum Concilio, deſtruis ſuppoſitum. Supponitur enim, litem moveri inter Concilium, & Papam: quis ergo tunc erit Judex? Profectò Papa, qui à Chriſto Supremus Judex conſtitutus eſt in Eccleſia ad omnem litem Eccleſiaſticam dirimendam. Quæ eſt veritas de fide revelata illis verbis: *quodcunque ſolveris, &c. ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Paſce oves meas;* quæ ad ſolum Petrum, ejuſque Succeſſores directa ſunt; ſed de his alibi.

Ad 2. negatur antecedens de Conciliis à Papa non confirmatis: Plurima enim hujuſmodi errarunt per dicenda *contr.8.cap.7.* Quin etiam in inſtantia ſupponitur falſum: Suppoſitio eſt, quòd Papa docens ex Cathedra extra Concilia, poſſit errare, quod eſt falſum, & proxima *contr.* examinatur.

21 Ad 3. Si intelligatur de gravamine procedente à Papa loquente ex Cathedra in doctrina fidei, & morum, ac Factis cum jure connexis, negatur ſuppoſitum; nam, cùm in ſimilium judicio propter aſſiſtentiam Spiritus Sancti, non poſſit errare, nullum gravare poteſt, ſed ſemper juſtè procedit. Si verò ſermo ſit de gravamine ſuborto ex ſententia in cauſa non ſpectante ad Cathedram, ſed Facti privati, & particularis legas dicta *n.15. & 18.* Declinare quis illud poteſt ſupplicando humiliter Pontifici pro nova audientia, ut pleniùs informetur. Hùc ſpectat illud, quod dixit Innocentius III. *Cap. Cùm olim de ſent. & re judic.* nimirùm *Sententiam Romanæ Sedis, cùm aliquid fuerit ſubreptum, poſſe in melius commutari.* Cæterùm putandum ſemper eſt, quòd Pontifex nunquam ſcienter gravamen inferat, nec contra allegata, & probata judicet; nec dum ex generali regula, quod ſemper benè præſumendum eſt de proximo ſuo, verùm etiam ex particulari, quod nefas ſit de Eccleſiæ Patre id concipere.

22 Poteſt hìc examinari, an ſemper in cauſis Religionis, & fidei ſit ad Romanam Sedem facta provocatio? Verùm id hìc omittimus, nam articulus ex profeſso tractatur à Porter *Syſtema decretor.* & conſtat ex Gelaſio Papa *ſupr.nu.1.* & expreſsè legitur *Cap. Cùm Romana de appellat.* ibi. *Cùm ſit Romana Eccleſia Caput, & Magiſtra omnium Eccleſiarum, diſponente Domino conſtituta, & ad eandem conſultationes, & quæſtiones de diverſis mundi partibus meritò referantur.*

In idem eſt Innocentius *Epiſt. ad Patres Concilii Milevitani 182. inter Auguſtinianas* ibi. *Inter cæteras Romanæ Eccleſiæ curas, & Apoſtolicæ Sedis occupationes, quibus diverſorum conſulta fideli, ac modica diſceptatione tractamus, &c.*

Item. Epiſcopi Galliæ numero LXXXV. requirentes Apoſtolicæ Sedis judicium in cauſa Janſenii, Innocentio X. ſub his terminis ſcripſerunt. *Beatiſs. Pater majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos eſt; quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure ſuo poſtulat.*

Aliæ ad ipſum ex remotiſſimis etiam partibus appellationes, & Epiſcoporum recurſus ſępè leguntur, & Eccleſiaſtica monumenta teſtantur. Unde Papæ Provincia dicitur univerſitas Orbis, ex *c. Cuncta per mundum q.93.*

23 Cæ-

23 Cæterùm in oppoſitum allegatur Canon 22. Concilii Milevitani II. celebrati an. 416. quo ſub excommunicationis pœna prohibetur appellatio ad tranſmarina. Per quod intelligitur Sedes Apoſtolica; non enim ab Africanis poterat ad tranſmarina appellari, hoc eſt, ad alias in Europa inferiores Eccleſias, ſed ſolùm ad Romanam Sedem: ideò falſa eſt exceptio, niſi fortè ad Apoſtolicam Sedem appellaverit, facta Canoni à Gratiano *cap. Placuit 2.q.6.*

Hoc Canone Calvinus *lib.4.inſt.cap.7.* putat infringere poteſtatem Summi Pontificis in toto Orbe circa appellationes: Nam ſummum imperium penes eum eſt, ad cujus Tribunal undique provocatur. Cùm ergo juriſdictio Pontificis ad Africanas Eccleſias non extendatur; conſequens eſt, ut nec ad alias aliarum Provinciarum extra confinium Romanum. Si dicatur Concilium non fuiſſe legitimum, non ſufficit, cùm fuerit approbatum ab Innocentio I. *cit. Epiſt.*

24 Verùm Canon nihil derogat Romanæ Eccleſiæ: non enim loquitur de Epiſcopis, ſed tantùm de Presbyteris, & minoribus Clericis; Epiſcopos enim etiam Afros conſueviſſe ad Apoſtolicum Tribunal appellare, teſtis eſt Auguſtinus, qui Concilio interfuit, *Epiſt.209. ad Cæleſtinum Pontif.* in qua exponit cauſam Antonii Epiſcopi Fuſſalenſis, qui adminiſtratione, & cura ſuæ Eccleſiæ, ob ſcelera, relicto titulo, privatus Romam appellaverat ad Bonifacium; cujus cauſa, Bonifacio defuncto, ad Cœleſtinum ejus Succeſſorem integrè devoluta eſt. Cùm autem idem Antonius jactaret, & comminaretur, quod Cœleſtinus eſſet miſſurus Legatos militibus ſtipatos, qui, invitis etiam Fuſſalenſibus, ipſum in Sedem ſuam, & Epiſcopatus adminiſtrationem reſtituerent: S. Doctor ibi *nu.9.* rogat Cæleſtinum, ut non ſinat ea fieri. Hoc eſt, quod Patres Africani ad eumdem Cæleſtinum ex Carthaginenſi Concilio VII. de more ad eum data Epiſtola Synodali, horruerant, & refugiebant; *quæ nullo modo nos talia, qualia commemorare jam nolumus, &c.* quæ verba executionem ſententiæ reſpiciunt faciendam manu armata per Delegatos, & militariter; quæ minimè decet Eccleſiaſticos Judices; & quæ nec in Italia erat in praxi, quam ſequi ipſi promiſerant.

25 Hinc ſatis patet, quòd tam Auguſtinus, quàm cæteri Africani Epiſcopi non detrectabant Apoſtolicæ Sedis judicium, nec executionem, etiam ſententiæ denegabant, ſed tantùm modum judicandi, & exequendi cum militibus, & Magiſtratuum apparatu improbarunt prout fuerat divulgatum. Et inde notat Abbreviator Baronii Spondanus ad *ann. 419.nu.12.* & Coriolanus in Breviar. ad *d. an.* perſpicuum eſſe, diſſidium non fuiſſe de jure appellationum, ſed de modo proſequendi Romæ judicium, & illud exequendi.

26 Quinimò, etiam quantùm ad inferiores Clericos Canon in praxi non fuit, & inobſervatus legitur ex *d.Epiſt.* quæ commemorat Apiarium Presbyterum appellaſſe Romanam Cathedram; cujus querelas audivit, & Africanis mandavit, ut diligenter cauſam cognoſcerent, ac fideliter judicarent. Poterat Romæ Papa judicium terminare, ſed ex ſua voluntate, providaque cautela ipſam Africanis, utpote cauſam facti merè privati, delegavit, ut ipſa faciliùs expediretur; Romæ enim propter diſtantiam, & ex teſtium, ac probationum inopia non tam facilè tractari potuiſſet.

27 Tantùm verò abeſt, quòd Innocentius d. Canonem confirmaverit, ut potiùs ſit certum illum non fuiſſe editum in allegato Concilio; quod fuit à Pontifice confirmatum ſolummodò quantum ad geſta adversùs Pelagium, ut ex Innocentii Epiſtola adducta *n. 22.* In eo enim Concilio non niſi octo Canones adversùs novam doctrinam fuerunt conſtituti: reliqui ſunt diverſorum Conciliorum Africanorum,

teſte

teſte Coriolano cit. ad d.*an.*416. & Bail *Sum.nu.2.in d.Milevitano ad Canon* 27. *ver. notat autem Baronius*.

28 Et ſubinde non confirmatus, ſed reprobatus fuit à Zozimo opponente Canonem Nicænum, ut ex ejus Commonitorio (ita appellabantur mandata Legatis in ſcriptis data) tradito Legatis ad Concilium V.Carthaginenſe directis, quod continebat tractanda cum Patribus. Canone autem illo cavetur, ut ipſe Romanus Pontifex duplici via poſſit, ſi velit, appellantium ſubvenire juſtitiæ; vel, committendo cauſam Epiſcopis propinquæ regionis; vel, mittendo Legatos à Latere; quorum ſolùm poſteriorem modum Epiſcopos Africanos refugiſſe narrat Spondanus; Sed neque Zozimus, neque Bonifacius, nec Cęleſtinus acquieverunt, prout oſtendit d.Epiſtola.

29 Ad objectum verò Africanorum ſupponentium inter Canones Nicænos non reperiri allegatum à Zozimo (propter quod Sectarii blaſphemant Zozimum voluiſſe ſubripere Eccleſiæ Primatum) conſiderandum, quòd Concilium Sardicenſe celebratum *an.*347. fuit veluti appendix ad Nicęnum, & illius Canones in collectione, qua utebatur Romana Eccleſia, erant permixti cum Nicęnis, ſub eadem Concilii Nicęni inſcriptione, quod fuit occaſio, ut Zozimus Nicęnum diceret Canonem, qui erat ſeptimus Sardicenſis. Cabaſutius *notit. Eccleſiaſt. in Concilio Carthaginenſi VI.nu.*4. Hinc ceſſet Novatorum blaſphemia.

30 Neque Zozimus allegaverat Canonem Nicæni celebrati *an.*325. quaſi à Nicęno fuiſſet Pontifici traditum jus appellationum: Concilium declaraverat ſolùm Pontifici illud competere, quodquidem habet ratione ſui primatus in Eccleſia, & ex Chriſti inſtitutione conveniens juxta reſoluta *cap.* 1. Propterea conſtat ante tempora Nicęni multoties fuiſſe provocatum ad Romanam Sedem. Ita Marcion à proprio Patre, Ponti Epiſcopo, ob ſtuprum cum virgine ab Eccleſia pulſus, cùm ab eo veniam non impetraret, appellans ad Romanum Pontificem, Romam venit, ubi auditus fuit, teſte Epiphanio *hæreſ.* 42. ex Spondano ad *an.*146.*nu.*3.*&* 4. Ita ſub Cornelio Papa ab aliis Afris miſſus eſt Romam Feliciſſimus Presbyter, jam priùs cum ſociis à Cypriano ob ſchiſma excommunicatus, ad obtinendam à Cornelio Catholicam Communionem, & adverſùs Cyprianum accuſationem intentandam apud eumdem ad *an.*255.*nu.*3. Baſilides pariter in Hiſpania Epiſcopus depoſitus ad Stephanum Papam provocat ibi ad *an.*258.*nu.*2. Hæc, & ſimilia evincunt antiquum eſſe jus illud appellandi ad Romanum Pontificem; quod maximè averſantur hęretici omnes, ut ſcribit Bail *citat.*5. *Controverſ. de appellationib. ad Rom. Pontif.ver.nec eorum*.

31 Hæc eſt noſtra reſponſio, eamque magis aptam putamus, quàm aſſerentium Africanos eo Canone, non tam inhibuiſſe temerarias futiles, ac ſuperfluas appellationes (quas non ſemel, & Patres improbarunt, ut Bernardus ad Eugenium *lib.*3.*cap.*4.) quàm decreviſſe, ut ſecundùm veterem Eccleſiæ morem gradatim appellaretur ad Africana Concilia, vel ſuarum Provinciarum primates, & ad illa priuſquàm ad tranſmarina; nam Canon expoſitionem non admittit, cùm littera abſolutè ad tranſmarina appellationem interdicat, lædens proinde ſupremum jus Romani Pontificis. Quin etiam conſtituere non poterant, ne primò ad eum appellaretur.

CAPUT VI.

An Romanus Pontifex ab ullo in terris judicari poſſit?

SUMMARIUM.

1 *Romani Pontificis in terris nullus eſt Judex.*

2 *Mar-*

2 *Marcellinus non fuit a Patribus Sinveſſanis damnatus.*
3 *Papa eſt divino jure exemptus ab juriſdictione exterioris judicii omnium mortalium; ideò non poteſt ei renuntiare.*
4 *Plures dubitarunt de lapſu Marcellini.*
5 *Acta Concilii Sinveſſani in nonnullis ſunt falſata.*
6 *Prima Sedes à nullo judicatur: & numero 12.*
7 *Exemptionis privilegium Apoſtolicæ Sedis à quovis mortalium, ab ipſis etiam hæreticis acceptatum.*
8 *Inſolentia Photii, ac Dioſcori adversùs Romanum Pontificem in VIII. Synodo damnata.*
9 *Cauſæ Romani Pontificis Judicio Dei reſervantur.*
10 *Purgatio à nonnullis Pontificibus facta, non fuit apud Judices ad 12.*
13 *Commendantur Carolus V. & Theodoricus Rex.*
14 *Formula purgationis factæ à Leone III.*
15 *Legibus, & non exemplis judicandum eſt.*
16 *Joannes XII. iniquè depoſitus.*
17 *Leo VIII. non fuit legitimus Papa.*
18 *Paſchalis non ſe ſubmiſit judicio Concilii in cauſa Privilegii ab Henrico V. circa Inveſtituras extorti.*
19 *Mali Paſtores habentes ſanam doctrinam abiiciendi non ſunt.*
20 *A Papa pendet ſalus univerſitatis Fidelium.*
21 *Rectus ordo eſt, quòd priora dirigant poſteriora.*
22 *Remedium ab Eccleſia adhibendum, Papa exiſtente in captivitate.*
23 *Jus naturale non confundendum cum jure poſitivo judicandi.*
24 *Non licet, etiam in ſui defenſionem, perſonam maximè utilem Reipublicæ occidere.*
25 *Inferior poteſt ſuperiorem corrigere.*
26 *Nullus verus Romanus Pontifex poteſt de jure deponi: & Facta non probant jus.*
27 *Papa exiſtens in terris Imperii non tenetur legibus civilibus illarum.*
28 *Privilegium eligendi Romanum Pontificem nulli eſt indultùm.*
29 *Leo IV. non ſubmiſit ſe juriſdictioni Ladovici Imperatoris.*

A Catholici omnes omnem movent lapidem adversùs ſummum Romanæ Cathedræ Principatum, ſedentemque in ipſa Romanum Pontificem; nedum contendunt ſupremum non eſſe in Eccleſia Principem, & omnium Judicem, verùm alienæ juriſdictioni ſubeſſe; in quem jus poſſe dicere, Imperatori concedunt. Hoc iniquitatis Syſtema omnes profectò horrent Catholici: verùm ex iſtis nonnulli alio titulo bellum cum ejus primatu gerere non verentur, conſtituentes Pontificem ſub Concilii generalis juriſdictione; ita ut licèt ſingulis Papa ſit ſuperior Epiſcopis, cæteri tamen Epiſcoporum ſubdatur. At, quia *contr.*8. eſt contra iſtos ſimilibus hiſce terminis diſcutiendum, an *Pontifex Romanus ſuperior ſit Concilio generali, vel illi ſubditus?* ideò quoad hoc illùc remittitur Lector, & intereà hìc abſolutè

Dicendum. *Romani Pontificis in terris nullus eſt Judex.* Debet eſſe omnium Catholicorum.

1 Probatur. Nullus in terris eſt Papa major, vel ejus Superior, ſed ipſe eſt omnium Princeps, ut dictum eſt *contr.3.cap. ult.* A Chriſto enim conſtitutus eſt Eccleſiæ Caput, ipſique tradita ovium cura. Joan.ult. *Paſce oves meas:* non diſtinguens inter has oves, & alias, ut ait textus in *cap.Solitæ de majorit. & obedient.* ergo nullus in terris eſt Judex Romani Pontificis, nec ab ullo mortalium, ſive Concilio, ſive Imperatore judicari poteſt. Inferiorem enim jus dicere in ſuperiorem, minimè poſſe, jura clamant, & conceptus juriſdictionis confirmat. Hæc enim nonniſi ad ſubditos extenditur, quos etiam pœnis coercere poteſt: & inde juriſdictio pro foro externo, (de qua hìc loquimur) defini-

finitur: *eſt poteſtas coercitiva, quæ valet exerceri in alterum, etiam invitum*. Quis autem poteſt pœnis Pontificem coercere? Fortè oves Paſtorem judicant, & membra caput dirigunt? Nonne in Principem cives refractarii cenſentur, ſi adversùs ipſum, Tribunal erigant? *Omnia*, clamat Paulus 1. *Corinth.* 14. *Secundùm ordinem fiant*. Quinam verò ordo ſervatur, ſi oves in Paſtorem exurgunt? Si ſubditi in Principem? ſi in Magiſtrum diſcipuli? Si minor majorem ad ſua ſubſellia conatur trahere? profectò nullus. Hinc Nicolaus I. in *cap. Inferior* 21. *diſt.* ſcripſit ad Michaelem Imperatorem: *Inferior ſedes ſuperiorem abſolvere non poteſt: Sola ergo potior inferiorem convenienter abſolvit. Hinc liquidò pervidetur; quia quem non poteſt abſolvere, non poteſt judicio inferior potiorem ligare. Unde Propheta ait*, Iſajæ 10. Numquid gloriabitur ſecuris contra eum, quæ ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, qui trahit eam? *His ita ex divina Scriptura, & probabilium Patrum doctrina commemoravimus, ſole clariùs exhibuimus, non poſſe quemquam, qui minoris auctoritatis, eum, qui majoris poteſtatis eſt, judiciis ſuis addicere, aut propriis definitionibus ſubjugare.*

Ad rem noſtram expreſsè Gelaſius I. *Conſt.unic.in Bullar. to.*1. Dardanis reſcripſit Sedem Apoſtolicam nullius judicio ſub eſſe: ibi §.*XI. Sedes B. Petri jus habet reſolvendi quorumlibet ſententiis ligata, utpote quod de omni Eccleſia fas habeat judicandi, neque cuiquam* (nota) de ejus liceat judicare judicio.

Confirmatur. Ex Romani Pontificis prærogativa in univerſa Eccleſia, omnibus perſpicua, ſolis inviſa hoſtibus fidei: Propterea trecenti Patres in Concilio Sinveſſano adjudicare non præſumpſerunt Marcellinum Pontificem ob crimen thurificationis, ut dictum eſt ſupra *cap.4.nu.9.* Sed in exemplum etiam futuri temporis conclamarunt: *Nemo unquam judicavit Pontificem, nec Præſul Sacerdotem ſuum: quoniam prima Sedes non judicatur à quoquam*. Fuerunt Synodo damnati Urbanus, Caſtorius, Juvenalis, Cajus, & Innocentius, qui fuerant cum Marcellino: at ubi allegabatur de Marcellino, univerſa Synodus dixit: *Tu eris Judex: ex te enim damnaberis, & ex te juſtificaberis*.

Dices. Concilium adversùs Marcellinum, negantem lapſum, teſtium depoſitiones recepit, nec ipſe ante confiteri eſt auſus, quàm multorum teſtium productione, & præſentia fuerit convictus: teſtes autem examinare argumentum eſt juriſdictionis.

R. Inſtantia vim facit; eò præſertim, quòd cùm ipſe in Concilio dixiſſet: *Peccavi coram vobis, & non poſſum in ordine eſſe Sacerdotum, quoniam avarus corrupit me auro*. Patres ſubſcripſerunt in ejus damnationem, & damnaverunt eum extra Civitatem, ut ex actis apud Bail *Sum.to.*2. *in d.Concilio ver. In ſinu autem*. Hoc autem quid aliud eſt, quàm Patres ſententiam in Marcellinum dixiſſe illumque pœna mulctaſſe? Verùm nulla aſſiſtentia juris juvabantur ad condemnandum.

3 Nec dicendum, id per Patres actum ex tacita conſenſione, & commiſſione Marcellini. Nam privilegium exemptionis, quod Pontifex à Deo habet, à poteſtate juriſdictionis omnium mortalium, eſt adeò excellens, quòd ipſe, nec de poteſtatis plenitudine poteſt ſe alteri ſubiicere, & facultatem delegare, vel permittere, ut quis in eum utatur clave exterioris judicii, ut optimè Turrecremata *Sum. de Eccleſiaſt. lib.*2. *cap.*104. reportans D. Thomam, & D. Bonaventuram; & poſt eum Fagnanus *in* 1. *ad cap.Significaſti nu.*7. *de elect.* & Seſſa *Scrutin.doctrinar.cap.*3.*art.* 15.*nu.*5. Cujus ratio eſt, quia Pontifex non poteſt id agere, quod derogat diſpoſitioni divinæ (jus enim divinum eſt immutabile) atque ita, cùm juris divini ſit, quod ipſe ſit ſupremus Prælatus, & omnium Judex, & ſolius Dei judicio ſubjectus, ſtat optimè, ut non poſſit facere, quod alter ſit ſibi ſuperior; nec poteſt oppoſita

poſita componere; quæ in caſu eſſent inevitabilia: etenim in hypoteſi Papa eſſet, & non eſſet ſupremus omnium Judex, Princeps, & Caput.

Hinc ſequitur, quòd ipſe non poſſit alteri dare poteſtatem ſe excommunicandi; quia quantùm ad prælationem eſt ſuper omnes homines, nec ſalvo jure ſuæ dignitatis poteſt apud aliquem eſſe minor, & ſubditus, quantum ad judicium exterius; quæ eſt qualitas in excommunicando neceſſaria. De judicio confeſſionis dictum eſt ſupra *cap.1.nu.22.*

4 Prædicta forſan fuerunt in cauſa, quòd plures dubitaverint de veritate caſus Marcellini, cenſentes à Donatiſtis confictum; tum propter inveriſimilitudinem, quòd Patres in eo numero potuiſſent ſimul congregari tempore, quo ſæviſſimum perſecutionis incendium in Chriſtianos ardebat. Tum ex doctrina Auguſtini, qui *lib.2.de bapt. contra Petilianum cap.16.* dixit ab eis fuiſſe Catholicis objectum, ſed nunquam probaſſe, nec demonſtrare potuiſſe. Articulus tractatur à Spondano *Epit.to.1. ad an.302.nu.15. & 16.* Bail cit. *ver.controverſia*. Et Cabaſut. *notit. Eccleſiaſt.in Concil. Sinveſſano*. Qui hiſtoriæ veritatem probant, & objectis reſpondent; Legi poſſunt dicta *cap.4.n.9.*

5 Verùm acta pleriſq; mendis eſſe corrupta, videtur negari non poſſe. Inter quæ ſanè eſt illud: *Avarus corrupit me auro.* Nam minis Marcellinum ad thurificandum adactum teſtantur allegati cum Coriolano in *Breviar.ad an.297.* concordantibus Lectionibus in ipſius officio. Item, quòd aſſeritur de damnatione Marcellini per Patres. Nam hoc non cohæret cum toties ab illis repetito: *ore tuo condemnaberis*, quia *prima ſedes non judicatur à quoquam*. Jus habebat Concilium examinandi teſtes, quos ſub examine conſtituit, nullam intereà exercens juriſdictionem in Perſonam Papæ. Ideò fuit Judex non perſonæ, ſed delicti veluti abſtractè ſumpti, ut, illius veritate comperta poſſet monere Marcellinum de remedio per ipſum in ſolatium Fidelium præſtando; in caſu præſertim, qui nunquam obtigerat, & cujus ratione non leve ſcandalum Eccleſia ſubſtinuit. Quatenus verò Patres quidquam auctoritativè contra Pontificem intentaſſent, nulla de judicio eſſet habenda ratio; quia Facta illegitimè auctoritate carent, & jus non probant.

Nec mirum, quod acta ipſa nonnullis erroribus ſcateant. Nam, ea, quæ nunc habemus, non ſunt judicialia, ſed hiſtoricè ab aliquo Scriptore contexta, ut obſervat Cabaſutius *cit.nu.6.* Quibus id accidit, quod & in actis ſextæ Synodi adversùs Honorium legimus per dicta *cap.4.nu.30.*

6 Ampliùs. Id ipſum, in quo Patres Sinveſſani convenerant, fuit ſucceſſivis temporibus, non ſemel ſtatutum. I. In Concilio Romano. II. ſub S. Silveſtro can. ult. apud Bail.cit.decretum eſt: *Nemo judicat primam Sedem: quoniam omnes Sedes à prima Sede juſtitiam deſiderant temperari. Neque quoque ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo Judex judicabatur*, & ſubſcripſerunt 284. Epiſcopi, & quadraginta quinque Presbyteri, & quinque Diaconi, & Auguſtus Conſtantinus, & Mater ejus Helena. *Et fixit Canonem hunc Silveſter Epiſcopus Urbis Romæ, & omnibus Epiſcopis ſcripſit.*

II. Patres in Concilio Romano in cauſa Leonis III. quibus fuerant propoſita examinanda crimina eidem Pontifici ab impoſtoribus objecta, uno ore dixiſſe referunt Spondanus ad *an.800.n.2.* & Coriolanus ad d.an. *Nos Apoſtolicam Sedem, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus. Nam apud ipſam nos omnes, & à Vicario ſuo judicamur: ipſa autem à nemine judicatur; quemadmodum antiquum mos fuit: ſed ſicut ipſe ſummus Pontifex conſueverit, jubeat, canonicè obediemus.*

III. In Synodo Romana ſub Sixto III. legitur dictum, teſte Cabaſutio ubi ſupr. nu.5. *Non licet in Pontificem ſententiam dicere.*

Movebantur profectò ipſi Patres ad pronuntiandum, tum primam ſedem à nemine judicari; tum nulli licere ſententiam dicere in Romanum Pontificem, quòd Summus Pontifex, cùm ſit totius Eccleſiæ Princeps, neminem habeat in terris Superiorem; ſed omnes Eccleſiæ filii ejus juriſdictioni in omnibus ad æternam ſalutem pertinentibus ſubiiciuntur.

7 Hoc Romanæ Sedis privilegium, & ſublimitas Apoſtolici Throni, & veneratores hæreticos habent: Notum eſt, quòd Leo I. ea reprobavit, quę more prædonum in Conciliabulo Epheſino, Auctore Dioſcoro Patriarcha Alexandrino, ab Hæreticis Eutychianis geſta erant. Quod cùm eidem Dioſcoro innotuiſſet, congregato Alexandriæ Epiſcoporum conventu, id ſcelus perpetravit, quod nullus prædictorum hominum cogitaverat, ſententiam excommunicationis dicens in Romanum Pontificem. Verùm omnes adeò inauditum hactenùs exhorruere facinus, portentumque inſolitum execrati ſunt, ut non potuerit, niſi decem dumtaxat, eoſque lacrymantes, & invitos inducere, ut latam à ſe in Romanum Pontificem ſententiam excommunicationis Chyrographo ſuo approbarent. Quando plus minùs nonaginta invenit, qui in d. Epheſino hæreſim Eutychianam probante, ſubſcribendo confirmarunt: apud Bail cit. *to.2.*

Similis furfuris vir Photius non abſimile ſacrilegium in exemplum vocavit. Hunc Nicolaus I. in Concilio Romano, ut violentum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ invaſorem adversùs legitimum Antiſtitem Ignatium anathemate percuſſerat. Propter quod ipſe in iram actus, coacto Conciliabulo, in ipſum Nicolaum anathema ſumma temeritate retorſit; quòd ſine horrore audiri non potuit, nec diù ab Eccleſia, etiam in Concilio generali congregata, tanta inſolentia ſubſtineri.

8 Ideò effrænem Dioſcori, & Photii licentiam adversùs Romanum Pontificem Synodus VIII. *art.10.can.21.* eſt ſummoperè deteſtata; & ne deinceps quis adeò execranda intentaret, ſub his terminis ſua definitione conſtituit: *Quiſquis tale facinus contra Sedem Petri Principis Apoſtolorum auſus fuerit intentare, æqualem, & eamdem, quam illi condemnationem recipiant. Porrò ſi Synodus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit, etiam de Sancta Romanorum Eccleſia, quæ vis ambiguitas, & controverſia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter, ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices.* Ubi Chriſtianus Lupus in Scholiis obſervat; Canonem definire Romanum Pontificem à generali Concilio non poſſe judicari, deponi, aut damnari.

9 Hoc idem confirmat Ennodius Ticinenſis Epiſcopus in Apologia edita pro Symmacho Romano Pontifice, in qua hęc ſunt apud Bail *to.1.Sum.Concil.Conſtantinop. IV. ad allegat.Canon.* *Aliorum fortè hominum cauſas Deus voluit homines terminare, ſed Sedis iſtius Præſules ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio.* Et Ignatius *Epiſt.ad Philadelphios* priùs dixerat: *Præfecti obediant Cæſari: Præfectis autem milites: Diaconi quoque Sacerdotibus: & Sacerdotes ſimul, & Diaconi, & reliquus Clerus, omniſque populus, milites, quoque & Præfecti, & Cæſar obtemperent Epiſcopo: Epiſcopi verò Chriſto, ſicut & Chriſtus obtemperavit Patri: & ita unitas à cunctis ſervabitur.* Cujus centrum, & Eccleſiæ viſibile Caput eſt Romanus Pontifex; cui omnes in terris cùm ſit Epiſcoporum Epiſcopus, tenentur ſubeſſe, & obedire, nulli verò ipſe, niſi Chriſto Domino.

Opponunt I. Sixtus III. Papa incuſatus à Baſſo de Stupro Sacræ Virginis, in Concilio Romæ habito ſe purgationi ſubiiciens, innocens eſt declaratus, & Baſſus damnatus apud Spondan. ad d. *ann.433. num.3.*

II. Symmachi Pontificis cauſa (accuſabatur enim de adulterio, aliiſque cri-

mi-

minibus) fuit examinata in Synodo Romana, à Teodorico Rege congregata; in qua Patres hæc dixerunt; *Symmachus Papa Sedis Apoſtolicæ Præſul ab hujuſmodi oppoſitionibus impetitus, quantum ad homines reſpicit, ſit immunis, & liber, cujus cauſam totam Dei judicio reſervamus*: & hoc quid eſt aliud, quàm Concilium fuiſſe Judicem Papæ, quem ſua ſententia liberat? Ita Dupinus *diſſert.6.§.4.& §.hinc 17.diſt.*

III. Leo III. à criminibus objectis ſe purgavit in Concilio habito in Baſilica Sancti Petri.

IV. Joannes XII. (qui primus ſibi nomen mutavit ex Octaviano, Joannes appellari voluit ex Spondano ad an.955.n.1.) ob crimina, quibus accuſabatur, fuit depoſitus ab Othone Imperatore in Concilio Romæ congregato, & in ejus locum ſuffectus eſt Leo VIII.

V. Paſchalis II. Se pro correctione ſubjecit Synodo Lateranenſi coactæ an.1112. his verbis: *Porrò*, ait, *ſcriptum illud* (de Inveſtituris contra Eccleſiaſticam immunitatem) *quod magnis neceſſitatibus coactus, non pro vita mea, non pro ſalute, & gloria, ſed pro ſolius Eccleſiæ neceſſitatibus, ſine Fratrum conſilio, aut ſubſcriptionibus fieri ..... Sicut pravè factum cognoſco, ita pravè factum confiteor, & omninò corrigi, Deo præſtante, deſidero: cujus correctionis modum, Fratrum, qui convenerunt, conſilio, judicioque conſtituo*, penes Bail.*to.2.*in *Concil. Lateranen.II.ſub Pontif.* Ergo modum correctionis vult ſibi à Concilio præſcribi, quòd exiſtimet majoris eſſe auctoritatis. Hæc poſt alios in lucem revocavit Dupinus, ut Papam Concilio ſubderet.

10 R. Dato, quòd Papa diffamatus debeat ex debito conſcientiæ ad tollendum ſcandalum, & ſuſpicionem in populo ſe expurgare; non tamen inde ſequitur, quòd in cauſis, ullus ſit ejus Judex; quoniam poterit ſe purgare, quin id agat coram aliquo ipſius Judice, ut ſatis patet ex purgationibus in exemplum objectis, ad quę expreſsè.

11 Ad I. Sixtus ſe purgavit coram omnibus in Concilio congregatis, non ut ipſi eſſent Judices, ſed ſuæ innocentiæ teſtes. Immò nec de neceſſitate ad eam purgationis formam tenebatur, quamvis ex humilitate id agere voluerit; nec formam dedit ſuis Succeſſoribus ſic ſe purgandi, cùm noluerint.

12 Ad 2. Duo ex dicto §. Patres Theodorico propoſuerant. Primum, quòd Concilium abſque Pontificis auctoritate congregari non poterat. Secundum, quòd adhuc, ubi illa acceſſiſſet, Apoſtolicæ Sedis Antiſtes judicio Concilii non ſubdedatur: Ideò, licèt ſubinde primum objectum eſſet ſublatum, & Symmachus in Concilii Convocationem conſenſiſſet, Epiſcopi tamen ſententiam in eum proferre auſi minimè ſunt; quòd minori fas non eſſet in Superiorem jus dicere.

Adverti hìc debet; quòd Patres in adhibita, formula non uſi ſunt verbo *abſolvimus, & liberamus*, ut ſolent Judices in ſententiis abſolutoriis *l.3. C. de ſent. & interlocut.omn.judic.* Sed dixerunt: *Symmachus Papa Sedis Apoſtolicæ Præſul, quantum ad homines reſpicit, ſit immunis, ac liber*: proinde ac ſi dixiſſent: *non ſit liber, quia eum noſtra ſententia liberamus*: neque *ſit immunis, quia eum noſtra auctoritate abſolvimus*. In quem quia ipſe eſt Papa, & Apoſtolicę Sedis Præſul, gerens vices Dei, nobis non licet ſententiam dicere, ſed declaramus Dei ſolùm judicio ſubeſſe.

Unde Ennodius dictis ubi ſupra addidit. *Deus voluit B.Petri ſucceſſores Cœlo tantùm debere innocentiam: & ſubtiliſſimi Diſcuſſoris indagini inviolatam exhibere conſcientiam; ipſis verò, quidquid ubique Fidelium eſt ſubmiſit.* Quibus itidem ſtrinxit impudentiam quorumdam Senatorum Romanorum, qui à Theodorico Rege Viſitatorem adversùs Symmachum *contra Religionem, contra ſtatuta veterum, contra regulas majorum poſtularunt, & Rex conceſſit.* Spondanus ad *an.499.nu.6.*

Dices. Symmachus in cauſa Laurentii

pſeudo-Papę, à Schiſmaticis intruſi, contra ſe canonicè electum, Judicem conſtituit d. Theodoricum: qui pro Symmacho cauſam adjudicavit: ergo ſi Laicus in ea potuit eſſe illius Judex, potiori ratione hoc dicendum de Concilio; à quo fuit cauſa Deo dimiſſa, non *ob defectum poteſtatis*, ſed *ob defectum* probationum, ut ſubdit Dupinus.

13 R. Nonnulli putant in caſu Symmachum ceſſiſſe juri ſuo ſubmittendo ſe judicio Theodorici, ſed hæc per dicta n.3. non regunt. Unde Symmachus conſenſit ſuam cauſam deferri ad Theodoricum, non ut ad Judicem, ſed ut ad defenſorem, & in auxilium vocatum pro ſchiſmatis extinctione: Sicut D. Paulus *Actor.* 25. Cæſarem appellavit, non ut hic judicaret, aut *religionis* cauſam terminaret, ſed ut ſubſidium præberet, & eriperet eum de manibus Judæorum, à quibus non facilè liberari poterat per Præſidem Judęæ; ideò ad eum recurſum habuit, ut ſuſciperet tutelam defenſionis, non ut Judicis officium exerceret. Non enim Laici poſſunt de cauſis Religionis cognoſcere, licèt defenſionis patrocinium aſſumere valeant. Hinc laudatur modeſtia Theodorici, qui licèt Arianus, à Patribus conſultus, quid vellet agi in Symmachi cauſa, reſpondit: *In Synodi eſt arbitrio in tanto negotio reſcribere, nec aliquid ad ſe, præter reverentiam, de Eccleſiaſticis negotiis pertinere*: in d. §. *Hinc etiam*. Et commendatur Carolus V. qui in vim executionis Apoſtolicæ conſtitutionis Leonis X. adverſùs Lutherum, cùm eumdem Lutherum vocari, & ſuper pluribus interrogari mandaſſet, in diplomate edito Vormatiæ *an.* 1521. hæc habet: *Quod & factum fuit: non ut nos de hoc negotio judicaremus, aut cognoſceremus: cùm in dubio procul ad Romanum Pontificem, & Sedem Apoſtolicam pertineat*; apud Bzovium *in Roman. Pontif. cap.* 28.

Quapropter illatio à Dupino facta ex falſo deſcendit. Quis illi revelavit eam fuiſſe mentem Concilii? qua auctoritate, quo fundamento futilem adeò ineptamque interpretationem in Concilium refudit? Cur non potiùs ipſum expoſuit, ut jura per nos producta ſonant? Catholici partes non agit, ſi Patris privilegia offendit.

14 Ad 3. Bail cit. in Synodo Romana ſub eodem Leone, narrat, Leonem mandaſſe Epiſcopos ſuæ cauſæ, criminumque ſibi objectorum Judices eſſe. Verùm, ſi Judicis appellatione teſtes non uſurpat, certè ex obſervatis d. *n.*3. ipſe ex auctore corrupto per inadvertentiam ea tranſcripſit; id enim non concordat cum ejus purgationis formula, quæ ex libro Sacrorum Rituum Romanæ Eccleſiæ (quem antiquitas ordinem Romanum appellat) eſt apud Spondanum ad *an.* 800. *nu.* 2. Sub his verbis. *Ego Leo Pontifex S. R. E. à nemine judicatus, neque coactus, ſed mea voluntate impulſus, purgo me, præſentibus vobis, coram Deo, & Angelis ejus, qui conſcientiam novit, & B. Petro Principe Apoſtolorum: Neque ſceleratas res, quas mihi obiiciunt perpetraſſe, neque perpetrari juſſiſſe. Deum teſtans, in cujus judicium venturi ſumus, & in cujus conſpectu conſiſtimus. Et hoc facio non legibus ullis obſtrictus, neque hanc conſuetudinem, aut decretum in Sancta Eccleſia ſucceſſoribus meis, & fratribus Coepiſcopis imponere cupimus, ſed ut certiùs iniquis vos ſuſpicionibus liberem.* En quòd non illi Judices fuerunt, ſed ſolùm præſentes, ut poſſent, tum de Leonis innocentia teſtimonium reddere, tum ſuſpicionem conceptam deponere.

15 Ad 4. Multa quidem Joanni obiiciebantur flagitia; quorum quædam ob ejus ætatem inveriſimilia non reddebantur (vix enim expleverat plenam pubertatem, nam Cathedram obtinuit annis decem, & octo natus, teſte Spondano) ſingula recitantur à Coriolano cit. ad *an.* 955. Propter quæ depoſitus fuit, & Leo in ejus locum electus eſt. At unde Dupinus probat Leonem canonicè electum, & Joannem juſtè depoſitum? An quia Baſileenſes Eu-

ge-

genium depoſuerant, & elegerunt Amadæum: Amadæus verus Papa fuit, & non potiùs Antipapa: Eugenius verò Expapa, & non potiùs ad finem uſque Pontificem permanſit? Non eſt bona conſequentia: factum fuit ſic: ergo legitimè factum: non debemus reſpicere, quod factum eſt in præterito, ſed quod juridicè fieri poſſit *cap. Cùm ad noſtram de elect.* Multa de facto proceſſerunt, vel ex tyrannide Imperatorum, vel à Romanorum protervia, à quibus exempla non ſunt deſumenda. Non enim exemplis, ſed legibus judicandum eſt, *cap. Nemo de ſent. excom.*

16 Quocircà depoſitio Joannis, non de jure, ſed de facto proceſſit. Ipſe enim fuit legitimus Pontifex quidquid alii dixerint) ut probat Coriolanus ad *d. an.* & eſt communis ſenſus, quod & à Dupino ſupponitur, & Epiſcopi in Synodo Romana congregati profitebantur. Nam cùm eis Joannes ſcripſerit ſub his verbis: *Nos audivimus dicere, quod vultis alium Pontificem facere: ſi hæc feceritis, excommunico vos de Deo Omnipotenti; ut non habeatis licentiam ullam ordinare, & Miſſam facere:* hæc ipſi reſponderunt: *Si ad Synodum venire, & objecta purgare non differtis, auctoritati veſtræ proculdubio obediemus.* Promitteretne obedientiam Synodus Pontifici non legitimo?

Illegitima fuit Synodus, & propter tot nullitates in judicio commiſſas, quas reportat Coriolanus *loc. cit.* & Bail *Sum. to. 2. Conciliab. Roman. ſub eod. Joan.* nulla fuit ſententia, & irritum judicium cum omnibus inde ſecutis; & ita nulla irritaque eſt appellanda depoſitio Joannis, & ſubrogatio Leonis vero Pontifici, adhuc viventi. Propterea in ſubſequenti legitimo Concilio auctoritate Joannis Romæ congregato Leo ſchiſmaticus, pſeudo-papa declaratur, actaque præcedentis Conciliabuli Romani reprobantur. De quo Bail ubi ſupr. ſcripſit: *Nullus umquam habitus eſt Orthodoxorum conventus Synodalis, in quo contra jus Eccleſiaſticum, Sacros Canones, Traditiones Apoſtolicas peccatum fuit ſæpius, quàm in hoc Conciliabulo.* Legas eumdem.

Dices. Leo communi ſcriptorum conſenſu inter Romanos Pontifices numeratur; nec opinioni communi poteſt abſque temeritate diſſentiri.

17 R. Error Scriptorum nihil præjudicii eſt veritati: Quòd canis aliquis Leo appelletur, vel in numerum Leonum referatur: non inde ſola hæc relatio, & appellatio canis naturam immutat, vel, ex eo Leo eſſe incipit. Hinc non ideò erit verus Pontifex Leo VIII. quòd errantium Scriptorum communis ſententia inter veros Pontifices numeret, & Leonem VIII. nominet. Quin etiam, ſcribentes pro veritate, eum à legitima Romanorum Pontificum ſerie excludunt, & inter ſpurios ponunt, ita Coriolanus ubi ſupr. Spondanus ad *an. 965. n. 1.* Bail. cit. aliique plures referunt, quòd Joanne XII. mortuo, Clerus Romanus canonicè elegit Benedictum V. qui fuit ab Othone protegente Leonem Hamburgum amandatus, & in exilio ad ſuperos evolavit. Benedicto ſucceſſit Joannes XIII. & ſubinde ſuo ordine alii, prout in indice Chronologico Romanorum Pontificum à Cabaſut. *loc. cit.* contexto, & in Synopſ. *de Eccleſ. milit. p. 2.* auctore Leytam.

18 Ad 5. Paſchalis ſe non ſubmiſit judicio Concilii, ſed Patres tantùm conſultores conſtituit circa modum corrigendi privilegium, ut ſignificant verba illa, *cujus correctionis modum, &c.* Quod non probat ſuperioritatem in Concilio ſupra Papam; ſicut nec Magnates in Regno Galliæ ſunt ſupra Regem, à quibus conſilium expetit: Forſam plus auctoritatis tribuendum eſt Regi temporali in ſuo Regno, quàm ſupremo Principi, Chriſti Vicario in Eccleſia? quis prudens dixerit?

Et reverà Concilium nihil auctoritatis exercuit ſupra perſonam Pontificis; ſed conſultatione facta in Concilio, in quo Paſchalis præſidebat, recitata eſt ſententia, qua damnatum, & caſſatum eſt pri-

vilegium, à Pontifice approbata: & ex hoc habuit vim. Poterat quidem Papa per ſe ſolum privilegium revocare, at voluit adhibere Concilium, ut revocationis notitia faciliùs ad omnes perveniret, & plenior eſſet damnatio, ac omnis tergiverſatio præcideretur. Revocatum verò fuit privilegium (quod ironicè *pravilegium* dicebatur) extortum per Henricum, & à Paſchali coactè conceſſum pro liberatione populi, & Eccleſiæ (plures enim cum ipſomet Pontifice, tum ex Cardinalibus, tum ex populo Romano Henricus captivos fecerat) Revocatum itaque eſt, quod in eo continebatur, *quod electus canonicè à Clero, à nemine conſecretur, niſi prius à Rege inveſtiatur*; penes Bail *in d.Concil.* De Inveſtituris nonnulla dixi *Offic.Cur.Eccleſiaſt. cap.29.nu.11.& ſequent.* Et videas *controv. ſequent.cap.1.*

Opponunt 2. Papa in cauſa fidei judicio Eccleſiæ ſubiicitur, ut eſt textus in *cap. Si Papa 40.diſt.* ubi ſtatuitur: *Papa à nemine eſt judicandus, niſi deprehendatur à fide devius*: ergo etiam judicialiter puniri poteſt ſcandaloſus: qui enim poteſt majus, poteſt & minus *cap. ex parte il 2. de Decimis*, majus autem eſt judicare in hæreſi, quæ eſt maximum peccatorum.

Item. Nulli membro parcendum eſt, ut ſervetur corpus; & nulli corpori ſufficienter eſſet proviſum, niſi membrum putridum poſſet abſcindi. Ita ſi Rex incorrigibilis eſſet ad deſtructionem Regni, poſſet, & deberet à Communitate, cui præeſt, deponi: ergo ſi Papa Eccleſiam deſtruat, ut Lupus gregem, & procedat de vitio in vitium incorrigibiliter, deponi debet.

Propterea, ſi Papa evaderet perpetuò furioſus, vel captivus duceretur, ſi juramento ſe adſtrinxiſſet ad cedendum Papatui, Eccleſia poſſet illum deponere, & alium eligere; depoſitio autem fit à Superiore.

Deinde. Licitum eſt unicuique cum moderamine inculpatæ tutelæ Pontificem occidere, ſi contra ſe ipſe eſſet injuſtus aggreſſor ad occidendum: ergo multò magis licebit Regibus, vel Concilio deponere Pontificem, ſi is Rempublicam perturbet, vel animas malo ſuo exemplo nitatur occidere. Propter quod ſæpè Pontifices fuerunt ab Imperatoribus judicati, & depoſiti, quos numerat Bellarminus *lib.2.de Sum.Pontif.cap.2.*

19 R. Nonnulli, etiam ex Catholicis, putant Papam, ut perſonam privatam poſſe errare circa fidem in credendo, ac eſſe hæreticum, negando nimirùm aliquam veritatem à Deo revelatam, definitam, vel propoſitam ab Eccleſia, ut fide divina credendam. Qui tamen inter ſe non conveniunt. Quidam tradunt, quod Papa per hæreſim notoriam, & contumaciter defenſam cadit à Papatu, & ipſo jure eſt eo privatus, & fit omnibus Fidelibus minor ex Gloſ.in *cap. Acacius 24.q.1.* Probantque ex eo, quòd, fide perdita (per quam fit prima unio ad corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia) deſinit eſſe membrum Eccleſiæ, atque ita eſſe caput; intelligi enim non poteſt, ut quis ſit caput corporis Eccleſiæ, cujus nedum membrum non eſt, ſed nec etiam in corpore, ſed extra, juxta illud *Joan.3. Qui non credit, jam judicatus eſt*. Ideò poteſt ab Eccleſia judicari: ſive judicatus à Deo, declarari privatus Papatu; non verò poteſt propter alia peccata, propter quæ à Papatu non cadit; nam caput *Si Papa* loquitur de peccato tantùm infidelitatis, & Scriptura nobis non dicit abiiciendos malos Paſtores, qui bonam doctrinam habent, vitam verò malam; ſed audiendos in doctrina, in operibus verò inimitandos. Matth.24. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſei, quæcunque dixerint vobis ſervate, & facite, ſecundùm opera eorum nolite facere*. Vide Auguſtinum *Epiſt.53. ad Generoſum cap.1.num.3.* dicentem, quòd ſi in Petri Cathedra quiſpiam Papa moribus malus, vel traditor ſubrepiſſet, *nihil præjudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis*. Ita Turrecremata *Sum. lib.2. cap.102.* aliique, quos refert Ley-

Leytam *Clyp. dignit. Pontif. diſcept.* 8. *ſect.* 1. *n.* 18. Neque tunc Eccleſia illum judicat, ut Papam, ſed ut perſonam privatam. Illud autem de hæreſi perſonali Papæ non admittimus; prout ſuo loco.

Alii dixerunt, Papam non deponi ipſo facto per hæreſim; nam nullum jus datur humanum, vel divinum infligens ipſo facto talem pænam; ſed neceſſe eſt, quòd Eccleſia juridicè probet delictum, examinando teſtes ſuper crimine abſque ullo pro tunc actu juridico circa perſonam Papæ; conſtito autem de delicto, & monito Papa, ut reſipiſcat, ſi pertinax eſt, publicatur ſententia declaratoria criminis: & tunc primò Papa deponitur immediatè à ſolo Deo, ut pluribus allegatis citatus Leytam *n.* 20. In iſta quoque opinione nulla eſt paritas inter infidelitatem, & alia peccata, quoniam *d. cap. Si Papa* de ſola infidelitate procedit, in quo ponitur dictio *niſi*, quæ eſt exceptiva cæterorum criminum: Sed, an dicta ſententia de hęreſi perſonali Papæ ſit ſubſtinenda? negamus ex dicendis *contr. ſequen. cap.* 1. Et obſervamus, quòd affirmantes firmant caſum nunquam Dei providentia contigiſſe. Fagnanus *in* 1. *ad cap. Significaſti de elect.*

20 Ad 2. Maxima illa non procedit de membro capite, quia ab illo pendent ſenſus motus, & virtus corporis, ſine quo non vivit. Hinc eſt, quod Chriſtus *Matth.* 18. inter membra ratione ſcandali abſcindenda, non nominat caput, ſed membra illa, quibus abciſſis, adhuc ſtat vita ſenſus, & motus corporis. A Papa autem, ut habet d. *cap. Si Papa*, poſt Deum ſalus univerſitatis Fidelium ſpecialiter pendet: ejus enim eſt oves Chriſti paſcere, juxta illud *Joan. ult. Paſce oves meas*. Item, illa non videntur ad propoſitum objecta, quia, quantuncunque Papa (quod Deus avertat) efficeretur malis moribus membrum putridum, non poſſet totum corpus inficere: non permittente hoc Spiritu Sancto, quo corpus Eccleſiæ vivit, & vegetatur, & à quo ſalus ejus principaliter pendet: concurrente maximè promiſſione Chriſti, qui ſemper pollicitus eſt cum ſuo corpore manere, dicens: ***Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi***, Matth. 28. Et illud ejuſd. 16. ***Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.***

Nec probamus etiam in allegatis circumſtantiis poſſe à populo Regem deponi; Sed in caſu eſſet recurrendum ad Pontificem per dicenda *cap. ſequen. n.* 37. juxta à Doctoribus reſoluta apud Dianam *coord. to.* 9. *in tract.* 1. *hiſtorico-juridico-Theologico reſol.* 5. Quin etiam, eo dato, paritas non curreret, quia Pontifici ab hominibus poteſtas non communicatur.

21 Urgent: ergo ſi Eccleſia ſuæ perditioni non poſſet puniendo Papam, occurrere, non eſſet à Deo benè ordinata, quod ſine errore affirmari non poteſt; ergo, &c.

R. Conſequentia juxta dicta nulla eſt. Ulteriùs ſtultum eſt cogitare, quòd minus ſit proviſum Corpori Eccleſiæ, ex eo quòd Chriſtus voluerit cauſas ſui Vicarii non eſſe judicio Eccleſiæ terminandas. Nam eas ſuo judicio reſervavit, quod maximè timendum eſt. In quo rectus relucet ordo in Eccleſia à divina providentia conſtitutus: cujus diſpoſitio eſt, quòd prima agant in poſteriora, regendo, judicando, puniendo, & auctoritativè corrigendo, non è contra. Hinc, cùm Papa in toto ordine Eccleſiæ ſit, primus, & ſupremus, ordo exigebat, ut ita inſtitueretur, quod ipſe auctoritatem in alios exerceret, ipſe verò à ſolo Deo veniret corrigendus.

22 Ad prætereà. Exiſtente Papa captivo, illud eſt remedium, & non aliud, quòd oratio fiat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo; ſicut primitiva Eccleſia fecit pro Petro. *Actor.* 12. Idem debet eſſe remedium, ipſo perpetua amentia laborante. Nec probo ſententiam dicentium, quod tunc vacaret Sedes, ſicut vacat per mortem naturalem, & reſignationem; nam certè diverſa eſt ratio. In caſu fractionis juramenti perjurus eſſet Papa coram Deo, ſed ex perjurio non poſſet

ullam ab humano judicio vindictam reportare.

23 Ad deinde. Confunditur jus naturale defendendi ſe ab injuſto invaſore cum jure poſitivo judicandi alium. Primum acquiritur à natura. Secundum acquiritur titulo. Non conſtat autem de aliquo titulo à Deo ovibus dato ſuper ſuum Supremum Paſtorem. Item, aliud eſt impedire hominem volentem alterum injuſtè interficere, aut tenendo eum, vel privando enſe, &c.ſicut aliud eſt reſiſtere, & humiliter aliquem corrigere, ac monere, quod poteſt inferior circa ſuum ſuperiorem. Et aliud eſt obtinere juriſdictionem, & auctoritatem ſuper illum, ac poſſe via juris procedere ad eum puniendum, quod omni lege inferioribus prohibetur.

Modò. Si argumentum procederet, omnes homines poſſent ſuos quoſcumque ſuperiores, cùm malè agerent, judicare, & punire, etiam Laici Clericos, & ita actum eſſet, tum de tranquillitate Reipublicæ, tum de immunitate Eccleſiaſtica; quæ fuit Bohemis inviſa, qui ſimili argumento utebantur, ut probarent, quod eorum communitas poterat diſſolutum Clerum corrigere.

24 Nunc ad argumentum. Circa antecedens conſideratur, quod ordo charitatis dictat, ut præferatur commune bonum privato. Propterea DD.concordant, quòd ſi aggreſſor ſit Dux, Rex, vel alia perſona Reipublicæ valdè neceſſaria, invaſus, cujus vita ad bonum commune parum refert, tenetur ex lege charitatis mortem potiùs ſubire, quàm alteri inferre; & quatenus occidat, peccat non contra juſtitiam commutativam per comparationem ad injuſtum aggreſſorem, ſed contra charitatem, & contra pietatem erga patriam, ac contra juſtitiam commutativam relativè ad Rempublicam, cui maximum infert detrimentum, ita Diana *coord.to.8.reſol.*17. Dubium autem non eſt, quod occiſio Pontificis poſſet eſſe Eccleſiæ nociva: ſæpè enim in electione futuri ſchiſmata ſuborta ſunt, ideò nec in caſu (quem putamus Metaphyſicum) poſſet aggreſſus, licitè ſua defenſione, Papam occidere.

Verùm, dato antecedente, negatur conſequentia. Diſcrimen eſt, quia ad reſiſtendum invaſori, & ſe defendendum nulla requiritur auctoritas, & juriſdictio in aggreſſo ſupra aggreſſorem; quæ eſt neceſſaria ad judicandum, & via juris puniendum. Quare, licèt Eccleſia poſſet reſiſtere, & non obedire Pontifici manifeſtè injuſta præcipienti (quod non puto poſſibile propter aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ne erret in ferendis legibus pro tota Eccleſia) non poteſt ipſum judicare, & deponere, ita Cajetanus *de auctoritate Papæ c.*27. Turrecremata *lib.*2.*cap.*106. Leytam cit. *diſceptat.*3.*ſect.*5.*nu.*533. Et nos *contr.ſequen. cap.*2.

25 Quin etiam in caſu particulari (quod abſit) quòd ſuis privatis moribus Papa non rectè ambularet: ubi crimina eſſent publica, ac in multitudinis periculum vergerent, remedium eſſe deberet, ut DD.Cardinales ipſum humiliter rogarent, & monerent de removendo ſcandalo, quod indè Eccleſia pateretur. Sicut Paulus, debita tamen reverentia, Petrum correxit ad *Galat.*2. Quod non concluderet in illis ſuperioritatem ſupra Papam; ſicut nec fuit in Paulo ſupra Petrum, ut dictum eſt *contr.*5.*cap.*2. Nunquam tamen ullus ſive Concilium, ſive Princeps poſſet ipſum judicare, & deponere.

Urgent. Plures Pontifices per Eccleſiam fuerunt correcti, & depoſiti, ut Marcellinus, Liberius, Joannes XII. Eugenius IV. aliique.

26 R.Eſt dubio procul Pontificem certum, & indubitatum non poſſe ab ullo in terris deponi, ſicut à nullo mortalium, ſed immediatè à Deo recipit juriſdictionem. Exempla, quæ afferri poſſunt, probant ſolùm id eſſe actum, non de jure, ſed de facto, vel præpotentia Imperatorum, vel inſolentia alicujus conciliabuli, ſed ſem-

ſemper invalidè. Quod dicitur de Marcellino: non Concilium, ut diximus in eum jus dixit, ſed ipſe ſe deponendum eſſe judicavit: depoſitio tamen executionem non habuit, ſed in Pontificatu permanſit uſque ad mortem, ut Bail notavit *in Concilio Baſilienſi in reſponſ. ad objeƈt.contr. auƈtorit. Papæ*.

Liberius non ab Eccleſia fuit depoſitus, ſed à Conſtantio, convocato Concilio ex Arianis; quia noluit iſtis communicare, in exilium miſſus; in cujus locum Felix ſubſtitutus eſt, qui eo vivente, fuit Antipapa. vide *cap.4.num.*10. De Joanne diximus ſupra *n.*5.ubi etiam notavimus de Eugenio, de quo etiam agendum eſt *contr.*8. *cap.*6.

Opponunt 3. Pontifex exiſtens in terris Imperii, vel alterius Principis tenetur obſervare leges civiles in illis latas pro bono publico: etenim eſt pars Reipublicę, propter quod obligatur ad ſe conformandum cæteris.

Item. Adrianus I. Papa *cap. Adrianus* 63.*diſt.* conceſſit Carolo Magno privilegium eligendi Romanum Pontificem. Quod deinde *cap.In Synodo* ibi fuit à Leone VIII. confirmatum Othoni I. Imperatori. Item Leo IV. poſtulavit à Ludovico Imperatore judices, ut examinarent, quæ ipſe fecit, ut ea ſuo judicio emendaret, *cap. Si nos incompetenter* 2.*q.*7. ergo ex ipſa juris canonici diſpoſitione probatur auƈtoritas Imperatorum ſupra Papam.

27 R.Negatur antecedens. Nec ſimplices Clerici tenentur direƈtè, aut vi coaƈtiva, & coercitiva legibus civilibus Laicorum, cùm ab juriſdiƈtione laica exempti, & nullus tenetur legibus illius, qui in ipſum non habet juriſdiƈtionem, propter quod non poteſt ab illo puniri. Neque tenentur indireƈtè, ſeù direƈtivè, ſi leges repugnent immunitati Eccleſiaſticæ. Si verò ita repugnantes non ſint, tenentur direƈtivè, non ex vi legis, ſed ex vi rationis naturalis diƈtantis, quòd pars Reipublicæ tenetur ad ea obſervanda, quæ ad conſervandam Rempublicam ſunt neceſſaria: de quo dixi *Offic.Cur.Eccleſiaſt.cap.*22. *à nu.*25. & ibi vide aptam diſtinƈtionem in hac materia. Pontifex verò nec vi direƈtiva tenetur ſervare leges civiles Principis Laici, eſtò in ejus Principatu exiſtat. Nam eſt jure divino in omnibus, & per omnia exemptus à civili poteſtate, ut probat Molina *tom.*1. *de juſt.traƈt.*2. *diſputat.*31. cum Suarez. Et Merolla, ita verum cenſet, ut illis non teneatur, nec titulo ſervandi uniformitatem cum tali communitate, quia eſt perſona adeò excellens, ut non cogatur ex vi ulla ſe ſe accommodare ſtatutis, & legibus ſuorum inferiorum. Non enim eſt quævis pars Reipublicæ, ſed pars principaliſſima, & omnium abſolutè caput.

Si verò, quæ fuiſſent à Principe conſtituta, eſſent etiam ſub præcepto juris naturalis, vel divini, tunc Papa teneretur, non ex vi legis civilis, & coaƈtus à Principe, vel ratione ſe conformandi cum inferioribus, ſed quia tenetur ſervare lege naturali, & divinà injunƈta.

28 Ad *cap. Adrianus*, & *cap. in Synodo* reſpondet Leytam *num.*131. aſſertum privilegium fuiſſe illis à Pontificibus conceſſum propter defenſionis aſſiſtentiam, non propter juriſdiƈtionis potentiam. Tunc enim Sedes Apoſtolica indigebat pręſidio, & auxilio Imperatoris, ut adversùs Longobardos, & Græcos illam vexantes, protegeretur. Subinde verò, ea cauſa ceſſante, fuerunt privilegia revocata. Sed nòs *contr.*3.*cap.*4.*num.*45. notavimus Canones illos deprompto ex hiſtoria Eccleſiaſtica (ut ex ipſorum rubrica) eſse apochryphos, & nullius auƈtoritatis, utpotè excriptos à Sigeberto in gratiam Henrici Imperatoris Schiſmatici, cui contra Pontificem adhęſit. Et addimus Leonem VIII. non fuiſse legitimum Pontificem, ut diƈtum eſt *nu.* 16. & 17.

29 Ad *cap. Nos ſi incompetenter*, fortè eſt apochryphum; nam Leo propria jura noverat, & ſe divino jure noverat exemptum,

ptum, & nullius juriſdictioni in foro exteriori ſubeſse; ideò nec voluntariè contra Leytam *d.loc.* poterat ſe ulli ſubmittere, ut juriſdictione in ſuam perſonam uteretur, ſed prærogativam debuit ſuſtinere; qui conſtantiſſimus fuit in repellenda prætenſione Lotharii, & Ludovici arrogantium ſibi jus in confirmatione Romani Pontificis electi, ejuſque electione, teſte Coriolano *in Breviar. ad an.* 847. Quando autem Canon ſpurius non cenſeatur, dicendum eſt, ſe ſubmiſiſse judicio non legali, seù juriſdictioni Ludovici, ut perperàm legit *ibi Gloſ.* ſed diſcretivo; neque textus dicit, *Veſtro cuncta volumus emendari judicio, ſed emendare*: hoc eſt, ad removendum fortè ſcandalum, conſulendumque noſtrę innocentiæ (licèt non teneretur) volumus coram miſſis à vobis probare falſa eſſe, quæ de nobis fuerunt relata, ut hinc cognoſcatis nulli à nobis injuriam irrogatam.

Cętera, quæ opponi poſſunt, legantur reſoluta *d. controv. 3. cap. cit.* ea verò, quæ ex Piſano, & Conſtantienſi Concilio obiiciuntur, *in contr.* 8. reiiciuntur.

CAPUT VII.

An Romano Pontifici poteſtas conveniat in temporalia Principum?

SUMMARIUM.

1 *Mendacium Novatorum, ut Principes arment contra Pontificem.*
2 *Poteſtas circa temporalia directa, & indirecta.*
3 *Romanus Pontifex poteſtatem indirectam obtinet in temporalia Principum.*
4 *Remedia adhibenda ab Eccleſia adversùs Principem in Eccleſiam refractarium.*
5 *Baptiſmus non liberat ſubditos à ſubjectione erga ſuos Principes.*
6 *Ad regimen Eccleſiæ neceſſarium, ut potentiæ Principum termini præfigerentur.*
7 *Probatio poteſtatis indirectæ ex Concilio Lateranen. IV. & Tridentino.*
8 *Nonnulli Principes à Romano Pontifice depoſiti, uſque ad* 13.
14 *Romanum Imperium auctoritate Romani Pontificis ab Oriente in Occidentem pervenit.*
15 *Poteſtas eligendi Regem Romanorum in collegio Electorum eſt à Romano Pontifice.*
16 *Propoſitiones negantes in Pontifice poteſtatem indirectam ad temporalia Principum ab Apoſtolica Sede proſcriptæ.*
17 *Tributa ſunt Principibus ſolvenda.*
18 *Gladius temporalis eſt ſub ſpirituali.*
19 *Syſtema Pontificis erga Principes rebelles Eccleſiæ.*
20 *Gladius temporalis exercetur à Laicis juſſu Pontificis.*
21 *Poteſtas Pontificia eſt poteſtas capitis.*
22 *Chriſtus in regiminę Eccleſiæ ſummam poteſtatem habuit.*
23 *Fuit, etiam ut homo Rex temporalis.*
24 *Cum ſupremo dominio Dei ſtat homines in mundo eſſe rerum ſuarum dominos ad* 26.
27 *Poteſtas ſpiritualis Pontificis quoad Regnum Galliæ non eſt limitata.*
28 *Nonnulli Reges Gallię à Romana Sede cenſuris ligati.*
29 *Reges in temporalibus directè nulli ſubiiciuntur.*
30 *Caput* meruit de privil. *non revocat Extravag.* Unam Sanctam.
31 *Papa, quo ſenſu ſit ſuperior quoad temporalia Principum?*
32 *Pontifex non perturbat juriſdictionem Principum.*
33 *D. Bernardus poteſtatem indirectam firmat in Pontifice.*
34 *Principes non habent dominia à Papa titulo precarii.*
35 *Nec jure feudi.*
36 *Principes præſtant juramentum de defendenda fide.*
37 *Principes à populo exhauctorari non poſſunt.*

38 *Ju-*

38 *Juramentum fidelitatis, etiam Tyranno præſtitum, ſervandum.*
39 *Poteſtas deponendi Reges alio titulo eſt in Republica, & alio in Pontifice.*
40 *Hæretici omnibus bonis ſunt privati.*
41 *De poteſtate ſpirituali in Pontifice temporali conjuncta ad 45.*

1 NOvatores ad Romani Pontificis primatum exoſum omnimodè reddendum, ac in eum armandos Principes, & ad iram movendos, eos pernicioſa inſtructione corrumpunt, ſuadentes Romanos Pontifices jus ſibi vindicare, & abſolutè prætendere in res, & dominia Principum; & hinc ad libitum poſſe è ſuis Principatibus eos depellere, ſubditoſque à debitæ fidelitatis juramento eximere. Verùm mendaciis falſitati ſuperædificant, ac tale jus Pontificibus affingunt, quod ipſi unquam ſomniarunt. Nullibi enim legitur eos aliquando falcem in meſſem alienam apponere tentaſſe, directamque poteſtatem circa temporales Principes exercuiſſe: utinam è contra in ſuo ipſi jure non turbarentur.

Sed hoc etiam magis dolendum, quòd nonnulli è gremio Catholicæ Eccleſiæ ab hæreticis arma mutuaverint; quos non puduit alienam ſtatuere à Romanis Pontificibus, etiam indirectam poteſtatem in ipſa Principum temporalia. Concedunt Papam habere poteſtatem coactivam circa Principes, ſed ſpiritualem dumtaxat, qua eos poſſunt à communione Eccleſiaſtica excludere, ſed nullo modo poſſe circa temporalia ſe ingerere.

2 Verùm opus eſſe putamus præmittere diſtinctionem poteſtatis circa temporalia à Doctoribus præfixam: ut una ſit *directa*, quæ ordinariè per ſe, regulariter, & primariò ſe extendit ad diſponendum de rebus temporalibus in ordine ad civilem Reipublicæ tranquillitatem. Alia verò *indirecta*, quæ per accidens, & indirectè in ea tendit, in ordine nimirùm ad bonum fidei, & Eccleſiæ animarumque ſalutem. De prima quæſtio non procedit: ea enim Principes abſolutè gaudent in ſuis Ditionibus, & Pontifex eam habet in terris ſolùm, quæ ſunt ſui dominii temporalis. De ſecunda eſt inter Doctores difficultas, hìc reſolvenda.

Nec movenda eſt quæſtio, an dicenda ſit poteſtas ſpiritualis, vel temporalis? nam de voce lis eſt: temporalis extrinſecè appellari poteſt, quatenus, & de temporalibus diſponit; verùm quia illis non ſe ingerit, niſi in ordine ad ſupernaturalia, verè ſpiritualis eſt: cùm directè in res ſpirituales tendat, & indirectè temporalia reſpiciat.

Dicendum. *Eſt in Romano Pontifice poteſtas indirecta in temporalia Principum in ordine ad finem ſupernaturalem.* Ita communiter DD. Catholici, nonnullis exceptis. D. Thomas *2.2.q.12.art.2.& q.60.art.3.* D. Bonaventura *to.7.q.7. de Eccleſiaſt.hierarc. cap.1.* Diana *coord.to.9.tr.1.Hiſtorico-Juridico-Theologico reſol.7.&* 8. Petra *comment.to. 1.ad conſtitut.unic. Gregorii VII. & tom.2. ad conſtitut.4.Innocentii III.* Gonzalez *in 4.tit. 17.cap.13.* Sperellus *deciſ.182.n.66.* & ego ipſe *Offic.Cur.Eccleſiaſt.cap.29.§.1.* aliique plures poſt Bellarminum.

3 Probatur 1. Pontificem habere poteſtatem indirectam in temporalia, & Principum dominia, eſt ipſum poſſe eos temporalibus contra ſpiritualia abutentes (adeòque maxima urgente Chriſtianæ Reipublicæ utilitate) pœnis temporalibus, rerum nimirùm, & dominiorum privatione punire; ſed hæc poteſtas eſt in Romano Pontifice: ergo, &c. Major non controvertitur. Probatur minor. Hæc ipſa poteſtas eſt Pontifici à Chriſto tradita illis verbis: *paſce oves meas.* Tunc enim conſtitutus eſt ſupremus Paſtor omnium Fidelium, nullo excepto, ut eſt textus in *cap.Solitæ de majorit. & obed. & cap. Unam Sanctam eod.tit.int.com.* eique data facultas omni Paſtori neceſſaria. Conceſſo enim officio, ea omnia conceſſa intelliguntur, ſine quibus certè exerceri non poteſt, *cap.1.*

de

de offic.delegat. Et hinc eſt data, tum circa Lupos, ut eos arceat, ne gregem invadant: tùm circa arietes, ut, ſi quando cornibus lædant gregem, eos recludat, nec ſinat procedere: tum circa oves, ut tribuat convenientia paſcua. Et inde ita diſcurritur I. Hæretici ſunt Lupi, quos Paſtor arcet per excommunicationem, & ſimul jubet populis, ne eos ſequantur. II. Princeps Catholicus, ſed adeò malus, ut multum obſit Religioni, eſt aries deſtruens ovile; quem ideò poteſt Paſtor recludere, ac redigere in ordinem ovium non recalcitrantium, per depoſitionem à potentia, & dominatu. III. Poteſt, & debet oves ita paſcere, ut eis convenit.

Dicunt. Utcùmque Catholicus Princeps ſit malus, & Eccleſiæ nocivus, non poteſt à Papa corrigi, niſi pęnis ſpiritualibus, & cenſuris, quæ ſunt ſuo officio proportionatæ, adeòque non privatione dominii: nam ſuperior poteſt inferiori tantùm imperare quoad ea, in quibus eſt ſuperior; eſt autem poteſtas ſpiritualis Papæ, tantùm ſuperior in rebus ſpiritualibus, non in politicis.

4 Contra. Ergo, ubi Princeps ex Catholico evaderet Lupus, hoc eſt, hæreticus; vel, ſi fidem retineret, ita tamen temporali poteſtate abuteretur, ut, vel hæreſes foveret, ſeù jura Eccleſiæ occuparet, aut fidem Catholicam perſequeretur populumque ſibi commiſſum iniquis legibus dilaniaret, ipſumque in ſuam infidelitatem, & rebellionem pertrahere conaretur, impunè poſſet hæreticos fovere Religionemque evertere, & rebellis in ſua pertinacia adversùs Eccleſiam pugnare, ſi remedium aliud non ſupereſſet: Pęnæ omnes ſpirituales, & cenſuræ, ac charitatis hortamenta ſupponuntur adhibita, & inutiliter ſemper. Nullus tamen eſt, qui repugnantiam non videat. Nec Papa ſupremus fuiſſet à Chriſto relictus Paſtor Chriſtiani Ovilis, ſi ejus poteſtas non extenderetur ad rebellem ovem potentia, & viribus ſpoliandam, ita ut impotens fieret ad ulterius Religioni nocumentum inferendum. Ideò, quia pęna ſpiritualis non ſufficit, opus eſt temporali, & magis ſenſibili, depoſitione nimirum à potentia, & Principatu, eumque, populo à fidelitatis juramento abſoluto, omni dignitate, & bonis privare.

Hæc pęna, licèt temporalis ſit, per indirectum tamen, & per accidens, in ordine nimirùm ad bonum ſupernaturale, dicitur proportionata officio Paſtoris, & cadere ſub poteſtate ſpirituali Papæ, ut ex *n.* 2. Qui per ſe, & directè eſt ſolùm quoad ſpiritualia Principibus ſuperior, ſed indirectè, etiam quoad temporalia; cùm iſtis in damnum Religionis quis abutitur, ut diximus.

Dices. Lex Chriſtiana neminem privat jure ſuo: ergo, ſicut ante Chriſtianam legem homines in politicis erant Principibus ſubditi, ſic poſteà ſubduntur. Per baptiſmum enim fiunt oves gregis Dominici tantùm in rebus ſpiritualibus, & quoad æternam ſalutem ſpectantia Præſidi Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſe ſubmittunt.

5 Contra. Non dicimus homines per baptiſmum liberari à ſubjectione in civilibus ad ſuos Principes, nec Principes per ipſum per ſe, & directè in politicis ſubdi Pontifici; quod aſſerimus, eſt, quòd, dum Principes lavacro baptiſmi incorporantur gregi Chriſti, & Pontifici ſubmittuntur in pertinentibus ad æternam ſalutem, ut adverſarii non inficiantur, de neceſſitate per accidens, & indirectè ſubduntur, etiam quoad temporalia, cùm videlicet à via ſalutis aberrant, & in damnum Religionis potentiam convertunt, ac à conſtituto fine deviant. Habet planè Princeps temporalis pro fine pacem temporalem, & civilem Reipublicæ; & Paſtor ſpiritualis æternam animarum ſalutem; & ipſorum poteſtates ſunt inſtrumenta proportionata ad hos fines conſequendos, & conſervandos. Verùm poteſtas temporalis Principum non eſt deſtructiva Fidei, & Religionis, ſed debet Eccleſiam protegere,

re, ac auxilium præſtare ad executionem legum, quas Pontifex facit; ideò ſpirituali ſubordinatur, & eſt ei in ſubſidium.

Quatenus verò aliquid in civilibus operatur, quod repugnet bono fidei, & animarum ſaluti, poteſt à ſpirituali corrigi, & in melius, ſi opus ſit, pęna etiam temporali emendari, ut ex *d.cap. Vnam Sanctam*.

Inſtant. Pontifici non convenit de quovis peccato judicare, niſi quatenus eſt offenſa Dei, & quatenus pęnis ſpiritualibus, ac cenſuris corrigendum eſt, non autem pęna temporali. Nam in foro mundano peccata, quatenus turbant pacem Reipublicæ ſubiiciuntur poteſtati politicæ, per quam judicari poſſunt, & pęnis temporalibus puniri; & quatenus ſunt offenſa Dei, & ſpiritali ſaluti nocent, ſubiiciuntur judicio Eccleſiæ: ſeù in foro interiori pænitentiæ, ſeù in foro etiam externo, ſi publica, & in ſcandalum Eccleſiæ, ac graviſſima ſint, ſed tantùm ut pęnis Eccleſiaſticis caſtigentur: ergo, licèt poteſtas civilis à ſuo fine deviet, à ſpirituali pęna, nunquam temporali puniri poteſt.

6 Contra. Hæc idem urgent, quod prȩcedentia. Ideò repetimus Pontificem poſſe per indirectum, pęna, etiam temporali in foro externo Principes propter crimina Religionis bono, & fidei nociva punire. Ad regimen enim Eccleſiæ neceſſarium fuit, immenſæ Principum potentiæ terminum aliquem præfigere, extra quem non excurreret, & jura Religionis non offenderet.

7 Probatur 2. Pontificem aſſerta gaudere poteſtate legitur diſpoſitum in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. in quo excommunicantur hæretici; quorum bona, ſi fuerint Laici, Fiſco adjudicanda ſunt; ſi verò Clerici, applicanda Eccleſiis, à quibus ſtipendia perceperunt. Et ulteriùs præcipitur Poteſtatibus ſæcularibus, ut omnes hæreticos è ſuis ditionibus pro viribus expellant; & ſimul ſtatuitur, ut quando ad regimen aſſumuntur, præſtent juramentum ſe pro viribus, & bona fide id executuros. Denique, committitur Epiſcopis, ut dominos temporales in eo negligentes excommunicent; & ſi infra annum ſatisfacere contempſerint, ſignificandum eſt Summo Pontifici, ut *ex tunc ipſe vaſſallos ab ipſorum fidelitate denuntiet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, ſine ulla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſervent, ſalvo jure Domini principalis*; quatenus bona in fęudum eſſent ab illo recepta, ut ex *cap. Excommunicamus il 1. de hæret.*

Tridentinum *ſeſſ.25.cap.19. de ref.* excommunicat pugnantes in Duello, ac pęnam proſcriptionis omnium bonorum imponit. *Seſſ.24.cap.6. de ref. matrim.* raptores condemnat, ut raptam, ſive eam ducant, ſive in bonis ſuis arbitrio judicis decenter dotent.

In *capite 1. de homicid. in 6.* Innocentius IV. à dignitate deponit Principes mandantes per Aſſaſſinos quempiam Chriſtianorum occidi. Nec alia deſunt jura, quȩ eam poteſtatem Pontifici concedant, ſeù declarent habere.

Propter quod Romani Pontifices poſſunt Reges, & Imperatores deponere; circa quos ſæpiùs ea poteſtate uſi ſunt.

8 I. Gregorius II. parte Imperii privavit Leonem Imperatorem Iconomacum, de quo hæc ſcribit Spondanus Epit.*to.2. ad an.730.nu.2.* Imperator denuò à Gregorio monitus (ut à perſecutione ceſſaret adverſùs ſacrarum Imaginum propugnatores) *nihilominùs in impietate permanſit: tunc demùm factum eſt, ut idem Pontifex ipſum impænitentem hæreticum cognitum, & declaratum, anathemate perculerit, atque Romanos, & reliquos Italos ab ejus obedientia, & tributorum ſolutione recedere penitùs fecerit: quos antea id ſponte facere tentantes coercuerat.*

9 II. Zacharias Pontifex mandavit Regnum Franciæ à Childerico, dicto *ſtupido*, transferri in Pipinum: quem Regem creari juſſit; apud allegat. *ad annum*

no 751. & Coriolanus in *Breviario ad ann.*752.

10 III. Gregorius VII. audita cęde Staniſlai Epiſcopi Cracovienſis (quem inter Sanctos Innocentius IV. adſcripſit) facta à Boleslao Poloniæ Rege, hunc omni honore, & dignitate regali privavit omneſque ſubditos obedientiam ei exhibere vetuit. Spondanus *ad an.*1079. *nu.*7.

11 IV. Idem depoſuit à Regno Henricum IV. Imperatorem, vaſſallos à juramento fidelitatis abſolvit confirmavitque electionem in Regem Romanorum Rodulphi Suevię Ducis ab Electoribus factam prout ex *conſtit. unica ejuſdem in Bullar. to.*1. in qua §.10. hæc ſunt. *Agite nunc, quæſo, Patres, & Principes Sanctiſſimi* (alloquitur Sanctos Petrum, & Paulum) *ut omnis mundus intelligat, & cognoſcat, quia ſi poteſtis in Cœlo ligare, & ſolvere, poteſtis in terra Imperia, Regna, Principatus, Marchionatus, Ducatus, Comitatus, & omnium hominum poſſeſſiones pro meritis tollere unicuique, & cōcedere*. Vide Spondanū *ad an.*1077. *n.*7.

12 V. Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi I. Fridericum II. ſuffectum ab Electoribus Othoni IV. ab Innocentio III. èxauctorato, teſte Spondano *in auctario ad annales Baronis ad an.*1210. jam pridem ab Apoſtolica Sede, ob graviſſima facinora, hæreſis ſuſpicionem, jurium Apoſtolicæ Sedis violationem, quarumdam terrarum ad Eccleſiam pertinentium occupationem ſacrilegam, commiſſa in perſonas Eccleſiaſticas, etiam S.R.E. Cardinales, & Sanctæ Sedis Legatos, eos captivos retinendo, bonis ſpoliando, & ignominiosè tractando, aliaque ſcelera, de quibus expreſsè in *conſtitutione Innocentii ad Apoſtolicæ 3. in d. Bullar.* Et ſanè ex hoc etiam, Friderici inſolentia ponitur in propatulo, quòd Encio, ſuo ex Concubina filio requirenti, quid de captiva Prælatorum turba (inter quos tres fuerant Cardinales Legati) Romam in Genuenſium triremibus properante ad Concilium à Gregorio IX. indictum, inſolens reſcripſerit.

Omnes Prælati, Papa mandante, vocati
Et tres Legati, veniant hucuſque ligati.

Hinc Papa ad ſententiam proceſſit, ut infra ibi §.6. *Nos itaque ſuper præmiſſis, & compluribus aliis, ejus nefandis exceſſibus cum Fratribus noſtris, & ſacro Concilio deliberatione præhabita diligenti, cùm Jeſu Chriſti vices, licèt immeriti teneamus in terris, nobiſque in B. Petri Apoſtoli perſona ſit dictum: quodcumque ligaveris ſuper terram, &c. memoratum Principem, qui ſe Imperio, & Regnis, omnique honore, ac dignitate, reddidit tam indignum, quique propter ſuas iniquitates à Deo, ne regnet, vel imperet, eſt abjectus, ſuis ligatum peccatis, & abjectum, omnique honore, & dignitate privatum à Domino oſtendimus, denuntiamus, & nihilominùs ſententiando privamus.*

§.7. *Omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adſtricti, à juramento hujuſmodi perpetuò abſolventes, auctoritate Apoſtolica firmiter inhibendo, ne quiſquam de cætero ſibi tamquàm Imperatori, vel Regi pareat, vel intendat; & decernendo quoslibet, qui deinceps ei velut Imperatori, ac Regi conſilium; vel auxilium preſtiterint, ſeù favorem ipſo facto excommunicationis vinculo ſubjacere.*

§.8. *Illi autem, ad quos in eodem Imperio Imperatoris ſpectat electio, eligant liberè ſucceſſorem.*

Circa quod conſiderandum occurrit. Primò, adversùs patrocinantes Concilium ſupra Papam, quòd Pontifex, & non Concilium Fridericum depoſuit; licèt in Concilio; quod tamen non de neceſſitate fuit congregatum, ſed de ſolemnitate, & congruentia, ut nimirùm omnibus Principibus, & Prælatis faciliùs cauſa depoſitionis innoteſceret.

Secundò. Quòd Principibus perſpicuū eſt Pontifices ea poteſtate præditos eſſe; Nam Innocentio, nec Imperator Conſtantinopolitanus (qui Concilio interfuit) nec alii Principum Oratores eidem præſentes ſe oppoſuerunt.

Ter-

Tertiò. Quòd Fridericus non fuit inauditus damnatus: nam ſuos ad Concilium Legatos miſit, inter quos Thaddęus vir doctrinæ, & induſtrius audacter cauſam Friderici propugnavit.

Quartò. Quòd in executionem libertatis Electoribus factæ ab Innocentio, ipſi Friderico in præcelſo Imperialis dignitatis faſtigio ſuffecerunt Henricum Langravium Haſſiæ ex Spondano ad *annal.Baronii ad an.*1246. ſunt autem, qui numerant annos 28. interregni à depoſitione Friderici ad Rodulphi Hasburgii electionem, ut ex indice Imperator. Romanor. à Cabaſutio reportato in *notit. Eccleſiaſt.*

13 VI. Paulus III. conſtit. *Ejus qui* 7.ibi excommunicatione, & Regni, ac dominiorum privatione mulctavit Henricum IV: ejuſque Vaſſallos à juramento Fidelitatis, & ſubjectione erga eumdem abſolvit, & penitùs liberavit.

Hujuſmodi exempla concluſionem adeò firmant, ut prudenti nefas ſit dubitare. Nec alia deſunt apud Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ relatores, quos quiſque poteſt pro opportunitate conſulere.

14 Probatur 3. Firma eſt, & in omnibus conſtans aſſertio Romanum Imperiũ auctoritate Romani Pontificis ab Oriente in Occidentem perveniſſe. Nam Leo III. in perſona Caroli Magni illud à Græcis in Germanos tranſtulit, ut ex *cap. Venerabilem de elect.* Ubi Innocentius III. concludit, ad Romanum Pontificem pertinere confirmare Imperatorem, ſi erit dignus,& reprobare, ſi indignus. A quo etiam, ſi Electores admoniti, & expectati, vel non potuerint, vel noluerint convenire, ut Imperatorem eligant, ille inſtituitur, ne *Apoſtolica Sedes Advocato, & defenſore careat.* A qua etiam jus, & poteſtas eligendi Imperatorem ad ſeptem-viros pervenit, ex *allegat.cap.* & Clementina *unic. de jurejurando.* Sed ex iſtis concluditur poteſtas indirecta in temporalia, & Principum dominia.

Dicunt. Jus eligendi Imperatorem non proceſſit à Pontifice, ſed ab Othone III. In quem illud referunt plures, & præſertim Proteſtantes apud Dianam *coord.to.9. tr.*10.*reſol.*1.& Gonzalez in 1.*tit.6.c.34.n.*4.

15 Contra. Quod memorata poteſtas à Sede Apoſtolica proceſſit, debet eſſe extra controverſiam, non modò,quia allegata jura ejus favore clamant, verùm etiam, quia ratio id poſtulat; non enim Principes Germaniæ poterant condere jus eligendi Romanorum Regem,vel Imperatorem,cũ apud eos eſſet tantùm jus eligendi Regem Germanię. Item,niſi ab uno, qui in omnes, & præ omnibus auctoritatem haberet, jus eligendi Imperatorẽ emanaſſet, ęgriùs ferrent Chriſtianorum nationes,ſe neq;rogatis, neq;volentibus,à paucis Germanorum Principibus eum eligi,qui eo ipſo,ac Imperator eſt,& nominis ipſius majeſtate,& honoris excellentia primum ſemper locum teneat, ſive per ſe ipſum ille, ſive per Legatos ſuos adſit, Regeſque omnes ubique, quantumvis Chriſtianiſſimos, & potentiſſimos antecellat, qui profectò locum ei non cederent, nec ceſſiſſent.

Ideò concludendum collegium Electorum jure ſcripto inſtitutum eſſe conſtitutione nimirum Gregorii V. Pontificis Othone III. cupiente, & Imperio recipiente. Quod *d. cap. Venerabilem* ſignificat Innocentius per ly *jure.* De qua re præter allegatos agunt Spondanus ad *an.996.n.*11. & Bzovius in *Roman.Pontif.cap.*43. Videnda etiam *Conſtitutio Firma Alexandri IV. la 7.d.Bullar.* qua Electoribus inhibuit, ne in Romanorum Regem eligerent Conradum (propter puerilem ætatem inhabilem ad exequendum pro Eccleſia defenſoris officium) natum Conradi filii Friderici II. jam ab Imperio depoſiti. Quod ſanè non egiſſet Alexander, nec Electores paruiſſent (prout religiosè receperunt mandata) ſi non ab Apoſtolica Sede, ſed à laica poteſtate jus illis fuiſſet conceſſum; etenim Sedes Apoſtolica jura aliena non lædit, ſed in bonum Eccleſiæ præſervat.

16 Tandem. Securis ad radicem admo-

mo-

movetur. Poteſtas indirecta confirmatur expreſsè Decretis Apoſtolicæ Sedis. I. Innocent. X. declaravit, hanc propoſitionem: *Papa nullam habet poteſtatem in temporalibus, etiam indirectè*, eſſe hæreticam, ſaltem reductivè.

II. Alexander VIII. Conſt. Inter multiplices *edita* 4. *Auguſti* 1690. proſcripſit propoſitionem hanc; qua Auctores declararunt: *Beato Petro, ejuſque Succeſſoribus Chriſti Vicariis, ipſi Eccleſiæ rerum ſpiritualium, & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium, à Deo traditam poteſtatem, dicente Domino*: Regnum meum non eſt de hoc mundo; & *iterùm*: reddite ergo Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei Deo; *ac proinde ſtare Apoſtolicum illud*: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas, niſi à Deo; quę autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. *Regentes ergo & Principes nulli Eccleſiæ poteſtati Dei ordinatione ſubiici, neque auctoritate clavium Eccleſiæ directè, vel indirectè deponi, aut illorum ſubditos eximi à fide, atque obedientia, ac præſtito fidelitatis Sacramento ſolvi poſſe: eamque ſententiam publicæ tranquillitati neceſſariam; nec minus Eccleſiæ, quàm Imperio utilem, ut Verbo Dei, Patrum Traditioni, & Sanctorum exemplis conſonam omninò retinendam*. Quæ aſſertio, cum aliis tribus editis in Comitiis Gallicanis de anno 1682. fuit ſubinde ſub Pontificatu Innocentii XII. retractata, prout expreſsè in epiſtola Innocentio directa, relata *in regal. Sacerdot. lib.* 4. §. 5. & *ult. nu.* 44. *novæ edit.* quod ego ipſe notavi loco cit. *Offic. Cur. ſub numero* 16.

Opponunt I. Indirecta poteſtas, vigore cujus Pontifex poſſit de rebus temporalibus Principum diſponere, eſt divinis Scripturis contraria; ergo in eo non eſt. Antecedens patet I. *Ad Roman.* 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*. Quibus, ſubditis injungitur, ut ſuis Principibus pareant. II. Quia poteſtas Pontificis eſt à Deo, à nullo poteſt Pontifex deponi; ergo nec deponi poſſunt principes; quorum poteſtas à Deo eſt, dicente ibi Apoſtolo: *non eſt poteſtas, niſi à Deo*.

III. Chriſtus Dominus poteſtatem non habuit in res temporales Principum, ipſo dicente *Joan.* 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*; & *Matth.* 8. *Vulpes foveas habent, & volucres Cæli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet*. *Lucæ* 22. negavit ſe habere judiciariam poteſtatem: *Quis me conſtituit Judicem, aut diviſorem ſuper vos?* ergo neque eſt aſſerenda in Romano Pontifice. Majoris enim poteſtatis non eſt Vicarius, quàm Principalis.

17 Reſp. Neg. antecedens. Prima auctoritas non urget, juxta dicta *Contr.* 3. *c.* 4. *nu.* 34. Ea enim Paulus improbare voluit errorem Judæorum, etiam Chriſtianorũ, qui repugnabant ſolvere tributa ab Imperatoribus impoſita. Nam, cùm *Deuteronom.* 17. fuiſſet conſtitutum, ut Rex eligeretur de numero fratrum, Judæi inferebant, non eſſe exteris parendum. Contra hunc errorem Paulus ſcripſit, & ne Chriſtiani viderentur de Secta Judæ Galilæi, qui rebellionem in Galilęa excitaverat, negans à Judæis tributum eſſe Cæſari ſolvendum, cum Romanis omnes inſtruxit, debere ſubditos Regibus, & Magiſtratibus reſpectivè parere in iis, quæ ad eorum ſpectant Juriſdictionem; in quem finem, ibi ſubdit: *reddite, ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, &c.* & Chriſtus *Matth.* 22. Phariſæis dolo, & fraude (ut nimirum aſſerens, invidiam Judæorum, & negans, iram Cęſaris incurreret) interrogantibus, an ſibi liceret cenſum dare Cęſari? reſpondit: *reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*; hoc eſt: date Cæſari tributum, quod exigit. Cùm enim ſitis illi ſubjecti, ęquum eſt, ut præſtetis ei, quod Dominis ſuis ſubditi debent; Deo verò anima debet cultum; ei obſequium præſtate. Hoc totum nos repetimus, & in ſubditis erga Principes juſta præcipientes, obedientiam, & obſequium

quium recognoſcimus, & debitum eis proponimus; at exinde nihil contra reſolutionem. Nam noſtra ſententia eſt, Papam poſſe Principes deponere, dum Eccleſiæ neceſſitas exigit, & ipſi bono religionis, & fidei præjudicant; quæ non concurrunt, dum ipſi juſta præcipiunt, religiosè gubernant, & Eccleſiam non inſultant.

18 Quòd autem poteſtas ſæcularis ſit à Deo, notavimus *loc.cit.* Et quamvis eſſet ab ipſo immediatè, ſicut olim Saulem, & Davidem Judæis dedit Reges, adhuc Pontificia eſſet ſuperior illa, ſicut ſpiritus eſt excellentior carne, & ſpiritualia, temporalia antecellunt. Quemadmodum verò caro rebellans contra ſpiritum debet ab iſto compeſci, & temporalia in ordine ad ſupernaturalia ſunt appetenda, ex Auguſtino; Sic ubi poteſtas, vel gladius temporalis, Religioni, & Eccleſiæ nocet, à ſpirituali poteſtate debet in ordinem reduci, ac pęna etiam temporali depoſitionis coerceri, dum ſpiritualis ſatis non eſt. Quod eſt in *d.cap. Unam* expreſsè definitum: *Oportet autem, gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem, ſpirituali ſubiici poteſtati*; nam cùm dicat Apoſtolus: *non eſt poteſtas, niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt: non autem ordinata eſſent, niſi gladius eſſet ſub gladio, & tanquàm inferior reduceretur per alium in ſuprema; nam ſecundùm B. Dionyſium: lex divinitatis eſt, infima per media, in ſuprema reducere.*

Dices: Hæc poteſtas erga Principes reprobatur à Chriſto Lucæ 22. ubi diſcipulis de Majoratu contendentibus ipſe reſpondit: *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: Vos autem non ſic.* Et concordat *cap. Unam Sanctam*, ubi determinatur, gladium ſpiritualem eſſe manu Sacerdotis, materialem verò manu Regum, & militum tractandum.

Item: Papa deponendo Principes tolleret ordinem à Deo inſtitutum quantum ad duo regimina, *cap. duo ſunt 69. diſt.*

19 R. negatur antecedens: Auctoritatis verò ſenſus eſt: Reges Gentiles ſolent eſſe ambitioſi, & multa per tyrannidem facere, ac ſuis potiùs, quàm ſubditorum commodis ſtudere. Vos autem (mei Apoſtoli) nolite eos imitari, ſed cum modeſtia, & fraterna dilectione Eccleſiam gubernate. Nec Pontifex ab hoc operandi ſyſtemate diſcedit; nam cum Principe in Eccleſiam Refractario, primò monitis charitatis procedit: deinde pęnarum Eccleſiaſticarum timore, eum revocare ſtudet, quas poſteà in contumacem pronuntiat; & quatenus eas parvipendat, depoſitione à Principatu utitur: Principatum ipſum in hæredes transferens, ſi adſint: vel, occupantibus Catholicis cedens. Et in ſubſidium ad executionem ſententiæ, vocat auxilium brachii ſæcularis, mandans Principibus, ut cauſam Fidei adjuvent, armis rebellem ſuperantes, & in ſtatum privatum reducentes.

20 Hinc ſenſus Decretalis eſt, quod uterque gladius ſpiritualis, & materialis eſt in poteſtate Eccleſiæ: ſed hac differentia, quòd ſpiritualis, manu Pontificis exercetur (ipſe enim pęnas ſpirituales imponit) materialis verò à Laicis, ſed juſſu Pontificis tractatur, ut dixit etiam Gregorius IX. Conſt. *Cùm juxta ſub la 14. Bullar. to. 1. Uterque gladius Eccleſiæ traditur, ſed ab Eccleſia exercendus eſt unus, alius pro Eccleſia manu ſæcularis Principis eximendus: Unus à Sacerdote, alius ad nutum Sacerdotis adminiſtrandus à milite.* Poteſt enim Papa juxta *text. in cap. Igitur 23. q. 8.* Principibus imperare, ut latam ab eo ſententiam depoſitionis à Principatu adversùs aliquem exequantur; aliàs indirecta poteſtas circa temporalia in eo inutilis, & inſufficiens foret, dum contumaces reſiſterent.

Ad Item. Dicimus, quòd tunc tolleret abuſum poteſtatis, non ipſam poteſtatem, quę alteri traderetur.

Inſtant. Voluntas Chriſti fuit, quòd Papa non uteretur gladio temporali. Ita *Joan. 18.* dixit: *mitte gladium tuum in vaginam.*

R. At non dixit proiice gladium à te, ſed mitte in vaginam, hoc eſt, adversùs Principes non ſemper, ſed opportunè, bono ſpirituali exigente, pęnis temporalibus procedas; & in his terminis mandes aliis, ut contra rebelles, & inobedientes materialem gladium accipiant. Quia verò dixit *tuum*, conſtat materialem gladium eſſe Summi Pontificis, & in ejus poteſtate, non quoad uſum, ſe quoad Imperium, ut dictum eſt.

21 Ad 2. Poteſtas Pontificia, & eſt à Deo immediatè, & eſt poteſtas capitis Eccleſię, ideò in poteſtate membrorum non eſt: ſub eo autem eſt illa Principum modo dicto.

22 Ad 3. negatur antecedens. Eſt certum, Chriſtum Dominum, non modò, ut Deum, ſed etiam, ut hominem habuiſſe ſummam poteſtatem circa omnia ſpiritualia; propter quod legem veterem abrogavit, novam condidit, Sacramenta inſtituit, & peccata remiſit, & alia ejuſmodi fecit, quæ nonniſi ab habente ſummam auctoritatem in regimine Eccleſiæ fieri potuiſſent: & hùc pertinet illud *pſal.7. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion Montem Sanctum ejus.*

23 Item. Dubitari minimè poteſt, Chriſtum Dominum, etiam ut hominem, habuiſſe verè & propriè Supremum dominium in res omnes temporales, ac proinde fuiſſe verum, & Supremum Regem, & Monarcham rerum omnium temporalium: tanta enim fuit excellentia Chriſti ratione hypoſtaticæ unionis, ut nullus potuerit eſſe titulus honoris, prerogativę, & poteſtatis, quem ipſe non haberet, juxta illud *Matth. 28. data eſt mihi omnis poteſtas in Cęlo, & in terra, & Apocalypſ. 19. Habet in veſtimento, & in fæmore ſuo ſcriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Quę teſtimonia, Patres communiter intelligunt de Chriſto Domino, ut homine. Et colligitur ex auctoritate objecta: nam, ut obſervat Auguſtinus *tr. 115. in Joan.* Chriſtus non dixit: *Regnum meum non eſt in hoc mundo*, ſed: *non eſt de hoc mundo*; & cùm hoc probaret, dicens: *Si ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei decertarent* (pro me) *ut non traderer Judæis*; Non ait: *Nunc autem Regnum meum non eſt hic*, ſed: *non eſt hinc*. Quare potuiſſet quoſcunque Reges, & Principes privare ſuis regnis, & Dominiis, ſi voluiſſet. Verùm eos reliquit in ſuo ſtatu, nec ea poteſtate uti voluit, ut *loc. cit.* ſcripſit S. Doctor: *Audite ergo Judæi, & Gentes: audi Circumciſio: audi Præputium: audite omnia Regna terrena, non impedio dominationem veſtram in hoc mundo.*

24 Sed non habuit in res temporales Dominium talis naturæ, ut ipſe ſolus eſſet ita quaruncunque rerum temporalium Dominus, adeòut nullus alius præter ipſum eſſet in Mundo rerum ſuarum Dominus, & proprietarius: cùm nec ipſe Deus tale Dominium ſibi retinere voluerit; ſed, retento abſoluto quodam, & ſupremo in res omnes dominio, proprietatem illarum hominibus benignè conceſſit, ita ut dependenter ab illo ſupremo Dominio verè ſint, & dicantur rerum ſuarum proprietarii, & domini. Et inde reprobatur quorumdam error, dicentium, omnes Principes, & Dominos terræ à Chriſti Domini conceptione fuiſſe ſuis Dominiis privatos. Cujus falſitas inde etiam patet, quòd Chriſtus *Matth. 22.* dixit: *reddite, quę ſunt Cæſaris, Cæſari*, & *cap. 17.* Petro commiſit, ut, ſtatere in piſce reperto, ſolveret cenſum, *pro me, & te*, licèt ad id non teneretur, ut notat Auguſt. *lib. 1. quæſt. Evang. q. 23.*

25 Verbis *Matth. 8. Vulpes, &c.* Chriſtus reprehendit quemdam legis doctorem, qui ſpe dignitatum, & opum, Chriſtum ſequi ſtatuerat. Cui Chriſtus: ea intentione vis mihi adhærere? erras; nam ego ne quidem tantum habeo, quantum habent aves, aut Vulpes, quibus ſaltem non deſunt proprii nidus, & foveæ: Chriſtus enim non venerat, ut Rex politicus ad gubernandum, ſed ut Salvator ad ſalvandum. Et eſtò fuerit Rex, tamen perſonam

ſonam Regis non egit, & contentus fuit uſu rerum ad vitam neceſſariarum; & inde nihil contra nos.

26 Ad illud *Lucæ* 12. non negat Chriſtus, ſe vel Eccleſiam habere poteſtatem judiciariam (ut impiè ſomniant Anabaptiſtæ) nam erat ipſe Rex Regum, Dominus, & Judex omnium à Patre conſtitutus; ſed ſolùm negat obligari ſe, vel à quopiam cogi poſſe, ut id faciat. Abſtinere autem tunc voluit à judicio in diviſione hęreditatis, prout ab uno rogabatur, ne carnalem Judæorum de politico Meſſiæ adventu opinionem foveret. Lege *Tirin. in d.cap.*

Opponunt 2. Reges non ſubiici Pontifici in temporalibus declaratur in *cap.Per Venerabilem*, *qui fil.ſint legitim.* ubi de Rege Franciæ: *Cùm Rex Superiorem in temporalibus minimè recognoſcat*. Hinc Clemens V. *cap.meruit de privil.int.com.* revocavit *d.cap. Unam Sanctam* quoad Regem, & Regnum Franciæ; ergo ex identitate rationis, nec cæteri Principes (excluſis habentibus fęuda à Sede Apoſtolica) Papæ in temporalibus ſubiiciuntur; cùm in ſuis Dominiis ſint circa illa ita Supremi, ſicut Rex Franciæ in ſuo Regno.

27 Hoc argumento nonnulli præſumpſerunt aſſerere Pontificem, nullam obtinere poteſtatem coactivam in Reges, niſi ſpiritualem, & per cenſuras, & ita non poſſe eos deponere, nec ſubditos abſolvere à juramento fidelitatis. Ita Vigorius in *Apologia de ſuprema Eccleſ. auctorit. contr.Duvallium tit. de infallibilit.* adversùs quem ea ſunt à nobis hucuſque ponderata.

Eadem profert Celloſius *de Hierarchia lib.5.cap.17.§.358.* contendens à Papa nihil, neque in communi, neque privatim poſſe decerni in temporalibus Regis, & regiminis Galliæ, & quidquid decernit, ut irritum eſſe. Quinimò licèt in ſpiritualibus ſupremam ei concedat poteſtatem, illam tamen, ait, ſecundùm Canones, & Concilia, abſolutam, & indefinitam in Gallia non habere, ſed finibus, & limitibus contentam, conſequenter non poſſe Regem excommunicare. Verùm quoad primum à Celloſio aſſertum, hoc eſt, Papam in Gallia nihil poſſe decernere, circa temporalia, eadem eſt adhibenda diſtinctio: directè, & per ſe, conceditur, indirectè per accidens, & in ordine ad bonum ſpirituale, negatur. Neque enim Rex, & Galliæ Regnum excluſum fuit à verbis, quæ Chriſtus dixit Petro: *paſce Oves meas; & quodcunque ligaveris*: ſecundùm ea, quæ habentur in *d.cap.ſolitæ*.

Quantum verò ad id, quod poteſtas Pontificis in ſpiritualibus in Gallia ſit ſecundùm Canones, & Concilia limitata, & reſtricta, impugnatur ab Hallier item Gallo *de Hierarch.Eccleſiaſt. lib.4.cap.3.ar.2.* Eumque conſtituentem Romanum Pontificem mancum, & mutilum reiiciunt Concilia, & Patres; Ipſique fidei repugnat, quæ in Pontifice plenitudinem poteſtatis profitetur.

28 Ubi verò affirmat, Regem Galliæ à Pontifice excommunicari non poſſe, factis ipſis convincitur, falſa dixiſſe; nam Urbanus II. in Concilio Claramuntano excommunicavit Philippum I. Regem Galliæ, eò quòd propria uxore dimiſſa, pellicem ſibi ſociavit, Spondanus *ad an.* 1095.*nu.3.* & Bail *Sum.to.2.ſæcul.9. in d.Concilio*. Cœleſtinus III. anathemati ſubiicit Philippum II. Regem Franciæ, niſi ceſſaret à perſecutione Richardi Regis Anglię, Spondanus *ad an.*1193.*nu.*2. Innocentius III. Regnum Franciæ ſubmiſit interdicto propter repudium Regis circa legitimam uxorem, alia ſuperinducta, idem *ad an.* 1198.*nu.*8. A Bonifacio VIII. communione ſacrorum fuit privatus Philippus Rex item Galliæ, dictus Pulcher. Bail. *ibi ſæcul.14. in Concil. Roman.ſub ipſo Pontifice.* Alia exempla alii Auctores reportant, ſed ſatis nobis ſunt commemorata, quibus adversùs Celloſium ita Factum probatur, ut de jure nefas ſit dubitare; Ideò

29 R. In forma, juxta notam diſtinctionem. Reges in temporalibus non ſubii-

ciuntur directè Romano Pontifici, benè verò indirectè; Unde cùm Innocentius III. *in d.textu* dixit, *Regem Galliæ nullum in temporalibus agnoſcere Superiorem*, accipitur. De Superiore temporali; non enim Rex agnoſcit ſupra ſe Principem temporalem, à quo poſſit coerceri; Sed agnoſcit Romanum Pontificem Principem ſpiritualem, qui de temporalibus quoque in ordine ad ſpiritualia judicare poteſt; & ſecundùm hunc intellectum Bonifacius VIII. reſcripſit eidem Philippo Pulchro: *Scire te volumus, quòd in ſpiritualibus, & temporalibus nobis ſubes*; in ſpiritualibus directè, in temporalibus indirectè, apud Coriolan. *in Breviar. ad an.*1303.

30 Nec obſtat inſtantia ex *dict.cap.Meruit*; nam ibi Clemens tantùm negativè proceſſit, declarans per definitionem Bonifacii VIII. *in cap. Unam Sanctam;nullum Francis præjudicium generari, nec ampliùs Romanæ Eccleſiæ eſſe ſubjectos, quàm antea exiſtebant, & in eodem ſtatu eſſe, in quo erant ante definitionem præfatam;* Etenim cùm independenter à Bonifacii litteris ſecundùm jura, tam in illis quàm *cap.ſolitæ* allegata jure divino Pontifici competat publica auctoritas indirecta in temporalia Principum, non potuit Clemens auctoritatem ſibi à Chriſto attributam remittere, & ligandi ſolvendique poteſtatem abrogare: ergo nihil Supremus Paſtor in Francicas Oves minus poteſtatis habet (quæ verbo *paſce* eſt ei attributa) quàm in Oves cæterarum nationum.

Dices: Habet, & non habet, ſimul vera eſſe nequeunt.

31 R.Diſting. antecedens: habet, & non habet vera eſſe nequeunt in eadem linea, conceditur; in diverſa, negatur. Habet Rex in temporalibus ſuperiorem temporalem, & non habet in temporalibus Superiorem temporalem, ſimul vera eſſe nequeunt. Sed habet Rex in temporalibus Superiorem ſpiritualem, & non habet in temporalibus ſuperiorem temporalem, vera eſſe poſſunt. Vel, directè non habere in temporalibus Superiorem, & habere indirectè non contradicunt. Ita Papa non eſt Superior temporalis, & directè quoad temporalia Principum, ſed eſt Superior ſpiritualis cum indirecta poteſtate circa illa temporalia, quod nullus inficiari poteſt; nam cùm ſubſint Pontifici in ſpiritualibus, negare neutiquam poſſunt, ſi temporalibus contra Religionem, & in damnum Eccleſiæ abutantur, poſſe ratione ſpiritualium, etiam in temporalibus corripi, & coerceri.

Inſtant: Innocentius *in cap. novit. de judic.* proteſtatur, ſe non velle perturbare, aut minuere juriſdictionem Regis Franciæ, nec de fęudo judicare, *cujus ad ipſum ſpectat judicium*. Conſonat Bernardus *lib. 1.de conſiderat.cap.5. ergo in criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra; quoniam propter illa, & non propter has accepiſtis Claves Regni Cœlorum, prævaricatores utique excluſuri, non poßeſſores*. Ita alloquebatur Eugenium.

32 R. Juriſdictio ſæcularis Principum perturbaretur à Pontifice, quando principaliter directè, & ratione ſui cognoſceret de rebus ſæcularibus, & de ipſorum poteſtate; non verò, ſi de illis cognoſcat indirectè, & ſecundariò ratione alterius, ob finem nimirum ſpiritualem; ſub qua ratione, & non alia Innocentius cognovit in cauſa, quæ vertebatur inter Philippum Regem Franciæ, & Joannem Regem Angliæ, ratione fęudi, ſuper Comitatu Pictavienſi. Hi convenerant de certis pactis ſervandis, juramento firmatis; at Philippus illis non ſtetit, ſed vi, & armis contra fidem, & Religionem Comitatum occupans; quem Joannes monuit, ùt compoſitionem ſervaret, & à violenta occupatione ceſſaret; ſed cùm deſiſtere nollet, Rex Angliæ negotium denuntiavit Innocentio; qui, audita denuntiatione, quibuſdam Prælatis Franciæ commiſit, ut curarent Regem revocare ab injuſta detentione, & inita ſervaret, vel permitteret, ut Legati cognoſcerent, utrum juſta eſſet que-

querimonia, quam contra eum Rex Angliæ Eccleſiæ propoſuit; & quatenus utrumque Philippus recuſaſſet, præcepit Legato, ut anathemati ipſum ſubiiceret, & Regnum interdicto, donec Pictavia reſtitueretur. Hinc patet Innocentium non cognoviſſe directè de fęudo, ſed indirectè, hoc eſt, ratione juramenti, & peccati; ratione cujus ad Romanum Pontificem pertinet corrigere quemlibet Chriſtianum, & ita per conſequentiam cogebat reſtituere fęudum, de quo videatur Gonzalez *in 2.tit.1.cap.13. & cap.5.nu.8.* ubi reſolvit, quòd cùm Dominus fęudi regali dignitate fulget, & de fęudo diſputatur inter Dominum, & Vaſſallum, adeundus eſt Rex, qui inveſtituram fecit, ut de fęudo in ſe directè cognoſcat.

33 Auctoritas Bernardi intendit, quòd poteſtas Papę non fertur directè in temporalia Principum, ſed ſolùm ſecundariò, cùm nimirùm ipſi potentia in ſcandalum, & Eccleſiæ præjudicium, ac religionis offenſam abutuntur; & quòd in caſu depoſitionis non debet Pontifex ſibi ditiones vindicare, ſed ad hæredes tranſmittere, ubi ſunt, vel aliis Principibus facultatem facere, ut eas in augmentum Catholicæ fidei occupent. Audiatur quid *ibi cap.6.* Scribat Eugenio, ſuadens, ut agrum Eccleſiæ à ſpinis purget, & ab ovili lupos arceat; *Si hæc facis, honorificas miniſterium tuum, & miniſterium te. Non mediocris eſt iſte Principatus (Eccleſiæ) Exturbare eſt hoc malas beſtias à terminis tuis, quò greges tui ſecuri in Paſcua educantur. Domabis Lupos, ſed ovibus non dominaberis. Paſcendas utique, non perimendas ſuſcepiſti.* Poterat ne expreſſiùs noſtra ſententia firmari?

34 Opponunt 3. Si Romani Pontificis poteſtas aliquo titulo extenditur ad Regum dominia, ſequitur, Reges Regna habere à Pontifice, vel titulo precarii, vel jure fęudi; at utrumque in omnium ſenſu eſt falſum, ergo, &c. Deinde. Depoſitio Regum, ubi fuerint inhabiles, indigni, & Regno inutiles, ſpectat ad populum illiuſque Primates; ergo non ad Pontificem. Ad antecedentis evidentiam quamplurima Auctores referunt exempla, quæ reportantur à Diana *in cit. tr. hiſtorico-juridico reſolut.2.*

R. Sequela quoad neutrum admittitur. De precario falſitas eſt manifeſta; Tum 1. quia non pro ſua libertate Pontifices Principes Dominiis expoliant, neque hanc prætendunt poteſtatem habere, ſed ſolùm in circumſtantiis in ſuperioribus ſæpè relatis; Tum 2. quia Principes ſuarum Ditionum non ſolùm uſum, ſed & dominium habent; Ideò à Pontifice dominia non habent titulo precarii; quoniam, quòd precario, ſeù ad alterius preces datur, poteſt quandocunque à concedente revocari (non tamen ſtatim, ne fraus potiùs, quàm beneficium præſumatur) ſive in precario apponatur tempus, ſive non; nam, ſi tempus non apponitur, ſignificatur non finiri, niſi à concedente revocetur; Si verò tempus adiiciatur, ſignificatur, eo tempore elapſo, abſque alia revocatione finiri; non autem, quin intereà revocari non poſſit *ex cap. precarium de precariis*, & per Gonzalez *in 3.tit.14.cap.3.nu.8.* Item precarium ita conceditur, ut per illud uſus quidem rei transferatur in alterum, non verò Dominium, ut notavit Abbreviator Pithing. *in jus canonic.3.tit.14.§.1.*

35 Idem conſtat de fęudo; Tum 1. quia Principes ſuarum rerum non tam habent dominium utile, quàm directum, & proprietatis. Tum 2. poſſunt ſuas Ditiones alienare. Tum 3. à Pontifice ſuorum Dominiorum inveſtituras non accipiunt, nec ipſa, deficientibus maſculis hęredibus, ad Pontificem, tamquàm ad Dominum directum redeunt; ergo non jure fęudi à Pontifice Principatus habent; Nam de natura fęudi eſt, quod fęudatarius habeat fęudi dominium utile tantùm, non proprietatis; quòd fęudum alienare non poſſit ſine conſenſu Domini directi, & quod majora fęuda, ut ſunt Ducatus, Comitatus, & Regnũ, lege fęudorum redeant ad Principem.

36 Quibus addere neceſſe eſt, quòd Principes tenentur juramentum prȩſtare de fide, & Eccleſia defendenda, *capit.excommunicamus §.moneantur de heret.cap.non invenitur*, *cap.ſicut* 23.*q*.4.Idcircò cùm ſuo huic oneri deſunt, vel ſunt rebelles Eccleſiæ, ſunt Principatu indigni, quem à Deo habere proteſtantur intitulatione, qua utuntur: *Nos Dei gratia Rex, &c.divina faventeclementia, Imperator, &c.* atque ita ad Romanum Pontificem, uti Chriſti Vicarium pertinet declarare, eos in caſu privatos eſſe jure infȩudationis, ut ita dicam, in tali Principatu à Deo obtento.

37 Ad 2. negamus, in populo reſpectivè eſſe jus abſolutè, & ſimpliciter exautorandi Reges, & deponendi legitimos Principes, eſtò tyrannicè imperent, dicente Petro *epiſt.*1.*cap.*2. *ſubjecti eſtote omni humanæ creaturæ* (hoc eſt, obedite omni Superiori) *non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis* (juſta præcipientibus) ut inquit *v.*18.ideſt, ſive ii ſint impii, indocti, inexperti; nam, ut Paulus ſcripſit *ad Roman.*13.*Quicunque poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Tum quia depoſitionem Principum multa mala in Republica concomitantur, ut ipſius diviſio, & bella civilia, quæ, ut plurimùm non ſunt abſque detrimento Chriſtianæ Religionis, & ſemper cum illo animæ. Propter quod minus malum erit ſubſtinere tyrannicam gubernationem, quàm Principem amovere, & viam dictis incommodis aperire.

Dices: Qui non facit, quod debet, nec recipit, quod oportet, neque petere poteſt, quod ei ab alio debetur, prout exigit natura conventionum, in quibus utraque pars contrahens obligatur per Tiraq. *de legib. connub. Gloſ.*1.*p.*13.*num.*42. ergo, ubi Princeps ſucceſſione, vel electione legitimus excedit limites ſui officii, & ad Tyrannorum malitiam accedit, ideſt, conſultò, & data opera ac malitiosè Rempublicam devaſtat, cultum Dei abolet, vel profanat, Eccleſiæ jura uſurpat, vel totis viribus enititur ad ſtatum Reipublicæ, & leges fundamentales Regni mutandas, & evertendas; & ſibi, & non populo conſulit (quod eſt tyrannicè gubernare) tenetur populus bono communi per depoſitionem providere, præferendo bonum commune totius privato Principis; nec ampliùs adſtringitur ad fidelitatem, & obſequia præſtanda, quia quoties una pars non prȩſtat promiſſa, ſtatim facit, ut & altera liberetur, ut inquit *Jaſon in l. cùm proponas cod. de pact.*

38 R. Auctores etiam, qui id juris in populo ſtatuunt, ſententiam limitant, ut non comprehendat caſum, quo Principi tyrannicè gubernanti fuerit fidelitas à Regno jurata; tunc enim præſtitum juramentum ſervandum eſt ex *cap.Verùm de jure jurand.* & tunc remedium eſt rem ſignificare Pontifici, & ab eo petere relaxationem juramenti, ac depoſitionem Principis; quem ipſe, ratione ſui Vicariatus poteſt deponere; eo enim titulo eſt ſuperior in ſpiritualibus, & conſequenter in temporalibus, in quantum neceſſe eſt pro bono ſpirituali, & Religionis conſervando; Depoſitio autem à Superiore eſt facienda, ut tradit Turrecremata *Sum.de Eccleſ.lib.*2. *cap.*114.*prop.*4. quare propter indirectam poteſtatem, quam habet in temporalibus, poteſt Principes Regno, & Religioni inutiles depoſitione coercere.

39 Ideò hìc opus eſt notare poteſtatem deponendi Reges, diverſo modo eſſe in ipſa Republica, & in Summo Pontifice. In Pontifice reperitur, tamquàm in Superiore habente juriſdictionem ad corrigendos Reges, etiam Supremos, tamquàm ſibi ſubditos, quoad ſpiritualia directè, & quoad temporalia indirectè. In Republica verò eſt tantùm per modum neceſſariæ defenſionis ad ſui conſervationem. Propterea, ſi Rex legitimus tyrannicè gubernet, & Regno nullum aliud ſubſit remedium ad ſe defendendum, niſi Regem expellere, aut deponere, poterit tota Reſpublica publico, & communi conſilio Civitatum, & Nobilium. Regem deponere;

re; tum ex vi juris naturalis, quo licet vim vi repellere; tum quia hic caſus ad propriam Reipublicę conſervationem neceſſarius, ſemper intelligitur exceptus, in primo illo fędere, quo Reſpublica poteſtatem ſuam in Regem tranſtulit.

40 Verùm aliter diſcurrendum eſt de Regnis Ethnicis, & de Chriſtianis; quantum ad illa jus naturale eam proviſionem induxit, aliàs nullum eis pro bono communi conſervando ſupereſſet; Chriſtiani verò poſſunt alia via incommodis tyrannidis occurrere; debent negotium denuntiare Pontifici, ad quem cauſa depoſitionis Regum pertinet; Ad eum enim cauſæ majores Religionis deferendæ ſunt, ut jura clamant; depoſitio autem Principis eſt de majoribus, bonum religionis reſpiciens; non modò, quia regimina Tyrannorum ſaluti animarum pręjudicant, verùm etiam, quia cavendum eſt, ne ex depoſitione Religio incommoda, & præjudicium recipiat; quæ Summus Eccleſię Hierarcha ſatagit, ne eveniant. Idcircò ſuaviter in cauſis procedit: monet enim Regem, ut ad cor redeat, vel Regno cedat; Si monita parvipendat, minatur cenſuras; quas pronuntiat, ubi ſe non corrigit; & ſi in excommunicatione perſeverat, eum deponit, ac ſubditos ab ejus ſubjectione abſolvit, eiſque committit, ut ſententiam exequantur. Et inde conſtat, poteſtatem deponendi, & exautorandi Reges non eſſe in populo Chriſtiano, niſi cum dependentia, & ſubordinatione ad Romanum Pontificem.

Dices: Papa non confirmat novum Regem, ſive electione aſſumatur, ſive jure hęreditario ſuccedat; ergo nec poteſt exautorare.

41 R. Conſequentia eſt vera, niſi neceſſitas ſpiritualis urgeat. Audiatur Turrecremata *loc.cit.* *Poteſt Papa Regem deponere, non ſolùm propter hæreſim, vel ſchiſma, aut aliquod crimen intolerabile in populo, ſed etiam propter inſufficientiam*, propter quam Regnum fidelium periclitaretur. Pari modo ſi Electores hæreticum eligerent, vel in Regno hæreticus ſuccederet, & nollet hęreſim abjurare, Pontifex, & electionem infirmaret, & à ſucceſſione illum excluderet; Hæretici enim omnibus bonis ſunt privati, *ex d.cap.excommunicantes*. Videatur *loc.cit. Diana*.

Quæritur. An claves, ſeù poteſtas ſpiritualis in Pontifice excludat dominium temporale?

Hæretici affirmant, cum clavibus pugnare quodvis dominium politicum; conſequenter negant, non tam Pontificem eſſe Dominum temporalem, quàm eſſe hujus Dominii capacem. Ita Calvinus *lib.4. Inſtit. cap.* 11. Magdeburgenſes *centur.*1. *lib.*2.*& cent.*8.

42 Catholici verò dicunt I. Quòd poteſtas clavium ex ſua ratione temporalem, & politicam non comprehendit: nam eſt ſpiritualis, & Eccleſiaſtica, ac ordinata ad animarum ſalutem.

43 II. Quòd claves ex ſua natura non excludunt temporalem poteſtatem, atque ita licitè Pontifices poſſunt habere, habentque dominium temporale; nam poteſtas ſpiritualis, & dominium temporale inter ſe non pugnant, nec una poſita, aliud excluditur, ſed ſimul in uno eodemque conjunguntur. Patet in Melchiſedecho, qui fuit ſimul Rex; & Sacerdos, aliiſque prout obſervatum eſt *contr.3. cap.4. ſub nu.32*. Hùc etiam ſpectat, quod Deus illis de Tribu Levi, quæ electa erat pro divino cultu, & in qua erant Levitæ Sacerdotes, & Pontifices, inter cętera conceſſit, ut haberent quadraginta Octo Urbes cum agris ſuis, *num.35.v.3.* quarum ſex erant Civitates refugii, cum jure aſyli, ut ibi *v.6.* Ipſi verò Levitæ plenum jus, & dominium utile in Civitates obtinebant; & inde Officiales, & Magiſtratus in illis ſtatuebant, ut notat Tirinus *Comment. tom.*1. *in libr. Joſue cap.*21.

44 Id etiam conſtat exemplis: Sanctiſſimi enim Epiſcopi bona, & prædia à piis, Religioſiſque viris legata acceperunt, &

patrimonium Eccleſiaſticum auxerunt. Legant Novatores Auguſtinum *ſerm.355.* ubi *nu.4.* reſpondens ipſum reprehendentibus, quòd non ſuſceperit hæreditatem Eccleſiæ relictam, dixit: *planè ſuſcipio, profiteor me ſuſcipere oblationes bonas, oblationes Sanctas;* Sanctas verò, & bonas eas appellat, quæ non exhęredatis filiis, relinquuntur Eccleſiæ; ideò concludit: *Ecce unum dico: filii Juliani hæreditatem ſuſcepi; Quare? quia ſine filiis defunctus eſt.*

45 Ulteriùs obvia res eſt. In Germania plures ſunt Epiſcopi ſimul, & Domini temporales, quod præ cæteris evidens eſt in tribus Archiepiſcopis Electoribus, Moguntino, Trevirenſi, & Colonienſi.

46 Nulla proinde eſt ratio, ut Novatores injuſtitiæ, & iniquitatis accuſent Romanos Pontifices, propter temporalem Principatum, in quo ſuccedunt Conſtantino, ſicut Petro in Primatu Eccleſiæ, ut ſcripſit Bernardus *lib.4. de conſiderat.cap.3.* A tempore enim Conſtantini utraque poteſtas in Eccleſia quoad exercitium eſt copulata; Piiſſimus enim Imperator Bizantium concedens, Romanam Urbem Romanamque Ditionem Eccleſiæ Romanæ ſumma liberalitate donavit; quia (ut in ipſius edicto) *ubi Principatus Sacerdotum, & Chriſtianæ Religionis caput ab Imperatore Cæleſti conſtitutum eſt, juſtum non eſt, ut illic Imperator terrenus habeat poteſtatem:* De qua re agit Bzovius *in Roman. Pontif.cap.41.* referens fragmentum edicti, donationem ex Auctoribus Græcis, & Hebræis confirmans. Coriolanus in Breviar. *ad ann.324.* Spondanus *Epit.ad d.an. & cap.Conſtantinus il 1.96. diſt.* & donatio à ſubſequentibus Imperatoribus fuit confirmata; at bona ipſa vel conſervata, aut à Tyrannis ablata, fuerunt Eccleſiæ reddita, & reſtituta, ut obſervat allegat. Coriolan. & Macedo *de clavib. Petri lib.1. diſſert.3. cap.1.*

CAPUT VIII.

An poteſtas Jurisdictionis in Epiſcopos derivetur immediatè à Romano Pontifice?

SUMMARIUM.

1 *Poteſtas Eccleſiaſtica deſcribitur.*
2 *Diſcrimen inter poteſtatem Ordinis, & Juriſdictionis.*
3 *Poteſtas Juriſdictionis in Epiſcopis eſt immediatè à Papa.*
4 *Cauſæ Epiſcoporum à Romano Pontifice cognoſcuntur.*
5 *Epiſcopi ante expeditas litteras Apoſtolicas ſuæ promotionis carent juriſdictione.*
6 *Conſenſus Pontificis circa confirmationem Epiſcoporum duplex, implicitus, & explicitus.*
7 *Pontifex juriſdictionem Epiſcopis ampliat, vel reſtringit.*
8 *Epiſcopi titulares carent juriſdictione.*
9 *Juriſdictio importat relationem ad ſubditos.*
10 *Pontifex non poteſt Epiſcopos privare poteſtate Ordinis.*
11 *Sedes Apoſtolica fundavit omnes Eccleſias.*
12 *Patres conveniunt, juriſdictionem Epiſcopis à Papa communicari.*
13 *In regimine Monarchico poteſtas ab uno ad alios fluit.*
14 *Epiſcopis depoſitis deeſt juriſdictio, licèt non ſint Ordinis poteſtate privati.*
15 *Cathedra Petri, eſt radix unitatis Eccleſiæ.*
16 *Cura Eccleſiæ Univerſalis eſt data ſolis Romanis Pontificibus.*
17 *Ordo Epiſcopalis eſt à Chriſto Domino inſtitutus.*
18 *Nequit Papa facere, ne Epiſcopi ſint in Eccleſia.*
19 *Nec ſimul omnes à beneficio deponere.*
20 *Hæreſes, & diviſiones in Eccleſia oriuntur, quia Pontifici non obtemperatur.*

21 So-

21 *Solus Romanus Pontifex eſt Epiſcoporum Epiſcopus.*
22 *Epiſcopi ſunt fundamenta Eccleſiæ, ſub fundamento Romano Pontifice.*
23 *Quem Superiorem agnoſcunt.*
24 *Papa eſt fons totius juriſdictionis Eccleſiaſticæ.*
25 Eccleſia accepit claves in Petro, *exponitur.*
26 *Præter Pontificiam poteſtatem ſunt in Eccleſia mediocres, & inferiores.*
27 *Juriſdictio Epiſcopalis eſt à Chriſto immediatè immediatione virtutis, non ſuppoſiti.*
28 *Cur Epiſcopi ſe nominent N.N.* Dei, & Apoſtolicæ Sedis Epiſcopus, &c.
29 *Epiſcopi non ſuccedunt Apoſtolis in Apoſtolatu.*
30 *Apoſtoli, niſi præventivè a Chriſto juriſdictionem accepiſſent, debebant à Petro obtinere.*
31 *Apoſtoli, etiam Cardinales fuerunt.*
32 *Cardinales aſſiſtunt Pontifici in regimine Eccleſiæ Univerſalis.*
33 *Apoſtoli prius fuerunt Cardinales, quàm Epiſcopi.*
34 *Epiſcoporum juriſdictio eſt ordinaria.*
35 *Epiſcopi ſunt oculi Eccleſiæ.*
36 *Eis à Papa confertur juriſdictio dicendi jus in Conciliis.*
37 *Cenſuræ facultatis Pariſienſis non tranſeunt Sequanam.*

1 Controverſia non eſt de poteſtate Ordinis, ſive Sacerdotalis, ſive Epiſcopalis; utraque eſt in Epiſcopo. Ab illa habet poſſe conſecrare, & ſacrificare, in qua convenit cum ſimplici Sacerdote: nam tanta eſt in Sacerdote quovis ſimplici conſecrandi Corpus Domini poteſtas, quanta in Epiſcopo ipſoque Summo Pontifice; Ab alia habet poſſe exire in actus Epiſcopis proprios, ut conferre ſacros ordines, conſecrare Chriſma, & baptizatis Sacramentum confirmationis miniſtrare, &c. Utraque immediatè à Deo recipitur: Requirit enim caracterem, qui in Ordinatione, & Conſecratione Epiſcopali reſpectivè à Deo immediatè imprimitur, §. *Verùm 32. diſt.* Quare difficultas eſt de poteſtate Eccleſiaſtica juriſdictionis; quæ duplex eſt; Alia in foro interno (quod conſcientiæ dicitur) ad abſolvendum à peccatis; quæ deſcribi poteſt: *eſt poteſtas dicendi jus in peccatorem, ſe voluntariè in foro ſacramentali accuſantem*; hæc in Confeſſario eſt omninò neceſſaria, ut valdè abſolvat; nec ſufficit poteſtas Ordinis. Et alia in exteriore foro, quæ à Gerſonio *tom. 1. conſ. 4.* explicatur: *Eſt poteſtas Eccleſiaſtica, quæ valet exerceri in alterum, etiam invitum ad dirigendos ſubditos, in finem æternæ Beatitudinis, ſive præcipiendo, quæ facienda ſunt, ſive caſtigando, & puniendo, ſi quid contra mandatum factum ſit.* Hinc juriſdictio externa æquè complectitur jubendi, ac coercendi, ſive puniendi poteſtatem.

2 Diſcrimen eſt inter poteſtatem Ordinis, & juriſdictionis; quòd illa Ordinis auferri non poteſt, nec quis poteſt illi renuntiare: Character enim eſt indelebilis ex Decreto Tridentini *ſeſſ. 7. canon. 9. de Sacram. in gen.* nec ullis peccatis oblitterari poteſt; exinde ab eodem Gerſonio vocatur *inabdicabilis*, & *inauferibilis*. Hinc Sacerdos, licèt à communione Fidelium ſemotus, vel ab uſu Ordinis ſuſpenſus, ſi conſecrare audeat, reipſa validè conſecrat. Verùm graviſſimum ſcelus admittit, quia non licitè. Illa verò juriſdictionis auferri, & limitari poteſt, ſive ſit fori interioris, ſive exterioris, nam pendet à voluntate Superioris: id in dies praxis oſtendit; Sæpè enim, etiam Epiſcopis uſus juriſdictionis interdicitur, & ab adminiſtratione ſuſpenduntur, in quibus licèt remaneat tunc poteſtas Ordinis V.G. ad abſolvendum à peccatis, adhuc invalidè abſolvunt, utpote juriſdictione privati.

Marcus Antonius de Dominis *lib. 2. de repub. cap. 5.* dixit, Ordinem Epiſcopalem ſecum trahere totam, & plenam juriſdictionis Epiſcopalis poteſtatem, atque ita Epiſcopos non habere jure divino coarctatam

ſtatam ad proprias Diœceſes juriſdictionem, neque Romanum Pontificem aliquid ſupra Epiſcopos obtinere, ſed ſicut ipſe ſuccedit D. Petro, ac juriſdictionem immediatè à Deo recipit, ſic de Epiſcopis concludit.

Plures ex Catholicis tradunt, in Epiſcopis immediatè à Chriſto eſſe, tum Ordinis characterem, tum juriſdictionis poteſtatem; Verùm, eo non obſtante, differunt ab ipſo Apoſtata, quòd ipſi recognoſcant, Romanum Pontificem eſſe Principem, & caput in Univerſa Eccleſia, eique juriſdictionem Epiſcopalem eſſe ſubordinatam, adeò ut non poſſit in actu ſecundo exerceri, niſi dependenter à Papa.

Alii Catholici tradunt, Papam eſſe fontem totius juriſdictionis Eccleſiaſticæ cæteris Prælatis communicatæ, adeò ut in illis ſit à Papa immediatè, immediatione ſuppoſiti, de qua immediatione hìc eſt ſermo, & *n.*27.Ideò

3 Dicendum. *Poteſtas juriſdictionis in Epiſcopos derivatur immediatè, non à Chriſto, ſed à Pontifice*. Ita Alexander de Ales Albertus Magnus, D.Thomas, S.Bonaventura, relati à Turrecremata in *cap.omnes* 22.*diſt.*ubi hanc ſententiam defendit, quod repetit in Sum. *de Eccleſ.lib.*2.*cap.*54. Poſt quos ejuſdem ſententiæ, fuerunt alii plures apud Fagnan. *in* 1.*ad cap. Perniciosam de offic.ordin.n.*48. Item Gravina *tr.*4.*Catholic. præſcript.p.*2.*diſp.*1.*qu.*2.*art.*7. Guarnieri *de Eccleſ.milit.libr.*2.*cap.*9. Jadertin. *introduct. ad lectur.Theol.offic.diſp.*2.*art.*6. & probabiliter Boivin. *Theolog.quadripart.*4.*p.parte* 2. *diſput.*2.*q.*7. *de Sum. Pontif. conc.*2. Piaſecus *prax.Epiſcopal.p.*2.*cap.*1 *art.*1.*n.*2.

4 Probatur 1. ex cap.Decreto 2.*q.*6. in quo Gregorius IV. omnibus Epiſcopis ſcripſit: *Romana Eccleſia vices ſuas ita aliis impertitur Eccleſiis, ut in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*: Ubi ponderanda ſunt, primò hæc verba: *ita aliis impertitur Eccleſiis*; nam illis optimè oſtenditur, juriſdictionem Epiſcopis collatam eſſe non immediatè à Chriſto, ſed ex conceſſione Eccleſiæ Romanæ. Secundò conſiderari debent hæc alia: *vocatæ in partem*, nam ſi Romana Eccleſia vices ſuas impertitur aliis Eccleſiis, eas vocando in partem ſolicitudinis, ſeù curæ Paſtoralis, committendo nimirum Epiſcopis regimen particularium Eccleſiarum, optimè ſtat, ipſarum Eccleſiarum Prælatos poteſtatem regiminis accipere à Romana Eccleſia. Concordat textus in *cap. Multum* 3.*q.*6. ubi hæc ſunt: *Vices enim noſtras ita tuæ credidimus charitati, ut in partem ſis vocatus ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*. Quibus Leo Papa redarguit Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem, ex quo depoſuit ſuum ſuffraganeum; quando depoſitiones Epiſcoporum ſunt de reſervatis Romano Pontifici, prout *cap.divinis de penis inter com.* Et Tridentinum *cap.*5.*ſeſſ.*25.*de ref.* ſtatuit, majores cauſas Epiſcoporum eſſe à ſolo Romano Pontifice cognoſcendas: cujus manu eſt commiſſio ſignanda, quando cauſa ſit extra Curiam committenda; ſed tunc ei ſententia definitiva reſervatur. Quocirca Epiſcopi injuſtè depoſiti, & gravati, ad Petri Sedem, tamquàm ad fontem juriſdictionis confugere ſolent, & ex toto Orbe in ſignum Superioritatis, ad ipſam fiunt appellationes, ut diximus *cap.*5.

Allegati verò Canones intelligi non poſſunt de poteſtate Ordinis; quia in iſta Epiſcopi coæquantur Pontifici; de qua poteſtate loquitur textus in *cap.In novo* 21. *diſt.Cæteri verò Apoſtoli cum eodem* (Petro) *pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt*; ergo ſupereſt, ut de poteſtate juriſdictionis ſint neceſſariò accipiendi; in qua Epiſcopi ſunt Pontifice inferiores ut optimè Auguſtinus *lib.*2. *de baptiſmo contra Donatiſtas cap.*1. relatus etiam in *cap.Petro* 2. *q.*7.& nos textum citavimus alibi.

5 Juriſdictionem verò confert Romanus Pontifex, ut patet ex verbis quibus utitur in præficiendis Epiſcopis Eccleſiarum regimini: *Providemus Eccleſiæ N. de perſona N. & præficimus eum in Patrem, &*

Paſtorem, & Epiſcopum talis Eccleſiæ, committentes ei adminiſtrationem in temporalibus, & ſpiritualibus in Nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti: Propter quod Fagnan. *cit. nu.*45. dixit, Epiſcopos confirmari debere à Pontifice, & ante expeditas litteras Apoſtolicas ſuæ promotionis, conſecrationis, vel confirmationis juriſdictionem non habere, juxta *Extravag. Injunctæ de elect.int.com.* Si alicubi alia ſit praxis, ut apud Maronitas, & olim fuit apud alios Patriarchas Orientales, id non eſt abſque Sedis Apoſtolicæ privilegio: per eos enim Pontifex conſuevit illas Provincias gubernare, ut tradit Spondanus *an.*325.*num.*34. Et tunc Epiſcopi, ab illis immediatè electi, à Papa mediatè conſtituuntur.

6 Quare, eſtò Epiſcoporum inſtitutio ſit de jure divino, nullus tamen eſſe poteſt legitimus Epiſcopus ſine conſenſu Romani Pontificis. Eſt autem conſenſus iſte duplex: *expreſſus*, ſeù *explicitus*, & *implicitus*, ſeù *virtualis*. Tunc Papa expreſsè conſentit in electione alicujus Epiſcopi, cùm illum ipſe determinat in Paſtorem talis Eccleſiæ; Vel, nominatum ab aliquo Rege, vel Principe confirmat. Tunc verò conſentit implicitè, quando per diſpoſitionem alicujus Patriarchæ exiſtentis in communione Romanæ Eccleſiæ aliquis Epiſcopus ordinatur: hoc enim deſcendit ex conceſſione Pontificis illi facta; ideò nullus Epiſcopus ordinatur ſine confirmatione, & conſenſu Pontificis expreſſo, vel implicito. Requiritur enim illius conſenſus, quia eſt Paſtor Univerſalis Eccleſiæ: Univerſalis autem Paſtoris eſt ſingulares, & determinatos Paſtores ſubjectos habere, illos Eccleſiis particularibus præponere, eoſque amovere, cùm gregi expedierit; aliàs nullus ordo haberetur in Regimine Eccleſiæ.

Reſpondent, Pontificem non conferre juriſdictionem, ſed Epiſcopos ſolùm ad Diœceſes mittere, eiſque populos aſſignare, & præfinire.

Contra 1. Papa mittens ad Diœceſes Epiſcopos, juriſdictionem etiam confert, ut poſſint leges condere, præcipere, jus dicere, coercere, &c. Nam eos mittit, ut gregem regant, paſcant, & bona ſalutis ei procurent; regere autem gregem, non jam includit functionem prædicandi, & adminiſtrandi ſacramenta, ſed importat etiam auctoritatem jus dicendi, coercendi, &c.

Contra 2. Statim ac à Pontifice Epiſcopi Diœceſes, & ſubditos accipiunt, ab eo immediatè juriſdictionem obtinent; Siquidem poteſtas juriſdictionis dicitur relativè ad ſubditum, ex Tridentino *ſeſſ.*14. *cap.*7.*de caſ.reſervat.*

7 Et hic obſervandum, Pontificem, nedum Epiſcopis particulares populos concedere, ſed etiam quoad eós eorum juriſdictionem reſtringere, vel ampliare. Quantum ad I. patet; nam plures caſus ſibi reſervat, ad quæ ipſorum juriſdictio non extenditur, nec ſe ſe intromittere poſſunt: ita abſolvere nequeunt à caſibus contentis in Bulla Cœnæ, nec lapſos in hæreſim, ex reſolutis à Sacra Congregatione Concilii, apud Piaſecum cit. *art.*2. *quæ cenſuit Bullam Cœnæ derogare Decreto capitis* 6.*Tridentini ſeſſ.*24.*de ref.* In quo Epiſcoporum juriſdictio, etiam quoad plura reſtringitur. Ultra prædicta alia ſunt in corpore juris, & in diverſorum Pontificum extravagant. Pontificibus reſervata, quæ recenſentur ab eodem Piaſeco *art.*1.*nu.*6.

Quantùm ad ſecundum, & quod à Papa juriſdictio Epiſcoporum ſæpè amplietur, conſtat, tum ex *d.cap.Perniciosſam*, ubi dicitur: *Habeant Epiſcopi ſingularium Urbium in ſuis Diœceſibus liberam poteſtatem adulteria, & ſcelera inquirere, ulciſci, & judicare*. Et obſervandum Pontificem non dicere: *habent* per viam declarationis, ſed *habeant*, per modum ſtatuti, & conceſſionis. Unde tantum poſſunt Epiſcopi in regimine ſui gregis, quantum à Pontifice illis committitur; tum etiam ex differentia, quæ eſt inter Patriarchas, Primates,

Ar-

Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quos Mavelerus *p.2. libr.5. cap.1.* dixit, *non differre Ordine*, ſed *juriſdictione à Romano Pontifice immediatè procedente*, & habetur ex *capit. Clerus 21. diſt.* ac apud Dianam *coord. tom.4. tr.8. reſol.4.*

Non poſſet autem juriſdictio Epiſcopis reſtringi, vel ampliari; nec omninò per degradationem, vel depoſitionem tolli, ſi ex vi ordinationis, & conſecrationis immediatè à Chriſto, & non à Romano Pontifice ipſis communicaretur; ſicut à Chriſto immediatè ex vi conſecrationis character Epiſcopalis procedit, qui à Pontifice auferri non poteſt; nec poſſet ullus eſſe Epiſcopus ſine juriſdictionis poteſtate; quod tamen falſum eſt in Epiſcopis titularibus in partibus infidelium, qui habent quidem poteſtatem Ordinis, non tamen executionem, & illam juriſdictionis, utpote Clero, & populo carentes, ut ex *cap. 2. Trid. d. ſeſſ. 14. de ref.*

Dicunt. Optimè cohærere juriſdictionem in Epiſcopis eſſe immediatè à Deo, & tamen Papam poſſe impedire, ne illam exerceant; primò, vel ſubtrahendo populum, & ſubditos, ſicut poteſt ſubtrahere materiam Euchariſtię Sacerdoti, ne poſſit conſecrare; Secundò, vel quia eam habent ordinatè, hoc eſt, ſub Romano Pontifice.

9 Contra. Neutrum urget: Non primum; quoniam cùm juriſdictio importet relationem ad ſubditos (eſt enim *poteſtas dicendi jus in alium*) ſequitur concludentiſſimè, quod, poſita veritate alterius ſententiæ, Papa non poſſit populum, & ſubditos, ſubtrahere, ex regula illa: *relatio prædicamentalis non poteſt eſſe ſine termino*; & alia: *relativa poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt.*

Paritas adducta non eſt ad propoſitum; aliàs, ſicut quilibet homo poteſt à Sacerdote auferre panem, ne conſecret, ſic poſſet quilibet Epiſcopis populum ſubtrahere. Item, nec Papa poteſt efficere, quod panis triticeus non ſit materia Sacramenti Euchariſtiæ, quia hoc habet ex divina inſtitutione; ergo, ſi Epiſcopi per ordinationem ex inſtitutione Chriſti immediatè juriſdictione donantur, & legitimi Judices conſtituuntur, Papa nequit efficere, ut ſententiæ, abſolutiones, cenſuræ, & leges ab ipſis latæ non ſint validæ; Et cùm validæ eſſe non poſſint, niſi in ſubditos ferantur, conſequens eſt, ut Epiſcopis ſubditos ſubtrahere minimè valeat.

10 Nec urget ſecundum. Nam Sacerdotes omnes poteſtatem Ordinis habent ſub Pontifice, & tamen, quia eam habent à Deo immediatè, non poteſt Pontifex eam ita tollere, ut ii, ſi velint, non poſſint ea uti; nam Sacerdos, eſtò à Pontifice excommunicatus, ſuppenſus, interdictus, vel degradatus, ſi vult, validè, licèt illicitè conſecrat: ergo à pari, ſi Epiſcopus juriſdictionem habet immediatè à Chriſto, non poteſt Papa eam ab ipſo ita tollere, ut ipſe, ſi velit, non poſſit ea validè uti, atque ita non poſſet populum Epiſcopis ſubtrahere, & eos à Diœceſi amovere, & deponere, ut habeant materiam, circa quam ſuæ poteſtatis.

11 Probatur 2. Omnes Eccleſias, & dignitates fundavit Apoſtolica Sedes; ergo ab ipſa in omnes Prælatos Eccleſiæ juriſdictio derivavit; fundamentum enim eſt principium, & origo totius ædificii, *cap. cùm Paulus 1. q.1.* Unde Turrecremata *in cap. omnes diſt. 22. nu.3.* dixit: *nullus credentium dubitare debet, quin poteſtas juriſdictionis omnium Prælatorum, non modò quoad executionem, ſive uſus amplitudinem, ut quidam fingere voluerunt, ſed etiam quantum ad ſubſtantiam poteſtatis dependeat à Romana Eccleſia, à qua etiam omnes principium ſumpſiſſe dicuntur.* Antecedens patet, tum ex *d. cap. omnes*, in quo hæc ſunt; *Omnes ſive Patriarchii-cujuslibet apices, ſive Metropoleon, Primatus, aut Epiſcopatuum Cathedras, inſtituit Romana Eccleſia.* Tum ex *Conſtitut. Non mediocri 15. in Bullar. to.1.* ab Eugenio IV. directa Archiepiſcopo Cantuarienſi, ibi *ſ. 9. Omnes Patriarchales, Archiepiſcopales, Epiſ-*

Epiſcopales, Cathedrales, aliaſque dignitates Romana fundavit Eccleſia; ſicutque licuit, uni Eccleſiæ amplam, alii ampliorem, & alii ampliſſimam, prout expedire judicavit, tradidit poteſtatem. Omnes enim, tamquàm unius arbores rami, ab una, eademque radice, & ut diverſi aquarum rivuli ab eodem Fonte prodierunt, licèt unus alio copioſior, atque uberior. Tum etiam ex *Epiſtola Innocentii I. ad Patres Concilii Carthaginenſis in cauſa Pelagii inter Auguſtinianas* 181. ibique, *ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid Apoſtolicæ Sedi debeatur;* à quo ipſe *Epiſcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emerſit;* & infra: *Indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ (velut de natali ſuo fonte) aquæ cunctæ procederent.* Ubi notandum eſt, quod Epiſcopi, quibus Papa ſcripſerat, epiſtolæ non reſtiterunt.

12 Probatur 3. Eſt communis ſententia Patrum, juriſdictionem Epiſcopis à Papa immediatè communicari: ergo. Probatur antecedens. Dionyſius Areopagita *de Eccleſiaſt. Hierarch.* dixit: *ab ipſo Hierarcha in omnes Hierarchiæ perſonas deſcendere irradiationis profluxum.* Papa autem eſt Supremus Hierarcha in Eccleſia.

Tertullianus *in ſcorpiaco contra Gnoſticos: Si adhuc Cælum putas clauſum, memento claves Dominum Petro, & per Petrum Eccleſiæ reliquiſſe.*

Optatus Milevitanus *libr.7. contra Parmenien. Beatus Petrus claves Regni Cælorum communicandas cæteris ſolus accepit.* Ubi notetur illud *Solus.*

Auguſtinus *tr.118. In Joan. num.4. Petrus, cùm & illud* (tu es Chriſtus filius Dei vivi) *unus pro omnibus, dixerit, & hoc* (tibi dabo claves Regni Cælorum) *cum omnibus, tanquàm perſonam gerens ipſius unitatis accepit. Serm.295. de natali Apoſtolor. 1. Solus Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam; propter ipſam perſonam, quam totius Eccleſiæ ſolus gerebat, audire meruit*: tibi dabo claves Regni Cælorum. *Has enim claves non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſiæ*: quaſi diceret, cùm Chriſtus Dominus ſciret unum ad totum gregem paſcendum immediatè, & per ſe ipſum imparem eſſe, plures voluit ejuſdem ſui operis Rectores; ſed quia eorum multitudo Anarchiam, & Democratiam inducere poterat, niſi unus præficeretur, qui reliquos in officio contineret, Petrum inſtituit, ut centrum unitatis Eccleſiæ; eique claves dedit, ut cæteris Prælatis ipſe, ejuſque ſubinde Succeſſores communicarent.

Accedunt teſtimonia Doctorum. D. Thomas *in 4. contra Gent. cap.76. ſoli Petro,* ait, *promiſit: tibi dabo claves Regni Cælorum, ut oſtenderetur poteſtas clavium per eum ad alios derivanda, ad conſervandam Eccleſiæ unitatem.*

Doctor ſubtilis *in 4. diſt.19. §. de quinto. Nullus,* inquit, *inferior Papà auctoritate propria poſſit excommunicare, adeòque quilibet inferior excommunicat ex commiſſione illius, cui tenentur omnes alii obedire.*

Gerſonius *de ſtatibus Eccleſiæ tit. de ſtat. Prælatorum conſiderat.3.* ait, *in Pontifice eſſe plenitudinem fontalem auctoritatis.*

Gammachæus *tr. de Sacramen. Ord. cap.9.* poſtquàm dixit: Juriſdictio Epiſcopis non competit ratione characteris, ſed beneficii, quod confertur immediatè à Pontifice, addit: *Clariſſimi Theologi ſubſtinent Epiſcopos habere poteſtatem characteris immediatè à Chriſto, non tamen poteſtatem Juriſdictionis, ſed eam habent à Summo Pontifice.*

Duvallius *tr. de ſupr. poteſt. Romani Pontif. p.1. q.3.* habet: *Petrus accepit claves Eccleſiæ:* Et infra: *quia ab illo in reliquos Eccleſiæ Paſtores, tanquàm à fonte, capite, & radice erant derivandæ.*

Piaſecus *loc. cit. art.1.* (licèt Epiſcopus) *Solus Papa* dixit, *habet Primatum juriſdictionis, eamque immediatè à Chriſto Domino in Univerſa Eccleſia; Epiſcopi autem habent illam communicatione à Papa, & dependenter ab ipſo, cap. Ita Dominus 19. diſt.* Hoc idem tradunt: De Raſconis, eſtò Epiſcopis *tr. de Sum. auct. Petri ca.5. ratiocinat.2. §.6.* Et Cornelius Janſenius Epiſcopus Gandavenſis *cap.66. in Evang.* apud Boivin. *loc. cit.* Gre-

Gregorius Niſſenus: *Per Petrum Epiſcopis dedit Chriſtus Claves Cæleſtium bonorum.*

13 Nec deſunt rationes pro noſtra reſolutione, & maxima eſt: Regimen Eccleſiæ non eſt Ariſtocraticum, nec Democraticum, ſed Regium, & Monarchicum, ut diximus *contr.*4. Nam Chriſtus uni Petro dixit: *paſce*, hoc eſt rege, *Oves meas*. Sed hoc eſt peculiare in regimine Monarchico, ut ſuprema poteſtas in uno Principe ſit, & ab eo, tamquàm à fonte juriſdictionis ad inferiores dimanet, adeò ut tantum alii poſſint, quantum ab illo eis committitur; ita in Regno tantum poſſunt Principes ſub Rege, circa gubernium Regni, quantum à Rege illis conceditur. Ergo tantum in Eccleſia poſſunt Epiſcopi ſub Romano Pontifice, quoad juriſdictionis uſum, quantum illis à Pontifice committitur, ut habet D.Thomas 4.*diſt.*19.*q.*1.*art.*4.*quæſtiuncula* 3. ubi ait: *Papa habet plenitudinem Pontificalis poteſtatis, quaſi Rex in Regno: Epiſcopi verò aſſumuntur in partem ſolicitudinis, quaſi Judices ſingulis Civitatibus præpoſiti.* Unde Cyprianus *de unit. Eccleſ.* Sedem Petri comparat arbori, fonti, & Soli: ergo ſicut radii à ſole, Rivi à fonte, rami ab arbore, vigorem accipiunt, ita Epiſcopi ex divina diſpoſitione à Romano Pontifice firmum ſuæ juriſdictionis vigorem obtinent.

Reſpondet Spalatenſis, viſibilem Monarchiam à ſe excluſam fuiſſe: & ridiculam eſſe diſtinctionem poteſtatis Ordinis à poteſtate juriſdictionis, ut illam Epiſcopis Deus immediatè conferat, iſtam homo; Et inquit, non valere exemplum Regis, & Principum ab eo inſtitutorum, quia Rex in iſtorum creatione minuit ſuam Regiam poteſtatem, hoc eſt, minorem facit illam extenſivè, quia ſeparat à ſe illos ſubditos: Catholici autem nolunt minui auctoritatem Pontificis ex inſtitutione Epiſcoporum. Additque, exemplum Cypriani ad rem non eſſe; cùm nihil tunc de Romana Eccleſia cogitaverit, ſed locutus ſit ſolùm de Univerſa Eccleſia totali.

14 Contra. Profectò Spalatenſis conatus eſt Monarchiam excludere ab Eccleſia. Verùm in vanum ſemper laboravit, nec invertere potuit ordinem à Chriſto conſtitutum, ut notatum eſt *contr.cit.capit.*4. Abſque ullo pariter fundamento diſtinctionem illam poteſtatis Ordinis, & Juriſdictionis abnegavit; adversùs quem ſunt omnes Catholici, & exemplis probant, tum in Epiſcopis titularibus, tum in depoſitis, & degradatis, ac excommunicatis, qui licèt Ordinis poteſtate gaudeant, illa tamen juriſdictionis ſunt expoliati, & beneficio privati. Confutatio exempli nulla eſt; immò illa communicatio poteſtatis, regiam commendat auctoritatem, nec in Rege iſta minuitur; nam ipſe poteſt, & eos ſubditos judicare, & juriſdictionem traditam ad ſe revocare. Sic plenitudo poteſtatis in Pontifice in ſua ratione formali intrinſeca, nec decreſcit, nec minuitur, aut ſectionem recipit. Ideò in Catholicos calumniam Spalatenſis profert, dum illud eis impingit.

15 Mentem quoque Cypriani non eſt aſſecutus; nam ejus intentio toto opere fuit, ut demonſtraret totius Eccleſiæ unitatem; ad quod probandum, ut medium ſumit ſimilitudinem illam Solis, fontis, & arboris; ideò in hoc corpore Eccleſiæ, oportebat eſſe, quod Solis, fontis, & arboris analogiam haberet. Hoc autem non poteſt eſſe ipſa tota Eccleſia Univerſalis, quæ non poteſt eſſe ſibi ratio unitatis; ergo remanet, ut ipſe Petrus, ejuſque Cathedra, *ex qua unitas Sacerdotalis exorta eſt*, ſit radix, & origo unitatis Eccleſiæ. Proinde dixit Chryſologus; *quod ſtipiti rami, quod capiti membra, quod ſoli radii, quod fonti rivuli, hoc Apoſtolicæ Sedis reverentiæ debent omnes Eccleſiæ, quas ubique terrarum religio Chriſtiana fundavit.*

Opponunt 1. Paulus *Actorum* 20. expreſſis terminis aſſerit Epiſcopos habere juriſdictionem immediatè à Deo. Probatur: Affir-

Affirmat Epiſcopos eſſe à Spiritu Sancto prępoſitos regimini Eccleſiæ: *Attendite*, inquit, *vobis*, *& Univerſo gregi*, *in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; at regimen non eſt ſine juriſdictione; ergo à quo immediatè ſunt ad regimen conſtituti, ab eodem juriſdictionem accipiunt.

Confirmatur. Idem Paulus *ad Epheſios* 4. ſcribit: *& ipſe* (Chriſtus) *dedit quoſdam quidem Apoſtolos*, *quoſdam autem Prophetas*, *alios verò Evangeliſtas*, *alios autem Paſtores*, *& Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus Miniſterii*, *in ædificationem Corporis Chriſti*: hoc eſt, eos miniſtros dedit Eccleſiæ, ut gregem Chriſti regerent; ergo cum juriſdictione, quæ ad regendum eſt opportuna.

16 R. Negando antecedens: & probatio intelligenda eſt mediante juriſdictione illis tribuenda, & determinanda à Romano Pontifice. Quod evidens eſt. Nam, aut nomine *Eccleſiæ* venit Eccleſia Univerſalis reſpectu ſingulorum Epiſcoporum, adeò ut quilibet Epiſcopus ſit poſitus à Spiritu Sancto ad regendam Eccleſiam Univerſalem; & hoc eſſe non poteſt, quidquid dixerit Spalatenſis: Etenim poteſtas regendi Eccleſiam Univerſalem eſt data ſoli Petro, & Romanis Pontificibus illius ſucceſſoribus: quibus ſolis dictum eſt: *Paſce oves meas*; & definitum eſt in Florentino, ut diximus *cap.* 1. *&* 2. Alioquin tot eſſent Papæ, quot ſunt Epiſcopi, contra veritatem Catholicam, & unitatem Eccleſiæ. Vel nomine *Eccleſiæ* intelliguntur omnes particulares Eccleſiæ, adeò ut quilibet Epiſcopus poſitus ſit immediatè à Spiritu Sancto ad regendam ſuam Eccleſiam particularem, ut ita omnes collectivè concurrant ad regimen Univerſalis Eccleſiæ; & hoc ſimiliter eſt falſum, quia Chriſtus populos Apoſtolis non diviſit per dicta *contr.* 4. *cap.* 3. *nu.* 12. *&* 13. & multò minus Epiſcopis eorum ſucceſſoribus, ſed illis dixit, Matth. ult. *Docete omnes gentes*, *baptizantes*, *&c.* Marci ult. *Euntes in mundum Univerſum*, *prædicate Evangelium omni Creaturæ*. Joan. 20. *Sicut miſit me Pater*, *& ego mitto vos*: *Quorum remiſeritis peccata*, *&c.* ergo nec nos debemus hanc limitationem fingere, & diviſionem juriſdictionis fuiſſe factam immediatè à Chriſto, cùm ex Evangelio haberi non poſſit; nam nulla limitatio, aut quoad ſubditos; aut quoad caſus ibi legitur. Et proinde Epiſcopi conſtituti ſunt à Spiritu Sancto ad regimen Eccleſiæ mediante juriſdictione, quæ ſingulis tribuitur, & præfinitur ab Eccleſia Romana. Collatio enim poteſtatis debet eſſe certa quantum ad caſus, & quantum ad territorium, aliàs habens talem poteſtatem neſciret, quid agere deberet, aut in quem, ſive ſuper quo, aut quantum ſua auctoritas ſe extenderet.

17 Ad confirmationem. Auctoritas Pauli probat, quod ordo, & dignitas Epiſcopalis ſit à Chriſto inſtituta, ac Epiſcoporum juriſdictio in genere, & ſecundùm ſe ab ipſo profluxerit, & ſit de jure divino, quod non inficiamus: Chriſtus enim nedum elegit Petrum, ſed etiam voluit, alios Paſtores eſſe in Eccleſia. Verùm, quòd hic, vel ille ſit hujus gregis Paſtor, & juriſdictio in individuo, ſit in hac, vel illa perſona, voluit dependere à Pontifice, quem caput, & fontem juriſdictionis conſtituit. Conſiderandum eſt, quòd aliud eſt inſtituere poteſtatem, & aliud inſtituere aliquem in tali poteſtate. Primum à Chriſto inſtitutum eſt, non verò ſecundum (exceptis Apoſtolis) ſed voluit poteſtatem ordinariam huic, vel illi dari à Pontifice; Omnes enim Epiſcopi erant radicaliter in Petro, tanquàm in fonte, & capite, & Principe Epiſcopatus, à quo emanare debebat illorum juriſdictio ordinaria.

Dices. Si non eſſet juriſdictio Epiſcopalis immediatè à Deo, ſed à Papa, eſſet revocabilis dignitas Epiſcopalis, cum ſua juriſdictione; ab eo enim quis deſtitui poteſt, à quo inſtitutionem accepit, *capit. Salenitanæ* 63. *diſt.* & ita poſſet Epiſcopos omnes ſua juriſdictione privare, & prohibere

bere ne actus juriſdictionales exercerent. Hoc autem eſt abſurdum, & contra juriſdictionem, & Eccleſiæ praxim; ergo, &c.

18 R. negatur ſequela; Non enim poteſt à Papa fieri, ne Epiſcopi ſint in Eccleſia, cùm à Chriſto, ut dictum eſt, Ordo Epiſcopalis inſtitutus ſit; nec efficere, ut functiones concernentes poteſtatem Ordinis ſint invalidæ, & nullæ, quamvis poſſit ſub pæna ſuſpenſionis prohibere aliquibus, ne illas exerceant, adeò ut illicita, quamvis valida, ſit adminiſtratio; poteſt tamen impedire, limitare, & auferre munera juriſdictionalia, quæ cùm ex Papæ commiſſione dentur, & non ex ſua conſecratione illa ſortiantur, ſunt ſub Superioris poteſtate. Cęterùm omnes ſimul jure non poteſt à juriſdictione amovere; hoc enim eſſet contra regimen Eccleſiæ; nam Chriſtus inſtituit Epiſcopalem poteſtatem, & Petro, & Succeſſoribus ipſius commiſit, ut inſtituerent aliquos homines in tali poteſtate; eis tamen non dedit jus ad libitum eos amovendi; nec id umquam cenſuerunt Romani Pontifices: immò ſemper intenti fuerunt in defendendis Epiſcopis; Et ſi aliquando ab aliquo, vel aliquibus abſtulerunt poteſtatem juriſdictionis, id fecerunt propter crimina eorundem, per quæ merebantur tali poteſtate privari. Verùm quòd omnes ſimul talia crimina admittant, eſt moraliter impoſſibile.

19 Hinc notabis, Papam non poſſe jure prohibere, ne ullus conſecretur Epiſcopus, nec conſecratis ſimul omnibus, eam poteſtatem ſubtrahere, quæ neceſſaria eſt ad paſcendas Oves eis commiſſas; nam poteſtas Papæ eſt in ædificationem, non in deſtructionem: Prohibere autem, ne conſecrentur Epiſcopi, vel conſecratos ſimul omnes juriſdictione privare, & à beneficio deponere, eſt Eccleſiam deſtruere, quia eſt facere, ut ſimul tota Eccleſia omnibus Epiſcopis, ſaltem quoad juriſdictionem careat; Quibus omnibus ſimul deficientibus, vel quantùm ad actus juriſdictionales depoſitis, nequeunt Sacramenta commodè miniſtrari, & populus fidelis ſufficienter inſtrui; proindeque Papa, cui data eſt cura generalis omnium Eccleſiarum, ita à Divina aſſiſtentia regitur, ut Epiſcopos in partem ſolicitudinis aſſumat, eos particularibus Eccleſiis præficiendo; nec ad libitum deponat, ſed eos ſolùm, qui ſuis criminibus ſe reddunt adminiſtratione indignos.

Opponunt 2. Patres concordant in oppoſito reſolutionis. Cyprianus *in Concilio Carthaginenſi III.* apud Bail *Sum. to.2. celebrato ann.258.* dixit, *Epiſcopum ab alio judicari non poſſe, cùm nec ipſe poſſit alterum judicare, ſed expectamus Domini Noſtri Jeſu Chriſti judicium, qui unus, & ſolus habet poteſtatem, & præponendi nos in Eccleſiæ ſuę gubernatione, & de actu noſtro judicandi*; & alibi tradit, *Eccleſiam fundatam ſuper Epiſcopos*.

Ambroſius *lib. de dignit. Sacerdot. capit. 2.* dixit, omnes Epiſcopos ſimul cum Petro paſturam Ovium ſuſcepiſſe; *non ſolùm*, ait, *tunc Beatus Petrus ſuſcepit, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo nos ſuſcepimus omnes*.

Auguſtinus *tr. ult. in Joan. num. 5. Eccleſia, quæ fundatur in Chriſto, claves ab eo Regni Cœlorum accepit in Petro, ideſt, poteſtatem ligandi ſolvendique peccata*; Ubi Spalatenſis gloſſat, non à Petro, ſed à Chriſto in Petro, quia quando claves dabantur à Chriſto, tunc dabantur nobis ab eodem Chriſto in Petro.

Bernardus de conſiderat. *lib. 3. capit. 10. Erras*, alloquitur Eugenium, *ſi ut Summam, ita & ſolam inſtitutam à Deo veſtram Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas; ſi hoc ſentis, diſſentis ab eo, qui ait: non eſt poteſtas niſi à Petro. Deinde: qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; etſi principaliter per ſe facit, non tamen ſingulariter: Denique idem ait: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non ait, ſublimiori, tanquàm in uno, ſed ſublimioribus, tanquàm in multis. Non ergo tua ſola poteſtas à Domino.*

Sunt

Sunt & mediocres, ſunt & inferiores; ergo Bernardus affirmat, nedum Papalem, ſed Epiſcopalem quoq; à Deo eſſe poteſtatem.

R. Has ſimileſque auctoritates apud Gravinam tanti fecit Spalatenſis, ut ipſis putaverit triumphum de Catholicis reportaſſe adversùs primatum Romani Pontificis, quaſi mente Patrum omnes Epiſcopi ſint ipſi æquales. Contra quem abundè primatum Pontificis firmavimus *contr.* 4.*cap.*33.*& ſup.cap.*1. ad quæ Lector remittitur, & intereà in forma allegatis teſtimoniis fit ſatis.

20 Ad auctoritatem Cypriani. Nunquam Cyprianus oppugnavit primatum Pontificis Romani, ſed ſemper viribus eum propugnavit, *lib.*2. *Epiſt.*3. *ad Cornelium Papam*, loquens de ſchiſmate Novatianorum, qui Pontifici non parebant, dixit: *non aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt Schiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & judex Vice Chriſti cogitatur*. Inquit itaque: diviſiones, & hęreſes emergunt, ſi à Summo Sacerdote recedatur, ſi capiti non obtemperetur. *De unit. Eccleſ.* ait: *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur*: hoc eſt unus radicaliter, & unitate ſubordinationis ad Petri Epiſcopatum: Omnes enim Epiſcopatus ab Epiſcopatu Petri, tanquàm à ſuo fonte, & radice dimanant. Quo igitur pacto Epiſcopatus unus erit, ſi Petri Epiſcopatui non ſubordinetur, ſi ab illo elongetur? ſi in illo non radicetur; *ſi non tantùm radicis, & matricis ſinum, & complexum recuſavit, ſed etiam adulterum, & contrarium caput extra Eccleſiam fecit*, ut loquitur ad eumdem Cornelium *lib.*2. *Epiſt.* 10. ubi radicem, & matricem appellat Apoſtolicam Sedem. Et inquit, Novatianos ſchiſma induxiſſe, quòd proprium caput, hoc eſt, Romanæ Sedis Antiſtitem, viſibile veræ Eccleſiæ caput reliquerant, ejuſque in locum adulterum, ideſt illegitimum Novatianum nimirum perperàm aſſumpſerant.

21 Quapropter, ubi affirmat, nullum Epiſcopum aliorum Epiſcoporum judicem conſtitui: primò de illis Epiſcopis loquitur, qui erant in d. Concilio, ibi; *neque enim quiſquam noſtrùm, Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit*. Cùm enim paris auctoritatis eſſent, unus alium judicare non poterat, quia par in parem non habet imperium; non verò loquitur de Romano Pontifice, qui Pater Patrum, Epiſcoporumque Epiſcopus eſt à Deo conſtitutus. Quem omnium judicem ipſe aſſeruit *lib.*3.*epiſtol.cap.*3. ubi inſtanter hortatur Stephanum Papam, ut Epiſcopum Arelatenſem deponat, aliumque ſubſtituat.

Secundò, accipitur de illis difficillimis quæſtionibus nondum diſcuſſis, ab Eccleſia propoſitis, & definitis, prout tunc erat quæſtio apud Afros, an valeat baptiſmus ab hæreticis collatus, quod in d. Concilio negabatur. Verùm Cyprianus monuit judicandos non eſſe ſtantes pro affirmativa: *Supereſt*, inquit, *ut de hac ipſa re ſinguli ſentiamus perperàm neminem judicantes, aut à jure communionis, aliquem ſi diverſum ſenſerit, amoventes; ſed in tanta obſcuritate, eſtò quilibet ſuo arbitrio poſſet diverſa ſentire, judicium tamen de veritate ſententiæ eſt Deo relinquendum, qui de internis cognoſcit, & occulta penetrat*.

Neque urgeas, Cyprianum Concilium ipſum collegiſſe, poſtquàm audiverat Stephanum Papam reprobaſſe, quæ in præcedente Concilio Africano, ſeù Carthaginenſi II. ſtatuta erant pro invaliditate baptiſmi per hæreticos miniſtrati, & reſcripſiſſe ex Lirinenſi *commonit.p.*1.*capit.*9. *nihil innovandum eſſe, niſi quod traditum eſt*; nam eſtò tunc nimis cautè proceſſerit, & ſæpè, cùm in errore illo verſaretur, acriter Stephanum, tacito ipſius nomine, perſtrinxerit, alibi tamen, & maximè *lib.de unit.Eccleſ.* ſe emendavit Sanctus vir, correcto errore priori; & quanti in graviſſimis cauſis faceret judicium Apoſtolicę Sedis ipſumque Stephanum Papam, patet ex recenſito facto circa Epiſcopum Are-

Arelatenſem. Videri poſſunt quæ dixi *contr.3.cap.5.nu.31.ad 34.*

Item, ubi dixit, ſolùm Chriſtum præponere Eccleſiis Epiſcopos, intelligitur, vel eſſe locutum reſpectivè ad Epiſcopos, qui erant in eo Concilio, quorum unus non erat alio ſuperior; Vel, ſi voluit excludere Romanum Pontificem, adeòut Pontifex non eſſet proximus collator Epiſcopalis juriſdictionis, ſanè erravit, ſed poſteà ſe correxit, ut dictum eſt.

22 Dicitur à Cypriano Eccleſia *fundata ſuper Epiſcopos*, quatenus ordo Epiſcoporum ad lapides fundamentales pertinet, ex quo ipſi in ſuis Diœceſibus Oves gregi Chriſti, Sacramentorum adminiſtratione, & Verbi Divini prædicatione acquirunt: Verùm ipſi non dicuntur, nec principale, nec totius Eccleſiæ ſunt fundamentum; hoc enim eſt Romanus Pontifex, cui in Petro dictum eſt: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; in quo tota ei collata eſt plenitudo poteſtatis, ſed ſunt fundamenta ſub fundamento, Romano Pontifice.

23 Sic pariter Origenes dixit, Epiſcopos eſſe *Magiſtros in Eccleſia*, ita tamen, ut hi quoque ſuos Superiores agnoſcant; Epiſcopi Archiepiſcopum, hi Primates, hi Patriarchas; & omnes Summum Pontificem: plenę ſunt exemplis hiſtoriæ.

24 Ad auctoritatem Ambroſii. S. Doctor, docet, omnes Epiſcopos ſimul cum Petro ſuſcepiſſe curam paſcendi oves, quatenus Petrus erat fons, & caput totius Ordinis Eccleſiaſtici, in quo tanquàm in capite totus Epiſcopatus erat, & à quo juriſdictio emanare debebat: Et cum illo omnes Epiſcopi ſuſceperunt, quia in eo facultatem regitivam ſuſceperunt, ut in capite; & ſuo nomine fontaliter; nomine verò Epiſcoporum, ſecundùm quandam participationem Petrus omnem accepit poteſtatis Pontificiæ plenitudinem.

25 Ad auctoritatem Auguſtini. Auguſtinus ſe explicat *pſal.108.nu.1.* ubi ait: *Petrus agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam* (Eccleſiæ) *propter Primatum, quem in diſcipulis habuit*; Vel, ut loquitur Optatus cit. *& claves aliis communicandas*. Quare clauſula illa: *Eccleſia accepit claves in Petro*, non ita intelligitur, quaſi ſinguli de Eccleſia claves acceperint ſubjectivè. Sed ſenſus eſt, quòd ſolùm idonei, & potiores illas receperint, quatenus in eos à Petro juriſdictio fluere debeat: interdum enim in morali philoſophia Civitas vocatur à principalioribus, qui in ea reſident. Sic tamen claves datæ ſunt Epiſcopis, ut ordo ſervetur; quod idem Auguſtinus expreſſit *lib.1.contr.duas Epiſt. Pelagianorum ad Bonifacium cap.1.* ubi: *cùm communis ſit*, ait, *omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio quamvis ipſe in ea præmineas celſiore faſtigio* (erat enim Bonifacius Papa) *ſpecula paſtoralis, facio, quod poſſum pro mei particula muneris*. Videat Spalatenſis in communi dignitate Epiſcopatus præeminentiam Romani Epiſcopatus ex peculiari, & plenaria poteſtate, cum ſua totalitate in omnes Eccleſias ſuper quas *particulam* tantùm ſuæ poteſtatis Epiſcopi reſpectivè exercent. Ideò inæqualitatem, & ſubordinationem Epiſcoporum ad Pontificem Auguſtinus demonſtravit.

26 Ad Auctoritatem Bernardi. Sanctus toto illo diſcurſu fatetur, cum ſumma Pontificis poteſtate, eſſe in Eccleſia mediocres, & inferiores à Chriſto inſtitutas; ſed non ait, medias, & infimas immediatè, & in individuo poteſtatem accipere à Chriſto; immò eſt certum, accipere à Pontifice, *qui nec modò ovium, ſed & Paſtorum unus eſt Paſtor*, ut dixit idem Bernardus ibi *lib.2.cap.9.*

27 Notandum hìc eſt adversùs Spalatenſem, alioſque nobis repugnantes, quòd duobus modis poteſt quis habere ab alio juriſdictionem immediatè; primò *immediatione virtutis*: hoc quidem modo omnis poteſtas, & juriſdictio Eccleſiaſtica in Prælatis eſt à Chriſto immediatè, quatenus eam inſtituit, & Pontifici communicat, ut eam alteri tribuat; Secundò *immediatione*

tione ſuppoſiti; & hoc modo tunc tantùm dicitur aliquis à Christo immediatè poteſtatem ſuſcipere, cùm inter accipientem poteſtatem, & ipſum Chriſtum conferentem non mediat aliquod ſuppoſitum ſuſcipiens à Chriſto, & conferens alteri; ita Papa plenitudinem juriſdictionis habet à Chriſto immediatè, utráque immediatione, cùm à Chriſto ſit illa juriſdictio inſtituta, & inter Chriſtum conferentem, & Papam ſuſcipientem non mediat aliud ſuppoſitum; Epiſcopi verò juriſdictionem habent à Chriſto ſola immediatione virtutis, & non ſuppoſiti.

Dices. Epiſcopi omnes ſe nominabant *N. N. Dei gratia Epiſcopus, &c.* ergo quia eis ſemper perſuaſum fuit ſe à Deo immediatè, tum immediatione virtutis, tum ſuppoſiti juriſdictionem habere.

Si dicatur, quod nunc Epiſcopi hac utantur formula. *N. N. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus, &c.* qua ſignificant, ſe à Deo quidem, ſed remotè, immediatè verò à Romano Pontifice ſuam obtinere juriſdictionem, reſpondet Juvennim *comment. hiſt. de Sacram. differt. 9 qu. 1. art. 3. ad 2. objectionem*, non quovis ſæculo fuiſſe ab Epiſcopis formulam illam adhibitam: originem ex Thomuſſino *to. 1. de veteri, & nova Eccleſiaſtic. diſcipl. de benefic. p. 1. lib. 1. c. 59.* refert in annum 1251. eamque primò fuiſſe aſſumptam ab Archiepiſcopo Vicenſienſi in Inſula Cypri.

28 Verùm quidquid ſit de hujus moris antiquitate, eſt planè laudabilis, & rationabiliter introductus, tanquàm teſſera, ac ſignum, ut quicunque Dei, & Sanctæ Sedis gratia ſe Epiſcopos creatos fatentur, hoc titulo, non ſe ſchiſmaticos, ſed Catholicos probent, quòd cum capite Romanæ Eccleſiæ communicent, & ex illo juriſdictionem agnoſcant. Ceterùm Gravina ubi ſupra tradit, in antiquitate morem æquivalentem reperiri in litteris formatis, ſeù communicatoriis, de quibus agit Spondanus *Epit. ad an. 142. n. 5. & 6.* & Cabaſutius *notit. Eccleſiaſt. ſæcul. 2. differt. 7.*

Ideò eſt manifeſtiſſima inſolentia Spalatenſis aſſerentis, vocem eſſe adulatoriam, ſe attitulare *Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis gratia*, quando nec Papa libenter, ut ait, confiteretur ſe Cardinalium, ſive Epiſcopi Hoſtienſis gratia eſſe Romanum Epiſcopum; Nam Pontifex Romanus nec à Cardinalibus, nec ab Epiſcopo Hoſtienſi juriſdictionem accipit, ſed ab illis ſolùm eligitur, & ab iſto Epiſcopus conſecratur; juriſdictionem verò habet utráque immediatione à Chriſto, ſicut ab eo habuit Petrus, cui Pontifex ſuccedit.

Opponunt 3. Quo jure Apoſtoli fuerunt Apoſtoli, eodem jure Epiſcopi ſunt Epiſcopi, ſed Apoſtoli jure divino fuerunt Apoſtoli, & immediatè à Chriſto receperunt juriſdictionem; ergo eodem jure Epiſcopi ſunt Epiſcopi, & à Chriſto immediatè juriſdictionem recipiunt.

Confirmatur. Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, ut loquitur Hieronymus *Epiſt. 85. Omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt*. Et Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 3. de ord.* ait, *Epiſcopos, qui in locum Apoſtolorum ſucceſſerunt*; ergo ab eodem immediatè habent juriſdictionem, à quo acceperunt Apoſtoli; aliàs non eſſet ſucceſſio, ſed nova inſtitutio: nam de ratione ſucceſſionis eſt, ut ſucceſſor ab eodem poteſtatem participet, à quo habuit prædeceſſor.

29 R. diſtinguitur major. Si ly *eodem jure* appellet, quod in Epiſcopis conjungatur Epiſcopatus cum Apoſtolatu, ſicut conjungebatur in Apoſtolis negatur; nam quamvis Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis in Epiſcopatu, non ſuccedunt tamen in Apoſtolatu, & ejus prærogativis, vel privilegiis, virtutibus, & miraculis, per adnotata *Contr. 4. cap. 2. num. 14.* Si ly *eodem jure* appellet, quòd tum Apoſtolatus, quàm ordo Epiſcopatus ſit à Chriſto immediatè inſtitutus, conceditur, ſed inde nihil contra reſolutionem.

Ad minorem negatur, Epiſcopos proximè, & immediatè immediatione ſuppoſiti accipere à Chriſto juriſdictionem.

Acceperunt quidem ab eo Apoſtoli ex pręventione gratioſa extraordinariam juriſdictionem, ut dictum eſt *contr.5. cap.1.nu. 27.* Sed hæc extraordinaria poteſtas non eſt transfuſa ad Epiſcopos ſucceſſores, ſed eorum morte finita eſt: Nec ſequitur: Apoſtolis à Chriſto eſt immediatè, & proximè data juriſdictio; ergo & Epiſcopis; Sicut non valet: Adam, & Eva, prima individua naturæ humanæ, fuerunt immediatè à ſolo Deo facti; ergo ita contingit in cæteris humanis individuis. Eſt veriſſimum illud Joan.1. *Omnia* (quæ ſunt facta) *per ipſum facta ſunt, &c.* cum quo tamen ſtat, quod multa à Deo fiant, ſed non excluſo concurſu cauſarum ſecundarum. Ita in propoſito, Epiſcoporum Ordo in Univerſum, eorumque poteſtas, quantum ad illam ordinis eſt à Deo immediatè, tum in genere, tum in individuo; quantum verò ad illam juriſdictionis in genere, & quoad Perſonam indeterminatam eſt à Chriſto immediatè immediatione virtutis, ſed in individuo, interventu viſibilis capitis, ad eos dimanat, ut ſæpè diximus.

30 Ad Confirmationem. Qua ratione dicantur Epiſcopi Apoſtolis ſuccedere, notum eſt. *d.contr.4.& cap.n.7.&* 8. ibi videas; Sicut cap.3. nu.12. habes, quod ſi non fuiſſet præventio ex gratuita conceſſione Chriſti immediatè facta Apoſtolis, debuiſſent iſti *per ſe* à Petro (qui erat caput totius Eccleſiaſticæ juriſdictionis) juriſdictionem Epiſcopalem accipere. Ideò non tollitur ſucceſſio in Epiſcopis, in qua attendi debet quid *per ſe* faciendum erat circa prædeceſſorem, non verò quid *per accidens* factum ſit.

31 Verùm nedum Epiſcopi, ſed Cardinales pariter dicuntur Apoſtolis ſuccedere, ſed ſub diverſa ratione, ut ſcribit Petrus de Alliaco, *tract. de auctorit.Eccleſ.ibi. Licèt nomina Papatus, & Cardinalatus tempore Petri, & aliorum Apoſtolorum non fuerint in Eccleſiæ uſu: tamen Eccleſiaſticæ poteſtates dictis nominibus deſignatæ, ex tunc in Apoſtolis præfulſerunt: videlicet, Papalis dignitas in Petro, & in ſingulis Apoſtolis Cardinalatus auctoritas. Pro cujus declaratione ſciendum eſt, quòd ante diviſionem Apoſtolorum, Apoſtoli Petro, tanquàm Papale officium gerenti aſſiſtebant, tanquàm Cardinales officium exercentes; poſtquàm verò Apoſtoli à Petro ſeparati ſpeciales ſibi Diæceſes ſortiti ſunt, ex tunc Epiſcopale officium exercuerunt. Ex hoc poteſt inferri, quòd Apoſtoli prius Cardinales, quàm Epiſcopi fuerint; quodque Senatui Apoſtolorum ſuccedit collegium Sacrum Cardinalium, quantum ad illum ſtatum, quo Apoſtoli coaſſiſtebant Petro, antequàm fierent particularium Eccleſiarum Epiſcopi. Statui autem Apoſtolorum, in quantum fuerunt Epiſcopi, ſuccedit ordo Epiſcoporum.* Hæc ille. Et habetur, *ex d.conſt. Non mediocri Eugenii IV.* in qua §. hæc ſunt. *Decuit, ut in hac noſtra Eccleſia tres conſtituerentur ordines aſſiſtentium Papæ, qui purgantium, illuminantium, & perficientium fungerentur officio, veluti ſunt Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi Cardinales. Decuit etiam, cùm Summus Pontifex Chriſti repræſentaret perſonam, ut quemadmodum Chriſto converſanti in terris aſſiſtebant Apoſtoli, ita etiam Cardinalium Cetus, Apoſtolicum repræſentans, coram Papa aſſiſteret: reliqui verò Epiſcopi ubique diffuſi Apoſtolos repræſentant ad prædicandum per Orbem miſſos.*

32 Sixtus V. *conſt. Poſtquam* 50. *Bullar.to. 2.§.1.Ita etiam Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales repræſentantes perſonas Sanctorum Apoſtolorum, dum Chriſto Salvatori, Regnum Dei prædicanti, atque humanæ ſalutis Myſterium operanti, miniſtrarent Pontifici in executione Sacerdotalis officii, & in dirigenda ipſa Eccleſia Catholica, cui præeſt, Conſiliarii, & Coadjutores aſſiſtunt, quaſi oculi, & aures, ac nobiliſſ.mæ Sacri Capitis partes, & præcipua illius membra.* De qua re ſimilia dixit *Turrecremata lib.1.de Eccleſ.cap.3. Platus lib. 4.de Cardinal.dignit.Contenſon tom.2. Theolog. ment.& Cordis lib.11.p.4. diſſert.3.cap.2. Speculat.3.*& Guarnieri cit.*li.3.de membr.Eccleſ. cap.7.*ubi *nu.3.* obſervat, quod poſtquam D.Pe-

d. Petrus miſit Apoſtolos ad certas Provincias regendas, & munera Epiſcopalia exercenda, ſolus non remanſit, ſed aliquos inſtituit Cardinales (quantum ad officium) licèt eos non nominaverit Cardinales; & tales, ait, fuiſſe Linum, Cletum, & Clementem. Et ita deinde fecerunt alii Petri ſucceſſores.

33 Hinc conſtat Apoſtolos prius fuiſſe Cardinales, quàm Epiſcopos, ſeù priùs exercuiſſe Cardinalatus officium, quàm functiones Epiſcopales; & prius fuiſſe Cardinales Orbis, quàm Epiſcopi Urbium; Sicut Petrus fuit prius Papa Orbis, quàm Epiſcopus Urbis Romæ: Propterea optimo jure Epiſcopos pręcedunt conſiderando etiam, quòd licèt ratione poteſtatis Ordinis Epiſcopi ſint majores Cardinalibus, in illa tamen juriſdictionis Cardinales excedunt Epiſcopos; Quoniam Epiſcopi aſſumpti ſunt in partem ſolicitudinis, & eorum poteſtas eſt reſtricta ad unã Diœceſim: Cardinales verò ſunt Papæ in adjutoriũ gubernationis totius Eccleſiæ. Unde dicuntur pars Corporis Papę *§.Verùm 6.q.1. & cap.Conſtantinus 96.diſt.* Senatores, Conſules, & Patritii Urbis appellantur. Quorum dignitas infra illam Papæ eſt Summa.

Opponunt 4. Si Epiſcopi juriſdictionem accipiunt à Papa, duo incommoda ſunt inevitabilia. Primum, quòd Epiſcopi in ſuis Diœceſibus non ſint ordinarii, & Miniſtri Chriſti, ſed Vicarii, & miniſtri Papæ, & Papæ coadjutores. Secundum, quòd in Conciliis generalibus Epiſcopi non Judices, ſed ſint Commiſſarii, & Delegati Papæ; in eis enim à Papa juriſdictionem acciperent, ut poſſent ſuam ſententiam dicere. Quæ ſunt abſurda, & contra ſenſum Patrum; qui Epiſcopos appellant oculos Eccleſiæ, Patres populorum, Vicarios, & Miniſtros Chriſti, cum ordinaria poteſtate in ſuas oves.

Deinde; Facultas Pariſienſis anno 1658. cenſuram dixit huic propoſitioni. *Epiſcopi accipiunt à Papa juriſdictionem, quam exercent in ſubditos ſibi populos: quam hac cenſura perſtrinxit: Falſa eſt, Verbo Dei contraria.* Apud Juvenim cit. qui nobis contradicit.

34 R. negatur ſequela. Nec ſequitur primum incommodum, quia poteſtas Epiſcopis *per ſe* perpetuò conceditur, ideò non eſt delegata, ſed ordinaria. Quod patet in Parocho, qui habet poteſtatem immediatè ab Epiſcopo, & tamen non dicitur delegatus, eò quòd curam illam accipit, non pro tempore determinato: dicitur *per ſe*, quia per accidens propter crimina poſſunt Epiſcopus, & Parochus privari beneficio. Alia ratio eſt apud Macedo cit. ibi: *Poteſtas Epiſcopalis*, ait, *in radice divina eſt, cùm nitatur Ordini divino à Chriſto inſtituto; ſicque Spiritualis, & Sacra, non humani juris, ſed divini: Quare etſi immediatè à Pontifice, conferatur, non confertur ab eo, tanquàm à perſona humana, ſed tanquàm à Chriſti Vicario, & Dei perſonam gerente; igitur, cùm datur, nomine divino datur, non humano; atque adeò non eſt delegata, ſed ordinaria, quòd etſi ab homine datur, ea tamen non eſt humana, ſed ſacra, & ordinis altioris, cujus Pontifex non eſt Dominus, ſed adminiſtrator.* Hæc ille. Et quia prudens adminiſtrator, poteſt ob crimina eam revocare. Inde patet Epiſcopos eſſe Miniſtros Chriſti, quippe à Papa habent juriſdictionem, qua immediatè miniſtrent Chriſto, regendo Fideles Chriſti ſibi creditos; ſicut Parochus eſt miniſter Chriſti (vel miniſter ſub miniſtro) & tamẽ ab Epiſcopo habet juriſdictionem. Et quando à Papa Epiſcopi admittuntur in adjutoriũ, & ſolicitudinis partem, ſic eos renuntiat, ut Eccleſiarũ ſuarũ quoq; Dominos, & Principes efficiat, & ovibus ſuis jus quoq; ex impartita auctoritate dicant: ſicut Chriſtus inſtituit.

35 Dicuntur Epiſcopi *oculi*; quia ordinati à Chriſto, ut ſub capite portionem Eccleſiæ ſibi ab eodem determinatam gubernent. Quibus in hoc ſenſu dicitur demandata cura univerſalis Eccleſiæ, quatenus cuilibet eſt demandata ſua portio, vel particularis Eccleſia à Pontifice commiſſa, quæ benè gubernata in bonum cedit

totius Eccleſiæ, malè verò, in detrimentum: quælibet enim Eccleſia particularis, eſt membrum Eccleſiæ univerſalis. Nec quilibet Epiſcopus eſt Vicarius Chriſti abſolutè, & cum plenitudine poteſtatis in totam Eccleſiam; ſub hac enim ratione eſt ſolus Romanus Pontifex; ſed Epiſcopus dicitur Vicarius Chriſti, quatenus nomine Chriſti, auctoritate ab eo inſtituta, & à Pontifice recepta Eccleſiam particularem adminiſtrat.

36 Neque pariter negotium faceſſit ſecundum incommodum; quòd Epiſcopi non à Chriſto immediatè immediatione ſuppoſiti, ſed à Papa juriſdictionem accipiant condendi in Conciliis Canones, & decidendi (ſed non ultimatè) Controverſias Fidei, ut Gravina *ubi ſupra*. Ubi obſervat, quòd eſtò interveniendi Conciliis cum juriſdictione facultas ſit à Chriſto in genere conceſſa, ſpecificandam tamen,& individuandam voluit ex Romani Pontificis diſpoſitione. Ita diſcrimen ponit inter Epiſcopos, & Abbates, & Generales, quòd iſti habent ſolùm juriſdictionem delegatam, quia ex pura commiſſione, & privilegio; non ita Epiſcopi, quia ſunt in gradu conſtituti, cui in radice debetur juriſdictio regiminis ordinaria; ipſique ex vi conſecrationis in genere habent poteſtatem, quæ poſteà illis actu, & in ſpecie tribuitur, cùm à Pontifice præficiuntur, illiſque demandatur, & præcipitur, ut Synodis interſint; ut, qui particulares ſunt doctores ſuarum Eccleſiarum, & judices, & teſtes ſint Traditionis: ex illa verò elevatione, ſub Romano Pontifice omnium Judice, & Magiſtro, ut Judices, & Magiſtri ſubordinati cauſas judicant ad totam Eccleſiam pertinentes.

Dices: Concilium Conſtantienſe definit Concilium Generale habere immediatè à Chriſto poteſtatem.

Reſpondent doctores, hoc eſſe verum tempore ſchiſmatis, ubi Papa eſt dubius. Verùm ea de re nulla propriè eſt edita definitio, per dicenda *controv.8. capit.6.*

37 Ad Deinde. Boivin.cit. tradit cenſuram doctrinalem Univerſitatis Pariſienſis eſſe revocatam per Breve Alexandri VII. Forſan facultas illa eſt prorſus ab errore immunis? Quò illi eſt promiſſa infallibilis aſſiſtentia, ne erret? Ideò nec ejus cenſuræ auctoritativè ligant, neque, ut eruditi ſcribunt, tranſeunt Sequanam.

CAPUT IX.

An Summus Pontifex licitè genuflexione, & pedum oſculo adoretur?

SUMMARIUM.

1 *Adoratio deſcribitur.*
2 *Alia interior, alia exterior.*
3 *Quid ſit honor, quid Laus?*
4 *Cultus, alius religioſus, alius politicus.*
5 *Latriæ, Duliæ, Hyperduliæ eſſentia.*
6 *Licitè Pontifex genuflexione adoratur, ubi plura uſque ad n.ſequent.*
7 *Genuflexio de ſe non eſt argumentum divinæ adorationis.*
8 *Sacrificium ſoli Deo offertur.*
9 *Templa Deo in Sanctorum memoriam conſecrantur.*
10 *Adoratio exibetur Pontifici propter excellentiam miniſterii.*
11 *Prænuntiatio adorationis Pontificiæ ex ſacro textu.*
12 *Praxis Eccleſiæ adorationem Pontificis confirmat.*
13 *Solus Deus Latria adoratur.*
14 *Cur Mardochæus detrectaverit adorare Aman?*
15 *Cur Paulus, & Barnabas noluerint admittere adorationem à Lycaonibus præſtandam?*
16 *De adoratione à Cornelio exhibita D.Petro.*
17 *Et cur Angelus noluit ab Joanne adorari?*
18 *Titulus,* Servus ſervorum Dei, *non impedit adorationem Pontificis.*
19 *Pontifices eo titulo ex animo, & ſincerè utuntur.*

20 *Cul-*

20 *Cultus præſtitus Pontifici, non eſt civilis.*
21 *An debeat dici religioſus, vide uſque ad 23.*
24 *Cardinales ſepè genuflexione, & ſemper oſculatione manus Pontificem adorant.*
25 *Pontifices ritè utuntur calceis rubeis, cruce ſignatis.*
26 *Nonnulla circa geſtationem Pontificis ſuper humeros.*
27 *Et circa Mitram Pontificiam triplici corona ornatam.*
28 *Cur Pontifices tam celeriter moriantur?*

1 HUjus controverſiæ partem negativam ſequuntur poſt alios Hęreticos Lutherani, & Calviniſtæ, qui omnes Romano Pontifici infenſi variis dicteriis adorationem Pontificiam lacerant, & Catholicos cauſant, & maledictis onerant propter religioſam praxim adorandi genuflexione, & pedum oſculo ſupremum Eccleſiæ Paſtorem. Quos inde reos proclamant Idololatriæ, quaſi Pontifici eum exhibeant cultum, & honorem, qui ſoli Deo convenit: Hoc, ut hoſtes Pontificię adorationis probent, alium cultum non agnoſcunt, quàm Divinum Soli Deo debitum: & civilem, ſeù politicum, qui exhibetur hominibus propter excellentiam aliquam creatam, auctoritatem nimirùm humanam, dignitatem politicam, vel potentiam. Quod Syſtema confixerunt, ut Catholicos nedum traducerent, quia ante Pontificem genuflectunt, priuſquàm pedes deoſculantur, ſed pariter criminarent propter cultum, quo Sanctos venerantur, & adorant. Hìc tamen errata erroribus cumulant, & erroneis principiis utuntur ad ſuas nugas imperitis venditandas. Verùm, ut admonent artis oratoriæ Magiſtri, eſt à definitione nominis, quod rei, circa quam occurrit difficultas, impoſitum eſt, incipiendum, cæterique ſunt exponendi termini. Hinc ſciendum, quod adoratio juxta Damaſcenum *in oratione 1. de Imaginibus; eſt ſubmiſſionis, & honoris ſignum: Et in 3. ſubmiſſionis, & abiectionis ſignum*. Quæ deſcribi inde poteſt: *eſt voluntaria ſubmiſſio, qua alteri nos ſubmittimus propter excellentiam, & dignitatem in eo præcognitam*. Quocircà adoratio duplicem importat actionem: ex parte intellectus notitiam excellentiæ, & dignitatis perſonæ adoratæ; & ex parte Voluntatis ſubmiſſionem, qua alteri nos ſubmittimus, & ſubiicimus. In qua formaliter conſiſtit eſſentia adorationis, prǽſuppoſita tamen illa intellectus notitia.

2 Eſt adoratio duplex, interior una, exterior altera. Interior, *eſt, humilis, & ſincera animi ſubmiſſio, propter excellentiam in adorato recognitam*. Exterior, *eſt externa reverentia, quæ alteri externo corporis motu præbetur, ut inclinatione capitis, genuflexione, totius corporis in terram proſtractione*, & his ſimilibus; illis enim modis alios honoramus, teſtantes noſtram ſubmiſſionem, & alterius exeellentiam.

Conſiderant Doctores adorationem externam de ſe eſſe adiaphoram, ſeù indifferentem, & poſſe tam creaturis, quàm Deo exhiberi. Ideò à ſola intentione pendet, quòd per genuflexionem hæc, vel illa ſpecies adorationis deferatur. Si externa ſubmiſſionis nota intendas te alteri ſubmittere, tanquàm Deo, & teſtari ejus diurnitatem, erit cultus Latriæ; ſicut amico Dei, erit Duliæ; ſicut potenti, vel Reipublicæ Rectori, erit obſervantia politica.

3 Differt adoratio ab honore, & laude, quia illa præter teſtificationem excellentię, quæ eſt in altero, importat etiam ſubmiſſionem, & ſubjectionem ad perſonam, quæ adoratur. *Honor verò eſt teſtificatio Excellentiæ, quæ in aliquo recognoſcitur;* quam etiam Laus includit. Verùm honor fit factis; Laus verò verbis. Item ex hoc etiam diſcriminatur ab illis, quod poſſumus laudare, & honorare, etiam æquales, & inferiores, adorare autem non poſſumus niſi Superiores: quòd adoratio, ut dictum eſt, ſubjectionem dicit.

4 Item. Cultus alius eſt Sacer, & Religioſus; & alius prophanus, civilis, & politicus. Sacer habet pro motivo excellentiam altioris ordinis, vel, quæ ſpectet ad Religionem. Civilis verò pro motivo agnoſcit excellentiam ordinis naturalis ſpectantem ad Rempublicam civilem ſine ordine ad Deum, ut eſt auctor gratiæ, & Gloriæ.

5 Cultus Sacer eſt triplicis generis, Latriæ, Duliæ, & Hiperduliæ. Latria eſt cultus, qui Deo exhibetur ob infinitam ipſius excellentiam. Hæc convenit Soli Deo, & Sanctiſſimæ humanitati Chriſti, tanquàm perſonaliter unitæ Verbo Divino; eaque Deum honoramus, & colimus, ut primam omnium cauſam, ac ſummum Dominum, ens infinitæ excellentiæ, & perfectionis. Nec Creaturis poteſt tribui ſine graviſſimo Idololatriæ ſcelere. Quæ per Tertullianum *lib. de Idolis, cap. 3. Eſt famulatus, & ſervitus circa omne Idolum.* Idolum verò *eſt quidquid creatum, homo, tanquàm Deum colit: vel, quidquid facit ad falſum aliquod numen repræſentandum*. Ita Deus præcepto primo Decalogi non vetuit abſolutè Imagines fieri, ſed ejuſmodi ſolùm, quæ ad falſum aliquem Deum exprimendum elaboratæ eſſent.

Dulia eſt *cultus, qui ob creatam excellentiam altioris ordinis, & pertinentis ad Religionem, creaturæ rationali exhibetur*: ita cultus, qui viris Sanctis ob eorum virtutes, & ſanctitatem defertur, Dulia dicitur

Hiperdulia tandem, *eſt cultus, qui* defertur B.M.V. ob particularem excellentiam quam habet præ cæteris Sanctis, propter nimirùm dignitatem Maternitatis Filii Dei.

6 Dicendum. Licitè à Catholicis Pontifex Romanus adoratur genuflexione, & pedum oſculo. Ita Macedo in *3. collat. 7. differ. 3. de adoratione Papæ.* Leander *diſp. 6. Diana coord. to. 9. tr. 4. reſolut. 1. ad* 17. omneſq; Catholici cõtra Lutheranos, & Calviniſtas alioſq; hujus ſurfuris homunciones. Probatur 1. Scriptura recenſet adorationes exhibitas hominibus corporis in humum depreſſione, & genuflexione (quę Summæ videntur adorationis ſymbola) inclinatione capitis, ſimilibuſve modis: Nec eas, ut illicitas reprehendit. Ita Geneſ. 43. *Fratres adoraverunt Joſephum proni in terram*: Et infrà: *Et incurvati adoraverunt eum. Cap. 50. Proni adorantes in terram.* 3. Reg. 1. *Nathan pronus in terram adoravit David*. 4. Reg. 1. Eliæ genuflexione à Principe Legato Ochoziæ delata eſt adoratio, ibi: *Qui cùm veniſſet, curvavit genua ſua contra Eliam*. Et cap. 2. *Filii Prophetarum proni in terram adoraverunt Eliſeum*; ergo nec reprehenſione digna eſt adoratio, quam Catholici genuflexione, & oſculo pedum exhibent Romano Pontifici: vel allegetur diſcrimen, quòd nunquam Proteſtantes præſtabunt, ergo licitè Papa adoratur.

Confirmatur. Genuflexio de ſui natura non importat Idololatriam; aliàs impoſſibile foret incedere, quin Idololatria committeretur; inceſſus enim non fit abſque genuflexione: ergo ex quo Catholici coram Pontifice genuflectant, non ſunt proclamandi Idololatræ.

Minuſque arguendi ſunt, quòd ejus pedes oſculentur. Nam eſtò Gentiles ſua Idola adorent, non ſola genuflexione, ſed etiam oſculo, ut meminit Plinius *lib. 28. cap. 2.* & habetur *ex 3. Reg. 19.* ibi: *Quorum genua non ſunt incurvata ante Baal, & omne os, quod non adoravit eum oſculans manus*; adhuc tamen Catholici non ea intentione oſculantur pedes Pontificis, ut ſignificent ſe ei divinam adorationem præbere; quam nec Moyſes præbuit Jethro, *quem adoravit, & oſculatus eſt*, Exodi 18. Nec Eſther exhibuit Aſſuero, cujus ſummitatem virgæ eſt oſculata, *Eſther* 5. Non enim inde reprehenduntur; ſed ea intentione pedes illius oſculantur, ut honorificentiam, & cultum deferant congruentem Supremo Eccleſiæ Principi. Sicut oſculantes reliquias Sanctorum eas planè adorant, ſed

cultu

cultu illis proportionato, non verò Divino.

7 Quare juxta notata *nu.*2. conſiderari debet, genuflexionem, corporis proſtrationem, deoſculationem, & alia hujus generis ſigna externa, non eſſe de ſe Divinæ adorationis argumenta, ſed indifferentia ad cultum Deo debitum, & creaturis congruentem ſignificandum, ac ſecundùm intentionem, & voluntatem operantis benè, vel malè poſſe uſurpari. Genuflectimus coram Deo: Genuflectimus coram Sanctis, ſed diverſa intentione. In illa intendimus teſtificari noſtram venerationem internam terminari ad Deum infinitæ dignitatis; in alia terminari ad Sanctos propter creatam ſanctitatis excellentiam. Verùm abſtinendum eſſet, quando daretur moraliter intelligi, quòd per ſignum externum quis teſtificaretur erga creaturam venerationem talem, qualis competit Deo. Ita propter circumſtantiam actio externa genuflexionis, inclinationis, & oſculi facta coram Idolo eſſet Idololatria. Quemadmodum talis foret, ſi adhiberetur erga creaturam ab judicante, quòd illa creatura eſſet infinitæ Dignitatis. Quod quidem non judicant Catholici genuflectentes coram Pontifice, ſed ſolùm eum honorant illique ſe ſubmittunt propter dignitatem Pontificiam, qua ſub Deo eſt omnium Fidelium Pater, Paſtor Supremuſque in Eccleſia Princeps.

8 Cæterùm, ſi daretur aliquod unum ſignum externum ex ſe ſignificans, vel convenienter impoſitum ad teſtificandum venerationem internam divinam tantùm, & prohibitam exhiberi ulli alteri, quàm Deo, non poſſet quis illo ſigno uti ad teſtificandam ſuam venerationem internam erga homines. Ita ſacrificium nulli Creaturæ, ſed ſoli Deo offerendum eſt; eo enim recognoſcitur Deus ut Supremus omnium Dominus, & vitæ, & mortis Auctor.

9 Ita Templa non Sanctis, ſed Deo ipſi in Sanctorum memoriam conſecrari dicuntur. Et *Templa* dici ſolent, quatenus ad ſacrificandum Deo eriguntur. *Oratoria* verò appellantur, quòd ad orandum ſint deſtinata; *Martyria*, aut *memoriæ*, ſeù *Baſilicæ* nuncupantur, quòd Martyrum reliquiis aſſervandis inſerviant. Tandem *Eccleſiæ* vocantur, quòd populus eò conveniat Verbo Dei, & Sacramentis paſcendus. Ideò in honorem Sanctorum conſtruuntur, non ut Templa, ſed ut memoriæ, aut Baſilicæ, teſte Auguſtino *lib.*22. *de Civit.Dei*, *cap.*10. ibi. *Nos Martyribus noſtris non Templa, ſicut Diis, ſed memorias, ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricamus; Nec ibi erigimus Altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo, & Martyrum, & noſtro.* Vide *contr.*2.*cap.*4.*nu.*13.

Dicunt. Paritas de cultu Eliæ, & Eliſeo delato non urget. Nam iſtis potuit exhiberi cultus religioſus, propter propheticum Spiritum, qui in illis erat. Pontificibus autem cultus religioſus deferri non poteſt, cùm ſæpè virtutibus careant. Ideò ſi quidam exhibendus eſſet, deberet eſſe politicus, & prophanus, cujus generis fuit ille à Fratribus Joſepho, & à Nathan Davidi præſtitus ob civilem dignitatem: Catholici autem non admittunt reverentiam exhibitam Pontifici prophanam eſſe, & civilem.

10 Contra. Eſt in Pontifice Suprema dignitas Paſtoralis, quæ non eſt ab hominibus, & ordinis naturalis, ſed à Deo, ut Auctor eſt ſupernaturalis: ergo propter eam dignus eſt cultu, non civili, ſed religioſo, & Sacro. Nec imperfectiones perſonales, ac humanæ naturæ fragilitas impedire poſſunt, quin Pontifici congruens adoratio tribuatur. Nam ut ait, Diana *cit.reſol.*16. ex Caramuele *de Hierarch.Eccleſ.lib.*1.*diſp.*60.*n.*580. Adoratio præbetur Pontifici ratione excellentiæ ſpiritualis Miniſterii, & dignitatis; quæ dignitas, & poteſtas miniſterii manent adhuc in Pontifice, qui (quod abſit) non adeò Sanctis moribus viveret: ergo ei ritè

ado-

adoratio exhibetur. Ita ipſi Proteſtantes ſuis Principibus civilem reddunt cultum; nec ſe continent, eſtò eos non adeò laudabiliter vivere videant. Profectò non alia ratione, quàm quòd in illis mala vita quoad honorem, quem eis præſtant ſe habeat *per accidens*; *per ſe* enim honorificentiam dignitati politicæ deberi conſiderant.

11 Probatur 2. Adoratio, quæ Pontifici exhibetur, fuit prænuntiata ab Iſaja, qui *cap.49.* hæc habet: *Et erunt Reges Nutritii tui, & Reginæ Nutrices tuæ, & vultu in terram demiſſo, adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*; hoc eſt, oſculabuntur, in ſignum nimirum reverentię, & ſubjectionis, ut exponit Cornelius à Lapide. Unde Reges oſculantur pedes Eccleſię in Pontifice, qui eſt viſibile Eccleſię caput. *Cap.60. Et venient ad te curvi Filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum*; ſuper quem locum idem Cornelius dixit: patet hoc impleri in Romano Pontifice, qui eſt caput Eccleſiæ. Fruſtrà ergo indignantur Hęretici ad oſcula pedum Papæ, cùm ea prædixerit, & prænuntiaverit Iſajas. Ita Reges Viſigotorum, Francorum, Anglorum, Longobardorum, Germanorum, & aliarum Gentium, qui ſæpiùs vexarunt Eccleſiam, & Pontificem, Romam venerunt, ut ibi adorarent veſtigia pedum ejus, qui ſe *ſervum ſervorum Dei* vocat, cùmque ſit caput, humillimum ſibi nomen aſſumpſit. Hæc Cornelius.

12 Satis ad probationem eſt praxis Eccleſiæ; nec deſunt exempla, quibus noſtra reſolutio comprobatur. Ita de Imperatore Juſtino Seniore ſcribit Spondanus *Epit. ad an.525. nu.1.* Quòd pronus in terram Joannem Pontificem adoravit. De Friderico Imperatore *ad an.1177.* refert: *Quòd proſtravit ſe in terram, & deoſculatis Pontificis pedibus.* Sigiſmundus item Imperator in Concilio Conſtantienſi ſumma veneratione ſe proſternens oſculatus eſt pedes Martini V. ex Cabaſut. *notit. Eccleſiaſ.* Mos oſculandi pedes Romanorum Pontificum eſt perantiquus; teſte Coriolano in *Breviar. ad an.1156.* introductus, eò quòd Romanus Pontifex tanquàm Supremus Vicarius refert, & repręſentat in terris Chriſtum Dominum. Ne verò aliena vitula arare videar, alia exempla reticeo, quæ à Diana congeſta videri poſſunt, *reſol.3.* Ponderando pariter, quòd rem noſtram confirmat Stylus, quo Principes Catholici ſcribentes Pontifici Epiſtolas claudunt: *Sanctitati veſtræ ſubmiſſè, ac plurimùm me commendo, ſimulque ad pedum oſculum reverenter ſubmitto*; vel ſimili.

Opponunt 1. In Scriptura prohibetur adoratio, quæ exhibetur Pontifici, pręcipiturque adorandus ſolus Deus: ergo illicitè Pontifex adoratur. Antecedens patet, *1. ad Timotheum. 1. Soli Deo honor, & Gloria.* Et *Matth.4.* Chriſtus Diabolo exigenti à Chriſto adorationem, reſpondit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Et Paulus *ad Galat.4.* eos reprehendit, quòd iis, qui natura non erant Dii, ſervirent.

13 R. Sicut ex adductis locis non poſſunt adverſarii colligere, quòd non poſſit quis alios homines honorare, & revereri (quandoquidem præceptum divinum ſit de honorandis Parentibus. Exodi 20.) ita non poſſunt inde deducere, quòd non ſit Pontifici ratione dignitatis paſtoralis exhibendus honor, & reverentia. Quin etiam Hęretici ea loca non adeò ſtrictè uſurpant, ut illis prohibeatur honor civilis, quem ſuis Principibus deferunt.

Itaque. Ea teſtimonia probant ſolùm, quòd non ſit ſummus honor, ſummaque veneratio, & adoratio Latriæ aliis tribuenda, quàm Deo; ea enim nos Deo, tanquàm Supremo omnium Dominatori, ac principio ſubiicimus, & ipſius nos ſervitio devovemus; ac ſummam ejus excellentemque dignitatem animo capientes hanc ſubinde veneramur, & colimus; prout dixit Auguſtinus *Epiſt.170. ad Maximum nu.2. Docere non differas, unum ſcilicèt Deum eſſe ſolùm, cui ſervitus illa debetur,*

quæ

quæ Latria, greco vocabulo nuncupatur. Ipſum enim verbum eſt in lege, ubi ſcriptum eſt. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Ideò cuilibet creaturæ indebita eſt. Proinde Paulus ibi redarguit ſervientes per Idololatriam iis, qui falſa, & ſtulta hominum opinione erant Dii. Neque Apoſtolus negabat creaturis poſſe congruentem reverentiam exhiberi, ſed potiùs *ad Romanos 7.* eſſe exhibendam voluit, ibi: *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem timorem; cui honorem, honorem*, hoc eſt, reddite unicuique, quod ei debetur, exactoribus tributi, tributum: exactoribus Vectigalis, vectigal: Principibus obedientiam, & reverentiam, omnibus honorem. Siquidem non Regibus tantùm, ſed & Regum miniſtris ſuus debetur honor in ordine ſuo. Quapropter negatur conſequentia. Nam non Latriam Pontifici deferimus, ſed juxta dicta, cultum reverentiamque longè inferiorem, alteriuſque Naturæ.

Dices. Viri Sancti noluerunt hanc inferiorem adorationem aliis exhibere, nec ſibi permittere. Ita *Eſther 3.* Mardochęus noluit genuflectere coram Aman, *Actorum 14.* Paulus, & Barnabas, cùm à Lycaonibus adorarentur, ſummoperè reſtiterunt. Et Actorum 10. S. Petrus, cùm Cornelius eum genuflexione adorare vellet, prohibuit ipſum, his verbis: *Surge, & ego ipſe homo ſum.* Quibus conſtat, quod nec inferiori cultu liceat Pontificem adorare.

Reſpondetur. Exempla nihil concludunt contra nos.

14 Ad primum. Ideò Mardochæus noluit adorare Aman, quia Aman ſibi divinum honorem depoſcebat; ſi enim ſola civili adoratione adorari voluiſſet, eam ipſi Mardochęus per talis honoris ſigna exhibuiſſet, *ut ibi.cap.13.* inquit ipſe Mardochæus: *Libenter enim pro ſalute Iſrael, etiam veſtigia pedum ejus deoſculari paratus eſſem: ſed timui, ne honorem Dei mei transferrem in hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.* Neque Mardochæus putavit illicitum eſſe homines alios aliis reverentiam congruam præſtare; nam, permiſit ſibi talem exhiberi reverentiam, ut legitur ibi *cap.6.* Veſte enim regia indutum, & equo regio impoſitum Aman, fręno equi arrepto, per Urbem deducebat, clamabatque: *Hoc honore condignus eſt, quemcumque Rex voluerit honorare.*

15 Ad ſecundum. Ideò Paulus, & Barnabas eam adorationem prohibuerunt, quia Lycaones eos exiſtimabant, tamquã Deos: ait enim textus: *Levaverunt vocem ſuam Lycaonitæ dicentes: Dii ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad nos.* Et proinde adorationem Latriæ eis ſacrificium offerendo, deferre volebant. Quo audito, Apoſtoli clamarunt: *Viri, quid hęc facitis? Nos mortales ſumus, ſimiles Vobis homines.* Sacrificium enim nonniſi ſoli Deo offertur, ut dictum eſt *nu.8.*

16 Ad tertium D. Petrus, ideò adorationem illam prohibuit, quia Cornelius aliquid divinum de Petro cogitabat, ut obſervat D. Hyeronimus *lib. contra Vigilantium;* & patet ex textu, ubi. *Petrus elevavit eum, dicens: Surge, & ego ipſe homo ſum.* Unde poterant Hæretici ex ipſo textu obſervare, prius Cornelium occurriſſe; deinde ad pedes Petri ſtratum; Denique ab Apoſtolo ſublevatum, ut illi ex animo errorem eriperet, quo ſibi perſuaſerat Petrum Deum eſſe. Hinc Petrus non adorationem congruam reſpuit, ſed Latriæ, quam ex errore Cornelius ei deferre intenderat. Et inde Cornelius à Lapide notavit, rectè Fideles exemplo Cornelii genuflexos oſculo pedis venerari Pontificem.

Inſtant. Angelus eſt Superior Pontifice, qui tamen, noluit ab Joanne adorari; *Apocalyp. 19. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum: & dixit mihi, vide, ne feceris: conſervus tuus ſum: Deum adora;* ergo, ſi illicita fuerit adoratio Angelo exhibita, illicita pariter eſt dicenda illa, quæ Pontifici defertur.

17 Reſ-

17 Reſpondetur. Eſt quidem Angelus in natura, & excellentia gloriæ excellentior Pontifice, & ſecundùm id dignus adoratione Duliæ; quam tamen tunc noluit admittere, ut ſignificaret, quanti ab Angelis humana natura poſt aſſumptionem factam à Verbo Divino æſtimabatur; & quanti præcipuè Sacerdotes, Apoſtoli, & Deo chariſſimi (ut erat Joannes) ſint faciẽdi. Et inde Joanni ſuaſit, ut Deum adoraret propter adeò excellens beneficium, quod à Deo humana recepit natura, & dignitatem, ad quam homines ſunt evecti.

Neque Joannes illicitum putavit Angelis congruam exhibere adorationem; nam *cap.*22. iterùm voluit Angelum adorare, à quo tamen propter eandem rationem fuit prohibitus. Verùm Pontifici non deeſt præſtantia, propter quam ſit adoratione, & congrua reverentia dignus: eſt enim ovium Paſtor, & in Hyerarchia Eccleſiaſtica ſupremus Princeps; quæ non eſt in Angelo dignitas, cùm Pontifex, non verò Angelus, ſit Chriſti Vicarius: & illi, non Angelo cura Paſtoralis commiſſa.

Opponunt 2. In adoratione, quæ genuflexione Pontifici exhibetur, eſt exceſſus: ergo illam debet ipſe reſpuere, & Fideles non præſtare. Probatur Antecedens. Exorbitat à titulo humilitatis: *ſervus ſervorum Dei*, quo Pontifex utitur. Immò, quia ſervis Dei, ut ſunt viri Sancti adoratio debetur, hæc eſt deneganda *Servo ſervorum Dei*.

Addo. Papa coli non poteſt, niſi, vel cultu civili; vel cultu religionis; ſed negant Catholici adorari cultu civili: & aliàs cultu religionis adorari non poteſt; ſiquidem *Religio eſt Virtus*, quæ Deo, tanquàm ſupremo omnium Domino debitum, & congruentem cultum adhibet: ergo nullo licitè adoratur.

18 Reſpondetur. Negatur utrumque antecedens. Titulus ille non ſpoliat Pontificem dignitate capitis Eccleſiæ, & Chriſti Vicarii, propter quam eum adoramus. In eo tamen elucet Pontificis modeſtia; Eſt ille titulus antiquiſſimus, quo primò uſus eſt Damaſus, qui rexit Eccleſiam *an.* 367. Eumque ſubinde aſſumpſit Gregorius Magnus, qui in Cathedra Petri ſedit *ann.*590. ad infringendam audaciam Joannis Patriarchę Conſtantinopolitani, qui ſe Eccleſiæ Epiſcopum *œcumenicum*, vel *univerſalem nominabat*. Poterat planè Gregorius ſe Epiſcopum univerſalem appellare, non in ſenſu excludente particulares Epiſcopos (qui erat ſenſus Joannis, intendentis alios non eſſe Epiſcopos in Eccleſia, ſed omnes ſuos Vicarios exiſtere, ſicut Nũtii Apoſtolici ſunt in ſuis Nuntiaturis Vicarii Papæ) ſed in ſenſu legitimo, importante ipſum habere curam univerſalis Eccleſiæ: Sic tamen, ut cæteri Epiſcopi ſint quidem ei ſubordinati, ſed ſuarum particularium Eccleſiarum veri Epiſcopi, & Paſtores à Papa aſſumpti in partem ſolicitudinis paſtoralis, per quos ipſas Eccleſias particulares regit. Quis inficiari poteſt Papam eſſe univerſalem Paſtorem, per particularium Eccleſiarum inferiores Paſtores gregem Dominicum paſcere? Potuiſſet ne in propria perſona omnibus ubique terrarum ovibus aſſiſtere, ſicut aſſiſtit illis Eccleſiæ Romanæ Urbis?

Inſtant. Homini maledicto nulla debetur adoratio, ſed Papa (horreo, ſi proferam) hæreticorum opinione, eſt maledictus, prout Geneſis 9. dicitur de Chanaam: ergo, &c.

19 Reſpondetur. Non inſtantiam, ſed blaſphemiam hìc Vaxamundus Calviniſta appoſuit, quod minimè egiſſet, ſi mentem direxiſſet ad diſcrimen, quod eſt inter *Servum ſervorum Dei*, & *maledictus Chanaam, Servus ſervorum erit fratribus ſuis*. Ut ibi textus. In Chanaam, & poſteris punitur delictum parentis, ſeù Cheam, qui fuit Pater Chanaam; illiſque verbis à Noe prædicitur ſervitus, quam debebant Poſteri Chananæi ſuſtinere, ut legit Tirinus in d. locum. Quod inſulsè, & per calumniam hæretici applicant Romanis

nis Pontificibus, qui auguſto illo utuntur titulo, non per totum, & mendaciter, ſed ex animo, & ſincerè ad ſignificandum ſe ad ſerviendum, & non ad dominandum eſſe à Chriſto conſtitutos, ſicut ſuo modo ſunt cęteri Epiſcopi juxta Auguſtinum *lib.* 19. *de Civit.Dei, cap.*19. ubi ait: *ut intelligat non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe*. Verùm uſus, & praxis eſt, ut nullus Epiſcopus, præter Romanum Pontificem eo utatur titulo, qui juxta Gregorium *lect.*3. *de vit.ſpirit.Non ficta humilitate, ſed morali, & Theologica veritate ſervum ſe omnium nominat*.

20 Ad Additum. Non debemus litem movere de voce. Certum eſt cultum, qui Pontifici præſtatur non eſſe civilem: Nam ei non præſtatur ob dignitatem aliquam mundanam, & ordinis naturalis; ſed eſſe ſacrum, præſtitum nimirùm ob excellentiam ſpiritualem ordinis ſupernaturalis, Pontificiam ſcilicet, quæ ordinem dicit ad Deum, ut eſt auctor gratiæ, & glorię; nam in terris Chriſtus Pontificem reliquit, ut hinc Fideles in finem ſupernaturalem dirigeret, & ad gloriam æternam perduceret.

21 Modò difficultas eſt, an dictus cultus debeat religioſus nuncupari? Affirmandum eſt ſecundùm doctrinam Petavii *tom.*5.*Theologię dogmat.lib.*15.*cap.*2.*numer.*8. ubi tradit, virtutem Religionis primariò inclinare ad cultum Deo exhibendum; ſecundariò verò ad colendos Sanctos, atque etiam ad colendum Pontificem juxta proportionem ſuæ dignitatis, & excellentiam officii: quia quidquid illi honorificę teſtificationis tribuitur, id Deo potiùs, cujus voluntate tribuitur, quàm illi videtur tributum.

22 Poncius *cur.Theol.diſp.*39.*q.*8.*nu.*53. cenſet habitum, quo inclinamur ad adorandum Deum propter excellentiam divinam eſſe diſtinctæ ſpeciei ab eo, quo inclinamur ad adorandos Sanctos ob excellentiam gratiæ, & donorum ſupernaturalium, & Pontificem ob illam miniſterii ſupernaturalis; nam habent diverſa motiva: Ideò Deus Latria adoratur procedente ab habitu Religionis: Sancti verò, & Pontifices Dulia.

23 Diana *reſolut.*14. obſervat, obſervantiam dividi in politicam, & religioſam. Politica eſt, quæ ob dignitatem politicam, vel excellentiam humanam cultum defert; talis eſt, qua coluntur Principes, Magiſtratus aliique dignitate ſæculari conſpicui; item Magiſtri à diſcipulis, Domini à ſervis; obſervantia enim inclinat ad honorandos in dignitate conſtitutos. Religioſa eſt, quæ ob dignitatem, & perfectionem cum Religione conjunctam, hoc eſt, reſpicientem Deum, ut auctorem ſupernaturalem, cultum exhibet. Hoc honoris genere, qui Dulia Sacra dicitur, honoramus, non ſolùm Sanctos propter eminentem ſanctitatem, ſed etiam Pontificem propter eminentem Pontificiam dignitatem; quæ non eſt naturalis, & politica, ſed ſupernaturalis, & Sacra.

Inſtant. Si licitè Pontifex aggeniculatione, & oſculo pedum adoratur, cur Cardinales eum tali modo non adorant?

24 Reſpondetur. Etiam Cardinales tali ritu Pontificem adorant ex Lorino *in Acta Apoſtolor.cap.*10. *num.*25. Ejus pedes oſculantur in ipſius electione, quem ſubinde, cujus ſunt primarii Conſiliarii, oſculo manus venerantur; vide Dianam *reſol.*10.

25 Hæretici nihil intentatum relinquunt, ut Pontifici Romano inſultent; proinde eum ambitionis inſimulant, quod calceis rubeis Cruce ſignatis utatur. Verùm quid ab hoſtibus Eccleſiæ eſt expectandum, quàm probra, & convicia? Hac ceręmonia recogitent humilitatem Pontificum commendari; cùm enim omnes populos ad ſuos pedes deoſculandos propenſos agnoſcerent, curarunt triumphale Salvatoris ſignum calceis adtexi, ut à ſe honorem illum ad Chriſti gloriam, qui eſt auctor Pontificiæ dignitatis transfer-

ferrent; ac ulterius, ut oſtenderent Fideles eſſe redemptos purpureo Chriſti cruore; & tunc adorare Pontificem caput viſibile Eccleſiæ, quam Chriſtus factus obediens uſque ad mortem Crucis ſuo ſanguine acquiſivit; Eſtque actus perantiquus; cùm à S. Sylveſtro initium habuerit; quem deinde ſuccedentes Pontifices tenuerunt, & obſervant, ut idem Diana *reſolut.*20. aliis productis ſcribit,

26 Qui *reſolut.*15.*nu.*1. agit de geſtatione Pontificis in ſella ſuper humeros; quem, ait, reverenter adoramus, cùm in quibuſdam diebus ſolemnioribus procedit ad Cappellam geſtatus ſuper humeros cum tiara in capite. Mos autem iſte introductus eſt, ac Pontificem in altum deferri oportet, ut populum oveſque Chriſti ſibi creditas ipſe circumſpicere poſſit, atque Fauſta precatione benedicere; & populi ſurſum illum in ſublimi loco præſidentem commodè ſpectare, & ex vultu paſtorem agnoſcere valeant; ut inde proteſtationem Fidei conciperent maximam, quoties aſpicerent Chriſti Vicarium, & Petri in eo trono gloriæ ſucceſſorem, ut dixit: Joſeph Stephanus *in tract. de hac materia ad Antonium Cardinalem Carafam*.

27 Quantum verò ad geſtationem Mitræ triplici regia corona ornatæ, inquit Innocentius III. *Serm.*1. *de Beato Sylveſtro: Romanus Pontifex in ſignum Imperii utitur Regno: in ſignum Pontificis utitur mitra: ſed mitra ſemper, & ubique utitur, quia Pontificalis auctoritas eſt prior, & dignior, & diffuſior, quàm Imperialis*. Et Damianus *opuſc.*23.*cap.*1. Illum vocat Regem Regum, & Principem Imperatorum. Idcircò mirum non eſt, ſi iſti una tantùm, ſummus verò Pontifex tribus coronis decoretur; qui adoratione ab ipſiſmet Regibus, & Imperatoribus, ac univerſo Orbe humiliter colitur.

28 Ratio verò, cur Pontifices morte adeò celeri deficiant, ita ut nullus attingat dies Petri? eſt ordo divini judicii, ut hoc titulo humano generi metum mortis incutiat, & oſtendat, quàm deſpiciendus ſit vitæ temporalis honor, & gloria, dum ſummus Principum tam anguſti temporis compendio moritur.

CON-

CONTROVERSIA VII.

De infallibilitate Romani Pontificis.

EX invido in Sedem Apoſtolicam animo, corruptoque genio, quo in Romanum Pontificem feruntur, omnem lapidem movent hæretici, & conatum adhibent, ad ipſius prerogativas conquatiendas. Hinc, modò ejus primatum lacerant, modò infallibilitatis privilegium, in definiendis rebus ad fidem, & mores ſpectantibus deturpare præſumunt. Verùm hucuſque in vanum laborarunt, eorumque vires, & artes, eſtò fallaciis refertæ, prævalere minimè unquam poterunt. Adversùs quos hęc cæteris ſubnectitur controverſia, ut hac in re pariter copioſa eorumdem diſſolvantur ſophiſmata, & veritas Catholica mentem ipſorum aperiat; iiſque ſimiliter affulgeat, qui ſapientes, præterquam oportet, de infallibilitate Romani Pontificis minùs ſentiunt, quàm deceat Catholicos; ſed cum Janſeniſtis extra Concilia definientem infallibilem non eſſe proclamare non verentur, nec eos pudet ſe in Patrem erigere.

CAPUT I.

An Romanus Pontifex quoad ſe, & ut privata perſona, poſſit in hæreſim labi?

SUMMARIUM.

1 *Romanus Pontifex ſub duplici ratione conſideratur.*
2 *Hæreticus formalis quis appellandus?*
3 *Romanus Pontifex, ut perſona privata nequit in hæreſim labi.*
4 *Duplex privilegium in Pontifice circa fidē.*
5 *Quid, ſit certitudo moralis?*
6 *Eſt de fide certum, Pontifices, non poſſe fidem internam amittere.*
7 *Papa amittendo fidem deſineret eſſe capus Eccleſiæ.*
8 *Character baptiſmalis non conſtituit membrum Eccleſiæ.*
9 *Incommoda procedentia, admiſſa hæreſi perſonali in Papa.*
10 *An Sacerdos excommunicatus poſſit abſolvere conſtitutum in mortis articulo?*
11 *Sententia de hæreſi perſonali Pontificis ſpoliat Eccleſiam medio apto ad evincendos hæreticos.*
12 *Auctoritates pro immunitate Pontificis ab hæreſi perſonali.*
13 *Conceſſio Inveſtiturarum, à Paſchali II. facta Henrico V. revocata.*
14 *Inveſtituræ, quo ſenſu dicantur hæreſis?*
15 *Quid ſit Inveſtitura, & quo ritu concedebatur?*
16 *Controverſia de Inveſtituris abſoluta.*
17 *Canon,* hæc eſt fides *à Gratiano per errorem tribuitur Hyeronimo.*
18 *Tam perſona, quàm officium Pontificis, ab errore in fide, à Theodoreto procul aſſeritur.*
19 *Canon* Si Papa *an probet errorem perſonalem Pontificis contra fidem ad 21.*
22 *Canon* Anaſtaſius *eſt confictus ad 25.*
26 *Opinio probabilis quæ?*
27 *Quid, ex Hadriano VI. Dupinus opponat infallibilitati Pontificis?*
28 *Exempla varia objecta infidelitati perſonali Papæ. ad 35.*
36 *Negatio externæ confeſſionis fidei non infert errorem in intellectu.*
37 *Cur voluntas Papæ nequeat intellectui imperare errorem circa fidem?*
38 *Nullus Pontifex, hæretica pravitate pollutus, in Sede Petri ſedit.*

39 Pon-

39 *Pontifex liberè ſervat præceptum de ſervanda fide ad* 40.
41 *In Petro duplex genus actionum conſideratur*.
42 *Fides peccato infidelitatis amittitur ad* 43.
44 *De profeſſione fidei per Pontifices facienda*.

IN hôc articulo non conveniunt Doctores Catholici. Pro parte affirmativa ſunt Turrecremata *Sum.de Eccleſ.lib.*2.*cap.*112.*ad* 7. Melchior Canus *de loc. Theol.lib.*7. *cap.ult.ad* 11. *Caietanus opuſc. de auctoritate Papæ, & Concil.* aliique, quos allegat Pegna *comment.*74. *in quæſt.*25. *ter.par.director.Inquiſitor. Eymerici*, & Fagnan. *in* 1. *ad cap.Significaſti num.*68. *de elect.* Quibus Diana *coord.to.*9.*tr.*5.*reſol.*12. addit Valentiam, Bannez, Caſtro Palaum, Turrianum, & Franciſcum de Caſtillo; in quam propendit Leytam Clyp. *dignit. Pontif. diſceptat.*6.*ſect.*11.*nu.*157. eamque, ut probabiliorem defendunt Boyvin. *Theol.to.*2. *diſp.*2.*de Sum.Pontif.qu.*9. & Laurça *de fide diſp.*8.*art.*5.*§.*1.*nu.*153.

Sententia negativa eſt communis apud Albertum Pighium *lib.*4. *de Eccleſiaſt. Hierarch.cap.*8. Joannem Vviggers. *in* 2.2.*D. Thomæ de Pontif.q.*1.*art.*10.*ſub nu.*207. Fragoſum *de Repub.to.*2.*lib.*1. *diſp.*1.*§.*2.*nu.*32. Bellarminum *de Pontif.lib.*4.*cap.*6. Tirinum *to.*2.*comment. in Scripturam controv.*6. *nu.*18. Jadertinum *introduct. ad lect. diſput.*2. *art.*8. Pegnam, & Dianam, ubi ſupra; quæ ſententia à Lauræa probabilis aſſeritur, citatque Suarez *tom.*1. *de fide diſput.*10.*ſect.*6. *num.*11.

1 In re adeò controverſa advertendum proponimus I. Quòd hic homo, qui eſt Romanus Pontifex, & Chriſti Vicarius, poteſt conſiderari. Primò quoad ſe, ut perſona privata, privatuſque Doctor: Secundò, quoad alios, ut perſona publica, & Magiſter univerſalis Eccleſiæ, eam ex Cathedra docens, proponendo quid credendum, quidve agendum ſit. In poſteriori ſenſu difficultas hic non agitatur, de qua cap.ſequenti; ſed in priori examinatur; an nimirùm Papa, ut perſona privata prolabi poſſit in hęreſim internam, credendo aliquid contra fidem Catholicam?

2 II. Quòd hęreticus formalis nullus eſt, niſi, qui pertinax contradicit, vel, non aſſentitur veritati à Deo revelatæ, & ab Eccleſia definitæ, ſufficienterque propoſitæ: hæreſis enim eſt *actus, quo intellectus diſſentit alicui articulo Fidei cum pertinacia*, hoc eſt, *non obſtante, quòd cognoſcat, ab Eccleſia illum proponi*. Ideò, poſita propoſitione Eccleſiæ, qui reſiſtit, vel contrait, dicitur pertinax, & contumax. Undè poteſt aliqua veritas, *quoad ſe*, eſſe à Deo revelata, & de fide, non tamen *quoad nos*; ſed ut nobis id conſtet, opus eſt propoſitione Eccleſiæ, ſeù definitione Romani Pontificis, juxta dicta *controverſ. præterit.cap.*4.*nu.*54.

3 Dicendum. *Pontifex Romanus, ut perſona privata non poteſt in hęreſim incidere, & in fide deficere*. Quam ſententiam poſteriores Auctores piam vocant, eamque tanquàm magis probabilem, & dignitati Pontificiæ magis conformem, ac rationi conſonam, adversùs alios defendunt.

4 Probatur. Chriſtus *Lucæ* 22. illis verbis. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu confirma fratres tuos*. Duplex privilegium Petro impetravit; nam pro perſona quoque Petri, nedum pro officio rogavit, ut obſervat Gravina *Catholicar.præſcript.tom.*4.*p.*2. *diſp.*1.*art.*1.*ad finem append.* Hinc primum privilegium fuit, ut ipſe perſonaliter in fide errare non poſſet: nam ſi erraſſet, jam ipſius fides defeciſſet, & falſa fuiſſet oratio Chriſti, quod niſi blaſphemus dixerit. Secundum verò, ut nec tanquàm Pontifex, & ex Cathedra docens, poſſet aliquid contra fidem proponere Eccleſiæ: aliàs ſi illud propoſuiſſet, planè non confirmaſſet fratres in fide nutantes, ſed errorem potiùs docuiſſet. Primum privilegium legitur in Auguſtino *de corrept. & grat. cap.*8. ibi:

Quan-

Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi, ut haberet, in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem? De ſecundo privilegio dixit Theophilactus Archiepiſcopus Bulgariæ *in d.c. Lucæ. Quia te habeo, ut Principem diſcipulorum, confirma cæteros: hoc enim te decet, qui poſt me Petra es Eccleſiæ, & fundamentum.* Et D. Leo *Serm.3. de ſua aſſumptione. Firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per ipſum cæteris Apoſtolis confertur:* ergo Pontifex quoad ſe, & ut perſona privata, non poteſt in hæreſim labi. Conſequentia ſequitur: Nam in Succeſſores Petri utcunque privilegium transfunditur. De ſecundo, nec adverſarii dubitant. Quantum ad primum, non videtur debere trahi in quæſtionem, an annexum ſit ei, qui ritè, & canonicè electus eſt Romanus Pontifex, id enim ſignificat ipſa promiſſio Chriſti *pro te, & tua*, Cùm cedat in decorem Sedis Apoſtolicæ, ut ſedens in ea, à Spiritu Sancto præſervetur à quovis errore contra fidem cujus eſt fundamentum, & cuſtos.

Confirmatur. Eſt magis divinæ providentiæ conſentaneum, & gratis negaretur, ut, quem conſtituit ad Eccleſiam ſuam in ſana doctrina erudiendam, & in fide confirmandam, ſic quoque ei aſſiſtat, & dirigat, ut nunquam permittat illum, pertinaci aſſenſu mentis, adhærere doctrinæ alienæ, & damnatæ: Siquidem violentum eſt, aliter animo ſentire, & aliter alios voce, & ex auctoritate docere.

Dicunt. Ergo quemadmodum de fide eſt Petrum, nec perſonaliter potuiſſe contra fidem errare, ita pariter de fide eſſet, quòd ejus Succeſſores perſonalem hæreſim non poſſent admittere: hoc tamen eſt falſum. Quoniam Privilegium Romani Pontificis, ab immunitate hęreſis perſonalis, nuſpiam in Scriptura explicitè legitur; ſed quod de eo propugnatur eſt de magiſterio; quòd nimirùm non poſſit alios ex Cathedra docere hæreſim.

Contra 1. Quando de fide id non eſſet, eſt profectò magis conforme divinæ Providentiæ, & maximè decens (quod negari ab ullo non poteſt) ut privilegium Petri, de perſonaliter non errando in fide, ſit ad Succeſſores tranſmiſſum; alioquin Deus cenſeretur, non providiſſe ſufficienter Eccleſiæ neceſſitati. Nam, quomodò confirmabunt, & dubia circa fidem, & mores ſuborta, erunt deciſuri, ſi ipſimet ſint hæretici?

5 Contra 2. Si de fide non ſit, reſiſti minimè poteſt, quin ſit moraliter evidens, & certum, adeò ut ſine imprudentia id nullus inficiari valeat. Evidentia enim moralis, eſt apparentia neceſſariò convincens prudentem intellectum ad aſſenſum. Imprudens autem eſſet, qui dictum privilegium à Pontifice excluderet; nullum enim fundamentum ad id urget, ſed potiùs ex facto contrarium evincitur. Nam, inquit, Fagnan. *cit.num.69.* hunc caſum de lapſu perſonali Pontificis in hęreſim, in Eccleſia, divinæ gratiæ præſidio, nunquam hactenus contigiſſe, ut fatentur omnes. Et Lauræa *loco cit.* uſque ad §.11. aliique, omnes Pontifices, à Novatoribus de interna perſonali hęreſi notatos, diligentiſſimè purgant. Quod profectò præſtare non valerent, ſi ea impotentia carerent. Siquidem, hoc poſito, foret moraliter impoſſibile, quòd vel ſaltem unus, vel alius aliquando internam hęreſim non admiſiſſet. Colligitur enim, quòd impotentia ad aliquem actum in tota una collectione ſucceſſiva exiſtat, ſi nullus in collectione exiſtens in actum proruperit, nec erumpat.

6 Contra 3. diximus, *ſi non ſit de fide*, nam mihi eſt probabile id eſſe de fide certum, utpotè revelatum ſaltem implicitè, & virtualiter in illa propoſitione: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Neque enim illa verba ſunt reſtricta ad ſolam perſonam Petri, ſed in Petro dicta ſunt, etiam Succeſſoribus Petri; ſicut eis pariter in Petro eſt dictum, *confirma fratres tuos:*

tuos: ergo, ſicut eſt revelatum in illis, quod Succeſſores Petri ſint ex Cathedra infallibiles, nec obſtat, quòd Chriſtus alloquens Petrum ejus nomen expreſſit: ita quoque revelatum eſt, quòd ſint perſonaliter infallibiles; nec obſtare debet ly *tua* Inſtant. Ergo eſſent hæretici, qui ſentiunt oppoſitum. Quod durum eſt aſſerere.

Reſp. Non ſunt hæretici, quia propriam opinionem non ſuſtinent cum pertinacia; & parati ſunt parere Eccleſiæ Definitioni.

Verùm. Si non ſit de fide, eſt tamen certum certitudine infallibili infra fidem, juxta dicta, & dicenda.

7 Probatur 2. Sententia contraria aptiſſimum fundamentum prębet prudenter dubitandi, quòd decreta, à Pontifice edita ex Cathedra, non ſint infallibilia: ergo reiici omninò debet, & noſtra tenenda eſt. Probatur antecedens. Præbet fundamentum dubitandi, an ſint edita ex aſſiſtentia Spiritus Sancti: ergo, &c. Conſequentia ſequitur, quia tota infallibilitas Decretorum pendet ex aſſiſtentia Spiritus Sancti: Ideò enim Pontifex non poteſt in materia fidei, & morum Eccleſiæ aliquid falſum proponere, quia Spiritus Sanctus ei aſſiſtit, eumque ita dirigit, ut errorem proponere non valeat. Probatur antecedens. Poſſent Fideles dubitare, an Papa definiens eſſet caput Eccleſiæ, & haberet juriſdictionem. Probatur hoc; poſſent dubitare, an inciderit in hæreſim perſonalem: ergo, &c. Conſequentia ſequitur, quia, ut Doctores ajunt, Papa ſtatim ac, ut perſona privata incideret in hæreſim, defineret eſſe caput Eccleſiæ, & omnem juriſdictionem amitteret; quoniam, ut inquit Guarnieri *de Eccleſ. milit. lib.* 2. *c.* 10. *nu.* 10. Poteſtas Eccleſiaſticæ juriſdictionis fundatur ſuper fidem, nec Chriſtus priùs promiſit Petro Pontificatum, quàm in eo agnoverit confeſſionem fidei ſuæ divinitatis, expreſſam à Petro his verbis: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: ergo, amiſſa fide, quæ per hæreſim perditur, poteſtas amittitur juriſdictionis Pontificiæ. Tum quia quilibet eo ipſo, quòd pertinaciter labitur in hęreſim, disjungitur, & ſeparatur à Corpore Eccleſiæ; nam perdit fidem, quæ eſt formale conſtitutivum Eccleſiæ, & membrorum ejus, ut diximus *contr.* 2. *cap.* 2. *&* 3. & tradit Gravina *p.* 2. *tom.* 3. *libr.* 4. *contr.* 1. *art.* 2. Fides enim eſt principium, & fundamentum juſtificationis animans Eccleſiæ membra, ſecundùm quod dicit Apoſtolus ad Epheſ. 3. *Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris*. Quod ponderans Auguſtinus, *de fide, & operib. cap.* 16. dixit. *Si autem Chriſtus eſt fundamentum, proculdubio, & fides Chriſti: per fidem quippe habitat Chriſtus in cordibus noſtris*. Et inde Papa per hæreſim internam defineret eſſe caput Eccleſiæ carens forma, quæ eſt conſtitutiva membri Eccleſiæ. Quomodò autem poteſt intelligi, ut quis ſit caput corporis Eccleſiæ, cujus non modò membrum non eſt, ſed nec etiam in corpore ipſo, ſed extra?

8 Ita ibi notavimus hęreticos, etiam occultos non eſſe membra Eccleſiæ, quia, fide perdita, per quam ſit prima unio ad Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, membra Eccleſiæ eſſe deſinunt; nec meritò ſunt de Eccleſia, quamvis corpore videantur eſſe in Eccleſia. In quibus planè remanet character baptiſmi, ut agnoſcantur deſertores militiæ Chriſtianæ; per quem ſolùm poſſunt dici pertinere ad Eccleſiam, non ut illi ſimpliciter incorporati, ſed ut incorporandi, ſi redeant: non redeundo, ut rebelles, & transfugæ puniendi.

Dicunt 1. Fideles tenentur in caſu Pontifici parere. Nam Papa factus hęreticus, non illicò perdit juriſdictionem, ſed eſt ab officio capitis, ab Eccleſia, probata hęreſi, deponendus.

9 Contra. Hoc ſolùm concludit Fideles, donec de hæreſi conſtet manifeſtè teneri Pontifici definienti obedire: nam eſſet in pacifica poſſeſſione Magiſterii, & Præfecturæ Eccleſiæ; ſed inde non ſequitur, quod ab ipſo definita ſint in ſe infallibi-

libi-

libilia. Nam, in ſententia de hęreſi perſonali, potuiſſet in eam eſſe lapſus, atque adeò aſſiſtentia Spiritus Sancti carere ad definiendum, qui planè hæretico non aſſiſtit; & hinc apud Deum eſſe juriſdictione deſtitutus; & idcircò proponere Eccleſiæ, ut à Deo revelatum, quod revelatum non foret: indeque ſequeretur, quòd tota Eccleſia, quæ ei obedire teneretur, erraret; Quod hęreticum eſt aſſerere; cùm Ipſa teſtimonio *Pauli 1. ad Timoth.3. ſit columna, & firmamentum veritatis*: & recurrit argumentum ſupra *nu.7.*

Repetunt. Deus in caſu provideret, ne definiret.

Contra. Sententia, quam impugnamus, recurrit ad miraculum ſine neceſſitate; Ad quod in noſtra non cogimur. Quippe, cùm Pontifex ab hæreſi perſonali ſit immunis, non eſt imaginabilis caſus, quo ex Cathedra poſſit alios hęreſim docere. Propterea opus non eſt, ut Deus novo miraculo eum impediat, ne definiat, ſed ſufficit, ut, vi antiquæ promiſſionis in Petro factæ, aſſiſtentiam conferat ad proponendum; & tunc neceſſariò verum docebit.

Proinde. Noſtra eſt conformior modo operandi ordinario divinæ Providentiæ. Nec cogimur ea incommoda admittere, ad quæ infallibiliter adverſarii trahuntur.

Dicunt 2. Juriſdictio poteſt conſervari ſine fide, alioquin Sacerdos hæreticus non poſſet in articulo mortis, nullo alio Sacerdote fideli præſente, abſolvere moribundum.

10 Contra. Jam *Offic.Cur. Eccleſiaſt.cap.2.nu.19.* dixi ex mente Sac. Cong. Concilii. Sacerdotem excommunicatum denuntiatum non poſſe, in eo articulo, & neceſſitate, moribundum abſolvere, & ibi adduxi ipſius Sac. Congr. reſolutionem; quæ potiori ratione concludit de hæretico, etiam occulto, qui propter hæreſim eſt quavis juriſdictione, & beneficio in conſcientia, & apud Deum privatus. Quin etiam admiſſo caſu, ideò Sacerdos tunc abſolveret, quia Eccleſia, quæ juriſdictionem confert Confeſſariis, ſuppleret in bonum Fidelium. Quæ tamen cum Papa hæretico ſupplere non poteſt, cùm non ipſa Papæ juriſdictionem tribuat, ut alibi diximus. Si recurras ad Deum, vim pariter obtinent ponderata ad priorem inſtantiam.

11 Probatur 3. Si poſſet Pontifex in hæreſim perſonalem prolabi, non habemus certum, & infallibile medium ad confutandos hæreticos, & reprimendos ſchiſmaticos; hoc autem non eſt dicendum; aliàs Deus neceſſitati ſuæ Eccleſiæ non benè providiſſet; ſiquidem ejus hoſtes revinci non poſſent; ergo, &c. Probatur ſequela; nam ad quancunque definitionem, & dogmatis propoſitionem hæreticus ſe opponeret, allegando incertitudinem definitionum; & rideret diſtinctionem de infallibilitate Cathedræ, & non perſonæ: cæcus enim nequit cæcum ducere.

12 Probatur 4. Plures Pontifices docent Romanum Pontificem in fide nunquam perſonaliter erraſſe: ergo, &c. Probatur antecedens. Agatho *in Epiſt. ad Imperatores Heraclium, & Tiberium*, quæ lecta eſt in ſexta Synodo, hæc habet: *Dictum eſt Petro; ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit: quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt cognitum.* Ubi Agatho defendit Honorium, tum ab errore perſonali in fide, tum ab illo ex Cathedra, prout à Monothelitis accuſabatur.

13 Cùm Paſchalis XI. neceſſitate compulſus, & ad liberandos ſe, ac Romanos captivos, & ad impedienda incendia, rapinas, & cædes; Henrico V. Imperatori conceſſiſſet privilegium Inveſtiturarum, per vim ab Inperatore extortum, convo-

cavit Concilium in Laterano (quod 111. dicitur) in quo, ubi ſe malè egiſſe confeſſus eſſet, & privilegium damnaſſet: *Brunus Signinus Epiſcopus dixit. Gratias agamus omnipotenti Deo, qui Dominum Papam Paſchalem, qui præſenti Concilio præſidet, audivimus proprio ore damnantem illud privilegium, quod pravitatem, & hæreſim continebat.* Ad hęc quidem cavillatoriè ſubjunxit: *qui illud fecit, hæreticus fuit.* Joannes autem Cajetanus *ad hæc commotus, Signino reſpondit, Tu nè, & hic, & in Concilio, nobis audientibus, Romanum Pontificem appellas hæreticum? Scriptum, quod fecit Dominus Papa malum quidem fuit, ſed hæreſis non fuit.*

Ad hæc *patientia Domini Papæ, horrendo hæreſis nomine pulſata, expergefacta eſt, & manu Silentium indicens, diſſidentium clamores, & murmura tali ratione compeſcuit: Fratres, & Domini mei, Eccleſia iſta nunquam habuit hæreſim: immò hic omnes hæreſes Eutychiana, & Sabelliana contrita, Photinus, cæterique hæretici deſtructi ſunt. Pro hac Eccleſia Filius Dei in paſſione ſua oravit, cùm dixit: ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Apud Bail. *Sum. tom. 2. in ſæcul. 12. Concil. Lateranen. 3. & Lauræa cit. num. 156.*

Si autem, ſubinfert Laurea, poteſt Pontifex eſſe hæreticus, inutiliter Paſchalis ſe eo argumento defendiſſet: Nam Signinus potuiſſet reſpondere: *Eſtò alii non ſint lapſi in hæreſim, quid inde? Nos te accuſamus lapſum:* ergo probatio Paſchalis concludebat de impotentia, etiam labendi: aliàs Signinus non acquieviſſet. Sicut Si quis diceret: *mei majores nunquam commiſerunt homicidium: ergo nec ego:* non admitteretur pro innocentia, immò ut in ſufficiens probatio ab jure repelleretur. Ergo dicendum, quod Paſchalis intellexit de impotentia labendi, & quidem perſonaliter; nam ſanè, neque Signinus poterat arguere de hęreſi Paſchalem definientem ex Cathedra, aliàs ipſe hæreticus fuiſſet, putans Pontifices poſſe ex Cathedra errorem docere. Tum quia in caſu, Paſchalis, non ut Magiſter Eccleſiæ proceſſerat, ſed ut perſona privata, ut in dicto Concilio ſe expreſſit his verbis. *Feci pro liberatione Populi Dei: Feci autem, ut homo, quia pulvis ſum, & cinis. Ibidem* Bail.

Dices. Spondanus *Epit. to. 2. ad an. 1111: num. 6.* refert multos Sanctos Pontifices, alioſque Inveſtituras hæreſim vocare: ergo quia Paſchalis Inveſtituras conceſſit, hęreſim admiſit.

14 Reſpondetur. Etiam Simonia dicitur hæreſis, *cap. Quoties de ſermon.* cap. *qui ſtudet 1. q. 1.* cùm tamen propriè, & formaliter non ſit hęreſis; ſed hæreſis appellatur per ſimilitudinem, quatenus Simoniacus taliter operatur, ac ſi exiſtimet Dona Spiritus Sancti poſſe pecunia poſſideri; & cum hęreſi tunc conjungitur, ſi id intellectus judicet. Ita actus inveſtiendi à Laicis exercitus, hæreſis propriè non eſt, ſed aſſerere, & defendere debere Laicos concedere Eccleſiarum Inveſtituras, ſine hæreſi eſſe non poteſt, ut ibi Spondanus. Hoc ſecundum Paſchalis unquam dixit.

15 De Inveſtituris egi *Offic. Cur. cap. 29. nu. 10.* Verùm occaſione inſtantiæ opus eſt hic de illis nonnulla notare. Inveſtitura itaque erat, *immiſſio per Laicam poteſtatem in poſſeſſionem feudorum, Eccleſiis adnexorum;* quæ quoad Epiſcopos, & Abbates fiebat, dato per Principem annulo, & baculo paſtorali, ac exacto ab illis juramento. De Inveſtituris hæc dixit Auctor *vitæ S. Othonis Epiſc.* Bambergen. *cap. 3. Quoties Epiſcopus aliquis deceſſiſſet è vita, Eccleſia, cui præfuerat, baculum, & annulum ad Imperatorem tranſmittebat, ab ejus aula petens ſibi dari Epiſcopũ.* Et Auctor *tr. general. de regal. l. 1. c. 6. n. 7.* ſcribit duo Romanos Pontifices in inveſtituris improbaſſe. Primum, quòd per traditionem annuli, virgæque paſtoralis, & ante Epiſcopi conſecrationem fierent. Unde conſequens erat, ut ipſam dignitatem, officiumque Epiſcopale Imperatores,

res, aliique Principes Laici conferre viderentur. Et eò faciliùs, ut ait *nu.6.* in eam opinionem homines adducebantur, quòd Principes Inveſtiturarum obtentu, electiones evertebant, & Epiſcopatus, atque Abbatias, quibus libitum erat, conferebant. Secundum, quòd Epiſcopi fidem, & homagium (propter feudum Eccleſiæ adnexum, quod regalia dicebatur, & mortuo Epiſcopo ad Principem revertebatur) perinde ac cæteri Vaſſalli flexis genibus manibuſque junctis, atque intrà manus Principum poſitis, profiteri cogerentur. Propter quæ, utpotè ordini Epiſcopali injurioſa, & Epiſcopis indecora, Gregorius *VII.in Synodo Romana V.* eas damnavit, atq; anathemati ſubjecit omnes, quicunque poſteà illas darent, vel acciperent. Quod ſubinde fuit ab ejuſdem Succeſſoribus, Victore III. Urbano II. & Paſchali I. repetitum.

16 Cæterùm controverſia, & quidem maxima, quæ totos quinquaginta Annos Eccleſiam, atque Imperium infeliciter afflixerat, & tot ſceleribus viam aperuerat, anno 1122. Calixto II. Summo Pontifice, in Concilio Generali Lateranenſi I. finita eſt, & pax inter Pontificem, & D.Henricum compoſita: his conditionibus, videlicet, ut Imperatores in omnibus Eccleſiis, & Monaſteriis liberam fieri electionem, & conſecrationem ſinerent. Deinde, ut Feudorum, quæ regalium nomine deſignantur. Inveſtituram, non per annulum, & baculum paſtoralem, ut anteà uſus erat, ſed per Sceptrum darent. Legatur formula; tum ceſſionis ab Henrico, tum novæ conceſſionis factæ à Calixto, in ejus *conſtitut. unic. omnipotens Bullar. to.1.*

Tandem reſolutio videtur poſſe probari *ex cap.Hæc eſt fides 24.q.1.* ubi: *Sancta Romana Eccleſia, quæ ſemper immaculata manſit, &, Domino providente, & B. Petro Apoſtolo Opem ferente in futuro manebit, ſine ulla hæreticorum inſultatione firma, & immobilis omni tempore perſiſtet*: ergo, &c. Conſequentia ſequitur, quia Canonis diſpoſitio procedit de hęreſi perſonali non de propoſitione dogmatis; nam dicitur: *ſemper manſit immaculata*. Quod falſum eſſet, ſi quis Pontificum, in Romana Sede, hæreſi infectus ſediſſet.

17 Circa Canonem obſervandum eſt, quòd à Gratiano tribuitur Hieronymo ad Damaſum *in expoſit.ſymboli*. Verùm, & hìc Gratianus, ſicut aliàs non ſemel hallucinatus eſt. Quoniam prima parte Canonis concluditur libellus fidei à Pelagio Innocentio I. miſſus, & Zozimo redditus, ut apud Auguſtinum *to.10. in appendice*. Secunda verò pars deſumpta eſt ex Marco Papa ad Athanaſium, ut notatur ad calcem in d. Canone.

18 Confirmatur concluſio ex Theodoreto in Epiſt. ad Renatum presbyterum, ibi: *Tenet enim Sancta iſta ſedes gubernacula regendarum cuncti Orbis Eccleſiarum; quia ſemper hæretici fętoris expers manſit, nec ullus unquàm, qui contrarium ſentiret, in ea ſedit; quin potiùs Apoſtolicam gratiam puram cuſtodivit; quare, quæ ab iſto veſtro Tribunali proficiſcentur, qualiacunque erunt, judicii veſtri integritate confiſi, complectemur.* Hìc duo Theodoretus dicit: & Apoſtolicam Sedem fuiſſe ſemper expertem hæretici fętoris: & nullum in ea ſedentem contrarium ſenſiſſe: ibi manifeſta eſt diſtinctio Sedis, quod pertinet ad officium, à Sedente, quod pertinet ad perſonam; & tam officium, quàm perſona ab erroris periculo eximuntur; propter quam duplicem rationem fiducialiter recurrit Theodoretus ad hujuſmodi Tribunal, ubi incorruptum judicium exercetur, nedum ex parte officii, ſed & in officio conſtituti, hoc eſt, nedum ex parte prædictæ Sedis Apoſtolicæ, ſed etiam ſedentis in eadem:

Opponunt 1. Sacri Canones ſupponunt Papam poſſe à fide deficere, quod, cùm non ſit intelligendum de Papa quoad alios, ſeù docente ex Cathedra, ſequitur accipiendum eſſe de Papa quoad ſe, & ut perſona privata. Antecedens patet ex *c. Si Papa* 40. *diſt.*

diſt. ubi ſtatuitur Papam à nemine propter quodcunque crimen poſſe judicari, *niſi deprehendatur à fide devius*: ergo Papa, ut perſona privata poteſt in fide errare, quod firmat *Gloſ. in cap. Arecta verb. novitatibus*.

Accedit. Multos Pontifices in hęreſim lapſos eſſe Eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria, ut Marcellinum, Liberium, Honorium, Joannem XXII. alioſque; & in *cap. Anaſtaſius 19. diſt.* narratur Anaſtaſium II. de facto à fide defeciſſe, ex quo conſenſerit erroribus Acacii Epiſcopi Conſtantinop. & voluerit, eum revocare ad ſuam ſedem, à Felice III. meritò damnatum; vel (ut alii ſcribunt) ejus nomen, è Dipthychis ſublatum, reſtituere. Dipthyca erat tabula manualis, in qua nomina mortuorum, & martyrum inſcribebantur ex *Amalthea onomaſt*; ſeù, ut legit ibi Gloſſa, voluerit, ut, pro Acacio in hæreſi defuncto, orationes in Eccleſia fierent. Quod judicio Dei morte præventus complere non potuit: ergo, &c.

19 Reſpondetur. Canon fuit editus à Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino, qui potuit illius opinionis eſſe, & ideò nobis, utpote privati Doctoris, vim non facit, cui majoris ponderis auctoritates oppoſuimus.

Quod ſi opponatur decretum Gratiani fuiſſe à Gregorio XIII. approbatum, ut ex ejuſdem litteris fronti voluminis præfixis, & ideò D. Canonem auctoritatem ex Pontificia approbatione habere, juxta illud, *omnia noſtra facimus, quibus noſtram impartimur auctoritatem, l. 1. C. de veteri jure.* Negamus ab ullo Pontifice fuiſſe volumen approbatum, & confirmatum; conſequenter Canones, quos reportat, non majorem auctoritatem habent, quàm prout reperiuntur in ſuis autographis, ut dixit Rota apud Pegnam *deciſ. 480. nu. 1. 8.* Nec refert, ait; *illos canones recenſeri in decreto à Gratiano compilato, quia cùm Gratianus legis condendæ auctoritatem non habuerit; nec ab aliquo Romano Pontifice liber ille, tanquàm auctenticus, & legalis approbatus fuerit, inde fit, ut quilibet Canon inibi relatus, ex eo tantùm, quòd ibi referatur, non habeat majorem auctoritatem, quam in proprio loco conſiſtens, de ſui natura eſſet habiturus. Nec Gregorius XIII. Gratiani librum, tanquàm legalem auctenticavit; cùm ſolùm emendari juſſerit, & emendationes ſine additionibus, aut detractionibus mandaverit obſervari.* Ita Gonzalez in 1. *decretal. in apparat. numer. 50.* & cum ipſo plures, quos allegat.

20 Reſpondetur. Bonifacius fuerat conſultus; an Papa poſſit in terris ab aliquo judicari? & reſpondit negativè, quia ipſe omnes de Eccleſia judicat. Quem ſolummodò ſubmittit judicio in uno caſu, ſed non abſolutè, ſed conditionaliter, hoc eſt, ſi à fide deviet; at non dicit, quòd poſſit deficere; & inde caſus diſcurritur tantùm ex hypoteſi impoſſibili, vel, ſi fortè, vel per impoſſibile contingeret; tunc enim non judicaretur Papa, ſed perſona, quæ fuit Papa, & propter hęreſim à Papatu cecidit. Ita ex Gravina *tom. 4. part. 2. diſput. 1. art. 1. in append. ad finem*, reſolvens verum, & indubitatum Pontificem habere privilegium indefectibilitatis à fide, etiam perſonaliter, quod Chriſtus ſua oratione promeruit.

Dices. Lex non pro caſu impoſſibili, ſed pro poſſibili conſtituitur, aliàs eſſet inutilis: ergo ſi Canon ſtatuit legem, quando Papa poſſit judicari, caſum poſſibilem ſupponit.

21 Reſpondetur. Negatur Canonem legem abſolutam ſtatuere, de judicio ferendo contra Papam hęreticum: nam diſcurrit per conditionalem impoſſibilem. Conditionalis autem nihil ponit in eſſe, niſi conditio purificetur: in caſu autem conditio verificari non poteſt, propter fundamentum noſtræ reſolutionis. Et ſi quæras, an iſta propoſitio, *Si Papa deficeret à fide, poſſet judicari, habeat veritatem?* Reſpondetur habere veritatem conditionalem. Cæterùm conditionalis verificari non poteſt, quia Deus illi ſemper aſſiſtit. Et hinc jus

Ca-

Canonicum abſolutè non ſuppoſuit caſum poſſibilem contra Leytam. Unde antecedens eſt verum de lege, quæ abſolutè conſtituitur.

22 Ad 2. Canon allegatus eſt confictus, ut habetur ibi in notis, & eſt commune apud Doctores. Eſtque impoſtura Centuriatorum impingentium Anaſtaſio propter enuntiata crimina morte repentina periiſſe. Nam non Papa, ſed Adverſarius Imperator Anaſtaſius morte violenta, ſubitaneaque pœnas hęreſis dedit, fulmine divinitùs proſtratus, ut ſcribit Coriolanus in *Breviar.ad an.*518.

23 Neque in hęreſi communicavit cum Photino, ſed ſolùm, ut refert Spondanus *Epit.ad an.*497. Requiſitus ab eo, ut depravata per vitioſam interpretationem Epiſtola S.Leonis, in germanam integritatem redderetur, ex prototypo Archivii Romanæ Eccleſiæ; quod officium hæretico denegari non debuit, ut hac forma eum reduceret ad unitatem Eccleſiæ Romanæ. Neque potuit revocare ad ſuam Sedem Acacium. Etenim hic obiit an.487. apud eumdem *ad d.an.* tempore Felicis Papæ, cui ſucceſſit Gelaſius, & huic Anaſtaſius: ergo, cùm jam fato ceſſiſſet, quando Anaſtaſius fuit Pontifex, non poterat à Pontifice ſuæ ſedi reſtitui.

24 Pariter calumnia eſt, quòd Anaſtaſius voluerit nomen Acacii recitari in Eccleſia, quoniam in Epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem, fautorem Acacii prædefuncti, & enixè curantem, ut ejus nomen in Dypthicis Eccleſiaſticis recitaretur, ſcribit. *Precamur itaque clementiam veſtrã, ut ſpecialiter nomen taceatur Acacii, quòd multis cauſis ſcandalum, vel offendiculum Eccleſiæ concitavit, ſpeciali appellatione taceatur*; & plura alia ſubdit apud Lauręam *cit.§.7.nu.*276. Quæ probant Anaſtaſium non propenſum in Acacium, ſed omninò averſum. Si hæc obſervaſſet Dupinus non tanta bili calamum in Pontifices extendiſſet.

25 Falſus eſt quoque Gratianus, dum errorem putat, quòd Anaſtaſius probaverit baptiſmata, & Ordines ab Acacio collatos. Nullus enim ignorat baptizatos ab hæreticis verè eſſe baptizatos, ſi illi ſecundùm ritum rectum baptizaverint; pariter ordinatos ab hæretico validè eſſe ordinatos, ſi tamen ordinator hæreticus verè Epiſcopus fuerit, & ſubſtantialia ſervaverit.

Circa exempla Marcellini, Liberii, Honorii, & Joannis XXII. dictum eſt *contr. praeced.cap.4. in ſuis locis*. Sed adversùs Joannem Dupinus repetit, Joannem miſiſſe in Galliam litteras, quibus petebat, ut poſſet utraque ſententia (de fruitione, vel non fruitione animarum Sanctarum, ante diem Judicii) prædicari, ergo ſaltem, ut probabile cenſuit non viſuras; quod in re erat error in fide, conſequenter erravit.

26 Reſpondetur ad hoc ſatis dictum *loc.cit.à nu.*51.*ad* 55. & per ibi producta evincitur Dupinum falſa narrare. Quin potiùs ipſe nimis probat, dum erroris inſimulat Joannem, ut ex Cathedra definientem, oſtendens ipſum, ut probabilem definiiſſe ſententiam negativam, ut notat Leytam, *diſcept.7.ſect.6.nu.*81.

Urget Dupinus. Adrianus VI. Cùm adhuc non eſſet Summus Pontifex *in* 4. ſcripſit: *Si per Romanam Eccleſiam intelligatur caput illius, puta Pontifex, certum eſt, quòd poſſit errare, etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæreſim per ſuam determinationem, aut decretalem docendo: plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici. Item, & noviſſimè fertur de Joanne XXII. qui hęreſim publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit.* Nec Adrianus ad Pontificatum aſſumptus, librum à ſe anteà editum emendavit.

27 Reſpondetur. Hoc pariter argumentum urget Dupinus contra infallibilitatem Pontificis ex Cathedra. Non negamus Adrianum, cùm eſſet privatus Doctor Lovanienſis, id ſenſiſſe. Verùm pluſne auctoritatis debet obtinere unus Adrianus Lovanienſis Doctor, quàm Sacra Scriptura, Sancti Patres, & Conciliorum,

ac Pontificum definitiones, quibus, ex dicendis *cap. ſequenti*, omninò firmatur infallibilis Romanorum Pontificum auctoritas, in definiendo ex Cathedra? Profectò Dupino religione catholico hoc aſſerendum non eſt. Erravit Adrianus non Pontifex; fortè ſequitur, quòd arguendus de errore ſit ſedens in Cathedra? Ut Pontifex non correxit librum, non emendavit: ergo ne definivit? quæ conſequentia? Tum quia, Pontifices ſæpè permittunt aliquam propoſitionem defendi, expectando majorem opportunitatem ad proſcribendum: fortè errorem tunc definire dicendi ſunt? Abſit hęc imprudens aſſertio, ut exempla ſunt obvia. Deinde, fortè ſententiæ libri, ab Adriano Lovanienſi Theologo editi, ad thronum infallibilitatis evectæ ſunt, per aſcenſum ſui Auctoris ad Cathedram Petri? Quinimò Adrianus Pontifex à ſe, ut Doctore Lovanienſi fuit diverſus: Sic in *conſtitutione ſatis 4. in Bullar.* Fridericum Ducem Saxoniæ hortatus eſt, ut Lutherum dimitteret, ejuſque relictis erroribus, Catholicam fidem ſequeretur. Inter errores autem Lutheri, hic pariter fuit, quod ſenſerit Pontificem poſſe in fide errare, prout ex 27. 28. *&* 30. ut *in conſtitut. 40. Exurge Leonis X.* ibi. Sed hæc ſpectant ad ſequens caput.

Opponunt 2. Plures Pontifices contra fidem errarunt: ergo, &c. Probatur antecedens. Gregorius III. permiſit marito, ob infirmitatem uxoris aliam ducere, ut in *cap. Quod propoſuiſti 32. q. 7.*

Nicolaus I. *in cap. A quodam 4. diſt. de conſecrat.* docuit valere baptiſmum collatum in nomine Chriſti, ſine expreſſione trium Perſonarum. Contra Canonem *multi ſunt d. diſt.*

Stephanus II. Statuit in caſu neceſſitatis, deficiente aqua; valere baptiſmum in vino, ex ipſius Epiſtola cap. 2. adversùs Chriſti inſtitutionem. Stephanus VIII. & apud alios VI. irritavit acta Formoſi Papæ, & ordinatos ab eo juſſit iterùm ordinari: ergo malè ſenſit de charactere, & ordinis iteratione.

Alexander III. ut *in cap. Licèt de Sponſa duorum* teſtatur aliquos ſuos Prædeceſſores judicaſſe matrimonium ratum alio matrimonio, ſi conſummatum ſit, dirimi; ergo vel ipſe, vel ſui Prædeceſſores errarunt, contra indiſſolubilitatem matrimonii:

28 Reſpondetur Negatur antecedens. Ad 1. Gregorius ibi loquitur de impotentia perpetua antecedenti, proveniente ex infirmitate; nam hæc reddit primum matrimonium nullum juxta *caput; Litteris de frigidis*, & concordat Gloſ. in *cap. de libellis 20. diſt. verb. Junioris*, ubi obſervat dictum caput intelligi de arcta. Et debet vir reddere dotem, prout exponit *Gloſ. in verbo opem*.

29 Ad 2. Si ea ratione reprehenditur Nicolaus, reprehendi deberent, & Apoſtoli, qui Actorum 2. *&* 10. in nomine Jeſu Chriſti baptizarunt. Cæterùm ſatis veriſimile eſt Apoſtolos baptizaſſe *in nomine Patris, & Jeſu Chriſti Filii ejus, & Spiritus Sancti*, ut novo nomini major fides, & reverentia concilaretur. Quare germana reſponſio eſt, decretum Nicolai vim ſolùm habere, pro Miniſtro baptiſmatis; ſeù, quatenus definit baptiſmum à Judæo, vel alio non baptizato collatum, valere: Super quò à Bulgaris conſultus fuerat, & reſpondit affirmativè, ſive in hac, vel illa forma baptizaret, juxta varias ſententias, quas ibi non examinabat; ſed probabilis illa etiam erat, quæ aſſerebat valere baptiſmum in nomine Chriſti, ut tenuit D. Ambroſius *lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3.* aliique doctores. Quinimò Cajetanus ſcripſit his etiam temporibus valere, non expreſſis aliis SS. Trinitatis perſonis. Quod tamen non admittimus; Sed hodie practicè ſemper in baptiſmo eſſe ſequendam formam, cum expreſſa trium perſonarum SS. Trinitatis appellatione, ut certum damus.

30 Ad 3. Veriſimile non eſt illud à Stephano fuiſſe reſcriptum; nam de eo ex Anaſtaſio

ſtaſio ſcribit Spondanus *ad ann.752. num.4. Tertio creationis die, cùm à Somno ſurgeret, & ſedens cauſas familiares diſponeret ſubitò alienatus obmutuit, & ſequenti die defunctus eſt*. Propter cujus brevitatem temporis factum eſt, ut à pluribus hic Stephanus dimittatur in Serie Romanorum Pontificum. Hinc alii factum tribuunt Stephano III. & talem baptiſmum probaſſe anno 764. Sed hoc anno Stephanus jam objerat, & ſedem tenebat Paulus 1. Quare Suppoſititium eſt reſponſum, ſive Stephano II. vel III. tribuatur, ut obſervat Juvenim *coment. de Sacramen. diſſert. 2. q. 3. art. 2.* Cùm veriſimile non ſit id Romanum Pontificem latuiſſe, quod nec minores Clerici ignorant, nimirum baptiſmum ſola aqua perfici. Tum quia, ex tribus manuſcriptis, quæ reſponſum illud continent, duo illud tribuunt Stephano II. Tertium verò Siricio Papæ. Et ulteriùs obſervat, quòd qui poſt Stephanum III. ſcripſere, hujus reſponſi ab eo dati memoriam non faciunt.

31 Ad 4. Quod de Stephano narratur adversùs Formoſum, fabuloſum dicitur ab Onufrio *in annotat. ad Palatinam*. Cęterùm de veritate hiſtoriæ plures, & plures teſtantur in hunc ſenſum; quòd ſcilicet Formoſus defunctus à Stephano ſucceſſore fuerit decretus, non legitimus Pontifex; & inde è ſepulchro extractus, ſacris veſtibus exutus, & tribus mutilatus digitis, quibus benedicere moris eſt, & tanquàm indignus ſepultura Eccleſiaſtica in Tyberim projectus; omnia ejus acta Stephanus irritavit, ordinatoſque ab eo iterùm ordinari juſſit, ita Spondanus *Epit. ad an.897.* Bail *tom.2 ſum. ſæcul.9. In Formoſo Pontifice*. Verùm acta à Stephano circa Formoſum fuerunt revocata ab Joanne IX. in Concilio Ravennatenſi apud *cit.* & Petavium *rationar. tempor. lib.8. p.1. cap.9.* Subinde verò Sergius III. Stephano contra Formoſum conjunctiſſimus, & acta Joannis reſcidit, & Stephano adhęſit. Qua in re de Stephano ſcripſit Spondanus ibi: nu.1. *Ita furore percitus homo, non quod jure liceret, ſed quod exæſtuans rabies ſuaderet implens. Non enim fuit error in fide, ſed violenta tyrannis in facto*. Hinc Laurea Bzovius, Bail ſcripſerunt Stephanum, & Sergium non erraſſe in falſa doctrina, ſed ex odio peccaſſe; & de facto, non de jure juſſiſſe ordinatos à Formoſo, iterùm ordinari; quæ juſſio non ex hęreſi, aut ignorantia proceſſit, quaſi cenſerent characterem Ordinis eſſe iterabilem, ſed ex odio in Formoſum, quem putaverant non fuiſſe legitimum Pontificem, ex quo ab Joanne VIII. damnatus fuerat, & coactus jurare ſe in perpetuum cum Laicis communicaturum.

Odium autem ipſorum inde patet, quòd ignorare non poterant fuiſſe legitimum Pontificem, utpote ab univerſali Eccleſia receptum, ut notavit Leytam *p.2. Synop. Eccleſ. milit. nu.60.* Et de eo Spondanus *ad an.891. nu.2.* ſcribit laudatiſſimum extitiſſe, tum religione, tum morum integritate, atque Doctrina; & Luitprandus *lib.1. cap.8.* apud Bail. *loc. cit.* hęc habet: *Quantæ autem auctoritatis, quantæque religionis Papa Formoſus fuerit, hinc colligere poſſumus, quoniam dum à piſcatoribus poſtmodùm eſſet inventus; atque ad B. Petri Apoſtolorum Principis Eccleſiam deportatus, Sanctorum quędam Imagines hunc in loculo poſitum venerabiliter ſalutarunt*.

33 Quod attinet ad damnationem Formoſi, factam ab Joanne, idem Spondanus *ad an.883.* narrat à Marino Papa fuiſſe reſciſſa, perperàm facta ab Joanne. Et Formoſum virum laudatiſſimum Epiſcopatui reſtitutum.

34 Quinimò Stephanus ordinans iterùm ordinatos à Formoſo (ſua æſtimatione degradato) non intellexit conferre iterùm characterem Ordinis, ſed gradum, dignitatem, juriſdictionem, & miniſterium. Et enim ordinatus ab Epiſcopo depoſito recipit characterem, ſed ſuſpenſus eſt ab exercitio, & juriſdictione, & gradu; quod ſignificat Luitprandus ibi: *Cunctoſque, quos ipſe* (For-

(Formoſus) *ordinaverat, gradu proprio depoſitos, iterùm ordinavit;* hoc eſt, Stephanus ſuſpendit à miniſterio, & poſteà reſtituit.

35 Ad 5. Non conſtat, qui fuerint illi Pontifices, qui aliter judicarint, & quomodò judicaverint; Siquidem, ut obſervat Gonzalez *in 4.Decretal.cap.3.tit.4.nu.2.* in antiquis collectionibus nulla extat Epiſtola, quæ referat Pontificem decreviſſe, matrimonium ratum ſolvi per conſummatum, poſteà contractum. Quinimò Innocentius III. *in cap.Tuas d. tit.* ad Epiſcopum mutinen oppoſitum reſcripſit, &, non obſtante contraria conſuetudine, ab Eccleſia Mutinen. eſſe ſervandum dixit, *quia id debebat tenere humiliter, & ſervare, quod B.Petri ſedem, & ſuam metropolim ſequi viderit, & docere.* Propter quod Valentia 2.2.d.1.q.1.punct.7.§.41. tradit Alexandrum ibi per exaggerationem loquutum, non quia aliqui ſui Prædeceſſores id licere judicaverint; ſed quia non licere tradit, tanquàm certum, ut quamvis alii Pontifices oppoſitum dixiſſe à nonnullis judicarentur, illis credendum non eſſet. Non tamen quòd poſſent oppoſitum dicere; ad modum quo dixit Apoſtolus ad Galat.1. *Et licèt nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis, preterquàm quod evangelizavimus vobis.*

Opponunt 3. Romani Pontifices poſſunt in multa alia peccata prolabi; ergo, & contra fidem errare, ac hęreſim committere. Conſequentia ſequitur; nam intellectus, & voluntas Pontificis, ſecundùm ſuas vires phyſicas, ſunt defectibiles. Et ubi intellectus adverteret, quòd credere contra aliquod dogma definitum ab Eccleſia, eſſet medium aptum ad aliquod commodum ſibi procurandum, poſſet voluntas ei imperare, ut contrarium crederet; ſicut quia B.Petrus cogitavit negationem Chriſti ſibi utilem ad vitandam mortem, Chriſtum in aula Pontificis negavit. Aſſenſus enim fidei pendet ab intellectu, tanquàm à cauſa elicitiva, & à voluntate, tanquàm à cauſa imperante

36 Reſpondetur 1. Ab Adverſariis quęratur: an Deus poſſit aliquem ab uno ſpeciali peccato incolumen ſervare ob certum aliquem à ſe finem intentum, ei ita aſſiſtendo, ut licèt in alia crimina incidat, in illud non prolabatur? Certè hoc à nullo ſapiente negari poteſt. Hoc nos aſſerimus Deum feciſſe. Petro enim, & Succeſſoribus promiſit, ne in fide, tam ex Cathedra, quàm perſonali deficerent: Illud, ut Pontifex eſſet regula certa, & infallibilis proponendi res fidei: quomodo enim poſſet aliis fidem infallibiliter proponere, ſi ipſe regula firma, & ſtabilis in fide non foret? Alterum verò, ne unquàm dubitari poſſet, quòd ipſe eſſet talis regula, & Caput Eccleſiæ, ut dictum eſt *nu.9.* Neutrum vero ſequitur, ſi in alia crimina prolabatur. Promiſſum verò Chriſti hactenus eſt infallibiliter impletum. Quoniam uſque nunc nullus repertus eſt Pontifex, qui hæreſim, vel alios docuerit, vel ipſe tenuerit. Quamquam nonnulli, ut Petrus, & Marcellinus ob metum mortis externã Confeſſionem negaverint; de quibus tamen benè intelligebatur errorem mentis non habuiſſe. Neque enim illatio tenet à negatione externa Fidei ad errorem internum intellectus, ut cum Auguſtino notavimus *d.cap.4.nu.9.* Et Chryſoſtomus *homil.83. in Matth. Non dixit, non negabis: ſed, ut non deficiat fides tua: cura enim ipſius factum eſt, ne omninò fides Petri evaneſceret.*

37 Reſpondetur 2. Diſtinguitur conſequens: ergo poteſt in ſenſu diviſo à divina aſſiſtentia contra fidem errare, tranſeat. In ſenſu compoſito cum divina aſſiſtentia, & protectione Spiritus Sancti, negatur. Planè potentia intellectiva, & volitiva Papæ, ſecundùm vires ſuas pręciſè ſumpta eſt defectibilis, & inde poſſet errorem contra fidem admittere; verùm, quia à Spiritu Sancto continuò regitur, ut in fide ſit firmus, impoſſibile id eſt. Nec voluntas propter Divinam protectionem, poteſt in-

intellectui imperare, ut contra fidem credat. Sed ad ſummum in occaſione alicujus commodi, ut ore fidem neget, & peccet, non peccato hęreſis. Sed contra externam fidei confeſſionem, ſine errore mentis, ut dictum eſt de Petro, & Marcellino.

Dices. Ergo, ſi Pontifex non poteſt fidem internam per hæreſim amittere, liberè non ſervat præceptum, ei etiam impoſitum de conſervanda fide; & per illius obſervantiam non meretur (nam ad meritum eſt neceſſaria libertas indifferentiæ) quod non eſt dicendum, aliàs Papa eſſet deterioris conditionis, quàm ſi non fuiſſet Papa. Non enim liberè obſervaret, niſi poſſet non obſervare; ſi autem poſſet non obſervare, poſſet fidem amittere; nam non obſervando amitteret.

38 Reſp. Admittentes potentiam phyſicam in Pontifice cum impotentia morali ad perdendam fidem, ſalvant meritum ipſius: concedunt enim cum potentia phyſica in aliquo ad peccandum, & impotentia morali ad non peccandum, meritum ſtare; & exemplificant in Apoſtolis, qui poſt confirmationem in gratia poterant phyſicè non obſervare præcepta, ſed erant moraliter determinati ad obſervandum; & ideò libertate phyſica proxima præcepta obſervabant, & ſingularem diligentiam adhibebant ad non peccandum, ut de ſe ipſo teſtatur Paulus 1. *Corinth.9. caſtigo corpus meum, &c.* & ita cum illa tantùm morali impotentia meritum componebatur.

39 Tamen quia nobis probabile eſt, de fide eſſe, Pontificem immunem eſſe ab hæreſi perſonali; & cùm fidei divinæ falſum ſubeſſe omninò repugnet, excludemus à Pontifice potentiam, etiam phyſicam ad fidem perdendam. Et inde eſt melioris conditionis, quàm cęteri, qui eam poſſunt amittere. Et per aſſumptionem ad ſtatum Pontificium eſt liber à præcepto non amittendi fidem.

40 Neque ei aliæ deſunt rationes merendi, etiam in materia credendi. Quoniam in ſententia communi quilibet Fidelis tenetur, ſaltem ſexies in anno elicere actum fidei circa Myſteria, quæ credenda ſunt neceſſitate medii. Circa hęc myſteria eſt Papa proximè liber libertate indifferentiæ, ut aſſenſum ponat, vel ſuſpendat (nunquàm tamen poteſt illa diſcredere, vel mente negare) & ubi aſſenſum pręſtat, & eſt in gratia, meretur. Quæ eſt aptior reſponſio, quàm prima, magiſque conſona dignitati Pontificiæ.

Opponunt 4. Ex textu *Lucæ 22. Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua;* non probatur Pontifices non poſſe perſonaliter à fide deficiendo aberrare: Probatur hoc, aliàs nedum à fide, ſed & à gratia excidere non poſſent, ſicut non potuit Petrus. Neque enim neceſſe eſt, ut omnia privilegia Petro conceſſa communicentur ſuis Succeſſoribus, ſed ſufficit, ſi habeant ea, quæ neceſſaria ſunt ad generalem Eccleſiæ gubernationem, hoc eſt, infallibilitatem, dum pronuntiant ex Cathedra: ergo licèt Petro data fuerit infallibilitas perſonalis, non tamen, ut tranſiret ad Succeſſores; ergo hæreticus Papa eſse poteſt.

Deinde. Quòd Papa ſit infallibilis circa mores, & ita, ut Eccleſiæ non poſſit proponere turpe, tanquàm licitum, non facit, quin ipſe poſſit peccare: ergo quòd ſit infallibilis in definiendo ex Cathedra circa fidem, non probat, quòd perſonaliter non poſſit circa fidem errare.

Addo. Cùm Auctores Catholici liberant à calumnia omnes Romanos Pontifices de hęreſi inſimulatos, non hoc medio utuntur, quod ut perſonæ privatæ non poſſint in eam prolabi, ſed aliis, ut conſtat ex *d.cap.4.*

Accedit. Si ut perſona privata non poſset Papa in hęreſim incidere, fruſtrà inter Theologos, & etiam Canoniſtas controverteretur, *an Papa per aliquod grave crimen, ſaltem hereſis poſſit deponi, & ab Eccleſia judicari?*

Item

Item. Concilii Conſtantienſis mens fuit, Romanos Pontifices poſſe in hęreſim labi: nam addit formam profeſſionis fidei faciendam à Papa, antequàm ſua electio publicetur, *ut ex Canone* 8. apud Bail.*Sum. Concilior.to.1.in d. Concilio*.

Tandem. Primus, qui pro infallibilitate perſonali Romani Pontificis ſtetit, fuit Albertus Pighius, qui vixit ſub anno 1540. anteà enim in dubium non revocabatur eum poſſe à fide deficere.

41 Reſpondetur. Negatur antecedens. Diſtinguendum eſt in Petro duplex actionum genus. Aliæ reſpiciebant perſonam privatam Petri, non prout erat conſtitutus Caput, & fundamentum Eccleſiæ, & cum ipſo perituræ, quę in Petro terminabantur, & ad ejus Succeſſores non tranſierunt: cujus generis fuit privilegium *ſcribendi libros Canonicos*: *Donum confirmationis in gratia*: *quòd ad ejus umbram ſanarentur infirmi, & ſimiles*; datæ ob privilegium Apoſtolatus, de quibus dicitur *per accidens* in eo ſe habuiſſe, ut erat caput Eccleſiæ. Alię verò promiſſæ, & datæ ſunt Petro, ut capiti, & Paſtori Eccleſiæ, inter quas fuit infallibilitas in fide, tum ex Cathedra, tum perſonalis: in qua Romani Pontifices ſuccedunt, & ſub utraque ratione hæredes ſunt, utpote de genere illarum, quæ ſunt per ſe requiſitæ, ad rationem capitis viſibilis Eccleſiæ, juxta notata.

42 Ad 2. Negatur Conſequentia. Diſcrimen eſt, quia Papa peccans alio peccato, quàm hęreſis, fidem non perderet, quæ per infidelitatem ſolummodò amittitur, ex Decreto Trid.*ſeſſ.6.cap*.15. &, ea amiſſa, Papa apud Deum ſpoliaretur Pontificatu: ſiquidem non tam Pontificatus, quàm Chriſtianitatis fundamentum eſt fides, ut dictum eſt *ſupra n.7*.

Dices, Chriſtus non priùs *Joan.ult.* conſtituit Petrum ſupremum Paſtorem totius Eccleſiæ, quàm triplici illius reſponſione agnoverit amorem, quo ab illo amaretur: ergo, ſicut Papa deſineret apud Deum eſſe caput Eccleſiæ, ſi à fide excideret, ſic pariter, ſi Deum non amaret, & alio peccato delinqueret.

43 R. Negatur Conſequentia. Chriſtus illa publica, & repetita confeſſione amoris Petri erga ſe ejus Dominum, voluit cęteris manifeſtum facere, Petrum maculas præcedentis negationis ſat eluiſſe: quia enim Petrus ter Chriſtum negaverat ex timore, viciſſim exegit ab illo trinam Confeſſionem amoris: Sic ſcribit Auguſtinus *tr.123.in Joan.nu.5*. *Redditur negationi trinę, trina confeſſio, ne minùs amori lingua ſerviat, quàm timori*. Item, voluit oſtendere, quale debebat eſſe officium Paſtoris: ibi ſequitur Auguſtinus: *quid eſt aliud*: Diligis me? Paſce oves meas: *quàm ſi diceretur, ſi me diligis, non te paſcere cogita, ſed oves meas; ſicut meas paſce, non ſicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam, Dominium meum, non tuum, lucra mea non tua*. Quod, & ſucceſſores Petri implere debent: à quo (quod abſit) ſi deflecterent, non ſequeretur eos Paſtores non eſſe, ſed ſolùm regulam canonicam in cura non ſervare. Paſtores enim ſemper eſſent retinendo fidem. Nam Chriſtus oratione ſua tunc oravit pro fide Petri, non pro perſeverantia Petri in gratia; ſi enim pro hoc oraſſet, non multùm profuiſſet oratio Chriſti, quoniam illicò, dictis à Chriſto illis verbis: Ego rogavi, &c. Petrus Chriſtum negando peccavit. Cęterùm poſt receptum donum confirmationis in gratia, eam nunquam perdidit, ſed donum ad Succeſſores non eſt tranſmiſſum ex obſervatis *nu*.41.

Ad 3. Auctores, qui nobis concordant alio modo procedunt. Cęteri, ipſi videant, an de Romano Pontifice ſentiant, ut decet. Eo autem modo utuntur propter Canonem; *Si Papa*; de cujus ſenſu dictum eſt *num*.19.

Ad 4. Hìc etiam, tam quidam Theologi, quàm Canoniſtæ eam quæſtionem excitant propter enuntiata in *d.Canone*, qui quanti ponderis ſit ad concludendam hæreſim in Papa, ibi notavimus.

Ad 5. Cùm Concilium Conſtantienſe con-

congregatum fuerit ad tollendum ſchyſma, quod tot annis Eccleſiam exagitavit, potuit illam formulam profeſſionis ſtatuere faciendæ à Pontifice, non tanquàm de neceſſitate, ſed ſolùm de congruentia, ad removendum nimirum ſcrupulos à Simplicium mentibus, de vera exiſtentia Capitis viſibilis Eccleſiæ. Ita pariter à Paſchali II. in Concilio Lateranenſi III. apud *Bail.cit.* in caſu, de quo *ſupra nu.13.* fuit profeſſio fidei emiſſa, non de neceſſitate, ſed ſola tantùm congruentia; ſub quo titulo forte à nonnullis aliis fuit olim facta; nunquàm tamen ab ullo fuit ad praxim deducta, illa, quæ refertur in *Diurno Romanor. Pontifice*: juxta notata *contr. præterita cap.4.* Cęterùm Conſtantienſe non fuit à Martino V. approbatum, niſi quantum ad decreta, fidei materiam ſpectantia, & conciliariter facta. Nec de eodem Martino in actis legitur, quòd editam profeſſionem fecerit. Non enim Concilium, utpote Pontifice inferius, poterat pro vero, & indubitato Pontifice legem præſcribere, de quo controverſia ſequenti.

Ad ult. Negatur Antecedens. Jugis ſenſus Eccleſiæ fuit, Pontifices eſse ab errore, etiam perſonali, contra fidem immunes, ut ex probationibus noſtris. Albertus primò ſolummodò adversùs nonnullos id negantes modo ſcholaſtico rem probavit, non verò privilegium conſtituit, ut falsò à quodam recentiore, in manuſcriptis illi tribuitur.

Dices. Innocentius III. *Serm.3. de conſecrat. Pontificis*, fatetur ſe potuiſse in fide errare. ibi: *In tantum mihi fides neceſſaria eſt, ut cùm in cæteris peccatis Deum judicem habeam, propter peccatum, quod in fide committitur, poſſim ab Eccleſia judicari.* Ergo Pontifices poſsunt in fide deficere.

Reſp. Quando verba Innocentii non fuerint alterata. Negatur antecedens. Ex textu Innocentii habetur ſolùm poſse Pontifices peccare contra fidem, eam exteriùs negando non verò interiùs illam perdendo ut dictum eſt de Marcellino. Unde conſultò ab Innocentio dictum eſt: *propter peccatum, quod in fide committitur*, & non dixit *hæreſim*. Nec in eo etiam caſu à Concilio poteſt, quantum ad vim coactivam judicari juxta dicta *contr.6.cap.6.*

CAPUT II.

An Decreta Romani Pontificis, edita ex Cathedra, in materia fidei, ac morum ſint infallibilia?

SUMMARIUM.

1 *Cathedra quid ſignificet?*
2 *Pontificem loqui ex Cathedra non limitatur ad ea, quæ proponit eſſe de fide credenda, & nu.7.*
3 *Decreta Romani Pontificis ex Cathedra circa doctrinam fidei, & morum ſunt infallibila.*
4 *Probatur ex Sanctitate Eccleſiæ.*
5 *Securitas non errandi, in corpore Eccleſiæ, oritur ex ſecuritate Capitis.*
6 *Eccleſia circa fidem errare, eſt impoſſibile, ad 7.*
8 *Papa nihil poteſt docere contra Sacram Scripturam.*
9 *Nec errare circa ea, quæ etiam ſunt tantùm juris Eccleſiaſtici.*
10 *Neque in decretis pro una particulari Provincia, ad 14.*
15 *Objecta* ex cap. Quanto de divort. Innocentii III. Et cap. Laudabilem Cęleſtini III. ad 19.
20 *Alia ex decreto Vigilii ſuper controverſia de tribus capitulis, ad 36.*
37 *Alia ex* cap. multorum 27.q.2. *Pelagii II. ad 42.*
43 *Alia ex* cap. Exiit Nicolai III. *Et Extravagant.* ad conditorem, *&c. Joannis XXII. ad 59.*
60 *Alia circa decretum Eugenii IV. ſuper inſtructione Armenorum, ad 71.*
72 *Alia ex definitione Leonis X. circa montes pietatis ad 75.*
76 *Alia ex Conſtitutionibus Sixti V. & Clementis*

mentis VIII. ſupra correctionem Bibliorum ad 83.

84 *Reſolvitur controverſia de Cainan, omiſſo in textu Hebraico, & relato à Luca in ſuo Evangelio ad* 91.

92 *Eſt de fide Romanum Pontificem non poſſe errare in decretis de materia morum.*

93 *De ſenſu Clauſulæ*, noſtra, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate.

QUanti momenti ſit præſens quæſtio, nullus eſt, qui non videat, & quantum utilitatis afferat reſolutio, nemo eſt in facultate Theologica adeò peregrinus, quod non recogitet. Idcircò eſt ſolerti cura examinanda, ad continendam inſolentiam, non tam Calviniſtarum, qui toti ſunt ad abſorbendam omnem Romani Pontificis poteſtatem, ſed quorumdam pariter, qui, eſtò ipſum fateantur Caput viſibile Eccleſię, adhuc tamen ejus definitiones, quanquàm in rebus fidei, & Doctrina morum, tanquàm non eſſent irreformabiles, mordent, & vituperant. Sed

1 Notandum. Quòd Cathedra eſt nomen gręcum, & eſt ſedes excelſa Præſidentis, juxta *Gloſ. in cap. Super Cathedram de ſepult. int. com. verb. Cathedram*. Præter grammaticalem hanc ſignificationem habet methaphoricas, & morales. Ita aliquando ſtat pro dignitate: quo ſenſu, Cathedra Epiſcopalis denotat dignitatem Epiſcopalem, ut ex d. Leone *in cap. Si quis Epiſcopus 7. q. 1. non ſolùm à Cathedra quidem pellatur aliena, ſed carebit, & propria*. Hinc ſedere in Cathedra alicujus Eccleſiæ, eſt eſſe illius Epiſcopum. Sępè ſumitur pro loco, ex quo lex Dei docetur juxta Auguſtinum *tr. 46. In Joannem*. Frequenter refertur ad actum docendi, reſtringiturque ad ſolum actum definiendi infallibiliter, quę ad fidem, & mores ſpectant. Vel, accipitur pro ſuprema auctoritate Romani Pontificis, ut in præſenti, ſive ad docendam Eccleſiam, ſive judicandum de dubiis fidei, & doctrina morum ac factis dogmaticis. Proinde Pontificem loqui ex Cathedra eſt ipſum, à Deo conſtitutum Magiſtrum Eccleſiæ, & hujus regulam viſibilem, auctoritate ſuprema ſui Pontificatus, docere Eccleſiam, quid credere, vel agere debeat, ex Bail. *Sum. Concil. tom. 1. in apparat. tit. de Verbo Dei definit. 8. An extra Concilia. Et Hurtado Theolog. reform. qu. 18. num. 118.*

Juxta hunc modum loquendi conſtat, quando cenſendum ſit Conſtitutionem, vel Decretum Pontificium emanare ex Cathedra, & Pontificem ex Cathedra pronuntiare. Quod obſervandum eſt, ut diſtinguantur ea, quæ, eſtò à Pontifice auctoritate Sedis Apoſtolicæ proficiſcantur, ad Cathedram tamen pertinere non dicuntur; cujuſmodi ſunt, quæ pertinent ad facta merè privata cum jure nullo modo connexa, quæ pendent ex teſtimoniis hominum, quæ ſunt incerta; ut, quod hic Epiſcopus ſit deponendus, ille reſtituendus, &c. Hùc ſpectant, quæ dixit Innocentius III. *in cap. Cùm olim de ſent. & re jud. ſententià Romanæ Sedis poſſe, cùm aliquid fuerit ſubreptum, in meliùs commutari:* In negotiis nimirum purè privatis, & cùm nihil definit, ſed fraude aliquid ab eo extorquetur; ut ſi in petitione obtinendi beneficii exponatur qualitas, quæ in promovendo non ſit, vel taceatur, ob quod incapax redditur.

2 Item, loqui ex Cathedra non arctatur præcisè ad ea, quæ Papa proponit, ut à Deo revelata, & à nobis credenda fide Theologica; quod planè præſtat quoties aliquam doctrinam, vel ut hæreticam damnat, vel definit eſſe de fide; ſed prætereà extenditur ad cętera, quæ proponit, ſeù tenenda, ſeù ſervanda: ut, ſi aliquam Doctrinam proſcribat, ut ſcandaloſam, temerariam, &c. aliquem contractum eſſe illicitū declaret, &c. Doctores enim affirmantes Pontificem non poſſe errare in decidendis dubiis fidei, & morum, diſtinguunt materiam morum à materia fidei; & inde tradunt non ſolùm errare non poſ-

ſe

ſe in materia morum, quando hanc materiam tradit eſſe de fide, ſed pariter eſſe regulam infallibilem in quæſtionibus de doctrina morum, quando eam docet, etiam extra definitionem articuli fidei. In utroque ſenſu, quæſtio hìc agitatur.

3 Dicendum. *Decreta Romani Pontificis edita ex Cathedra, circa doctrinam fidei, & morum ſunt infallibilia*: eſt de fide certum.

Probatur. Quantum ad decreta circa doctrinam fidei: Pontifex eſt infallibilis, definiendo aliquid eſſe de fide: ergo, &c. Antecedens probatur ex *contr. 3. cap. 5. nu. 1. & ſequenti*: ibi videas per totum.

4 Probatur quantum ad Doctrinam morum. Eſt de fide, quòd Eccleſia ſit Sancta, ut in Symbolo: ergo, & quòd Romanus Pontifex ex Cathedra docens, errare non poſſit, in tradenda doctrina morum: conſequenter Decreta ab ipſo ex Cathedra edita circa morum doctrinam ſunt infallibilia. Conſequentia ſequitur. Nam ſi poſſet errare approbando doctrinam pravam, & pernicioſam, tanquàm bonam: & reprobando ſanam, & ſalubrem, tanquàm malam, de neceſſitate, juxta qualitatem doctrinæ, approbaret turpia pro honeſtis, & reprobaret honeſta, tanquàm iniqua. Utrumque autem Sanctitati Eccleſiæ repugnat. Nam Sancta, maximè Eccleſia dicitur, quia profitetur doctrinam Sanctam, hoc eſt, quæ nihil docet falſum, nihil malum moraliter proponit, & Sanctos, non verò turpes mores approbat. At tunc Eccleſia non eam doctrinam, ſed pravam, & pernicioſam, hoc eſt, animabus nocivam approbaret: & tanquàm licita admitteret turpia: & honeſta reprobaret tanquàm iniqua. Siquidem Eccleſia debet audire ſuũ Magiſtrum, cui commiſſum eſt ſubminiſtrare Fidelibus utilis doctrinæ pabulum; Quod ſi non audiat, ei manifeſtè opponitur, quod eſſet grave ſcandalum in Eccleſia.

5 Confirmatur. Non eſt major ſecuritas non errandi in materia morum in reliquo Eccleſiæ corpore, quàm in ſuo capite; quin potiùs è converſo: etenim ne erraret Eccleſia, promiſſio facta eſt Magiſtro, & Capiti. Unde ſecuritas non errandi priùs reſidet in magiſtro, & ex illius ſecuritate reſultat ſecuritas in Eccleſiam. Idcircò *Mat. 16.* dicitur: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: hoc eſt, firmitas Eccleſiæ in ipſa firmitate Petræ innitetur. Et dum pro Petro Chriſtus rogat, *ego rogavi pro te, Petre* Lucæ 22. *pro ejus Eccleſia intercedit*, ut dixit Joannes XXII. *§. 7. in Conſtitut. XI. Redemptionem canonizationis S. Thomæ de Aquino*. Bullar. *tom. 1.* Ergo ideò non poteſt Eccleſia circa mores approbare doctrinam proponentem turpia, nec reprobare illam proponentem honeſta, quia neutrum poteſt proponere ipſius magiſter, & viſibilis regula, à Deo ad ejus directionem conſtituta: mediante qua à Deo ipſa dirigitur, ut neque in fide, vel in moribus erret, quoad Doctrinam, vel approbationem ejus, vel reprobationem.

6 Deinde. Si Papa poſſet circa doctrinam morum errare approbando turpia pro honeſtis, & reprobando honeſta, tanquàm iniqua, Eccleſia neceſſariò erraret circa fidem: Nam fides Catholica docet omnem virtutem eſſe bonam, omne vitium eſse malum. Si autem Papa erraret approbando vitia, & reprobando virtutem, Eccleſia teneretur credere vitium eſse bonum, & virtutem malam. Nam, ut dictum eſt, tenetur obtemperare Magiſtro. Eccleſiam autem errare circa fidem eſt impoſſibile, cùm ſit *columna, & firmamentum veritatis 1. ad Timoth. 3.* cui aſſiſtit Spiritus Sanctus, ne erret.

Reſpondent. Spiritus Sanctus aſſiſtit Pontifici, ne erret, cùm definit circa rem, utrum pertineat ad fidem, non verò in his, quæ ad mores ſpectant.

7 Contra. Sequitur Chriſtum non providiſse ſufficienter ſuæ Eccleſiæ, quam voluit eſse ſine macula, & ruga, ſi Pontifex ſolummodò gauderet infallibilitate proponendi, quæ ſunt credenda fide divina, non

non verò, quæ agenda ſunt; nam in caſu certa, & ſecura eſse non poſset de ſanctitate, & puritate doctrinæ, quam ipſe proponeret tenendam, vel vitandam. Quin etiam, aliàs ipſe non poſset eſse verus Fidelium Paſtor, & Magiſter univerſalis Eccleſiæ, niſi pabulum utilis doctrinæ poſset eis certò infallibiliter, Spiritu Sancto aſſiſtente, communicare: ergo nedum ei Spiritus Sanctus aſſiſtit, cùm proponit res de fide credendas; verùm etiam, cùm aliquem contractum uſurarium, vel Simoniacum declarat, & aliquas doctrinas reprobat, ut contrarias pietati, & bonis moribus.

8 Probatur 2. Papa nihil poteſt docere contra Sacram Scripturam, aliàs de noſtræ fidei ſecuritate actum eſset; quod nedum indoctè, ſed etiam impiè diceretur. Sed Sacra Scriptura docet vitia eſse turpia, & vitanda, virtutem verò eſse honeſtam, & amplectendam; ergo Papa non poteſt docere vitium eſse honeſtum, virtutem verò eſse turpem, & vitandam; aliàs contra Scripturam doceret: cùm non poſset vitium approbare, & præcipere, niſi ſub ratione boni, & honeſti: virtutem verò reprobare, & prohibere, niſi ſub ratione mali, & turpis.

Dicunt 1. Eſtò Pontifex errare non poſſit circa mores per ſe bonos, vel malos; ſeù non poſſit aliquid docere, & præcipere contra jus divinum, & naturale (quæ ſunt immutabilia) nihil tamen præjudicat Sanctitati Eccleſiæ, quòd erret circa mores, qui nec ſunt juris divini, vel naturalis, ſed ſolùm opponuntur juri Canonico, ſeù poſitivo Eccleſiaſtico. Ita ſæpè unus Pontifex leges ab alio ſtatutas mutat. In caſu autem de neceſſitate unum, vel alterum errare neceſse eſt.

9 Contra. Non ſolùm Pontifex eſt incapax erroris circa ea, quæ ſunt de ſe bona, vel per ſe mala; ſed etiam circa id, quod jure Canonico eſt moraliter malum, aut bonum: aliàs recurrit argumentum de Sanctitate Eccleſiæ; Nam tunc admitteret doctrinam, quæ non eſset Sancta; cùm ſancta non ſit doctrina, quæ aliquod turpe, & non ſanctum proponit. Ideò Pontifex, præſuppoſito jure Canonico aſſerente aliquid eſse peccatum, errare non poteſt declarans illius tranſgreſsorem non peccare. Poſset quidem Pontifex relaxare jus illud Canonicum (propter quod actio violatrix illius juris redditur mala) & ita, relaxato jure, jam non eſset mala. At, retento eo jure, non poteſt approbare, tanquàm bonam, & honeſtam violationem illius; ſic enim approbaret formalem inobedientiam ad præceptum, graviter obſtringens conſcientiam, ad obediendum Superioribus juxta præcipientibus.

Dicunt 2. Poteſt Romanus Pontifex errare edendo Conſtitutionem aliquam pro una Provincia; Nam tunc non gerit partes Pontificis, cùm univerſalem Eccleſiam non doceat, nec obliget.

10 Contra. Pontifici, nedum commiſſa eſt cura totius Eccleſiæ, ſed etiam cujuslibet Provinciæ: ergo, ſicut reſpectu totius Eccleſiæ errare non poteſt approbando turpia, & damnando honeſta (quia eſt illius ſuprema regula veritatis) ſic etiã, cùm eadem regula ſit reſpectu cujuslibet Provinciæ, nullo modo errare poteſt ferendo aliquam legem, obligantem aliquam Provinciam. Tum quia, ſi admittatur poſse errare in ſtatutis ſpecialibus proponendo alicui Provinciæ malum pro bono, ut uſuram eſse licitam, Simoniam non eſse prohibitam, videtur admitti eum poſse errare circa totam Eccleſiam. Siquidem Eccleſia haberet tunc fundamentum ad credendum, rem ſic propoſitam eſse bonam, & obſervandam ab illa Provincia, quod judicium eſset erroneum: ergo, ex errore Pontificis circa aliquam Provinciam cogitur Eccleſia univerſalis errare, quod non eſt dicendum. Vide infra *cap.4. numer.13.*

11 Neque poteſt errare in legibus, quæ ſunt de rebus aliàs indifferentibus, hoc eſt, quæ nec ſunt juris naturæ, nec juris divini.

Ita,

Ita, ſi præcipiat jejunium in Adventu, vel communionem Euchariſtiæ in tribus Anni temporibus, errare non poteſt. Quoniam Eccleſia ei tenetur obedire, tanquàm ſupremo Paſtori. Tum quia, non præcipit rem inhoneſtam, aut prohibet bonam. Hinc ſtatim ac ſtatuit aliquam legem, ſive de re, quæ priùs erat ſub conſilio, ut in exemplis adductis; ſive de alia, quovis alio modo indifferenti, nihil aliud facit, quàm conſtituere in materia virtutis actum, quem præcipit; cujus obſervantia eſt tunc neceſſaria ad ſalutem; cùm nullus poſſet eam tranſgredi, quin mortaliter peccet, niſi excuſet parvitas materiæ.

12 Probatur 3. De fide eſt, Pontificem errare non poſſe in paſcendis ovibus: ſed oves non ſolùm doctrina fidei, ſed etiam morum paſcuntur: ergo de fide eſt, in diſcernenda morum doctrina errare non poſſe. Major eſt evidens ex verbis Chriſti, Joan. ult. *Paſce oves meas*, hoc eſt, poteſtatem tibi trado paſcendi oves meas, & proponendi Fidelibus media ſecuriſſima ad paſcua ſalubria, ex ſanis doctrinis, amplectenda; & pernicioſa in pravis Doctrinis exhibita vitanda: Minor eſt ex ſenſu Eccleſiæ certiſſima.

13 Probatur ult. Quòd Pontifex non poſſit errare definiendo aliquid circa mores eſt res definita in Concilio Conſtantiēſi, prout in conſtitut. Martini V. *Inter cunctas 1 in Bullar.* In quo poſt damnatos errores Vvicleffi, & Huſſi, præcipit, ut omnes de illis ſuſpecti inter alia interrogentur. 1. *Utrùm credant, quod illud, quod ſacrum Concilium Conſtantienſe univerſalem Eccleſiam repræſentans approbavit, & approbat in favorem fidei, & ad ſalutem animarum, hoc eſt ab univerſis Chriſti Fidelibus approbandum, & tenendum, aut pro condemnato credendum, & aſſerendum.* Doctrina autem, morum pertinet ad ſalutem animarum; quia ſi doctrina eſt Catholica, viventes ſecundùm eam peccata vitant, & in opera virtutum exeunt; ſi verò ſit prava, pernicioſis moribus ſe dehoneſtant.

Reſpondent, nihil dubii eſſe, quòd Concilia ſint infallibilia, etiam circa mores, quod certum haud eſt de Romano Pontifice, niſi in Conciliis definiat.

14 Contra. Infallibilia eſſe decreta Romani Pontificis edita extra Concilia dabimus pleniùs *cap.* 7. Et Concilia infallibilia nullatenus eſſe, niſi auctoritate Romani Pontificis comprobentur, videbitur *contr. ſequen. cap.* 5. Quod pro nunc reſponſioni ſit ſatis.

Opponunt. Quamplures variorum Pontificum definitiones, & decreta ſe collidunt, quorum unum falſum eſſe oportet: non enim duæ propoſitiones, omninò oppoſitæ, poſſunt eſſe ſimul veræ, ut demonſtrat Ariſtoteles: ergo ſi unus aliquid licere cenſuit, & alter illicitum declarat, opus eſt, quòd unus, vel alter erret; quod item currit, cùm ea Conciliis opponuntur.

I. Objectum.

15 Innocentius III. Et Cęleſtinus III. determinaverunt oppoſita ſuper iſta propoſitione, *uno coniugum ad hereſim tranſeunte, alter, qui remanet in fide, poteſt ad ſecunda vota tranſire*. Definitio Innocentii, quod poteſt, habetur *in cap. Quanto de divort.* Definitio contraria Cæleſtini ponitur *cap. Laudabilem de conver. infid.*

Hìc cenſemus opus omninò eſſe reſponſioni præmittere, quòd ſit maximè dolendum, & quorumdam levitas, ne dicam inſaniam, arguenda, qui tametſi Catholici, Hæreticis tamen ſunt in ſubſidium, quatenus, ubi umbras difficultatum inter Sacros Canones reperiant, & eas facili negotio poſſent in favorem Sedis Apoſtolicæ diſſolvere, & extricare, tantùm abeſt, ut hoc præſtent, quin potiùs ipſi difficultates augent, & magis corroborare ſtatuunt: quaſi eorum laus ſit auctoritatem Romanę Cathedræ proterere. Hinc.

16 Ad Argumentum, negatur contradictoria fuiſſe ab Innocentio, & Cæleſtino determinata. Innocentius in *d. cap.* duo

poſuit. Primum: *Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia Divini nominis, vel, ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit vota, tranſibit: & in hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus.* Si infidelis diſcedit, diſcedat. Secundum. *Si verò alter fidelium conjugum, vel labatur in hereſim, vel tranſeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quòd in hoc caſu, is, qui relinquitur, vivente altero, poſſit ad ſecundas nuptias convolare.* Ratio autem, cur in primo caſu poſſit conjux, qui relinquitur novas nuptias celebrare, non verò in ſecundo, eſt ex eodem Innocentio, ibi: quòd licèt inter infideles verum matrimonium exiſtat, non eſt tamen adeò ratum, ut diſſolvi non poſſit, cùm habeat ſolùm rationem contractus naturalis, & in eo deficiat ratio Sacramenti, quod conſurgit ex matrimonio, in quantum eſt ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia; quæ ratio non deerat in ſecundo caſu, cùm uterque conjugum fuiſſet fidelis: & ideò præter vinculum naturale, & rationem contractus habuit etiam illam Sacramenti. Propter quod fuit ita ratum, & ſtabile, ut poſtquàm fuit conſummatum, nec per profeſſionem religioſam, nec propter hęreſim alterius conjugis potuerit diſſolvi. Profeſſio enim religioſa dirimit ſolùm matrimonium ratum, non conſummatum, ex Trid. *Seſs.24. can.6. de matrim. & can.V.* Definivit propter hęreſim vinculum matrimonii diſſolvi non poſſe.

17 Cęleſtinus in *d.cap.Laudabilem* interrogatus, an Sarraceni poſſent habere in uxores mulieres Chriſtianas, quarum viri fuiſſent ab ipſis Saracenis, ipſis mulieribus cooperantibus, occiſi, quos poſteà ipſæ ad fidem converterunt? Reſpondit, *quod ſi in mortem ipſorum malitioſè fuerint machinatæ* (uxores) *licèt earum ſtudio ad fidem* (Sarraceni) *acceſſerint: tamen nec eis adhærere debent, nec ſunt, ſi adheſerint, etiam tolerandi, cùm tale damnum tali lucro Eccleſia compenſare non velit.* Ideò Innocentius nihil ponit contrarium Cęleſtino. Quippe ille primò firmat poſſe conjugem, qui ad fidem convertitur, ſi alter conjux diſcedat, vel velit permanere, ut diſſuadeat converſum ad fidem, tranſire ad ſecundas nuptias. Secundò, quòd, altero conjugum tranſeunte ad hęreſim, vel apoſtatante à fide, qui remanet, nequit illo vivente, aliud matrimonium contrahere. Cęleſtinus verò poſuit impedimentum ad ſecundas nuptias, prout ex littera quia Eccleſia non vult favere homicidiis, etiam favore religionis. Inter quæ nulla quidem eſt oppoſitio.

Verùm negotium faceſſit, quòd Cęleſtinus in d. *Decretali Laudabilem*, prout recitatur à Gonzalez *in 3.decretal.tit.33.capit.*1. Sententiæ fuit, propter hęreſim, vel apoſtaſiam à fide unius conjugis, vinculum matrimonii diſrumpi: ibi enim allegatur exemplum de marito Catholico, qui à fide apoſtataverat, & indè ejus uxor alteri Catholico nupſerat: ubi Pontifex ſubdit: *non enim videtur nobis, quòd ſi prior maritus redeat ad unitatem Eccleſiaſticam, eadem à ſecundo debeat recedere, & reſignari priori.* Quod ſtatutum eſt adverſùs declarationem Alexandri III. *in cap. Quæſivit de divor.* ubi abſolutè, & non opinativè dixit conjugium inter Catholicos ob unius hęreſim, non diſſolvi; cum quo non cohęret, quod dixit Innocentius in *cit.cap. Quanto*. Quoniam ibi dubitativè loquitur, *non credimus*, quod formidinem non excludit.

18 Reſpondetur. Quòd ſpectat ad Decretalem, prout reportatur à Gonzalez, videtur extra dubium eam ex integro non eſſe Cęleſtini. Etenim in omnibus non concordat cum ea, quæ habetur in volumine Decretalium digeſto à Raymundo, qui fuit oculatiſſimus ipſarum compilator, quas de commiſſione Gregorii IX. in unum, reſecatis ſuperfluis, redegit, prout ex litteris ejuſdem Gregorii volumini prę-fixis. Anteà enim, ipſarum quinque compilationes extabant, in quibus plures Scripto-

pto-

ptores auctoritate privata ipſas Conſtitutiones collegerunt, ut notavit Bail.*to.2. Sum.Concil.ſexta claſ.* & fortè non fideliter, propter quod varietas illa orta eſt. Quæ pariter ex hoc concluditur, quòd in excripta à Gonzalez contraria manifeſtè ponuntur; nàm allegato textui ea repugnant, quibus decretalis concluditur, ibi: *Nos dubitare non ſinit, quin ille, qui ad fidem revertitur, eam, quæ* (per eum) *converſa eſt ad fidem, defuncta prima* (quam priùs duxerat) *ſibi licitè poſſit copulare*. Ubi ponderandum eſt illud, *defuncta prima*, qua vivente, vir ad ſecunda vota tranſire nequaquàm valet. Quæ contrarietas, inducta à nullo eſſe poteſt, quàm ab hoſte Pontificiæ infallibilitatis.

Ulteriùs. Cœleſtinum illius opinionis non fuiſſe, quòd per hæreſim matrimonium ſolveretur, ſignificat Innocentius in *d.cap.Quanto*, in quo dixit, *licèt quidam prædeceſſor noſter ſenſiſſe aliter videatur*; & non dixit: *licèt aliter ſenſiſſet*; ſed licèt ſenſiſſe videatur, ſcilicet illis, qui malè illum ſunt interpretati, vel decretum alterarunt, ut optimè Leytam *clyp.dignit.diſceptat.7.ſect.4.nu.58.*

Vel dicendum Cœleſtinum locutum eſſe de ſeparatione quoad thorum, non verò quoad vinculum.

19 Neque augeatur difficultas, quaſi Innocentius ſit locutus dubitatione; etenim illud *non credimus*, in communi loquendi modo idem eſt ac *judicamus*, vel *certò tenemus*; vel, ſaltem eſt iſtis æquivalens.

Inſtant. Gregorius III. in *cap.Propoſuiſti 32.q.7.* conceſſit, ut vir, prima uxore impotente ob infirmitatem debitum reddere, alium ducat. Quod eſt contra indiſſolubilitatem Matrimonii; & error manifeſtus reprobatus à Tridentino *ſeſſ. 24.de matrim.can.5.& 7.*

Reſp. Quod illo cap. habetur, notat Gloſ. in *cap.Puto ead.cauſa q.5.* eſſe dictum à falſariis. Vel, intelligitur tantùm de Sponſa, non de nupta; & re ipſa textus non legit uxor, ſed *mulier*. Vel, accipitur de arcta cum impotentia antecedente matrimonium, quæ matrimonium invalidat.

Urgent. Auguſtinus *libr.2.contr.* Creſcon.cap.21. dixit: *non debet Eccleſia ſe Chriſto præponere; cùm ille ſemper veraciter judicet*. Ergo Pontifices non ſemper dicunt verum.

Reſp. Dictum Auguſtini ibi non tangit Pontificem: loquitur de privatis Judicibus; unde ſubdit: *Eccleſiaſtici autem Judices, ſicut homines plerunque falluntur*. Quæſtio erat, an validum eſſet baptiſma collatum ab hæreticis; negabant Donatiſtæ propter auctoritatem eorum, qui fuerunt Judices in Conciliis Afris ſub Agrippino, & Cypriano. Hos Judices erraſſe dixit Auguſtinus. Nec Papa ſemper dicens verum in rebus fidei, & morum ſe præponit Chriſto, ſed privilegio infallibilitatis à Chriſto obtento, utitur.

II. Objectum.

20 Vigilius in ſuo decreto, quod dicitur *Judicatum* damnavit tria Capitula in Cōcilio Chalcedonenſi approbata, ut conſtat ex *act.16.* ergo ejus definitio infallibilis non fuit: Opponebatur enim Concilio generali, quinimò, & definitioni Leonis, qui dictum Concilium approbaverat.

21 R. Hìc tangitur famoſa de tribus Capitulis controverſia, quæ diù concordiam Catholicæ Eccleſiæ ſcidit, ac vehementer exagitavit, cujus ordo eſt breviter hìc exponendus, ut inde conſtet, quid in ea Vigilius egerit, & inſtantia diluatur; Verùm priùs adnotandum duximus; quòd ſi quidquam concluderet, & ubi in Chalcedonenſi fuiſſent tria capitula approbata, Chalcedonenſis, & quinta Synodus, quæ capitula illa reprobavit, ſibi ipſis contradicerent, & ita una deſtrueret, quod altera ædificaret; ac proinde nec Pontifices, nec Concilia eſſent regula

proponendi infallibiliter res fidei: adeòque, vel in Mundo nulla eſſet talis regula, ut quibuſdam placuit aſſerere; vel, ſpiritus cujuſque privatus illa foret, quod reprobatum eſt *contr.3.cap.3.*

22 Itaque tria illa Capitula ſunt. Primò, *ſcripta* Theodori Mopſueſteni Epiſcopi, quæ erroris Neſtoriani venena continebant. Secundò, *Epiſtola* Ibæ Edeſſeni Antiſtitis ad Marim Perſam, qua & Cyrillum, ejuſque contra Neſtorium Capitula in Epheſino probata reprehendebat, & Theodorum Mopſueſtenum, ſtrenuum, ut ajebat, fidei defenſorem laudibus exornabat. Tertiò, Theodoreti Cyrenſis Pręſulis adversùs Cyrillum *commentaria*, quibus anathematiſmos illius confutarat. Hujuſmodi opuſcula, damnatis Neſtorio, ejuſque libris in Epheſina, & Chalcedonenſi Synodo, evulgarunt Neſtoriani, ut fidelibus venenum Magiſtri propinarent.

23 Optabant Eutychiani, quòd hæc tria Capitula damnarentur, ut inde concluderent imminutam eſſe auctoritatem Concilii Chalcedonenſis; & conſequenter nullam eſſe hæreſis Eutychianæ damnationem, in ipſomet Concilio proſcriptæ. Ipſis enim videbatur tria hęc Capitula fuiſse in Synodo probata, ex quo Ibas, & Theodoretus, immunes ab hæreſis ſuſpicione, fuerint in ſuas ſedes reſtituti. Ex hoc inferebant Theodoreti, & Ibę contra Cyrillum lucubrationes, & in hujus Epiſtola Theodori commendationem, ac libros, & dogmata comprobaſſe.

24 Hinc Theodorus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus ægrè ferens, Origenis, & Eutychetis damnationem, quibus occultò favebat ſat egit Juſtiniano Imperatori perſuadere, ut tria Capitula publico edicto proſcriberet; quod ut facili negotio obtineret, ei ſignificavit eo pacto Eutychianos ad concordiam Eccleſiæ eſſe redituros. Imperator cupidus reſtituendę pacis, & concordiæ in Eccleſia, edictum contra Capitula edidit, cui aliqui ſubſcripſerunt Prælati. Verùm, quia in eo ſuæ facultatis limites exceſſit, Imperatori obſtitit Vigilius, planè ſciens in Chalcedonenſi illa Capitula, nec damnata, neque approbata; in quem iraſcitur Imperator, & variè eum vexat (erat enim Conſtantinopoli) ut tria capitula damnet. Subinde Pontifex decretum edidit, quod *Judicatum* vocavit (& ab Italis *Conſtitutum* dicebatur) in quo tria Capitula damnavit, ſalva Synodi Chalcedonenſis reverentia. Propter quod alieni ab eo facti ſunt Afri, Illyrici, aliique trium Capitulorum defenſores.

25 Quo Vigilii decreto Juſtinianus minimè contentus, quòd clauſulam illam adhibuiſſet, apud eum inſtitit, ut abſolutè, & ſine ulla mentione Concilii, illa ipſa proſcriberet. Renuit Vigilius, petiitque, ut Epiſcoporum Conciliumconvocaretur; aſſenſum præſtitit Juſtinianus. Fuerunt litteris undique Epiſcopi vocati. Sed Illyricianorum nullus adfuit: parvi ex Africa venerunt. Intereà Vigilius ad compeſcendos tumultus ſilentium partibus indicit, dicens excommunicationis ſententiam in eos, *qui ante univerſalis Concilii tractatum de iſtis Capitulis aliquid feciſſent, aut facientibus acquieviſſent*. Exoratque Imperatorem, ut edictum ſuſpendat: Annuit Imperator, ut hac forma, tam impugnatores, quàm defenſores trium Capitulorum invicem communicent.

26 Verùm longioris moræ tædio, & Theodori Cæſarienſis importunitate victus, contra datam Vigilio fidem, edictum publicè propoſuit adversùs tria Capitula. Cui Vigilius reclamans Imperatoris iram in ſe concitavit, & ſibi metuens ad S.Petri Baſilicam confugit. Et in d.Theodorum trium Capitulorum contra ſuum interdictum damnatorem, & auctorem Imperatorii edicti, excommunicationis & depoſitionis ſententiam tulit, ex Synodo tredecim Epiſcoporum, quos illic coegerat.

27 Propter quod Juſtinianus ira percitus, Prætorem cum manu armata ad Vigilium

gilium mittit; qui à militibus multa ſuſtinuit, & majora fuiſſent timenda, niſi populus commotus milites in fugam dediſſet. Sed poſteà, recrudeſcente perſecutione, clàm Vigilius Chalcedonem aufugit. Ad quem Imperator honorificam legationem virorum principum mittit, qui illum hortarentur, ut, fide interpoſita, Conſtantinopolim rediret. Quod, niſi edicta tollerentur, Vigilius renuit facere.

28 Tandem Juſtinianus Pontificis conſtantia victus, edicta ſuſtulit. Et à Vigilio in gratiam recepti ſunt, libellis fidei, ac pęnitentiæ oblatis, Mennas, Theodorus, aliique: Anno denique 553. Synodus II. Conſtantinopolitana V. generalis celebratur. Cui Vigilius ſępiùs invitatus adeſſe noluit. Nihilominus rogatus ab Imperatore *Conſtitutum* fecit, in quo tria Capitula damnavit, ac ſcripſit Eutychio Conſtantinopolitano Antiſtiti ſe annuere, ut de tribus Capitulis in Concilio tractaretur, ut ex actis Concilii. Quæ Capitula à Concilio fuerunt damnata, ut in Anathematiſmo 12. 13. *&* 14. d. Concilii.

Concilium Vigilius confirmavit, teſte Evagrio *lib.4.cap.33.* Niceph. *lib.17.&* 28. Idque effecit, quia videbat eos jam æſtimari Neſtorianos, qui damnationi trium Capitulorum non conſenſiſſent. Et ubi Fideles agnoverunt Vigilium Concilio adhæſiſſe, & ipſi Concilio adhæſerunt. De approbatione quintæ Synodi S.Gregorius *lib.1. Epiſt.24. ad Joan. Conſtantinopolitanum Epiſcopum* hęc habet: *Quintum quoque Concilium pariter veneror*; Sed de hoc alibi.

Hæc eſt hiſtorica Synopſis de controverſia trium Capitulorum, circa quam multa leguntur in Auctoribus alterata. Videatur Petavius *Theol.dogmat.tom.5.lib.1. cap.18.* Bail. *Sum.to.in d.Concil.* Spondanus *Epit.to.2. ad an.553.* & Coriolanus *in Breviar.* ad d.Annum.

29 Ad argumentum itaque, negamus Vigilium, & quintam Synodum erraſſe damnando tria capitula, quæ Concilium Chalcedonenſe, nec probaverat, neque reprobaverat, ſed ſuſpenderat ſuum de iis judicium; eorum ſolùm auctores Ibam, & Theodoretum in communionem admiſit, ſtatim ac anathema dixere Neſtorio, cum aliis.

Dices. Sed probata in eo illa fuerunt. Nam Theodoretus fuit *in act.8.* Concilii ſuæ ſedi reſtitutus, abſque eorum, quę adversùs Cyrillum ſcripſerat, retractatione; & quid aliud eſt hoc, quàm declarare ipſa eſſe orthodoxa. Item, Epiſtola Ibę Declarata fuit orthodoxa; ſiquidem in Concilio lecta fuit, & ex ea Ibas innocens dictus *Act.* enim 10. *Paſchaſinus, & Leventius, &c. tenentes locum Sedis Apoſtolicæ, &c.* dixerunt: *Relecta enim ejus Epiſtola,* cognovimus *eum orthodoxum*. Cur eos Synodus non adegit, ut à ſe ſcripta anathematizarent? Cur Theodorus anathemati non eſt ſubjectus?

30 Reſpondetur. Admiſit Concilium Theodoretum, & Ibam, ſed ejurato Neſtorio, etiam decies millies, ut Ibas pronuntiaverat. Et inde ſatis Concilium intelligebat eos ſua ſcripta damnaſſe. Quippe, cùm illa Neſtorio faverent, ſatis ſignificabatur ea retractare, ubi anathematizarunt Neſtorium; cum quo conſequens eſt, ut alia reprobaſſent, quæ Neſtorianam hæreſim continebant. Et hæc eſt ratio, cur Synodus de ipſorum libris nihil definierit, & perſonas admiſerit:

31 Quod ſpectat ad Epiſtolam Ibæ, notari debet Pręſides ex parte Sedis Apoſtolicæ non dixiſſe ſe recipere Epiſtolam Ibæ, ſed tantùm ex ea Ibam innoxium declarari. Diſtinguenda ſunt tempora, ut contraria concordentur. Opponebatur Ibæ, quod S.Cyrillum hæreticum appellaſſet, & D.Theodorum hęreticum nimiùm laudaſſet. Reſpondebat Ibas, in Concilio Berythi, apud Bail. *Sum.to.2.in 5.ſæcul.* id à ſe factum, ante initam concordiam inter Cyrillum Alexandrinum, & Joannem Antiochenum; ſed ab eo tempore, quo, opera Pauli Emiſeni, inter utrumque pax compoſita fuit, nunquam accidiſſe. De quo-

quorum pace, cum appoſita conditione, quòd reciperentur duodecim anathematiſmi ipſius Cyrilli contra Neſtorium, Ibas congaudebat in fine *cit.Epiſt.* Ideò finis Epiſtolæ prodebat Ibam, ante Neſtorianum, eſſe orthodoxum; & hinc ex fine Epiſtolę probatus eſt innoxius, ut pronuntiavit Paſchaſinus. Epiſtola habetur in actis V. *Synodi apud Bail.*

Inſtant. Cur igitur fuit Epiſtola in d. Synodo proſcripta? iique anathematizati, qui eam rectam, vel ejus partem dixiſſent?

32 Reſpondetur. Damnata fuit, quia, ut dictum eſt, Neſtorianum errorem referebat, quod omnes Catholici fatentur; & ulteriùs affirmant, ex ipſius fine Paſchaſinum collegiſſe Ibam Neſtorianum non fuiſſe. Circa quod referam, quæ habet Bail. *Sum.tom.1. Concil.Conſtantinop.XI.tit. Controverſia quædam §.de Epiſtol. Ibæ*: *Anathematizentur*, ait, *quoque, qui partem illius rectam eſſe dixerint: Cùm aliqui dicerent in principio eſſe hæreticam, in fine Catholicam, inventa eſt ſapere hæreſim, etiam in fine; licèt cum hoc, etiam appareat Ibam approbare concordiam Joannis Antiocheni cum Cyrillo Alexandrino, qua vera fides firmabatur. Nec enim pars iſtius Epiſtolæ de una, vel altera linea debet intelligi, ſed de aliqua parte, circa principium, medium, aut finem, quæ errorem retinet, di qua ſermo habitus fuerit. Neque enim propter quancunque lineam liber aliquis proſcribitur, ſed propter eas errorem exprimentes.*

A quo etiam ibi in *Concilio Chalcedonen. 2.p.tit.genera argumentorum contra Synodum*, hæc ſcripta fuerunt. *Cur Theodorus quoque anathemati non eſt ſubjectus?* Sed nunquid ſatis intelligi debent ſcripta ſua damnaſſe Theodoretus, & Ibas, cùm Neſtorio clarè anathema dixerunt? De Theodoro autem ratio fuit peculiaris, cur ſiluerit Synodus, quippe pro magno Doctore habebatur ab Orientalibus, & diſſidium timendum erat ex ejus expreſſa damnatione. Unde conſultiùs viſum eſt tunc de eo ſilere, qui poſteà in cit.Synodo V. in anathematiſmis cap.12.fuit anathematizatus, ejuſque ſcripta damnata.

33 Advertendum, quod Synodus ſolùm Theodorum Mopſueſtenum excommunicat, non verò Theodoretum, & Ibam, ut patet ex finali definitione Concilii. Et diſcrimen eſt, quòd hi duo Epiſcopi adhuc vivi, Eccleſiæ ſatisfecerant, & reſipuerant: Quorum ſolùm ſcripta hæretica damnavit; quæ quovis tempore poſſunt, & debent damnari, ne alios inficiant, & in legentes virus ſuum profundant; eſtò, Auctores in unitate Eccleſiæ ea reiicientes deceſſerint; in qua non Theodorus, ſed impęnitens objerat.

Si dicatur. Quòd Theodorus excommunicari non poterat, utpote mortuus, & mortui excommunicari nō poſſint, quia non ſubſunt ampliùs juriſdictioni Eccleſiaſticæ; etenim ampliùs non pertinent ad Eccleſiam viſibilem.

34 Reſpondetur. Cum Bail, quòd mortui poſſunt excommunicari, vel aptiùs declarari excommunicati. Sunt enim quędam delicta, ut notavit Toſtatus *in 4.Reg. ca.23.q.24.* quæ cum morte non extinguuntur, ſed poſt mortem proceditur ad punitionem eorum, quantùm modo humano puniri poſſunt. Conſtat autem Theodorum potuiſſe à Concilio excommunicatū declarari; Nam impęnitens excommunicatus deceſſerat; ſiquidem fuit in errore, & blaſphemia Pauli Samoſatenſi jam pridem de hæreſi damnati, & propterea excommunicati; in quo Theodorus ſine retractatione, & pęnitentia mortuus erat; meritò ergo excommunicatus haberi poterat, atque ita poſt mortem à Concilio declarari excommunicatus, hoc eſt, deceſſiſſe privatum participatione Sacramētorum, fructu ſacrificii, orationum, & ſepultura Eccleſiaſtica. Unde ſi poſt mortem inveniatur quis fuiſſe hæreticus, exhumatur.

Inſtant. Saltem ſequitur, quòd Vigilius fuerit inconſtans; Nam primò tria Ca-

Capitula damnavit, ſubinde ſilentium ſuper iis, ſeù verbo, ſeù ſcripto omnibus indixit.

35 Reſpondetur. Nec inconſtantię reus Vigilius dicitur; ſed de ſumma prudentia, & ſapienti œconomia eſt laudatus. Cùm enim videret turbas in Eccleſia excitari, & ſchyſma eſſet ortum inter Orientales, & Occidentales (iſti enim tria Capitula propugnabant, putantes in Chalcedonenſi approbata) ut inter eos pax componeretur, & ad invicem unirentur, ſilentium indixit, uſquedum Synodus quinta cogeretur ad definienda omnia ſuper his mota dubia. Quod à multis in deteriorem partem acceptum eſt, quaſi jam faveret tribus Capitulis, quæ anteà damnaverat in ſe, & abſolutè expectata, prout damnanda erant ab omnibus, niſi quiſquam pugnare voluiſſet pro dogmate Neſtoriano. Cujus ſententiæ, & quòd Vigilius ea Capitula aliquando defenderit, fuerunt Baronius *ad ann.*546. Spondanus *ad an.*553.*nu.*16. Leytam *cit.diſceptat.*7.*ſect.* 2.*nu.*37. Verùm Vigilium Capitula defendiſſe, aut probaſſe, aliquando non invenitur, ut diximus cum Petavio, & ſequitur Bail *cit.V.Synodo in princip.ver.quid verò*; neque ex quo ſilentium ad tempus impoſuerit, ſequitur, quòd ipſa defenderit, aut Conſtitutum à ſe editum revocaverit, ſed amore pacis id egiſſe concluditur.

36 Obſtitit quidem Edicto Juſtiniani, tum ex quo hic falcem in meſsem alienam miſiſſet, tum ex quo tria capitula damnaſſet, tanquàm fuiſſent in Chalcedonenſi probata, ut nonnulli putabant, & ita intentione lædendi ipſam Synodum. Tum quia, damnabat etiam Auctores, qui in eo damnati non fuerant, ſicut nec in V. Synodo, excepto Theodoro in impęnitentia defuncto; in qua nullatenus fuit Chalcedonenſis lęſa, ſed cautè ſupplevit, quædam ab ipſa minùs explicata. Qui in his nolunt hallucinari, diſcernant ſtatum quęſtionis, & quouſque ſe extendat damnatio, aut definitio capitulorum. De quo nos ſatis. Vide *controverſ.*6. *capit.*4. *numero* 38.

III. Objectum.

37 Pelagius II. edidit Conſtitutionem, quòd omnes Subdiaconi Siciliæ à ſuis uxoribus abſtinerent, quas in minoribus duxerant, aut ab Altari ceſſarent, *cap.Multorum* 27.*qu.*2. quod tanquàm durum, hoc eſt iniquum, ac contra Evangelium, (ut legit Gloſ. *in cap. ante Triennium verb. durum*) fuit à S.Gregorio revocatum, ut *ex d.cap.* patet:

38 Reſpondetur. Gregorius liberavit Subdiaconos Siculos à Decreto Pelagii; ſed quid facit hoc ad quæſtionem de infallibili Romani Pontificis ad res fidei, & morum definiendas auctoritate? Deus legem Circumciſionis à ſe primò juſtè, & Sanctiſſimè conſtitutam, & leges alias cęremoniales veteris Teſtamenti per novam legẽ gratiæ revocavit, quidquam ne hoc derogat infallibili auctoritati Dei? Pelagius ne ea Conſtitutione quidquam præſcripſit, quod eſſet juris divini, vel naturalis? Nec Dupinus cujus eſt objectio affirmabit. Erat Sancta, & veneranda lex à Pelagio conſtituta, intendente munditiam in Miniſtris Altaris. *Si enim* (ut Paulus ait 1. ad Corinth.7.) *ab uxoribus eſt ceſſandum, ut expeditiùs orationi vacemus: Miniſtris utique Altaris, quibus quotidiana neceſſitas orandi incumbit, nunquam coniugali officio vacare permittitur.* Et expreſſiùs *Cap.Epiſcopos, cap. Tenere debet d.diſt.* Concilium Aurelianenſe III. ſub Vigilio Papa *ann.*540. inhibuit, ne Subdiaconi, & Superiores Clerici, proprię uxori miſcerentur. Quod alibi ſæpè legitur ſtatutum; quæ erat conſuetudo Romanæ Eccleſiæ, quod Subdiaconi etiam, temperarent ab uſu matrimonii anteà cõtracti, *ex d.cap. Ante triennium.* In quo idem Gregorius conſtituit *Epiſcopos nullum debere ad Subdiaconum promovere, niſi qui victurum ſe caſtè promiſerit.* Quo itaque titulo potuit Gloſſa Decretum Pelagii appel-

la re *iniquum*, & eſſe *contra Evangelium*, ſi eſt tot ſanctiſſimis legibus, & puritati in Miniſtris Altaris neceſſariæ conſonum?

Dices. Cur ergo illud Gregorius dixit *durum*, & *incompetens*, ipſumque revocavit?

39 Reſpondetur. Fortè quia à Gregorio dictum eſt durum, fuit iniquum? Auguſtinus *contr. Adamant. Manichæum cap.16. num.2.* appellat *Circumciſionem jugum*: ergo lex Circumciſionis fuit iniqua? Abſit hoc à Catholico. *Durum* itaque, & *incompetens* illud Gregorius vocavit, hoc eſt, difficile, ut à quibuſdam ob humanam fragilitatem obſervaretur: multi enim, qui jam cognoverant uxores, difficillimè ſe continebant, & ſeparati ab uxoribus in deteriùs cadebant, ut ex textu. Ad majus malum vitandum, hoc audito, Gregorius eos ab obſervantia Conſtitutionis liberavit. Verùm, ibi etiam dixit laudandos, & remunerandos eſſe, qui poſt prohibitionem Pelagii continenter vixerunt cum ſuis uxoribus: ergo, judicio, etiam Gregorii, lex Pelagii per ſe juſta fuit, licèt per accidens, ex aliquorum malitia, vel fragilitate dura videretur.

40 Quare lex illa fuit juſta, juſtaque cauſa, & fine edita, licèt poſteà, propter adjunctas circumſtantias, minùs congrua videbatur. Et ideò à Gregorio prudentiſſimè fuit revocata. Ea enim eſt legis poſitivæ Eccleſiaſticæ natura, quòd, variatis circumſtantiis, poſſit à ſupremo Paſtore mutari, prout ſaluti animarum cognoverit expedire, juxta Tridentinum *cap.2. ſeſſ.21. de com. ſub utraq. ſpecie*.

Inſtant. Matth.19. Sola fornicatio dicitur cauſa ſeparandi conjuges quoad thorum: ergo ſtatutum Pelagii eſt contra Evangelium. Item adverſatur juri uxorum: ergo fuit injuſtum.

41 Reſpondetur. Negatur conſequentia. Pelagius abſolutè non decrevit, quòd Subdiaconi cum uxoribus non miſcerentur, ſed ſub conditione, ſi vellent Altari miniſtrare: ait enim textus in *d. cap. Multorum: unum ex duobus eligerent; aut certè nulla ratione miniſtrare præſumerent, aut à ſuis uxoribus abſtinerent*. Fornicatio autem eſt cauſa, cur ab Judice Eccleſiaſtico poteſt abſolutè, & perpetuò divortium ſtatui. Verùm præter fornicationem aliæ eſſe poſſunt cauſæ, in quibus conjux innocens poteſt à Thoro, auctoritate Judicis Eccleſiaſtici, dividi; ut, ſi aut vitæ, aut ſævæ cohabitationis, aut ſalutis periculum timeretur. Quo caſu divortium fit jure defenſionis. Nec eſt perpetuum, ſed conjux innocens tenetur ad nocentem redire, ubi periculum deſinit. Quod videtur à Chriſto ſtatutum. Matth.5. *Si oculus tuus*: quod Hilarius, Chryſoſtomus, & Hieronymus exponunt de omnibus peccandi occaſionibus, & inſtrumentis reſecandis apud Du-hamel *Theol. Cleric. tom.3.* De matrim. *diſſert.5. cap.5. nu.7.* Et cùm opponitur, ex Chriſti lege, ob ſolam fornicationem poſſe uxorem dimitti, intelligitur, quòd illa lex ſit libertatis, quatenus innocens poteſt divortium ad vitam petere; ubi altera lex eſt neceſſitatis, cùm ſit reſecanda omnis peccandi materia: & dimiſſio in ſecundo caſu non eſt ad vitam, ſed inſtante periculo. Videatur *cap. Quos Deus 33. qu.2.* ibi: *Non homo ſeparat, quos pena condemnat: quos reatus accuſat, quos maleficium coarctat;* De qua re agunt DD. De matrimonio.

42 Ad 2. Ubi mulieres nupſerunt Clericis, & viris ad Altaris miniſterium dedicatis, tali periculo voluntariè ſe expoſuerant, quòd à Summo Sacerdote (ad quem ſpectat pro majori in res ſacras decentia leges ferre) illud Decretum conſtitueretur, & ideò cenſentur implicitè juri ſuo renuntiaſſe. Idem dicitur, ſi conſenſerunt, ut viri clericali ſtatui ſe manciparent.

IV. Objectum.

43 Nicolaus III. *in cap. Exiit de verb. ſignif. in 6. §. Cæterorum*, definit Chriſtum

Ver-

verbo, & exemplo docuiſſe perfectam paupertatem, quæ conſiſtit in abdicatione omnium rerum, nullo ſibi Dominio relicto, nec in particulari, neque in communi, atque ita talem paupertatem eſſe ſanctam, & meritoriam. Quod eſſe falſum decrevit Joannes XXII. *In Extravaganti ad Conditorem Canonum eod.tit.* docet eſſe impoſſibilem paupertatem, qua quis in rebus uſu conſumptibilibus, abdicet à ſe omne dominium, ſolo uſu facti retento ſine jure proprietatis. *In alia* incipien. *Cùm inter nonnullos d.tit.* declarat eſſe hæreticum dicere, Chriſtum talem paupertatem verbo, & exemplo docuiſſe. Quod repetit ibi *in Extravag. Quia quorundam*, & dominium rerum, quæ uſu conſumuntur, à Nicolao Romanæ Eccleſiæ reſervatum, rejecit: ergo neceſſe eſt, quòd vel Joannes, vel Nicolaus erraverit; at non Joannes: ergo Nicolaus, qui contra Evangelium determinavit: Joannis enim 12. dicitur de Juda: *loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat*: quaſi communis Procurator, & Oeconomus ad ſubveniendum neceſſitatibus Chriſti, & Diſcipulorum, ac ad dandum pauperibus. Unde Auguſtinus *tr.*50. *in Joannem num.*11. dixit: *Quare Dominus habuit loculos, cui Angeli miniſtraverunt? Niſi quia Eccleſia ipſius loculos ſuos habitura erat?* Lucæ 9. Chriſtus Apoſtolis dixit: *Date illis manducare. At illi dixerunt: non ſunt nobis plus, quàm quinque panes, & duo piſces: niſi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam eſcas*: ergo habebant tantum pecuniæ, quæ ſatis erat ad emendos cibos pro quinque millibus. Poſt Aſcenſionem, Apoſtolos poſſediſſe ſaltem in communi, eſt certum: Actor.4. dicitur. *Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*: ergo doctrina Nicolai videtur S. Scripturæ contraria.

44 Hæc objectio eſt Diſſidentium Achilles adversùs infallibilitatem Romani Pontificis. Qui tamen nec Nicolai, nec Joannis Conſtitutiones intellexerunt. Ad quos conciliandos tres oportet quæſtiones excitare.

Prima eſt. *An in rebus uſu conſumptibilibus, poſſit ſeparari uſus ſimplex facti à Dominio?*

Secunda: *An paupertas, quæ omne Dominium à ſe removet, ſolo uſu relicto, ſit Sancta, & meritoria?*

Tertia. *An Chriſtus talem paupertatem verbo, & exemplo docuerit?* Quæ moventur occaſione paupertatis Fratrum Minorum.

45 Quantum ad primam, Joannes negavit ex eo, quòd eſſe Dominum rei, eſt poſſe eam deſtruere quoad ſubſtantiam: conſtat autem Franciſcanum poſſe panem deſtruere: quem deſtruit, dum eum manducat. Item, ſi pane ſine jure uteretur, injuſtè, & iniquè uteretur, ut patet; Nicolaus verò oppoſitum docuit. Quod poſteà confirmatum eſt à Clemente V. in Concilio Viennen.ut in *Clementina. Exivi de verb. Signif.*

Verùm ſimplicem facti uſum in rebus, quæ uſu conſumuntur, ſeparari poſſe à Dominio, eſt certum. Nam Servi utuntur cibis, & veſtibus Dominorum, quin in illis Dominium, vel jus proprietatis, aut civile retineant. Qui nihilominus juſtè, & licitè utuntur, quia de licentia, & voluntate Domini. Ita, Fratres Minores, licitè rebus, quarum uſum facti eis licet habere (non enim omnium poſſunt) licitè, & juſtè utuntur, quia de voluntate offerentium (vel Sedis Apoſtolicæ, quando illi Dominio ſe ſpoliaſſent) utuntur; quin apud omnes in communi, vel ſingulos in particulari ſit ullum Dominium, vel proprietas; in quo eorum paupertas ab ea diſtinguitur, quam aliorum Ordinum Religioſi profitentur, apud quos in particulari eſt ſolùm uſus, & in Religione in communi eſt bonorum dominium: juxta Tridentinum *ſeſſ.*25.*cap.*3. *de Regul.*

46 Neuter verò Pontifex ſibi contradicit. Nam Nicolaus accepit Dominium in ſenſu proprio, Joannes verò in ſenſu lato: quas

quas duas acceptiones Dominium admittit. Dominium itaque propriè, ſeù jus proprietatis, *eſt libera facultas diſponendi de re aliqua, etiam in utilitatem propriam, non impedibilis licitè ab aliis, etiam vendendo, donando, alienando, &c.* Præter hoc proprietatis jus, datur etiam jus civile; quod duo importat. I. Poſſe ſe defendere, etiam civiliter contra quencunque invaſorem. II. Poſſe rem in judicio, & extra repetere à retentore. In quo ſenſu Nicolaus dixit jus ab uſu ſeparari. Fratres Minores utriuſque juris ſunt incapaces, qui tamen circa res ſibi oblatas ſimplicem uſum licitum facti habent, & per uſum res, quæ uſu conſumuntur, licitè conſumunt, quia id agunt dependenter à licentia, & conſenſu Pontificis, potentis abſque ulla injuſtitia adversùs aliquod eorum jus licentiam revocare (per accidens enim eſt, quòd actu non revocet). Eis namque res dantur, ut de voluntate, & beneplacito Dominorum (ſi retineant Dominium) vel Sedis Apoſtolicæ (ad quam ipſarum Dominium ſpectat, ubi Domini illo ſe privant) conſummentur, ut notat Marchant in *regul. S. Franciſci c. 4. tit. 1. q. 3.*

Dominium verò in ſenſu improprio, prout uſurpatur ab Joanne *in cap. Quia quorundam*, idem importat, ac poſſe rem deſtruere, vel non deſtruere; quo ſenſu quidem uſus eſt inſeparabilis à Dominio; nam qui re utitur, uſu eam deſtruit. Verùm hoc non probat ſemper in utente Dominium, & jus proprietatis, prout ex adducto exemplo de ſervis. Ex quibus ad primam rationem Joannis fit ſatis.

47 Ad ſecundam. Joannes pariter alio ſenſu accepit jus, ac Nicolaus. Siquidem hic locutus eſt de jure proprietatis, & civili: aſſeruitque, quòd quis poteſt licitè re aliqua uti ſine illis; ſi nimirùm Dominus concedens rem, Dominium apud ſe retineat, illius ſimplici uſu conceſſo. Joannes verò locutus eſt de jure, prout jus idem eſt, ac licitè, & juſtè; in quo ſenſu idem eſt jure uti, ac licitè uti, & è contra, perinde eſt ſine jure uti, ac non licitè, ſed cum peccato uti. Quod conſtat, *ex d. cap. Quia quorundam*, ubi hæreſim dixit ſententiam aſſerentium, Chriſtum, & Apoſtolos rebus ſine ullo jure, hoc eſt, cum *peccato uſos fuiſſe*. Accepto itaque jure in hac ſignificatione, ab uſu eſt inſeparabile; ſed hoc nihil ad rem.

At difficultas naſcitur, qua ratione poſſit quis re aliqua, juſtè, & licitè, ſine ullo jure uti? vel non habens uſum juris, & utendi?

48 Reſpondetur. Difficultas ex dictis n. 46. ruit. Iterùm autem, duplex uſus diſtinguitur: unus *activus*, & *poteſtativus*, qui convenit cum jure, ſeù facultate utendi inimpedibili ab alio; & idem videtur eſſe, ac Dominium, juſque proprietatis. Alter eſt uſus merè *paſſivus*, & ab aliis dicitur *uſus revocabilis*, quatenus ſemper pendet, ut ſit licitus, à voluntate alterius, potentis revocare licentiam, ac permiſſionem, quod alter re utatur, quoties, & quouſque voluerit: hic eſt omninò adæquatè diſtinctus ab omni ſpecie Dominii, & proprietatis. Verùm cùm ſit terminus juris proprietatis, & concedentis, ut quis re aliqua utatur, operatur, ut utens licitè utatur, ex adnotatis ab Eſparza *Theol. tom. 2. lib. 8. q. 50.*

Difficultas pariter eſt. Cujus eſſent bona, quæ Minoribus offeruntur, ſi Pontifex, & concedens Dominio, & omni juri renuntiarent, prout Joannes renuntiavit in d. *cap. Ad Conditorem*.

49 Reſpondetur. Planè Fratrum non eſſent, qui ex vi ſui Inſtituti ſunt cujuſvis proprietatis incapaces. Propterea in caſu, vel haberentur pro derelictis, ut dixit Marchant *cit. q. 4.* Vel eſſent Dei, dicente Hugone de Dina *in cap. 4. regul. Deo acquiritur, cujus intuitu, vel nomine offertur.* Unde obſervat Exparza *loc. cit. art. 3.* Quòd non apud Minores manſit Dominium ab Joanne rejectum, ſed apud Fideles ſubminiſtrantes eleemoſynas, de quorum conſenſu implicito, vel explicito ſemper revocabi-

cabili, procedebant ad uſum ſibi permiſſum à Domino. Verùm idem Dominium poſt Joannem reaſſumptum iterùm fuit à Clemente V. ubi ſupra, aliiſque Pontificibus.

50 Eſt votum paupertatis, quod Fratres Minores emittunt, adeò ſtrictum, quòd ſi in Mundo ſoli ipſi exiſterent, non eſſent Domini rerum, ſed ubi alii naſcerentur, deberent dependere illi ab eorum voluntate in uſu ipſarum, ut dixit Poncius *Theol.diſp.23.q.8.num.45.* Verùm illis poſſent uti ad uſus neceſſarios; licentiam enim haberent ab jure naturali,quod obligat ad conſervandam vitam: Nam Fratres per ſuam profeſſionem non cenſentur renuntiare juri ſuo, ad res ad hoc ſimpliciter neceſſarias.

Dices. Saltem Joannes erravit reſolvens uſum facti, in rebus conſumptibilibus, à Dominio ſeparari non poſſe.

51 Reſpondetur. Negatur. Nam verum dixerat ſecundùm ſenſum, in quo acceperat Dominium, & jus. Quinimò ejus ſententia non fuit definitiva, ſed ſolùm aſſertiva, ut privati Doctoris. Etenim controverſia erat ſolùm de puncto juris civilis, & non de re dogmatica fidei,aut morum, ut loc.cit.dixit Exparza, & Poncius. In qua ſicut ipſe reſolvit ſententiam ſuam, ita alii Pontifices determinaverunt noſtram. Et conſiderandum, quòd ipſe Joannes in d.cap. *Quia quorundam §. præterea dicant*, dixit aſſertiones *de paupertate Fratrum Minorum, & ſimplici uſu facti, ſeù de Dominio eorum, quæ ipſis offeruntur: quod Summus Pontifex illud ſibi, & Romanæ Eccleſiæ reſervaverit, nec quod illud reſervatum abiicere non liceat, ſi hoc expedire viderit, non pertinere ad fidem, vel mores*. Propter quod declarat, contra definitionem Prædeceſſorum in materia fidei nihil definiiſſe, quia nullus eorum in hac materia paupertatis Fratrum Minorum aliquid de fide decreverat, ut obſervat Lauræa *de fide, diſp.8.art.5,§.10.n.ult.*

52 Quantum ad Secundam quęſtionem. Reſpondetur affirmativè, ut expreſsè dixit Nicolaus *d.cap.§. Cæterorum autem*. In nulla autem Decretalium Joannis continetur propoſitio illi immediatè oppoſita, ut intuenti patet, ut inquit Sanctus Joannes de Capiſtrano in tractatu de *Chriſti, & Apoſtolor.ſanctiſſima paupertate art.6.* Ubi ex inſtituto examinat quæſtionem de concordia Decretalium Nicolai, & Joannis. Ratio autem eſt, quia voluntaria paupertas amore Dei aſſumpta, eſt meritoria, juxta illud *Matth.19.Si vis perfectus eſſe, vade, & vende, &c.* Siquidem alta, & perfecta eſt paupertas, quæ pauca propria propter Deum admittit; altior,quæ nulla habet propria, nec in particulari, eſtò habeat in communi; altiſſima verò, quę nihil habet in hoc mundo, nec in particulari, neque in communi; ut habetur in cit. *cap.Quia quorundam §. Nec obſtat.* Nec Joannes in *cap.ad Conditorem* id ſtrictè impugnavit, ut notat Seſſa *Scrutin. doctrin. cap.3.art.14.nu.64.* Sed ſolùm renuntiavit Dominio earum rerum, quæ in eleemoſynam traduntur Fratribus Minoribus. Quas Nicolaus aſserebat eſse ſub perfecto Dominio, & proprietate Romani Pontificis; quod Dominium, & proprietatem Joannes à ſe abdicare poterat, & de facto propter pravum intellectum, de paupertate Chriſti, à nonnullis tunc temporis uſurpatum, renuntiavit: quin ulla extet contradictio inter præfatos Pontifices, etiam ex infra dicendis.

53 Quantum ad tertiam. Dicimus Chriſtum Dominum aliquando fuiſse; & tenuiſse paupertatem ſtrictam, in qua eſt negatio Dominii in particulari, retento Dominio in communi, quod probat illud *Joannis 12.* in inſtantia allegatum, ubi dicitur Chriſtum habuiſse loculos,ex quibus in communi cum diſcipulis vivebat, dicente Auguſtino *tract.62.in Joan.nu.5. Habebat ergo, & Dominus loculos, & a fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat.*

Aliquando verò docuit paupertatem ſtri-

ſtrictiorem, in qua renuntiatur utrique Dominio, tam in communi, quàm in particulari, quod habetur ex illo Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam:* Dignus eſt enim operarius mercede ſua: Et ex illo *Lucæ* 22. *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Circa quæ ubi ſupra Capiſtranus dixit. *Mihi dicendum pro iſto tempore, quòd Apoſtoli non habuerunt proprietatem, ſeù Dominium alimentorum in communi. Qui prohibiti ſunt pro iſto tempore portare, quod inter alimenta eſt magis neceſſarium: præcepit enim eis, ut non portarent panem; quomodo permiſiſſet eis carnes, vel caſeum, vel vinum, potagium, & alia hujuſmodi? Si panem magis neceſſarium habendum, & portandum prohibuit, & non ſolùm prohibuit pro iſto tempore alimenta immò ad alimentorum portandorum vaſa idonea, quia præcepit non portare peram: Pera namque, ſecundùm Sanctos, eſt vas pro cibis portandis. Pro quo tempore Chriſtus faciendo, quæ docuerat, & ejus Apoſtoli ſervando Chriſti præcepta pro illo tempore data, non poterant emere, nec vendere, nec locare, nec conducere, nec aliqua hujuſmodi facere, quæ ſupponunt Dominium particulare, vel commune, quæ ipſi in rebus eis interdictis minimè habuerunt.*

54 Nec obſtat illud *Dignus eſt operarius mercede ſua*. Nam illud *mercede ſua* ſignificat, populos obligari ad ſuſtentandos Prædicatores; non tamen obligari ſemper ipſos Prædicatores, ut exigant id quaſi debitum, ſed illis permitti juxta Paulum 1. *ad Corinth.* 9. Vivere, vel de ſuarum manuum laboribus, vel de piorum eleemoſynis. Ea fuerant à Chriſto injuncta diſcipulis, quos miſit ad prædicandum Judęis adventum ſuum; idque prohibuit, ne Judæis viderentur cauſa lucri, & non ſalutis prædicare, ut exponit Hieronymus.

Hanc quoque paupertatem Chriſtus exemplo etiam confirmavit, dicens, Matt. 18. *Filius hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet*. Et Lucæ 8. *Sequebantur eum mulieres, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*. Voluit enim eſſe exemplar, tam illis religioſis, qui habent paupertatem ſtrictiorem, ut ſumus nos Franciſcani, quàm illis, qui ſolùm habent ſtrictam, ut ſunt cæteri Religioſi.

55 Utraque admittit Nicolaus ubi ſupra §. *Nec ſuis quidquam*. Expreſsè item legitur in *Extravag. Quia quorundam* §. *Adhuc idem*, ubi Joannes dixit. *Adhuc idem Nicolaus prædeceſſor noſter videtur ſenſiſſe, quòd Chriſtus, & Apoſtoli etiam quoad proprietatem habuerunt aliquid in communi: Cùm enim in ſua declaratione prædicta verba de abdicatione proprietatis dixiſſet, reſpondens objectioni tacitæ, quæ ſibi de loculis, quos Chriſtus habuiſſe in Evangelio legitur poterat fieri, ſtatim, quæ ſequuntur, ſubjunxit. Nec his quiſquam putet obſiſtere, quod interdum dicitur Chriſtum loculos habuiſſe; nam ſic ipſe Chriſtus, cujus perfecta ſunt opera, in ſuis actionibus viam perfectionis exercuit, quòd interdum infirmorum imperfectioni condeſcendens, ut viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas ſemitas non damnaret; Sic & infirmorum perſonam Chriſtum aſſerit in loculis ſuſcepiſſe. Aliàs impertinens de loculis fuiſſet objectio, niſi intellexiſſet Chriſtum, etiam quoad proprietatem loculos habuiſſe. Præterea ſi diceretur Chriſtum in loculis habuiſſe tantummodo ſimplicem uſum facti, fruſtra diceretur, quòd in perſona infirmorum ipſos Chriſtus habuit loculos; cùm ſecundùm eum perfectis etiam conveniat habere ſimplicem uſum facti*. Ergo tantùm abeſt, ait Lauræa, ut Joannes Nicolao contradicat, quin potiùs ipſius declarationem confirmat.

Dices. Ergo, cùr Joannes in *Extravag. Cùm inter nonnullos, & Quia quorundam* hęreticos declarat, pertinaciter affirmantes Chriſtum, & Apoſtolos in rebus, quas Sacra Scriptura eos habuiſſe teſtatur, ſolùm ſimplicem uſum facti, ſine ullo jure tenuiſſe?

Item. Si declaratio Nicolai non oppone-

nebatur Scripturæ, ut quid Joannes in *Extravag. Quia non nunquam* revocavit excommunicationem impoſitam à Nicolao in aliter exponentes *Caput Exiit*, quàm littera ſonat?

56 Reſpondetur. Eos hæreticos declaravit, quia abſolutè affirmabant Chriſtum, & Apoſtolos non habuiſſe aliquid proprii, nec in ſpeciali, nec in communi, ex quo ſequebatur nunquam habuiſſe, quod repugnat Scripturæ, ut notatum eſt. Quod nec dixerat Nicolaus, neque voluit Joannes. Inter quos, inſpecta varietate temporis, & ſtatus, in quibus conſiderabant Chriſtum nulla fuit contradictio. Nicolaus non negat Chriſtum aliquando habuiſſe aliquid proprii, ſaltem in communi, ſed negat ſemper talem vitam egiſſe: ſiquidem pro tempore, quo ſtrictiorem paupertatem docuit, non habuit quidquã proprii, tum in particulari, tum in communi. Joannes verò non negat Chriſtum aliquando fuiſſe ſine proprio in ſpeciali, & in communi: ſed negat ſemper talem vitam Chriſtum egiſſe, adeòut pro nullo tempore jus in bonis habuerit, ut clarè ex textu; & inde Capiſtranus ibi dixit. *Et ſic apparet evidenter, quod Decretales Summorum Pontificum ſupradictorum in nullo contradicunt, immò mutuò ſe confirmant, pro diverſitate rerum, & temporum intellecta*. Propter quod eſt eis aptabile: *Diſtingue tempora; & concordabis ſcripturas.*

Inſtant. Sed Chriſtus nunquam potuit eſſe ſine jure ſuper bonis, quibus utebatur: quippe Deus non poteſt ſe abdicare Dominio, quod ſuper res habet. Chriſtus autem eſt Deus: ergo, &c.

57 Reſpondetur. Nos hìc non loquimur de Dominio illo inviſibili, quod Chriſtus Dominus habet ſuper omnes res creatas, ut Deus, & Dominus univerſorum. Quod profectò non poterat Chriſtus à ſe abdicare. Sed ſermo eſt de illo Dominio externo viſibili, & ſociabili ſuper commune commercium, & converſationem cum hominibus, juxta illud Baruch 3. *Et cum hominibus converſatus eſt*. In qua ſocietate ſæpè rebus uſus eſt, ſignificans ſe in illis Dominium nullum externum habuiſſe ex dictis *nu.*54.

58 Ad Item. Falsò nonnulli putarunt Nicolaum definiiſſe, Chriſtum nunquam habuiſſe Dominium in communi; quod ſanè Nicolaus non definivit, quia eſt hæreticum, & contra Evangelium, ut ex dictis patet. Hanc falſam illorum exiſtimationem condemnavit Joannes. Quoniam verò noverat ſub eadem littera ſæpè multiplicem intellectum latere, & circa declarationem Nicolai dubia excitari, ut magis veritas in prædicto capite contenta apparere poſſet, & ad removenda animarum pericula, pœnam illam uſque ad *Sedis Apoſtolicæ beneplacitum* ſuſpendit, ne eam circa illud diſcurrentes incurrerent. Nec per illam ſuſpenſionem licentiam dedit, quin potiùs diſtrictè prohibuit, ne quis publicè, vel occultè ſcriberet, vel prædicaret, ac obloqueretur contra Regulam Fratrum Minorum. Nec, ſuſpendendo pœnam ad tempus, cenſetur revocaſſe definitum à Nicolao, circa paupertatem Chriſti. Pœna enim poſita, non eſt aliquis articulus fidei, qui revocari, vel ſuſpendi, optimo fine intento, non poſſit.

59 Ubi notandum diligenter eſt, unum Pontificem poſſe definitionem alterius, quando obſcura ſit, in bono ſenſu interpretari, nunquàm tamen mutare quoad ſubſtantiam articuli fidei. Siquidem veritas fidei ſemper invariabilis eſt; aliàs hodie Trinitatem, & cras quaternitatem fide divina credere poſſemus. Quod per ſe abſurdum eſſe, nullus non videt.

V. Objectum.

60 Eugenius IV. in Decreto pro inſtructione Armenorum, *Exultate Deo*, edito in Concilio Florentino inter ipſius Conſtitutiones 19. *in Bullar.to.*1. definit: *Ordinis materia eſt illud: per cujus traditionem confertur ordo; ſicut Presbyteratus traditur per* ca-

calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem. In quo contradicit, tum Tridentino *Seſſ.14.cap.3. De extrema unctione*, quo decrevit Sacerdotes ab Epiſcopis ordinari per *impoſitionem manuum*: Cujus ritus meminit pariter Gregorius IX. *cap. Presbyter de Sacram.non iteran.*tum Clementi VIII. approbanti Græcanicos ritus circa ordinationes: Conſtitutione enim *Sanctiſſimus 33.* ibi to.3. diſponit, quod *Clerici Græci ab Epiſcopis Schyſmaticis ordinati, ſervata debita forma recipiunt ordinationem, ſed non executionem*. Ideò, dum ad Eccleſiæ unitatem redeunt, ordinatio non iteratur. Conſtat autem Græcos, ordines ſacros conferre ſola manuum impoſitione, nulla facta inſtrumentorum porrectione, ut ſcribit Arcudius *tract. de concordia Eccleſiæ, Oriental.& Occidental.lib.6.cap.2.* & alii Patres id referunt. Et quidem eo ritu validè ordinantur; alioquin, quod cogitatu horrendum eſt, in Eccleſia Græca, etiam illa, quæ communicat cum Latina, nulli fuiſſent, & eſſent Sacerdotes: & cogeremur dicere Baſilium, Athanaſium Chryſoſtomum, alioſque illius Eccleſiæ Patres, veros Sacerdotes non fuiſſe. Quo nihil abſurdius. Unde ipſi Romani Pontifices circa ea forma ordinatos, de legitima, & valida ipſorum ordinatione non dubitarunt; immò potiùs, quandoquidem ex Presbyteris, & Diaconis ſic ordinatis, in Epiſcopos, & Cardinales aſſumpſerunt. Et in Lugdunenſi ſub Gregorio X. & Florentino fuerunt Græci admiſſi, ut veri Epiſcopi, quin fuerit eorum iterata ordinatio. Epiſcopatus enim ſupponit neceſſariò Presbyteratum, ex Contenſonio *to.2. Theol.ment. & Cord.lib.11.qu.4. diſſert.2.cap.1.ſpeculat.1. tit.Epiſcopatus*.

61 R. Hac objectione nonnulli ex Theologis victi, in Varia placita abjerunt. Quantum ad ordinationem Diaconi, & Presbyteri plauſibilis eſt, atque ad rem noſtram facit doctrina Eſparſæ *Theol. to.2. libr.10.qu.104.* Hiquæi in *4.diſt.24.qu.unic.* quem ſequitur Bail. *to.1. Sum. in Concil.Flor. tit.de ordinationib.Græcor.* Horum itaq; ſententia eſt, ad validam Sacrorum Ordinum collationem alterutrum, manus nimirùm impoſitionem, & inſtrumentorum traditionem ſufficere. Chriſtus enim neutram determinatè conjunctim, vel diviſim exegit, ſed utramlibet indeterminatè inſtituit, adeòut ad validitatem Ordinis Sacri una, vel altera ſit adhibenda. Quoniam ad materiam ordinis aliud non requiritur, niſi, ut fiat ſigno viſibili, per quod, prolata debita forma, gradus, & poteſtas illius miniſterii ſufficienter repræſentetur, & ordinato collata ſignificetur. Id autem ſignificatur ſufficientiſſimè, tum impoſitione manuum, tum traditione inſtrumentorum, facta ſimul cum prolatione verborum: ergo, tam impoſitio manuum, quàm inſtrumentorum traditio ſeorſim eſt materia proxima ſufficiens, qua validè ſacer ordo confertur: eſtque ſignum ſpiritualis poteſtatis ordinato traditæ. Hùc ſpectat illud Tridentini *Seſ.23.cap.3.de ord.* Quo dixit *Sacram ordinationem verbis, & ſignis exterioribus perfici*. Dixit *ſignis* indefinitè, ut utramque comprehenderet, & alterutram ſignificaret ſufficere. Hæc eſt forma, quam Epiſcopus Græcus, impoſita manu pronuntiat. *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat; & quæ deſunt, ſupplet, promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat in eum gratia Spiritus Sancti, &c.* Quæ verba determinant impoſitionem hanc manuum ad ſignificandam poteſtatem Sacerdotalē, quæ tunc confertur. Verùm eſt expreſſiùs ſignificari apud Latinos per traditionem inſtrumentorum, quæ fit, Epiſcopo formam pronuntiante: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, Miſſaſque celebrandi, tam pro vivis, quàm pro defunctis*.

62 Quòd ſola manuum impoſitio unita formæ ſit ſufficiens materia eſſentialis, ac proinde per eam validè conferatur Diaconatus, & Presbyteratus, patet tum ex dictis in objectione, tum ex Concilio Chartha-

thaginenſi IV. *Canon.* 3. 4. & 5. ubi illius meminit. Tum quia, Apoſtoli *Actor.* 16. ordinarunt Diaconos ſola manuum impoſitione; non enim poterant librum Evangeliorum tradere, cùm horum omnium primum ſcriptum fuerit à Mattheo anno à natali Chriſti quadrageſimo primo, ut notat Baronius, atque adeò annis ſeptem à deſcenſu Spiritus Sancti in Diſcipulos, ut obſervat Cabaſut. *notit. Eccleſiaſt. diſſert. ad Concilium IV. Chartaginen.* Quod Eugenio, & Patribus in Florentino ignotum eſſe minimè poterat. Sicut Patribus Tridentini notiſſimum erat porrectionem inſtrumentorum haberi in Eccleſia Latina, per quam expreſſiùs ſignificatur poteſtas tradita.

63 Propterea Canones, qui nunc de ſola manuum impoſitione loquuntur, nunc de ſola inſtrumentorum traditione, non ſunt intelligendi excluſivè, quaſi una determinatè eſſet materia eſſentialis ex divina inſtitutione; ſed intelligendi ſunt de materia ſufficiente; & quæ in uſu eſt, aut fuit juxta particularem uſum Eccleſiarũ. Propterea cenſendum eſt, nec Tridentinum *cit. ſeſſ.* 14. voluiſſe excludere traditionem inſtrumentorum, nec Florentinum manuum impoſitionem.

Dices. Materia, & forma Sacramentorum debet eſſe in tota Eccleſia uniformis: ergo, vel una, vel altera, & non utraque eſt materia ſufficiens, pro valida ordinatione.

Item. Si impoſitio manuum non eſt materia in utraque Eccleſia neceſſaria, cur Gregorius IX. in *d. cap. Presbyter* diſpoſuit, ut impoſitio manus ſuppleretur? *Presbyter, & Diaconus cùm ordinantur, manus impoſitionem tactu corporali (ritu ab Apoſtolis introducto) recipiunt. Quod ſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenus iterandum: ſed ſtatuto tempore ad hujuſmodi ordines conferendos, cautè ſupplendum, quod per errorem extitit prætermiſſum.*

64 R. In utraque Eccleſia eſt materia Sacri Ordinis à Chriſto inſtituta formalis, & moralis uniformitas; utraque enim, etiam ſeorſim accepta, eſt ſignum viſibile per quod, prolata debita forma, gradus, & poteſtas Sacri Miniſterii ſufficienter repræſentatur, & ordinato confertur. Licèt ſit materialis varietas, quæ tamen non officit valididati ordinationis. Et ſicut Latini de validitate ordinationum apud Græcos per manuum impoſitionem nunquàm dubitarunt; ita Græci in dubium non revocarunt de illa facta apud Latinos per inſtrumentorum traditionem; neque enim unquam conqueſti ſunt de illo Eugenii decreto, neque eo ritu ordinationem factam damnarunt. Quare peccarent quidem Latini, ſi manuum impoſitione ordines conferrent; nam Eccleſia eis præcepit, ut uterentur inſtrumentorum traditione, validè tamen operarentur: ita de Græcis dicendum, ubi adhiberent illam traditionem. Nam unuſquiſque tenetur ſequi conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ juxta præceptum ejuſdem Eugenii in litteris unionis definientis, *in Azymo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdoteſque in altero ipſum Domini Corpus conficere debere, ac unumquemque ſcilicet, juxta ſuæ Eccleſiæ Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem.*

65 Ad idem I. Conſideratur ordinatum in Presbyterum, recipere in ordinatione, Primò, poteſtatem Ordinis in Corpus Chriſti verum, hoc eſt, ad conſecrandum Corpus, & Sanguinem Chriſti, quæ ei traditur, Epiſcopo pronuntiante formam enuntiatam, & porrigente Calicem cum vino, & patenam cum hoſtia; & phyſicè ipſo ordinando tangente; Secundò, ordinis poteſtatem ſupra Corpus Chriſti myſticum, ad abſolvendum à peccatis, quam recipit, dum Epiſcopus erga finem Miſſæ, impoſita manu ſuper Presbyterum ordinatum, dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, &c.* Quo ſenſu Tridentinum *ſeſſ.* 14. *ubi ſupra*, dixit Sacerdotes ordinari manuum impoſitione, quatenus ea character Sacerdotalis extenditur, ut Sacerdos poſſit abſolvere.

66 II.

66 II. Quod, ut patet ex Pontificali Romano Clement. VIII. *tit. de Ordinat. Presbyter.* bis fit manus impoſitio in ordinatione Sacerdotis. Primò, priuſquàm ei porrigatur calix cum vino, & patena cum hoſtia; & tunc ab Epiſcopo nihil dicente manus imponitur ſingulis ordinandis in Sacerdotes, & idem faciunt Sacerdotes ſimul, qui adſunt Epiſcopo. In hac manuum impoſitione non eſt poſita materia ordinis Presbyteratus, teſte Du-hamel *to.3. Theol. Cleric. lib.5. diſsert.21. nu.3.* Quam D. Thomas *in 4. diſt.24. q.2. art.3.* recenſet inter præparatoria ad ordinis ſuſceptionem apud Fagnan. in *1. ad cap. Presbyter n.5.* Secundò, fit Sacerdotibus jam ordinatis in fine Miſſæ ab Epiſcopo tantùm manus impoſitio, proferente verba: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* In ordinatione verò Diaconi ſemel tantùm imponitur manus, hoc eſt, antequàm tradatur liber Evangeliorum, & ſic priuſquàm in Diaconum ordinetur ex d. *Pontific. tit. de ord. Diacon.* Modò, ſi ſecunda manus impoſitio fuiſset prætermiſſa, is cui priùs fuiſſent tradita ab Epiſcopo dicta inſtrumenta, ſimul pronuntiante formam, eſſet verè Sacerdos ordinatus cum poteſtate ſupra Corpus Chriſti verum, abſque tamen ſecunda poteſtate. Hujuſmodi ſecundam manuum impoſitionem, ubi fuerit prætermiſſa, voluit Gregorius eſſe poſteà ſupplendam, ut ſecunda etiam poteſtas detur Sacerdoti.

Nec id probat eſſe materiam requiſitam ad ordinem Presbyteratus, quoad primam poteſtatem, quam ordinandus recipit per porrectionem factam ab Epiſcopo, & Phyſicum contactum inſtrumentorum, per ipſum præſtitum. Ad quam, ſi manus impoſitio eſſet neceſſaria, non ſolùm eſſet hęc ſupplenda, ſed ordo eſſet omninò conferendus, dum fuiſſet omiſſa. Quoniam per omiſſionem eorum, quæ ſunt de ſubſtantia ordinis, character non imprimitur, nec ordo confertur: Unde refert Abelly *Sum. Theol. tom.2. tract.1. cap.7. ſect.2.* Clementem VIII. decreviſſe reordinari ſaltem ſub conditione eos, qui tunc temporis fuerant ordinati ab Epiſcopo Sagienſi, eò quòd nec Epiſcopus illis per ſe ipſum tradidiſſet inſtrumenta Ordinum, nec ordinandi phyſicè inſtrumenta illa tetigiſſent.

67 Et obſervandum Gregorium non dixiſſe ritum ab Apoſtolis inſtitutum, ſed introductum, à Chriſto quidem inſtitutum, ut traditione conſtat, licèt ipſis Chriſtus alio ritu ſecundam poteſtatem tradiderit: *Inſufflavit*, & dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum, &c.* Joan. 20.

Alium concordiæ modum conatus eſt inducere Beccanus de *Sacram. ord. quæſt.4.* Scribens, Eugenium in inſtructione Armenorum meminiſſe ſolùm materiæ accidentalis, & acceſſoriæ, quæ ab Eccleſia fuit inſtituta, non ſubſtantialis à Chriſto præſcriptæ. Plerumque enim Eugenius inter materias Sacramentorum recenſet non tantùm illas, quæ ex inſtitutione divina proveniunt, verùm etiam illas, quæ ex præcepto Eccleſiæ ordinatæ ſunt. Ita cùm recenſet materiam Sacramenti Euchariſtiæ, dicit ejus materiam eſſe *panem triticeum, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet;* Nemo autem affirmat mixtionem eſſe ex divino præcepto, ſed facienda eſt ex pręcepto Eccleſiæ, ex Trid. *ſeſſ.22. cap.7. De Sacrific. Miſſę.*

Verùm apertè Beccanus hìc aberrat à germano ſenſu Eugenii, præſcribentis materiam Sacramenti Ordinis eſſe *illud, per cujus traditionem confertur ordo: Sicut Presbyteratus traditur per Calicis, & Patenę cum pane porrectionem.* Si Eugenius locutus tantùm fuiſſet de materia accidentali, diminutè proceſſiſſet in danda inſtructione Armenis, nullam tradens materiam neceſſariam ordinationis. Quin etiam dicendum eſſet, quòd tradens materiam cæterorum Sacramentorum, ſolùm accidentalem, & non neceſſariam recenſuiſſet, quod neque Beccanus eſt daturus. Tum quia, notabilis eſt illa dictio *per*, quę cau-

cauſalitatem importat. Tum quia, aſſignabile non eſſet, quid eſſet ordinis materia ſubſtantialis. Quod eſſe in re tanti momenti minimè poteſt.

68 Et inhærendo exemplo adducto; expoſitio Beccani extorta cognoſcitur. Sanè in allatis Verbis tam panis triticeus, quàm vinum de vite accipitur ſine ulla controverſia de materia neceſſaria neceſſitate Sacramenti. Ergo, & in caſu dicendum. Nec obſtat exceptio de aqua, quę non eſt materia jure divino neceſſaria, ſed ſolùm de præcepto Eccleſiæ miſcenda eſt; adeòut validè conſecretur vinum, aqua non admixta (licèt peccetur mortaliter, niſi naturalis inadvertentia excuſet) ut probant DD. Quòd autem aqua non ſit de neceſſitate Sacramenti miſcenda, ſignificat Eugenius, qui ibi, recenſita materia neceſſaria, illud aquæ ſeorſim addidit, & infra ait: *Decernimus, ut etiam ipſi Armeni ſe cum univerſo Orbe Chriſtiano conforment, eorumque Sacerdotes in Calicis oblatione paululum aquæ admiſceant vino*. Sciri debet ſeptimo ſæculo Armenos praxim Acquariis prorſus oppoſitam amplexos fuiſſe: Iſti puram aquam conſecrabant; illi purum vinum, nulla aqua temperatũ adhibebant. Utrumque errorem proſcripſit Synodus Trullana *an.692.can.32.* Quare admiſtione aquæ conformitatem Eugenius an. 1439. Armenis ſervandam cum cæteris ſacrificantibus præcepit. Vinum verò præſcripſit de neceſſitate conſecrationis calicis. Verùm eſtò admiſtio aquæ non ſit materia neceſſaria, neque de præcepto divino, eſt tamen de præcepto Eccleſiaſtico, & id negans, eſſet hæreticus, ut in Canon 9.*d.ſeſ.* De qua re agunt DD. in *tract. de Sacram. Euchariſt.* ibi videndi. Siquidem meum non eſt hìc actum agere, & granum in acervum ponere.

69 Nonnulli prò concordia aliam injerunt viam, dicentes Chriſtum Dominum pro materia Sacramenti Ordinis non præfixiſſe materiam in ſpecie, ſed ſolùm in genere; & ita pro ejus materia deſignaſse actionem, ſeù ſignum ſenſibile ſignificativum poteſtatis conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti; relinquendo poteſtati Eccleſiæ, ut rem adhibendam determinaret; Sicut pro materia Sacramenti Matrimonii inſtituit contractum validum; & ipſa invalidum reddit matrimonium clandeſtinum, hoc eſt ſine præſentia Parochi, & teſtium contractum: ergo auctoritate Eccleſiæ poteſt novitas induci circa materias, & formas Sacramentorum. Atque ita etiam circa illam ordinis.

70 Sed hæc ſententia opponitur Tridentino *ſeſſ.25.cap.2. de com. ſub utraq. ſpec.* ubi declarat, *in Eccleſia hanc poteſtatem perpetuò fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, &c.* Nomine autem *ſubſtantiæ* intelligit materiam, & formam, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, ut inquit ibi ſupra Eugenius: ergo nihil poteſt Eccleſia circa materias, & formas Sacramentorum. Neque oppoſitum evincit exemplum de Sacramento Matrimonii: Etenim Chriſtus determinavit contractũ quemcunque matrimonialem validum, tanquàm materiam eſſentialem ad perficiendum Sacramentum matrimonii, nihil determinans de requiſitis, ut eſſet validus. Unde, dum Tridentinum *ſeſſ.23.cap.1. de ref. matrim.* effecit, ut non valeret contractus matrimonii, niſi coram Parocho, & teſtibus celebraretur, novitatem formaliter, & directè non induxit circa Sacramentum Matrimonii, & ejuſdem materiam, & formam, quatenus ſunt materia, & forma ipſius, ut Sacramentum eſt. Novitatem induxiſſet, quando, retento valore contractus matrimonialis, tam clandeſtini, quàm initi in faciem Eccleſiæ, ſtatuiſſet, ut ſolùm nihilominus initus in faciem Eccleſiæ ſufficeret, eſſetque idoneus ad Sacramentum Matrimonii perficiendũ. Hoc quidem fuiſſet diſponere formaliter circa ipsã Sacramenti materiã. Sed ſtatuit dumtaxat, & effecit, ut contractus clandeſtinus, qui erat verus, & validus contra-

ctus, poſteà non eſſet contractus, ſeù eſſet contractus nullus; ideòque inutilis pro perficiendo Sacramento; ſicut quivis efficere poteſt, ut quod erat panis, & vinum, poſtea non ſit, corrumpendo ſubſtantiam eorum; & ſic efficere, ut non ſint utilia ad conſecrationem. Verùm de iſto dici minimè poteſt, quòd novitatem formaliter inducat circa conſecrationis materiam.

71 Quin etiam, quando admitteretur, quod inſtantia prætendit, non concordaretur Eugenius cum Clemente; & dicendum eſſet apud Græcos non eſſe Sacerdotium, quippe non uterentur in ordinatione materia ab Eugenio præfinita. Ideò à noſtra opinione non diſcedas, ut evites abſurdum; & objectam contrarietatem diſſolvas.

VI. Objectum.

72 Leo X. in Concilio Lateranenſi definivit montes pietatis eſſe licitos, & honeſtos illis verbis ſeſ. 10. *Declaramus, & definimus montes pietatis, in quibus pro eorum impenſis, & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad illorum conſervationem pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra ſortem abſque lucro eorumdem montium recipitur, nec ſpeciem mali preferre, nec peccandi incentivum præſtare, nec ullo pacto improbari;* Sed conſtat hujuſmodi montes eſſe illicitos, & uſurarios, ut probant Cajetanus, & Soto. Quia ſervatio pignorum ſit in gratiam mutuantis, & pro ejus ſecuritate: ergo illi ſoli incumbit cura cuſtodiendi: ergo injuſtum eſt exigere à pauperibus pro hoc labore ſalarium: Quidquid enim recipitur, ultra ſortem eſt.

Sciendum hìc eſt, Montem pietatis *eſſe ſummam quandam pecuniæ, deputatam ad ſubveniendum neceſſitatibus pauperum per mutuum ſub pignore;* ad quam quaſi ad montem recurſum habent, ut dixi *lib. 2. Cautel. Confeſ. cap. 24. nu. 24.* Ad quod tres conditiones requiruntur. Prima, ut pecunia data indigentibus ſit in determinata quãtitate, & ad certum tempus. Secunda, ut, ſi non reddatur ſuo tempore, pignora vendantur. Tertia, ut mutuatarius aliquid det in ſingulos menſes, vel annos pro Montis expenſis: modò.

73 R. Minor eſt falſa. Nam quòd pignora ſerventur, ac ratio dati, & accepti in libros referatur, etiam in gratiam pauperum ſit, ideò hujuſmodi onus gratis ſubire mutuator, ſeù Mons non tenetur. Propterea licitè accipit aliquid ultra ſortem, pro labore miniſtrorum. Creditor enim ex *l. Si neceſſarias, ff. de pignor. & act.* habet actionem contrariam pignoratitiam contra debitorem, ad recuperandos omnes ſumptus neceſſarios. Unde ſi pignori detur equus, debet debitor ſolvere expenſas factas, non ſolùm pro alimentis equi, ſed etiam pro famulo, qui cuſtodit equum, ut habet Bartholus in *l. Interdum, qui potiores in pignore.* Ideò erravit graviter Sotus, & Cajetanus etiam, qui tamen non ſcripſit poſt Concilium.

Hinc evidens eſt Pontificem errare non poſſe, quando declarat aliquem contractum eſſe licitum, vel illicitum, & uſurarium: hoc enim poſtulat Sanctitas Eccleſiæ, ut non profiteatur bonum malum, aut malum bonum, quod profiteretur, ſi Caput ejus ita præſcriberet.

74 Nec obſtat, quòd contractuum declaratio proximè pendeat ex natura legũ, & ex Philoſophia morali, ut ait Sotus, & non ex Scriptura. Nam ſæpè veritates illę Philoſophicæ, unde ſumitur honeſtas, aut turpitudo rerum agendarum ſunt revelatæ, aut proximè revelatis connexæ, vel ſub eis contentæ, tanquàm particulares ſub univerſali; & tunc nihil obſtat, quin etiam Pontifex explicitè declaret illas pertinere ad fidem. Quando etiam implicitè in anteà revelatis non continerentur, adhuc ejus infallibilitas ad ea indirectè extenditur, non quatenus ſunt veritates Philoſophicæ, ſed quatenus ipſorum cogni-

gnitio neceſſaria, & utilis ad præſervandam Eccleſiam ab erroribus, aut doctrinis, ducentibus in viam latam, pernicioſis in praxi, & corrumpentibus Chriſtianos mores. Sicut enim Pontifex dicitur habere poteſtatem directam circa ſpiritualia, & indirectam circa temporalia, quatenus ad finem ſupernaturalem deſerviunt; ita poteſt directè circà revelata, aut cum eis connexa decernere, circa verò alias indirectè, modo expreſſo.

Dices. Leo ibi addidit, quòd perfectius, multoque ſanctius eſſet, ſi omninò gratuitè montes erigerentur.

75 R. Hinc non ſequitur eſſe malos: bono enim vino dari poteſt melius. Immò, cùm addat, *quibus, ſi non omni, ſaltem, vel media ex parte hujuſmodi montium miniſtrorum ſolvantur impenſæ, ut ad leviorem æris ſolvendi portionem medio hoc pauperes gravari contingat*, ſignificat illicitum non eſſe, aliquid ad fines prætactos recipere.

VII. Objectum.

Sixtus V. conſtit. *Æternus ille cæleſtium edita* 1589. quam Bibliis ſua cura correctis præfixerat, declaravit ſuam Vulgatę editionem emendatam, & in Typographia Vaticana impreſſam *pro vera, legitima, auctentica, & indubitata recipiendam, & tenendam eſſe*. Et tamen Clemens VIII. cùm multos in illa editione errores relictos deprehendiſſet, illam ſimul cum Bulla jam pervulgata ſuppreſſit, & aliam novam priore illa emendatiorem edi curavit, quę innumeris planè locis à Sextina diffidet: ergo, vel hic de novo Biblia corrigendo, vel ille ſuam editionem emendatam, & retinendam eſſe pronuntiando, in negotio maximi ad religionem momenti, à veritate deviavit. Et ita, ſicut Clemens potuit reddere emendatiorem editionem Sixti, ita alii Romani Pontifices poterunt illam Clementis.

Deinde, tam Sixto, quàm Clementi, poſt decretum Tridentini *Seſſ.4. De canon. Scriptur.* nihil licuit immutare, Eo enim Decreto libros ipſos Bibliæ, *integros, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia legi conſueverunt, & in veteri vulgata editione habentur, eſſe ſuſcipiendos* decrevit.

76 Addo. In ipſa editione originali Clementis nonnulla adhuc menda reperiuntur. Quorum primum eſt in textu Matth. 27. *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam dicentem: & acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Iſrael*. Quæ verba non Jeremias; ſed Zaccharias cap. XI. dixit, ut ibi adnotatur in margine.

Secundum. In textu *Lucæ 3. v. 36.* ubi inter Arphaxad, & Sale interponitur Cainan, qui tamen, tum in textu Hebraico, tum Geneſ. cap. 11. v. 12. tum 1. Paralip. v. 18. & 24. noſtræ Vulgatæ Cainan deſideratur, ſed Sale immediatè ſequitur ad Arphaxad: ergo, &c.

R. Hoc objectum in varias ſententias, quod dolendum eſt, traxit Catholicos, ut dixi *contr. 3. cap. 4. num. 12. & ſequent.* Illud Dupinus adhibet ad infallibilitatem Romani Pontificis expugnandam. In quo hæreticis eſt in ſubſidium, qui Londini an. 1600. librum ediderunt, hoc titulo, *Bellum Papale, ſive concordia diſcors Sixti V. & Clementis VIII. circa Hieronymianam editionem*.

77 Verùm captioſa Dupini argumenta, & aliorum ſophiſmata nihil obtinent; nam Clemens non fuit Sixto contrarius, nec emendavit, quod Sixtus correxerat. Adhibuit Sixtus operam, ut editio emendaretur, ſed non ex integro obtinuit. Nam dum, facta impreſſione, cognoviſſet multos adhuc errores, ob librariorum incuriam, in codice latere, nec impreſſionem nec Conſtitutionem evulgavit, ſed totum opus ſub incudem revocandum duxit, ut expreſsè ex præfatione Bibliis pręfixa in hęc verba. *Pius IV. pro ſua in omnes Eccleſiæ partes incredibili vigilantia, lectiſſimis aliquot S.R.E. Cardinalibus, aliiſque tum ſacrarum litterarum, tum variarum linguarum*

peritiſſimis viris eam provinciam demandavit, ut vulgatam editionem latinam, adhibitis antiquiſſimis codicibus manuſcriptis, inſpectis quoque Hebraicis, Græciſque Bibliorum fontibus, conſultis denique veterum Patrum commentariis, accuratiſſimè caſtigarent. Quod itidem inſtitutum S. Pius V. proſecutus eſt: Verùm Conventum illum ob varias, graviſſimaſque Sedis Apoſtolicæ occupationes jamdudum intermiſſum, Sixtus V. divina providentia ad Summum Sacerdotium evocatus, ardentiſſimo ſtudio revocavit, & opus tandem confectum typis mandari juſſit. Quod, cùm jam eſſet excuſum, &, ut in lucem emitteretur, idem Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in Sacra Biblia præli vitio irrepſiſſe, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus ſub incudem revocandum cenſuit, atque decrevit; id verò, cùm morte præventus præſtare non potuiſſet.... Tandem ſub initium Pontificatus Clementis VIII. opus, in quod Sixtus intenderat, Deo benè juvante perfectum eſt. Hinc duo ſunt certa. Primum, quòd Clemens non revocavit correctionem factam à Sixto, ſed complevit, ac Sixtinæ mentis extitit executor; voluitque, & mandavit Biblia ſub Sixti nomine imprimi, ut ex titulo Bibliis præfixo: *Biblia Sacra Vulgatæ editionis Sixti V. juſſu recognita.*

Secundum, quòd Sixtus Conſtitutionem paraverat, verùm, quia eam non promulgavit, ex Cathedra non eſt locutus. Etenim Summi Pontifices nondum intelliguntur loqui ex Cathedra, & tanquàm Magiſtri Eccleſiæ, ac ut Pontifices in legibus, & decretis ferendis, eſtò ea præcipiant imprimi, donec ſolemniter publicentur. Neque enim Eccleſiam docent, niſi ea promulgent, ut, allegatis Vaſquez 1.2.*to.*2.*diſp.*155.*nu.*15. & in terminis d. Bullæ Sixtinæ, Tannero 2.2.*diſp.*1. *de fid.q.*4.*dub.*6.*nu.*264. notavit Seſſa *Scrut. doctrinar.cap.*3.*art.*3.*nu.*22.

78 Hinc eſtò Succeſſores Clementis poſſint committere, ut codices Bibliorum, qui in dies imprimuntur, recognoſcantur, an concordent cum exemplari in Typographia Vaticana ſub Clemente excuſo, & ad tenorem ipſius corrigantur; hoc tamen corrigere minimè poſſunt, utpotè omninò à Clemente, aſſiſtente Spiritu Sancto, correctum. Si enim in emendato à Clemente aliqua errata conſiderarentur, infallibilitas Sacræ Scripturę funditùs everteretur; & totum eſſet ſub opinione fluctuans, nihilque de fide certum conſtaret, noſtræque Religionis firmitas collaberetur. Siquidem, quod affirmare præſumitur de correctione Clementina, idem de præſtita ab ipſius ſucceſſoribus videretur dicendum, quod ſanè nullus Catholicus eſt admiſſurus.

79 Ad Deinde. Dubium non eſt, nulli licere commutare, quidquid pertinet ad *Vulgatam;* nam id omne eſt Verbum Dei, omninò immutabile. Verùm non inde ſequitur, quin Pontifices etiam poſt Tridentinum potuerint ipſam Vulgatam à mendis Librariorum, & Scribarum erratis expurgare: id enim à Concilio fuit præſcriptum, dum ibi ſtatuit, ut *poſthac Sacra Scriptura, potiſſimùm verò hæc ipſa vetus, evulgata editio, quàm emendatiſſimè imprimatur.*

80 Quare Concilium illis clauſulis, *integros cum omnibus ſuis partibus* repreſſit Lutheranorum, & Calviniſtarum inſaniam. Sectarii enim duplicem circa Sacros libros errorem invexerant. Primum, ſacros aliquos libros, tanquàm non canonicos de ſacro canone expungebant: quales ſunt Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum. Secundum, alios quoſdam cum Catholicis eſſe canonicos conſentiebant: Verùm ab illis aliquas partes obliterabant, eò quòd, licèt in Latina vulgata editione haberentur, deeſſent tamen in Hæbreis, & Chaldaicis exemplaribus. Propter quod in propriis Bibliis nonnulla ſupprimunt, tanquàm auctoritate divina deſtituta, quæ recenſet Cabaſutius *notit.Eccleſiaſt. de actib. in Concil.Trid.* & obſervat Bail *Sum.to.*2.*tit.decret.Pontif.* &

Six-

Sixtus V.§.controver.verb.Sed decretum. Quibus erroribus, clauſulis præjactis, occurrere Sancta Synodus intendit, præſcribens libros omnes, quos ibi enumerat, eſſe canonicos, & tales tenendos cum partibus etiam, quas hæretici in ſuis libris non legunt.

81 Dici pariter poteſt, Concilium ſtatuiſſe, quòd libri canonici ſuſciperentur in numero, qui ibi præſcribitur, ſecundùm omnes ſuas partes, quæ pertinent ad Latinam vulgatam, quibus ſignificavit ſuæ intentionis fuiſſe, non defendere; ſed excludere errata, quæ fuerunt codicibus, hominum incuria permixta. Hæc enim ad Vulgatam non pertinent, & inde ab illis fuit à Sixto, & Clemente expurgata.

82 Ad additum. Antecedens eſt falſum. Quidquid dixerint complures, etiam Catholici, concedentes Bibliis errata non pauca, & leves defectus, qui tamen nec fidei, neque morum puritati noceant; non tam adſcribendi Typographicæ incuriæ, ſed correctioni non præſtitæ. Contra quos videantur dicta *contr....cap....& num.cit.*

83 Ad 1. Textus concordantur ab Auguſtino *lib.3.de conſenſ.Evangeliſtar. cap.7.n. 31.Eſt apud Jeremiam*, ait, *quod emerit agrum à filio fratris ſui* (Jerem.32.) *& dederit ei argentum: non quidem ſub hoc nomine pretii, quod poſitum eſt apud Zachariam, triginta argenteis. Verumtamen agri emptionem non eſt apud Zachariam. Quòd autem Prophetiam de triginta argenteis, ad hoc interpretatus ſit Evangeliſta, quod modò de Domino completum eſt, ut hoc eſſet pretium ejus, manifeſtum eſt, ſed ad hoc pertinere, etiam illud de agro empto, quod Jeremias dixit: hinc potuit myſticè ſignificari, ut non hic Zachariæ nomen poneretur, qui dixit*, triginta argenteis, *Sed Jeremiæ, qui dixit, de agro empto, ut, lecto Evangelio, atque invento nomine Jeremiæ, lecto autem Jeremia, & non invento teſtimonio, de triginta argenteis, invento tamen agro empto, admoneatur Lector utrumque conferre, & indè ſenſum enucleare Prophetiæ, quomodo pertineat ad hoc, quod in Domino completum eſt. Nam illud, quod ſubjecit huic teſtimonio Matthæus*, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus, nec apud Zachariam; *nec apud Jeremiam reperitur. Undè magis ex perſona ipſius Evangeliſtæ accipiendum eſt eleganter, & myſticè inſertum, quia hoc ex Domini revelatione cognoverit ad hanc rem, quæ de Chriſti pretio facta eſt, hujuſmodi pertinere Prophetiam*. Quò circa ex S.Doctore patet, quòd teſtimonia prophetica in unum redacta, & narrationi Evangeliſtæ collata omnem, etiam erroris nævum excludunt.

84 Ad ſecundum. Nonnullis ex Catholicis moleſtum videtur, quòd in textu hebraico deſideretur Cainan, propter quod haud timent aſſerere eſſe expūgendū ex Evangelio Lucæ, utpotè in eo cum fonte non concordante. Verùm quis hìc zelo Religionis Catholicæ non arderet, videns eos, qui, cùm poſſint optimè contrarietates apparentes, ſi quæ ex Bibliis offeruntur, facilè exponere, & antilogias removere, de induſtria muſcipulas parant veritati, ac nodum in ſcirpo quærunt, in Heterodoxorum ſubſidium, ut hinc iſti normam Religionis omni auctoritate denudatam deprædicent? Fortè, quia nonnulla ſunt in Evangelio Matthæi, quæ cæteri Evangeliſtæ non narrant, vel, ſunt ab illo eradenda, vel alia Evangelia mendoſa dicenda? Abſit hoc à viro Catholico. Frequenter enim alii tacent, quæ alius recenſet, ſed ea non negant. Ideò inter eos nulla eſt contrarietas; &, ſi quæ videtur eſſe, tollitur ab Auguſtino *loc.cit.* dicente *lib.2.cap.46.num.98.* aliqua ſæpè exiſtere, apud Evangeliſtas, *quæ parum intendentibus, & temerè judicantibus contraria videntur, & non ſunt.*

85 Hujus generis eſt cum cæteris Sectariis Beza, qui ex Evangelio Lucæ ſuſtulit Cainan, ex quo in Bibliis, Hebræa, & Chaldæa omittatur. Et quod grave eſt, eundem ſequuntur Catholici nonnulli, cenſentes ea ratione expungendum.

dum. In quo à vero ſunt prorſus alieni.

86 Nam Cainan fuiſſe genitum ab Arphaxad teſtatur Auguſtinus *de Civit. Dei l. 16. cap. 3.* ibi. *Sem inter alios filios genuit Arphaxad: Arphaxad genuit Cainan: Cainan genuit Sale*: quod repetit *cap.* 10. Et cùm de Cainan conſtaret certa, & antiqua Traditione, Septuaginta Interpretes ex ea, & Spiritu prophetico ſuggerente, ſuæ illum editioni inſeruerunt. De quibus idem Auguſtinus *d. lib. 2. de conſenſ. Evangeliſtar. cap. 66.* ſcripſit. *Manifeſtum eſt interpretationem illam, quæ dicitur Septuaginta, in nonnullis aliter ſe habere, quàm inveniunt in Hebræo, qui eam linguam noverunt, & qui interpretati ſunt ſinguli eoſdem libros Hebreos. Hujus item diſtantiæ cauſa ſi quæratur, cur tanta auctoritas interpretationis Septuaginta multis in locis diſtet ab ea veritate, quæ in Hebræis codicibus invenitur? nihil occurrere probabilius exiſtimo, quàm illos ſeptuaginta eo Spiritu interpretatos, quo & illa, quę interpretabantur, dicta fuerant: quòd ex ipſa eorum mirabili, quæ prædicatur, conſenſione, firmatum eſt: ergo & ipſi nonnulla in eloquio variando, & ab eadem voluntate Dei, cujus illa dicta erant, & cui verba ſervire debebant, non recedendo, nihil aliud demonſtrare voluerunt, quàm hoc ipſum, quod nunc in Evangeliſtarum quatuor concordi quadam diverſitate miramur: qua nobis oſtenditur non eſſe mendacium, ſi quiſquam ita diverſo modo aliquid narret, aut ab ejus voluntate, cui conſonandum, & conſentiendum eſt, non recedat.*

87 Textus pariter Arabicus, & Grçcus, etiam in Geneſi numerant Cainan: igitur mirum non eſt, quòd Sanctus Lucas, qui grçcè ſuum Evangelium ſcripſit, Spiritu Sancto illum docente, ad ſupplendam ſacram priſcorum genealogiam, non prętermittat generationem Cainan.

De hac re ſcripſit Beda *præfat. comment. in Acta Apoſt. Lucas*, inquit, *teſtimoniis Græcis utitur, potiùs quàm Hebræis: ex quo accidit, quòd maximè miror, & propter ingenii tarditatem, vehementiſſimo ſtupore perculſus, neſcio perſcrutari, qua ratione, cùm in Hebraica veritate à diluvio uſque ad Abraham decem tantùm generationes inveniantur: ipſe Lucas, qui, Spiritu Sancto calamum regente, nullatenus falſum ſcribere potuit, undecim generationes juxta LXX. Interpretes, adjecto Cainan in Evangelio ponere maluit.* Hæc ſunt apud Fraſſen *diſquiſit. Biblicæ l. 4. conciliat. ad cap. 11. Geneſ.* Cui magis veriſimile eſt, Cainanem eſſe omninò ſuppoſititium; atque in textum LXX. & S. Lucæ irrepſiſſe, & ab utroque (ſi accederet Eccleſiæ judicium) eſſe expungendum. Sed miror, cur Cainanem non ret ineat, cùm eumdem ab Arphaxad genitum ſcribat Lucas d. loco; & ea in re præter allegatos conveniant Doctores quamplurimi apud Salianum ad an. mundi 1694. & *in præfat. tom. 3. annal.* Et ad eumdem annum Spondanus *annal. Sacr.* citans Canum *lib. 2. de loc. Theolog. cap. 8.* Omnemque dubium removet, quòd Textus Bibliorum vulgatę editionis ſit ab Apoſtolica Sede ab omnibus mendis expurgatus.

88 Et maximè facit, quòd in Sacris Voluminibus, regente, atque dictante Spiritu Sancto, conſcriptis, nihil reverà pugnans, & adverſum invenitur; enimverò, ſicut à Summa veritate falſum aliquid, aut mendacium etiam leviſſimum procedere nequit: ita verum ſibi aliqua ex parte repugnans videtur prorſus impoſſibile. Unde omnis diverſitas apparens eſt, & non in ſubſtantia, nec eſt per errorem, ſed per myſterium. Hinc ſedulò monet Auguſtinus *l. 5. de Geneſ. ad litter. Conandum eſt efficere, ne aliqua abſurditas, vel repugnantia putetur eſſe in Sacris Scripturis, quæ opinionem Lectoris offendat.* Et Origenes *in cap. 3. ad Roman.* præmonuit: *Contraria, quæ videntur eſſe in Scriptura, non ita eſſe debet oſtendere, qui Fideliter, & integrè ſacrorum Voluminum colligit ſenſum.*

89 Propterea falſum omninò eſt illud Joannis de la Cruz *in computu an. ab Adam uſque ad Chriſtum*, hoc eſt, quòd Sale, & Cai-

Cainan ſunt duo nomina ejuſdem hominis; adeò ut ſenſus ſit, quòd ille, qui fuit Sale, fuit etiam Cainan. Nam S.Lucas recenſens genealogiam Chriſti per aſcenſum procedit ab Joſepho ad Adamum omnium hominum Proto-parentem; ſeù à filiis ad parentes aſcendit: ideò, cùm dicit: *qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*, ſignificat *Sale* fuiſſe filium Cainanis, & hunc genitum ab Arphaxado: atque ita de illis loquitur, ut de tribus diſtinctis perſonis diverſas generationes terminantibus, & reſpectivè principiantibus; ſicut de cęteris dicitur, quos in ſua ſerie Lucas complectitur: nullus enim ex illis ſola nominis diverſitate diſtinguitur.

90 Cur verò in Hebræo, & Latino textu Geneſis, & Paralipomenon omiſſus fuerit Cainan, cauſa eſſe videtur, quòd nollet Moyſes à Noe uſque ad Abram plures, quàm decem generationes recenſere ſicut nonniſi decem recenſuerat ab Adamo ad Noe; (*ut* 1.*Paralipom.cap.*1. Simili modo S.Matthęus, cùm vellet genealogiam Chriſti in ter quaterdenas generationes diſtribuere (ut habetur *Matth.c.*1.) in ſecunda omiſit tres Reges, Ochoziam, Joas, & Amaſiam; quos tamen conſtat ex Regum, & Paralipomenon libris, inſerendos eſſe, ut ſcribit Tirinus *to.*1.*comment.Chronicon Sacr.cap.*13.

Ita, cùm de Cainan conſtaret pariter ex antiqua, & certa traditione,&, Spiritu prophetico ſuggerente, Septuaginta Interpretes ſuæ illum editioni, & S.Lucas ſuo Evangelio, Spiritu Sancto dictante, inſeruerint, nullus de hac re dubitare poteſt: præſertim quia Tridentinum *ſeſſ.*4. definivit ſuſcipiendos eſſe pro ſacris, & canonicis omnes Libros Bibliorum integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur; quæ emendatiſſimè impreſſa eſt à Clemente VIII. ut ex ejuſdem Conſtitutione; *Cùm Sacrorum* Bibliis præfixa.

91 Quinimò, cùm mos uſitatus Sacræ Scripturæ ſit appellare progenitores, etiam parentes mediatos, ſequitur, quòd Arphaxad dicatur genuiſſe Sale, non *actu*, *ſed virtute*, *& potentia*, quatenus genuit Cainam, patrem ipſius Sale, qui in Arphaxado mediatè continebatur. Ita in genealogia Salvatoris noſtri apud S.Matthæum *cap.*1. dicitur Joram genuiſſe Oziam: non ſanè *actu*, ſed *virtute*, quia Joram genuit proximè Ochoziam, proavum Oziæ, 4.*Reg.cap.*8.Ochozias verò genuit Joas, ibi *cap.*12.& Joas Amaſiam ibi *cap.*14. Et Amaſias Oziam, ſive Azariam ibi *cap.*15. Ideò, cùm Geneſ.*cap.*11.dicitur Arphaxadum genuiſſe Sale, intelligitur de generatione mediata, non excluſo Cainan, à quo Sale immediatè genitus fuit.

Hinc habetur non regere inſtantiam aſſerentium, nullum inconveniens admitti, ſi Cainan ex Evangelio Lucæ expungatur, cùm ſolùm Factum abraderetur. Nam eſt Factum, quod trahit ſecum jus: ſequitur enim. I. Quòd è medio tollatur Bibliorum auctoritas: ex eo enim ad alia Facta poſſet diſcurri.

II. Quòd bellum indicitur infallibilitati Romanæ Cathedræ, quæ ab omni errore immunem Vulgatam editionem dixit.

92 Quæritur. *An ſit de fide quòd Romanus Pontifex non poſſit errare in decretis de materia morum?*

R. Affirmativa debet eſſe communis, juxta Ferre *de fide q.*23 *§.*9.*num.*24. tradentem eſſe manifeſtam hęreſim aſſerere, quòd Pontifex poteſt errare in ferendis legibus toti Eccleſiæ communibus: nam cùm *Matth.*23. ſit revelatum: *Omnia quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite:* Revelatum quoque eſt, quòd Papa, proponens toti Eccleſiæ aliquam legem, ut regulam morum nihil perniciosum, aut malum proponat. Unde quæcumque materia, hoc ipſo, quòd eſt materia legis Pontificiæ, præcontinetur in verbo ſcripto quoad eſſe moraliter bona. Et idem dicen-

dum quoad leges pro aliqua determinata Provincia; cùm in eo etiam, ut Paſtor procedat.

93 Quæritur item de ſenſu illius clauſulæ; *noſtra, & Apoſtolicæ Sedis Auctoritate?*

R. Senſus non eſt, quòd geminetur auctoritas; ſed id ponitur majoris explicationis gratia. Significatur enim, quòd Papa loquitur auctoritate publica, vel ut Papa, & Petri Succeſſor in univerſa Eccleſia; & non auctoritate privata, vel, ut Epiſcopus ſolius Romanæ Diœceſis. Ita Laur. *de fid. diſp. 3. art. 3. nu.* 118.

CAPUT III.

An in Romano Pontifice ſit auctoritas damnandi propoſitiones olim probabiles?

SUMMARIUM.

1 *Sententia, & hallucinatio Caramuelis.*
2 *Opinio alia ſpeculativa, alia practicè probabilis.*
3 *Romanus Pontifex eſt infallibilis, damnando propoſitiones probabiles.*
4 *Propoſitio damnata, & temeraria non eſt ampliùs probabilis.*
5 *Propoſitio ſcandaloſa quæ ſit?*
6 *Propoſitio proſcripta, ut ſcandaloſa, eſt certò falſa.*
7 *In judicio Romanæ Cathedræ eſt certitudo, & perpetuitas, quæ non ſunt in judicio privatorum Doctorum.*
8 *Papa non poteſt actum virtutis proſcribere.*
9 *Propoſitio, quæ apparet probabilis, poteſt tranſire in improbabilem.*
10 *Abſolutio in abſentia non poteſt penitenti conferri.*
11 *Opinio de abſolutione in abſentia, ante decretum Clementis VIII. in ſe non erat probabilis.*
12 *An abſolutio ſub conditione in abſentia ſit valida?*
13 *Infallibilitas definitionis Romanæ Cathedræ nititur aſſiſtentiæ Spiritus Sancti ad* 15.
16 *Definitio Pontificia eſt medium deſtruens apparentem probabilitatem ad* 19.
20 *Lectio Bibliorum vulgari idiomate eſt interdicta.*
21 *Libri, quandoque damnantur in odium auctoris.*
22 *Diſcrimen cenſuræ Theologicæ à cenſura Eccleſiaſtica ad* 23.
24 *Propoſitio in ſe ſcandaloſa non poteſt eſſe vera.*
25 *Senſus clauſulæ* intereà, & pro nunc *exiſtentis in decretis Alexandri VII. & Innocentii XI. ad* 27.
28 *Et dictionis* tanquàm.
29 *Contractus ſocietatis à Sixto V. ſub certis conditionibus damnatus.*
30 *Regulares recipiunt à Papa juriſdictionem audiendi confeſſiones, ſuppoſita approbatione Epiſcopi.*
31 *Dogma Catholicum triplex, Imperatum, Liberum, & Permiſſum.*
32 *Opera Cypriani, & aliorum, quomodò dicantur approbata?*
33 *Qua cenſura ſit notandus affirmans, propoſitiones à Papa proſcriptas eſſe adhuc veras?*
34 *Indiculus cenſurarum Theologicarum, quibus propoſitiones, continentes pravam doctrinam, notantur ad* 59.

1 Caramuel in *Theol. fundament.* ſcripſit non dari in Mundo viſibili auctoritatem condemandi opiniones probabiles. Conſequenter judicium Romani Pontificis de probabilitate, vel improbabilitate propoſitionum in materia morum, non eſſe regulam infallibilem, quia quantumvis propoſitionem aliquam, quæ ante condemnationem erat probabilis, damnet ut ſcandaloſam, temerariam, vel alia cenſura Theologica notet, adhuc poſt condemnationem à probabilitate ſpeculativa, & pro foro interno non recedit.

Verùm Caramuel æquivocatione procedit;

cedit; etenim ea quęſtio eſt ſimilis huic. *An Omnipotentia poſſit facere, ut cæcus videat?* Quæ planè quæſtio duplicem ſenſum admittit, compoſitum ſcilicet, & diviſum. Senſus compoſitus eſt. *An omnipotentia facere poſſit, quòd cæcitas, ſeù privatio viſionis componatur ſimul cum viſione?* Senſus verò diviſus eſt. *An omnipotentia facere poſſit, quòd cæcus amittat cæcitatem, & ita videat?* Si à primo ſenſu ad ſecundum, & quia non poſſunt ſimul componi cæcitas, & viſus, argueret Caramuel, quòd cęcus non poſſet fieri videns, de neceſſitate improbaret miracula Chriſti, quibus factum eſt, quòd cæci viderent.

Profectò, ſi Caramuel contendat Pontificem non poſſe in ſenſu compoſito damnare propoſitionem probabilem, contradictorem non habet: ſiquidem repugnat componi probabilitatem cum condemnatione; Si autem ex hoc arguat, & inferat non poſſe Romanum Pontificem damnare illam propoſitionem, quæ antecedenter erat probabilis, & auferre probabilitatem ab illa, & reddere eam improbabilem, ſophiſticè arguit: Siquidem à ſenſu compoſito arguit ad diviſum; ſicut doloſo diſcurſu procederet, dicens: *implicat cęcum videre: ergo nulla poteſtas facere poteſt, quòd cæcus videat;* ab antecedenti enim in ſenſu compoſito, deſcendit ad conſequens in ſenſu diviſo.

Ideò, ut utiliter, & abſque æquivocatione quæſtio examinetur; in his terminis eſt pertractanda. *An in Pontifice detur auctoritas condemnandi, ut improbabiles eas propoſitiones, quæ priùs erant*, vel *videbantur probabiles?* Vel, *an propoſitio damnata à Pontifice, ut ſcandaloſa, temeraria, &c. quæ priùs erat probabilis, per condemnationem reddàtur improbabilis*: vel, *poſt damnationem ſit ampliùs probabilis?* Sic enim vitatur confuſio, quæ ſub æquivocatione latet.

2 Item, notandum eſt, à Caramuele cum Doctoribus duplex genus propoſitionum probabilium diſtingui, aliæ ſunt ſpeculativè probabiles, aliæ verò practicè probabiles; Traditque, quæ ſunt ſpeculativè probabiles, poſſe practicè condemnari; nam poſſibile eſt opinionem, quæ eſt ſpeculativè probabilis, habere practicè aliquam circumſtantiam adnexam, quæ à praxi excuſari non poſſit, & eam reddat practicè improbabilem. Exemplum ponit in iſta: *In re venerea datur parvitas materiæ:* hanc, ait, eſſe ſpeculativè probabilem, & practicè improbabilem, in multis communitabus condemnatam: nam ſpeculativè præſcindit à circumſtantia periculi, à qua practicè præſcindere nequit: Et procedens ad eas, quæ ſunt, vel erant practicè probabiles, negat poſſe damnari; & quatenus damnarentur, *darent*, inquit, *rationem condemnantes;* in quantum, ſi condemnarentur, injuſtè condemnarentur; de qua injuſtitia Deo redderent rationem injuſti condemnatores. Et reſpondens quæſito, *quid eſt non eſſe probabilem practicè?* Et quid eſt, *eſſe ſpeculativè probabilem?* hęc habet: duplex eſt honeſtas, altera ſpeculativa, altera practica; illa ad forum internum pertinet, hæc ad externum. Eſt honeſtus quoad ſe, & in foro interno, qui nullum crimen commiſit; & qui commiſit, occultè tamen, eſt inhoneſtus in foro interno; at in foro exteriori, & quoad nos, eſt honeſtus. Si quis autem per ſententiam Judicis declaratur infamis, & ſit innocens ſpeculativè, hoc eſt, quoad ſe, & quoad Deum, permanebit honeſtus: at practicè, hoc eſt, quoad homines erit infamis, quouſque ſententia illa prior ſecunda ſententia damnetur. Idem dicito de propoſitionum probabilitate, quæ enim damnantur juſtè, aut injuſtè dicuntur verè damnatæ, & hac ignominia carere non poterunt, quouſque condemnatio tollatur. Hæc ille

Juxta quæ, ſi Pontifex damnet, ut ſcandaloſam, temerariam, &c. opinionem, quam Caramuel dixit probabilem in praxi, illa quidem per eum damnata manebit practicè, hoc eſt in foro exteriori, quouſque Pontifex revocet ſuam damnatoriā ſen-

ententiam. At verò ſpeculativè, ideſt, in foro interiori, & coram Deo, ac pro interna conſcientiæ ſecuritate, illa ſententia manebit probabilis. Atque ita ex mente Caramuelis, non eſt in Mundo viſibili auctoritas condemnandi ſpeculativè, & pro foro interno opinionem, quæ erat, vel eſt probabilis in praxi. Quibus notatis.

3 Dicendum. *Eſt in Romano Pontifice, loquente ex Cathedra, auctoritas infallibilis damnandi propoſitiones, olim probabiles*. Contra Caramuelem cęteri Catholici concordantes Pontifices errare non poſſe, cùm propoſitiones Theologicâ aliqua cenſura notant.

Probatur. Si dicta auctoritate loquens ex Cathedra prędítus minimè eſſet Romanus Pontifex, probabilitatem non auferret propoſitioni, quam declararet in materia morum eſſe ſcandaloſam, temerariam, aut improbabilem, erraret, & quidem in materia morum: ergo, &c. Probatur Sequela, erraret quidem, ſi declarans illam ut ſcandaloſam, &c. non tolleret ab ea probabilitatem: Siquidem errat, qui dicit quoad praxim, & in ordine ad licitè operandum, eſſe certò falſam, vel improbabilem propoſitionem, quæ verè eſt practicè probabilis: Sed Pontifex, dum propoſitionem dicit *temerariam*, & *ſcandaloſam*, *&c.* dicit eſſe certò falſam, & improbabilem quoad praxim, &c. ergo erraret, & quidem in materia morum, ſi propoſitio illa eſſet de morum materia. Quod maximè conſtat: nam implicat quòd Regula vera dirigens mores noſtros rectè ſine ullo periculo errandi in via ſalutis, rectæque rationi conformes, ſit ſcandaloſa, obliqua, & in praxi animabus pernicioſa; & error eſt dicere, illam eſſe ſcandaloſam, & pernicioſam, illicitamque actionem, quæ ab illa dirigitur. Et hinc patet non poſſe doctrinam eſſe ſcandaloſam, quin ſit falſa quoad praxim, & in ordine ad licitè operandum. Quidquid ſit, an aliquibus ex circumſtantia ignorantiæ appareat vera, & idonea ad moraliter operandum. Quæ ignorantia à quovis tollitur à decreto Romanæ Cathedræ.

4 Probatur minor quoad primam partem. Quando Pontifex ex Cathedra declarat propoſitionem eſſe *temerariam*, ſimul virtualiter affirmat eam non eſſe probabilem; quippe propoſitio temeraria eſt illa, quæ opponitur auctoritati Theologorum, & Patrum aliter ſentientium, & caret prudenti fundamento; quæ autem eſt hujuſmodi, probabilis minimè eſt, ergo, &c.

5 Probatur eadem minor quoad ſecundam partem. Dum Pontifex ex Cathedra definit propoſitionem aliquam eſſe *ſcandaloſam* (ſcandaloſa dicitur, quæ docet aliquid, quod de ſę *prabet aliis occaſionem ruinæ ſpiritualis*) virtualiter dicit: Primò, eam non eſſe probabilem; etenim eſt contradictio, doctrinam eſſe probabilem, & gravi fundamento niti, & eam ſimul in ratione doctrinæ moralis ſcandalum, & animæ perniciem generare. Nam eo ipſo, quòd in ratione doctrinæ moralis ſit ſcandalizans, non eſt doctrina prudens: Doctrina enim prudens in materia morum illa eſt, quæ ſervat mores incorruptos.

6 Secundò, dicit eam eſſe improbabilem poſitivè, ſeù certò falſam. Nam propoſitio, quam Romana Cathedra, in materia morum damnat ut ſcandaloſam, à parte rei non poteſt eſſe vera; ſi enim vera eſse poſset, à parte rei licitum eſset ejus objectum, & ſolùm ob ignorantiam eſſet illicitum: ergo Romana Cathedra erraret in morum materia, ſi objectum à parte rei licitum, damnaret ut illicitum. Errare autem ipſa non poteſt: ergo ſtatim ac damnat propoſitionem in materia morum, ut ſcandaloſam, illa vera eſse non poteſt à parte rei: ergo eo ipſo, quòd illam damnat ut ſcandaloſam, damnat, ut falſam. Tum quia, dum propoſitionem eſſe ſcandaloſam definit, vi ejus oraculi manet certò, & in perpetuum non probabilis, & deſtituta in perpetuum fundamento

to gravi, & cum certa, & omnimoda deſperatione de ejus probabilitate; ſed hujuſmodi propoſitio manet certò falſa, ut patet, atque adeò improbabilis poſitivè.

Dicunt. Nonnullæ propoſitiones aſſeruntur à Doctoribus ſcandaloſæ, quæ tamen non ſunt abſolutè non probabiles, nec improbabiles poſitivè; quamplures enim, quæ olim non erant probabiles, jam denuò apparent fundamento gravi factę probabiles. Ita D. Auguſtino non fuit probabile dari Antipodas *libr. 16. de Civit. cap. 9.* quod tamen hodie eſt certum reperiri.

7 Contra. Diſcrimen eſt inter propoſitiones, quæ à Romana Cathedra in materia morum aſſeruntur ſcandaloſæ, & inter eas, quæ in ſimili materia cenſentur ſcandaloſę judicio privatorum Doctorum. Judicium enim Romani Pontificis loquẽtis ex Cathedra habet duo, quibus caret judicium privati Doctoris, hoc eſt, *certitudinem, & perpetuitatem. Certitudinem*, quia Romanus Pontifex, loquens Eccleſię in materia morum, errare non poteſt, quæ certitudo deficit judicio privati Doctoris. *Perpetuitatem* pariter, quia dum Pontifex affirmat aliquam propoſitionem non eſſe probabilem, vel, eſſe ſcandaloſam; declarat Eccleſiæ id eſſe in perpetuum ſuſtinendum; ſed vide infra nu. 11. Ideò nedum dicit, quòd de præſenti nullum appareat pro ea fundamentum grave, ſed quòd nec unquam apparebit, & quòd ſemper pro ſcandaloſa reputanda ſit; & hinc relinquit omnimodam deſperationem de probabilitate ejus, aut de ablatione ſcandali, quod ſecum importat propoſitio. Quod nequit verificari, dum Doctores privati pronuntiant V.G. *hæc propoſitio non eſt probabilis*, nam eo ſignificant non adeſſe de pręſenti fundamentum grave pro ea propoſitione; & ideò apud eos eſt huic æquivalens: *Hæc propoſitio non habet fundamentum grave, dum non apparet aliud fundamentum præter id, quod de pręſenti affirmatur pro ea*; quod tamen, re meliùs examinata, vel tunc, vel ſubſequentibus temporibus poteſt apparere; propter quod, quæ non fuit probabilis, poteſt probabilis apparere. Et quæ à parte rei eſt vera, poteſt ex præſuppoſita falſa hominum exiſtimatione eſſe ſcandaloſa, & non probabilis, quia nullum noverunt fundamentum defendendi probabilitatem illius. Illud verò, *re melius examinata*, non currit, quando Romanus Pontifex propoſitionem de doctrina morum damnat, ut ſcandaloſam, quaſi decretum ipſius non ſit immutabile, ſed retractabile: nam ipſe non nititur in falſa hominum exiſtimatione, ſed veritate rei, ex ſecuritate aſſiſtentię Spiritus Sancti.

8 Confirmatur Concluſio. Si Romanus Pontifex docens Eccleſiam, damnaret aliquem actum virtutis, tanquàm ſcandaloſum, vel, ut objectum propoſitionis ſcandaloſæ, doctrina Eccleſiæ, quam accipit à Magiſtro ſuo, non eſſet ſancta: ſed hoc repugnat: nam aliàs Eccleſia Sancta non eſſet contra articulum fidei, ut diximus *cap. 2. n. 4.* ergo, &c. Sequela majoris patet. Alexander VII. proſcripſit hanc propoſitionem in ordine 16. *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*: modò: Si hęc propoſitio adhuc manet probabilis, Parochus, qui coram tali Confeſſario confitetur, actum virtutis exercet; ſed talem actum damnat Pontifex, tanquàm objectum propoſitionis ſcandaloſæ: ergo damnaret actum virtutis, tanquàm ſcandaloſum; ſed doctrina, quæ damnat actum virtutis tanquàm ſcandaloſum, non eſt Sancta: ergo, &c.

9 Probatur 2. Propoſitiones in materia morum, quæ ab intrinſeco olim erant, ſeu veriùs apparebant probabiles, poſſunt reddi ab intrinſeco improbabiles: ergo Romanus Pontifex poteſt ex Cathedra illas declarare improbabiles. Conſequentia ſequitur. Etenim Romanus Pontifex poteſt in materia morum declarare id, quod verè eſt; ſed verum eſt, quod in materia

mo-

morum opiniones, quæ videbantur ab intrinſeco probabiles poſſint tranſire in improbabiles: ergo id ita poteſt Romanus Pontifex declarare: atque adeò in ipſo eſt auctoritas infallibilis damnandi propoſitiones, olim probabiles.

Antecedens patet. Primò. Quæ habebant pro ſe rationes probabiles, poſſunt denuò habere contra ſe rationes demonſtrativas, & certas, quæ dum latebant, illæ propoſitiones erant probabiles; at poſtquàm rationes demonſtrativæ, & certæ repertæ ſunt, propoſitiones probabilitatem amiſerunt. Quod quidem experientia compertum eſt. Siquidem multa fuerunt probabilia apud veteres Theologos, quæ modò probabilia non ſunt, eò quòd tunc illis non apparebant rationes certæ, vel methaphyſicè evidentes, quæ temporis decurſu inventæ ſunt.

Secundò. Quia de conceptu opinionis probabilis eſt, niti fundamento gravi, quamvis non certo; ſed quæ modò nititur fundamento gravi non certo, procedente tempore, poteſt pro illa, vel contra illam apparere fundamentum certum.

10 Tertiò. Olim (ut de cæteris ſileam) erat probabilis opinio dicens, *abſolvi poſſe penitentes in abſentia;* pro qua Suarez *to. 4. in 3. p. diſp. 19. ſect. 3. num. 2.* refert viginti Doctores; ſed eam opinionem damnavit Clemens VIII. *Conſtitutione Sanctiſſimus* 87. *Bullar. to. 3.* ibi. *Re maturè, ac diligenter conſiderata*: Hanc propoſitionem, ſcilicet, *licere per litteras, ſeù internuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri: & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minùs, ut falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit, & prohibuit. Præcepitque ne deinceps publicis, privatiſque lectionibus, & Concionibus, & congreſſibus doceatur, neve unquàm, tanquàm aliquo caſu probabilis, defendatur, imprimatur, &c.* Tum ſic. Si illa opinio poſt condemnationem manſit probabilis, ſequitur, quòd Romanus Pontifex propoſuit Eccleſiæ, tanquàm ſcandaloſum, & falſum id, quod eſt licitum, & verum. Repugnat autem Romanum Pontificem proponere Eccleſiæ, tanquàm peccatum ſcandali, rem licitam, & tanquàm falſum, verum: ergo & quòd illa propoſitio poſt condemnationem, maneat probabilis.

Quod adeò vero cohæret, & ut ex vi definitionis, quis teneatur cohibere judicium internum, adeòut mente affirmare non poſſit, *licere per litteras, confeſſionem, & abſolutionem abſentis*. Statim enim contrairet definitioni, quæ dicit propoſitionem eſſe falſam. Quoniam, qui affirmat propoſitionem, dicit illam eſſe veram; hoc enim eſt in qualibet affirmatione, neceſſariò incluſum, cum ly *eſt*, ſit nota veritatis. Ideò ſi quis ſciens, & advertens ad definitionem Clementis, eam propoſitionem interiùs conciperet, neceſſariò convinceretur credere, ac putare, Pontificem in ſua cenſura erraſſe; negaret enim ſaltem implicitè, & in actu exercito eſſe falſum, quod Clemens falſum aſſeruit. Quem diſcurſum valere, etiam adversùs obſequioſum Janſenianum ſilentium conſtabit. *cap. ult.*

Dices. Opinio illa ante decretum Clementis fuit practicè probabilis, ut ſupponitur, aliàs Doctores, qui eam ad praxim deducebant, peccaſſent; quod pro tunc à nullo conceditur.

11 R. Opinio de abſolutione in abſentia ante decretum Clementis, in ſe nec erat ſpeculativè, nec practicè probabilis, ſed falſa; quod illis Auctoribus non innotuit, quia non adverterunt ad hoc principium, quòd illa exponebat Fideles ſic abſolutos periculo carendi valore, & fructu Sacramenti; cùm dubium eſſet, an Chriſtus Dominus contulerit Sacerdotibus poteſtatem abſolvendi in abſentia. Quoties verò in materia Sacramentorum datur aliqua opinio, quæ Fideles exponat tali periculo, & Sacramentum nullitati, non eſt practicè probabilis, nec ejus uſus licitus; & hoc affirmare eſt apertè falſum. Solùm itaque dictis Auctoribus fuit per accidens

cidens, ſeù apparebat probabilis in praxi, ex defectu nimirum ſcientiæ, & advertentiæ ad illud principium; & inde in ejus uſu non peccabant. Modo verò nobis conſtat illam propoſitionem eſſe certò falſam, propter definitionem Clementis, cui ſtandum eſt.

At quæritur. An, non obſtante decreto Clementis, poſſit moribundo in caſu extremæ neceſſitatis conferri in abſentia abſolutio ſub conditione: *Si es rectè diſpoſitus, ego te abſolvo?*

12 Nonnulli affirmant. Tum I. Quia Clemens non damnavit abſolutionem ſub conditione datam: abſolutio enim conditionalis, deficiente conditione, non eſt abſolutio. Tum 2. Quia non videtur in definitione comprehenſus ſtatus neceſſitatis, & exiſtentis in periculo damnationis æternæ.

Nos autem aliis aſſentimur id negantibus. Nam Clemens per ea verba, *neve unquam, tanquàm aliquo caſu probabilis*, declarat eam non eſſe probabilem in aliquo caſu. Quę negativa eſt univerſaliſſima. Et quamvis videatur propoſitio non expreſsè damnata, qua parte aſſerit abſolutionem in abſentia eſſe validam, ſed ſolùm, qua parte aſſerit eſſe licitam; tamen ex circumſtantiis, & illatione, etiam damnatur, qua parte dicitur abſolutio valida. Quoniam, ſi eſſet probabiliter valida, non poſſet eſſe illicita in caſu extremæ neceſſitatis: ſed Pontifex dicit illicitam in omni caſu, & in nullo licitam: ergo certum eſt nunquàm, & in nullo caſu eſse validam, ut diſcurrit Cardenas *to.1. criſ. Theol. trac.1. diſp.9. cap.8. nu.134.* Poſt quem notavit Piſani *Glad. Gedeonis ad 1. prop. ab Innocentio XI. damnat. num.19.* Quòd controverſia ante decretum Clementis reſtricta erat ad ſolùm neceſſitatis caſum: ergo. ſi etiam nunc in eo caſu liceret, nihil definitio profuiſset. Dicto verò periculo poteſt moribundus occurrere, eliciendo, Deo auxiliante, actum perfectæ contritionis.

Probatur ult. Eſt certiſſimum Romanā Cathedram eſse vivam regulam infallibilem in quæſtionibus de morum doctrina; ſed quęſtiones de probabilitate, vel improbabilitate in morum materia, ſunt quæſtiones de doctrina morum: qui enim in praxi ſequitur propoſitiones improbabiles, deviat à rectis moribus; & qui conſcientiam dirigit opinionibus practicè probabilibus, mores componit: ergo eſt certiſſimum in iſtis Romanam Cathedrā eſse regulam infallibilem, adeò ut, dum ipſa aſserit opinionem in materia morum improbabilem, falſam, aut ſcandaloſam, ea opinio manet à parte rei, & pro foro, etiam interno improbabilis, falſa, & ſcandaloſa.

Dicunt. Pontifex non procedit ad damnandas propoſitiones, niſi, prævia conſultatione Doctorum, qui in eo poſsunt errare; quod enim uni ſufficiens videtur, alii inſufficiens poſsunt judicare:

13 Contra. Utique Pontifex non damnat propoſitiones, niſi prævia conſultatione Doctorum; Nam Deus voluit, ut Pontifex (ſicut non poteſt) non temerè definiret. Verùm quamvis illi errarent, adhuc Pontifex in definitione eſset ab errore immunis propter aſſiſtentiam Spiritûs Sancti, cujus protectioni infallibilitas definitionis, non verò conſultationi Peritorum nititur, à quo ita regitur, ut errores illorum non ſequatur.

14 Quin etiam, ut obſervat Lauræa *de fid. diſp.5. art.6. num.376.* poteſtas tradita Pontifici in Petro à Chriſto Domino, non eſt data dependenter à conſilio aliorum, & cum clauſula irritante abſque tali conſilio. Cùm enim Chriſtus dixit Petro Matth.16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Lucæ 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Joan. ult. *Paſce oves meas*, non appoſuit conditionem de conſilio accipiendo ab aliis, nec aſſignavit quot, & quales eſsent conſulendi, ſed abſolutè poteſtatem tradidit. Inde firmat, quòd conſultatio aliorum, non eſt de neceſſitate, nec adhibenda eſt pro vali-

validitaté, & forma decretorum ex Cathedra, ſed ut ſe diſponat ad recipiendam Spiritus Sanƈti aſſiſtentiam; quinimò per ſe poſſet Scripturam, & Traditiones ſcrutari. Lege diƈta *contr.8.cap.7.nu.21.*

15 At certiſſimè conſtat de præmiſſa ſufficienti diligentia, quoties Pontifex quidquam definit: Nam Deus, qui diſponit omnia ſuaviter, ſtatim ac promittit abſolutè aliquem finem, eo ipſo providet, ne deſint media ad illum conſequendum. Ideò, quia Deus promiſit aſſiſtentiam Pontifici ne erret in definitionibus, debemus exiſtimare, quòd illa non defuerint; Ideò acquieſcendum eſt promiſſioni divinæ, non verò infallibilitatem definitionum carpere quis debet, quaſi debita media non fuerint adhibita, ut inquit Bail in *apparat.to.1.Sum.pag.mihi* 77.

Opponit I. Caramuel. Nulla auƈtoritas extrinſeca poteſt facere, quòd bonum ſit malum, quòd innocens ſit reus; ſed propoſitio probabilis bona eſt, innocens eſt: ergo nulla auƈtoritate fieri poteſt, quòd ſit improbabilis, & falſa: ergo non eſt in Romano Pontifice, &c.

Confirmatur. Si innocens per ſententiam Judicis damnetur, ut reus, licèt pro foro externo habeatur ut noxius, pro foro tamen interno manet innocens: ergo pariter, ſi opinio probabilis à Pontifice damnetur, ut improbabilis, in foro externo habebitur, ut talis, ſcandaloſa, & praƈticè iniqua; at in foro interno ſuam probabilitatem, & innocentiam retinebit.

16 R. Diſtinguitur major. Nulla auƈtoritas extrinſeca poteſt facere, quod bonum in ſenſu compoſito ſit malum, conc. in ſenſu diviſo, & loquendo de bonitate extrinſeca, negatur. Quilibet eſt bonus extrinſecè, dum non probatur eſſe malus; & innocens, dum non probatur reus. Humana auƈtoritas, per inquiſitionem cauſæ, & probationes legitimas, poteſt facere, ut qui extrinſecè reputatur bonus, & innocens, reperiatur malus, & noxius: ergo ſimiliter propoſitio, quæ ex defeƈtu ſufficientis advertentiæ aliquibus apparet ab intrinſeco probabilis, & praƈticè innocens, faƈto diligenti examine probabilitatis, & reperta adversùs eam efficaci ratione, deſtruente probabilitatem, poteſt reperiri improbabilis. Quæ ratio certò habetur, ex definitione Pontificis ex Cathedra. Ideò, iſta ſuperveniente, propoſitio, quæ priùs apparebat probabilis, deinde certò habenda eſt, ut improbabilis, & ſcandaloſa; quia definitio eſt medium certum, & infallibile deſtruens probabilitatem propoſitionum in materia morū, quæ videbantur probabiles; ſed dum ipſas damnat, ex tunc declarat eas intrinſecè non fuiſſe probabiles, licèt tales apparerent.

Dices. Hæc procedit de probabilitate extrinſeca, quæ deſumitur ex judicio prudentum, non verò de ea, quæ attenditur penes rationes, quia hujuſmodi dicitur intrinſeca propoſitioni.

17 R. Negatur antecedens. Utraque enim probabilitas eſt extrinſeca propoſitioni, & utraque deſtruitur à definitione Romanæ Cathedræ. Neque ſecunda probabilitas dicitur intrinſeca, quaſi ſit à propoſitione inſeparabilis; & cum ipſa methaphyſicè connexa, ſed in hoc dumtaxat ſenſu, quòd deſumitur ex rationibus, quę videntur connexæ cum veritate propoſitionis, ſed reverà non ſunt. Etiam albedo eſt intrinſeca ſubjeƈto, cum quo intrinſecè unitur, & tamen poteſt albedo ſubjeƈto deeſſe, & ſubjeƈtum de albo in non album converti. Conſideret Caramuel opinionem probabilem afferre formidinem, tam de veritate, quàm de demonſtrabilitate partis oppoſitæ: *ergo fortè eſt vera, & fortè eſt falſa: ergo fortè tam ejus veritas, quàm ejus falſitas eſt demonſtrabilis,* quamvis hæ demonſtrationes adhuc nos lateant; ſed nos minimè latent, ſi Romana Cathedra eam damnat, ſed tunc nobis certò nota eſt ipſius falſitas. Ita, dum in Conciliis controvertitur aliqua materia, ſunt pro una parte ſuffragia Patrum, ſunt

& pro

& pro alia; quo tempore dici poteſt ea materia, pro utraque parte, probabilis. Cùm verò Concilium ex majori Patrum ſuffragio definit unam partem, tunc primùm ea incipit eſſe certa, quæ immediatè antea erat probabilis, & jam omnes Patres indubitanter eam eſſe certam affirmant: adeòut damnata in praxi uti non liceat, ſed tenenda certò eſt, ut falſa, temeraria, & ſcandaloſa, ad tenorem decreti: ergo ea propoſitio non ampliùs manet pro foro interno, & conſcientiæ probabilis. Quòd Caramuel dabit propoſitionibus à Conciliis proſcriptis fortè negabit illis à Pontifice damnatis? à quo Conciliorum infallibilitas pendet, ex dicendis *contr.8.cap.4.*

18 Ad confirmationem. Concedimus reum injuſtè damnatum, manere noxium in foro externo, & quoad notitiam hominum, & in foro interno perſeverare innocentem. Sed negamus id evenire in propoſitione, quæ priùs probabilis apparet, & quæ verſatur in materia morum, & à Romana Cathedra damnatur, ut falſa, ut ſcandaloſa, vel temeraria. Diſparitas verò eſt, quia innocentia realis non eſt homini extrinſeca, aut à principio extrinſeco auferibilis; & ideò, dum ab ipſo homine non procedit culpabilis operatio, eſt ab ipſo inſeparabilis innocentia. Probabilitas autem opinionis conſiſtit in eo, quòd non appareat argumentum evidens, & certum in contrarium: quod omninò eſt extrinſecum propoſitioni, quæ dicitur probabilis, & eſt quid defectibile in ipſa; & reverà deficit, quoties apparet argumentum certum in oppoſitum; quod argumentum omninò certum, & incompatibile cum probabilitate propoſitionis, etiam pro foro interno, eſt definitio Romani Pontificis, in materia morum proſcribentis propoſitionem.

Opponunt 2. Biblia Sacra idiomate vulgari interdicuntur, quia ex ipſis oritur ſcandalum legentibus; Et tamen eorum propoſitiones non ſunt ſcandaloſæ, ſed doctrinam continent de fide: ergo, etſi Pontifex aliquas propoſitiones damnet in morum materia, non infertur, quòd ipſę contineant doctrinam ſcandaloſam.

Accedit. Cùm à Pontifice propoſitio aliqua in materia morum, ut ſcandaloſa damnatur, non imponitur obligatio cohibendi aſſenſum internum, vel mente non dicendi eam propoſitionem non eſſe ſcandaloſam: ergo adhuc poſita damnatione manet in ſua probabilitate. Antecedens patet. Nam id judicans, non eſſet ſcandaloſus. Propoſitio enim merè interna, proximo non ponit offendiculum, cùm ſit ipſi penitùs ignota, neque ei præbet occaſionem ruinæ. Ideò tunc non agit contra propoſitionem Pontificis; ſiquidem Papa prohibet ſolùm ſub cenſuris, ne damnatę propoſitiones deducantur ad praxim, defendantur, & promulgentur; relinquens liberum à ſuo decreto internè diſcrepare, ac putare eas non eſſe ſcandaloſas, &c.

19 R. Profectò Biblia vulgari idiomate translata interdicuntur, ſed non ratione pravitatis doctrinæ; aliàs, ſi doctrina prava eſſet, etiam latino idiomati mandata interdicerentur. Neque ulla cenſura Theologica notantur. Ubi enim aliqua ita interdicuntur, ea non eſt ſolùm interdictio, ſed condemnatio; & id ex tenore prohibitionis conſtat. Unde interdicitur lectio Sacrorum Bibliorum lingua vulgari editorum, non quia contineant doctrinam non ſanam (quod abſit dicere) vel, ejus propoſitiones in ſe ſint ſcandaloſæ, ſed *propter hominum temeritatem; & quia plus inde detrimenti, quàm utilitatis oritur*: ut dicitur *regula IV. Indicis librorum prohibitorum*. Propterea cauſa, cur ſimilis lectio ſit interdicta, eſt, tum ſcandalum paſſivum, & acceptum, quod oritur ex malignitate, & ignorantia legentium, cui pia Mater Eccleſia ſua prohibitione remediũ poſuit; tum temerariorum hominum, qui ex vulgari idiomate motivum accipiunt ſeducendi puſillos, & ſimplices, ac ſpiritualem eorumdem ruinam procurandi;

ut,

ut, ſi proponant, quæ leguntur de *Patriarcharum Polygamia*: de Davidis *adulterio*, *&* ſimilibus. Propterea prohibitio eſt univerſalis, & omnes complectitur, contra Juvenim *to.1. inſtitut. Theolog. diſſert. 4. art. 3. §. 5.*

20 Et advertendum prohiberi, retineri, & legi, tum Sacra Biblia vulgaria ex integro, tum tam *Novi, quàm Veteris Teſtamenti partes, vulgari lingua editas: ac inſuper ſummaria, compendia, etiam Hiſtorica eorumdem Bibliorum, ſeù librorum Sacrę Scripturæ, quocumque vulgari idiomate conſcripta. Neque per d. quartam regulam tribuitur facultas Epiſcopis, Inquiſitoribus, aut Regularium Superioribus concedendi licentiam emendi, legendi, & retinendi Biblia vulgari lingua edita*, prout expreſsè in obſervatione ad d. regulam IV. facta juſſu Clementis VIII. Quæ unà cum regulis præfigitur codici Indicis librorum prohibitorum. Sed licentia obtinenda eſt à Sede Apoſtolica. *Qui verò abſque ea legere, ſeù habere præſumpſerint, niſi, priùs Bibliis Ordinario redditis, peccatorum abſolutionem percipere non poſſint*, ex d. regula.

21 Nota hìc aliquando interdici librum in odium auctoris, eſtò doctrinam pravā non contineat: ita ibi in regula II. prohibentur omnes libri *Hæreſiarcarum, ac eorum, qui poſt an. 1515. fuerunt capita hęreticorum; quales ſunt Lutherus, & Calvinus, & his ſimiles, cujuſcumque nominis, tituli, aut argumenti exiſtant*. Ly enim *omnes*, quoſcumque comprehendit, ſive hæreſim contineant, vel de religione tractent, ſive erroneam doctrinam non exhibeant; cum hoc diſcrimine, quòd legentes, & retinentes ſine debita facultate illos primi, & ſecundi generis, incurrunt excommunicationem Bullæ Cænæ, legentes verò eos tertii generis, ligantur excommunicatione impoſita in regula IX. ad calcem ibi. *Quod ſi quis libros hæreticorum, &c.* Vel *cujuſvis auctoris ſcripta ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, habuerit, ſtatim in excommunicationis ſententiam incurrat*.

22 Ad accedit. Didacus Hurtado *Theol. refor. diſſert proœmial nu. 28.* obſervat quaſdam cenſuras, communes eſſe propoſitionibus internis, & externis, ut eſſe *hæreticam, temerariam, erroneam, falſam, aut errori proximam*; alias verò cadere in ſolas externas, ut, eſſe *malè ſonantem, piarum aurium offenſivam, ſeditioſam, denigrativam famæ alienę, aut ſcandaloſam*. Propter quod illud ipſe ſcripſit, quod objectum eſt. Verùm, ipſe non diſtinguit cenſuram Theologicam ab Eccleſiaſtica. Illa afficit immediatè doctrinam, & mediatè perſonam; & definitur: *Nota maligna, prava doctrinæ fidei, & morum nocivæ, quæ poſt qualificationem à Theologis factam, tribuitur propoſitionibus ipſam doctrinam continentibus.* Alia afficit immediatè perſonam, & mediatè doctrinam: *eſtque pæna, quæ hominem baptizatum, privat aliquo bono ſpirituali*, juxta ipſius qualitatem. Utrumque cenſuræ genus regulariter intervenit in propoſitionum damnatione; dum poſt expreſſionem notæ, qua propoſitio aliqua afficitur, imponitur, ut plurimum Eccleſiaſtica aliqua pęna iis, qui in poſterum illam pręſumunt propugnare, defendere, & ad praxim deducere, & videre eſt in Decretis Alexandri VII. Innocentii XI. ac Alexandri VIII. qui quamplures propoſitiones exſufflarunt.

23 Quare tametſi cenſuram Eccleſiaſticam non incurrat, (niſi decretum aliter diſponat) nec ſcandalum proximo præbeat, qui propoſitionem à Pontifice, ut ſcandaloſam proſcriptam externè non doceat, nec propugnet; contra definitionē tamen operatur, dum, eſtò internè dumtaxat, judicet eam ſcandaloſam non eſſe. Unde obligatio in caſu datur (ad cohibendum aſſenſum internum, & non judicandi contra decretum, ſuppoſita cenſura Pontificis) non juris humani, ſed divini, quod ad interiores quoque actus poteſt obligare, & intellectum conſtringere, & obligat, ut diſcurſus ſuos poſtponat, & in obſe-

ſequlum ſupremæ auctoritatis ſe captivet. Certò enim conſtat ex divinis propoſitionibus Pontificem non poſſe errare contra fidem, & bonos mores. Ideò, qui mente putaret non eſſe ſcandaloſam, & pernicioſam in praxi eam propoſitionem, quam ore fatetur fuiſſe ab illo nota aliqua Theologica inuſtam à parte rei convinceretur ſentire contra infallibilitatem illius, jurique divino ſe ſe opponeret, præcipienti, ut illum habeamus, tanquàm regulam viſibilem, Spiritus Sancti aſſiſtentia præmunitam, ne in his poſſit Eccleſiam decipere, & deviare à recto veritatis tramite: Hinc negatur antecedens, ſed videas infra *cap.ult.*

Dices. Poteſt aliqua propoſitio eſſe ſimul ſcandaloſa, & vera, ut, ſi quis proferat crimina vera alterius, quæ audientibus ſcandalum præbeant. Ita D.Paulus ad *Corinth.1.cap.8.* oſtendit licitum in ſe eſſe comedere Idolotytha, ſeù, res Idolis immolatas, & verum eſſe ab aliis cibis non differre, cùm nihil ſacri, aut Religionis eis adveniat ex immolatione: & tamen vult non eſſe comedenda, quia commeſtio poterat ſcandalum præbere: ergo eſtò à Pontifice aliqua propoſitio proſcribatur, ut ſcandaloſa, adhuc quis poteſt eam judicare non ſcandaloſam, & non falſam.

24 R. Negatur antecedens de propoſitione in ſe ſcandaloſa; hæc enim non poteſt eſſe vera, ſed juxta dicta nu.5. eſt neceſſariò falſa. Fundamentum enim ſcandali in ſe eſt falſitas doctrinæ. De illis verò, quæ obiiciuntur, non verificatur in ſe eſſe ſcandaloſa, ſed ſolùm per accidens ratione ignorantiæ. Sanè ſi quis ignorantibus crimina à Petro commiſſa ea proponeret, ſcandalum præberet; at non alio ex capite, quàm ex circumſtantia ignorantiæ audientium. Sic D.Paulus Corinthiis dixit: comedere Idolotythum in ſe licet, ſed per accidens non expedit, propter ſcandalum infirmorum. Cùm enim nonnulli in fide Chriſtiana non benè inſtructi, putarent Idolotytha ex immolatione aliquid ſacri recepiſſe, & inde à Fidelibus non poſſe in cibum aſſumi, ubi vidiſſent rectè ſentientes ea comedere, potuiſſent ex eo lapſus, & ruinæ ſpiritualis occaſionem accipere. Nam peccat, qui putat non licere veſci Idolotythis, aliorum tamen rectè ſentientium exemplo illis veſcitur, non depoſita opinione ſua erronea. Propterea cap.10. addidit: *Omnia* (non lege prohibita) *mihi licent, ſed non omnia expediunt, quæcumque licent, quia non omnia ædificant*. Licet uxoratis copula matrimonialis, ſed eam exercere, ut offendiculum poſſint videntibus obtrudere, non licet. Quare, non jus noſtrum, ſed charitas eſt regula actionum noſtrarum. Non enim ſolummodò, quod jure poſſumus, debemus conſiderare, ſed illud pariter, quod charitas petit, juſque noſtrum per charitatem, proximi bono ſæpè ſacrificandum.

Opponunt 3. Decretum Pontificis ex Cathedra proſcribentis in materia morum propoſitiones non eſt immutabile, & irreformabile: ergo optimè ſtat, quòd aliqua propoſitio ab eo proſcribatur, & adhuc maneat probabilis. Antecedens patet. Ponderando clauſulas *intereà*, quæ reperitur in decreto Alexandri VII. *edito 24. Septembr. 1665*. Et *pro nunc*, quę extat in alio Innocentii XI. Quod adversùs quamplures propoſitiones emanavit 2. *Martii 1679*. Unde idem eſt dicere *Intereà*, & *pro nunc*, ac *alio non apparente*, vel, *rebus ſic ſtantibus*; adeòut ſententia illis clauſulis data, perpetuitatem de ſe non habeat, ſed mutationi ſubjaceat, ſi rerum ſtatus notabiliter mutetur, vel, aliud quidpiam appareat ab eo, quod tunc apparebat. Ideò decreta illa temporalem cauſam habent, nec Silentium perpetuum imponitur contra ipſa.

Confirmatur. Licèt prop. 37. ab Alexandro proſcripta: *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ*, ad præſens ſit in praxi falſa, & Fideles ſeducens, ab iſtis notis poteſt pro

alio tempore ceſſare, in caſu nimirum, quòd alius Pontifex eas revalidaret: ergo decretum Alexandri eſt reformabile.

Deinde, differunt damnare aliquam doctrinam, affirmando expreſsè illam eſſe ſcandaloſam, & damnare illam, tanquàm ſcandaloſam; quæ enim ſecundo modo improbatur, reprobatur ad *inſtar*, ac *ſi eſſet* ſcandaloſa. Qua dictione plures aſſertiones proſcripſit Alexander, & Innocentius, aliique Pontifices; conſequenter non ſunt abſolutè ſcandaloſæ, & adhuc retinent probabilitatem. Non enim otioſè vox illa debet cenſeri decretis adjecta, in re adeò examinata, maturèque diſcuſſa.

25 R. Negando antecedens. Ad probat. Multa infarcit: Hurtado *loc.cit.q.5.* ut difficultati occurrat, & quidem ad rem non ſatis. Ideò dicimus eas clauſulas non referri ad limitationem prohibitionis, dum aliud non apparet; ſed afficere ſolam reſtrictionem propoſitionum, quæ determinatè à Pontifice prohibentur, ſuſpenſo *pro nunc*, & *intereà* judicio circa alias ad Sanctam Sedem delatas. Manifeſtum id eſt, tum ex decreto Alexandri ex clauſula adjecta: *Quibus peractis* (hoc eſt completo examine ſuper propoſitiones, quas in eo damnavit) *dum ſimilium propoſitionum examini, cura, & ſtudium impenditur, intereà idem Sanctiſſimus, &c.* Tum ex illo Innocentii (cui à Lovanienſibus centum, & quinquaginta propoſitiones cenſurandæ fuerunt delatæ, teſte Cardenas *Criſ.Theol. ad prop.ab Innoc.proſcriptas diſſert. proemial. cap.4.num.*103. Ex quibus ſolùm ſexaginta quinque fuerunt ab Innocentio proſcriptę, ut in decreto; in quo, præmiſſa illarum damnatione his verbis. *Idem Sanctiſſimus in re poſtea maturè conſiderata ſtatuit, & decrevit pro nunc ſequentes propoſitiones, &c.* Subditur. *Tandem, ut ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeù Scholaſtici, aut alii quicumque in poſterum ſe abſtineant, & ut paci, & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in theſibus, diſputationibus, & prędicationibus caveant ab omni cenſura, & nota, nec non à quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à Sancta Sede recognitæ, ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.*

26 Ad confirmat. Poſſent utique Pontifices Alexandri ſucceſſores indulgentias revalidare; at non inde ſequitur, quòd Alexander in ea damnatione erraverit, & ejus decretum ſit reformabile. Nam pro tempore, quo fuit editum, ſemper retinet veritatem; & propoſitio de præſenti in praxi falſa eſt, licèt ſucceſſu temporis, & accidente revalidatione poſſit eſſe non falſa.

27 Quod tamen dicendũ non eſt in illis, quæ ſpectant ad jus naturale, & divinum, in quibus, ſecundùm ſe conſideratis, nulla penitùs poteſt mutatio intervenire, licèt aliquando ob mutationem materiæ illa liceant, quæ aliàs erant illicita. V.G. accedere ad hanc mulierem ante matrimoniũ eſt peccatum lęthale, quia tunc fit acceſſus ad non ſuam. At poſt matrimonium potiùs eſt actus honeſtus, non quia jus naturale in ſe mutetur, ſed quia mulier de non ſua, in ſuam tranſit. Ideò cùm Romana Cathedra aliquid damnat, quia eſt jure naturali, vel divino prohibitum (quamvis aliquibus non videatur) nunquam poteſt de prohibito in non prohibitum tranſire. Propter quod conſtat diſcrimen inter illis juribus prohibita, & jure poſitivo humano proſcripta; hoc enim propter circumſtantias loci, & temporis eſt mutationi obnoxium, & inde plures leges Eccleſiaſticæ fuerunt abrogatæ, & aliæ inductæ.

28 Ad deinde. In noſtro caſu dictio *tanquàm* non ſignificat improprietatem, ut in pleriſque aliis evenit, ſed potiùs exponitur ſententia, quæ intenditur. Intentio autem Pontificum fuit damnare propoſitiones, quæ verè ſupponebantur ſcan-

ſcandaloſæ, & in praxi pernicioſæ. Ita Alexander damnavit quamplures opiniones, quas audivit *Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes*, ut in ejus decreto. Et Innocentius *opus ſalubre perficiens ab Alexandro inchoatum in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis*, alias proſcripſit; qui verò *audit*, & qui *ſegregat*, ſupponit verè adeſse paſcua noxia, & innoxia; ideò eorum intentio non fuit nova jura condere, ſed jam exiſtentia declarare. Quod ex eo etiam conſtat; nam, cùm præcipiant abſtinendum eſſe à doctrinis damnatis docendis, aut practicandis, tanquàm à ſcandaloſis, & pernicioſis in praxi, Eccleſiam ſcandaloſè deciperent, & maximam errandi occaſionem circa doctrinam morum ei præberent, quod omninò repugnat, niſi reverà ſcandaloſæ, & pernicioſæ forent; atque ita reverà tales ſunt.

Dices. Sixtus V. *Conſtitut. Deteſtabilis* 45. *Bullar. tom.* 2. Contractus ſocietatis cum certis conditionibus, & pactis iniquè adjectis damnavit, facta hac expreſſione §. 1. *poſthac ineundos*, qua ſignificavit eos non eſſe ſecundùm ſe illicitos, vel uſurarios pro præterito, & antequam condemnarentur. Unde dixit Hurtado cit. *q.* 11. *nu.* 65. Sixtum ſua condemnatione non obligaſſe ad judicandum, ſeù cenſendum ejuſmodi contractus, *quos morboſos, contagioſos, ac pernicioſos, ſapienteſque uſurariam pravitatem appellat*, fuiſſe uſurarios, ſecundùm ſe, & antecedenter; ſed ſolùm ſtatuit *illos uſurarios, & illicitos poſthàc cenſeri debere, ac in poſterum non licere, &c.* Propter quod nu. 68. concludit eum damnationi non contradicere, qui affirmaret, talem modum paciſcendi per ſe loquendo eſſe licitum, atque ita probabilitatem in ſe retinere.

29 R. Non ſemper dictio illa *poſthàc* eſt excluſiva præteriti temporis, de quo in præſenti dubium nullum eſſe poteſt. Satis enim à Sixto explicatur præfatos contractus antecedenter ad ſuam reprobationem fuiſſe iniquos, quoniam *in d.* §. hæc ſunt: *cupiens hujuſmodi morbi contagionem tollere, antequàm in communem Fidelium perniciem latiùs ſerpat*. Non enim ait, *ne ſerpat*, ſed ne *latiùs ſerpat* pro futuro, ergo ſupponit priùs etiam ſerpiſſe, & contagioſos in ſe fuiſſe, tametſi id nonnullis non appareret. Ideò verò noluit Pontifex ſua declaratione contractus antea cum illis conditionibus fęneratitios, & uſurarios decernere, non quòd pro tunc pravi non eſſent, ſed quia nonnullis fortè cognitio pravitatis non affulſit, & poterant plures ex inculpabili ignorantia excuſare ſe, non ſubiici oneri reſtituendi pretium, ultra ſortem acceptum. Quod, an benè putarent, reliquit Theologis diſputandum, & Confeſſariis à pęnitentibus inquirendum: quapropter ejus damnatio eſt comprehenſiva, etiam præteriti temporis, & declarativa oppoſitionis, quam cum ipſo habent dicti contractus: & hinc damnationi opponeretur, qui affirmaret eos ſecundũ ſe licere.

Opponunt 4. Hęc propoſitio in ordine 13. ab Alexandro VII. ut ſcandaloſa reprobata: *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato*, adhuc eſt probabilis; Vel, dicendum erraſſe Leonem X. qui in Concilio Lateranenſi, ut in ejus *conſtit. Dum intra* 22. *in Bullar. to.* 1. expreſsè id ſtatuit.

Item. Alexander VII. decreto edito 5. *Maii* 1667. inhibuit cenſura aliqua Theologica notari, tam opinionem affirmantem neceſſarium eſſe aliqualem Dei dilectionem in Attritione, ad Sacramentum pęnitentiæ requiſita, quàm negantem; cum verò alterutra ex his opinionibus, utpotè extremè oppoſitis, ſit neceſſariò falſa, ſequitur Pontificem neceſſariò inhibuiſſe, ne cenſura notetur falſa opinio: ergo ſicut hìc erravit, ita errare poteſt, dum ipſe propoſitionem aliquam probabilem, ut improbabilem prohibet, adeò ut, prohibitione non obſtante, adhuc probabilis ſit.

30 R. Equidem ea conſtitutione, quæ fuit moderativa privilegiorum Regularium Leo, ſacro approbante Concilio; ſtatuit confitentes Regularibus, à ſuis Prælatis *Epiſcopo præſentatis, admiſſis: vel, etiam indebitè recuſatis, ſatisfacere conſtitutioni,* Omnis utriuſque ſexus, *quoad Confeſſionem dumtaxat*. Ratio eſt, quia Regulares à Sede Apoſtolica juriſdictionem habent, & in caſu ab eadem Sede admittebantur ad confeſſiones audiendas. Verùm quia privilegio ipſi abutebantur, & plures facilè ſe idoneos reputantes, & injuſtè ab Epiſcopo reprobari, procedebant ad abſolvendum, & quidem in animarum perniciem, & Epiſcoporum contemptum, Tridentinum, ut ea incommoda vitarentur *ſeſſ.23.cap.15.* ſtatuit, ut, *nullus Sacerdos, etiam Regularis, poßet confeſſiones ſæcularium audire, abſque Epiſcopi approbatione*, revocans privilegia in contrarium. Qua non obſtante Conciliari diſpoſitione, adhuc ex Regularibus nonnulli docere non verebantur, ſæculares ſatisfacere præcepto annuæ confeſſionis, qui Regulari injuſtè reprobato confitentur; quod penitùs falſum eſt, nam de injuſtè, etiam reprobato, ſemper eſt verum dicere, quòd audiat Confeſſiones, approbatione non recepta. Et inde nedum illicitè, ſed etiam invalidè audit. Tum quia, Concilium utitur phraſi *nullus poſſit*. Tum quia, Regulares quidem juriſdictionem recipiunt à Pontifice, ſed, nonniſi poſita, & accepta, ut conditione neceſſaria, Ordinarii approbatione, qua deficiente, Pontifex juxta mentem Tridentini juriſdictionem non confert, & ita abſolutio irrita eſt ſive juſtè, ſive injuſtè approbatio negetur, ut ait Viva ad *d.prop.ab Alexand.damnat.* Quæ approbatio ſubinde neceſſaria in Regularibus conſtituta eſt à Clemente X. Conſtit. *Superna §.4.& 5.Bullar.to.5.*

31 Ad Item. Id prohibuit Alexander, non quia utraque propoſitio eſſet vera in ſe, ſed in bonum pacis: & juſto fine permiſit de utraque tractari, *donec à S.Sede fuerit aliquid in hac re definitum*. Quę clauſula evincit, non approbaſſe utramque abſolutè, ut probabilem, ſed ſolùm modo permiſſivo ſe habuiſſe, uſque dum ſedes ipſa aliter definiiſſet.

Hìc pro uberiori notitia obſervandum cenſui, Dogma Catholicum eſſe, vel *imperatum* (quod propriè dicitur Dogma Catholicum) vel *liberum*, vel *toleratum*, ſeù *permißum*. Imperatum nihil aliud eſt, quàm fidei dogma omnibus cum obligatione credendi propoſitum. *Liberum*, eſt doctrina quæcumque, quæ eſt talis, ut neque ſit de fide, neque fidei nociva, & de qua tenenda, vel non tenenda eſt libera cuicumque in Eccleſia facultas. *Toleratum*, ſeù *Permiſſum*, nihil aliud eſt, quàm doctrina illa, quæ talis eſt, ut non ſit de fide, neque ſatis notoriè contra fidem, nec hæretica, quia nondum ab Eccleſia damnata, ut hæretica, ſed tolerata; & ideò in Eccleſia adhuc à multis defenditur, & reiicitur, ut eſt illa, de qua agit objectio..

Inſtant pariter. Gelaſius Papa in *cap. Sancta Romana 15.diſt.* approbat opuſcula Cypriani, Athanaſii, Nazianzeni, Auguſtini, & aliorum, & tamen ex hac approbatione non ſequitur irrefragabilitas in doctrina dictorum Patrum. Nam in operibus Cypriani continetur error de *rebaptizandis baptizatis ab hæreticis*: ergo pariter, ex quo reprobet aliquam propoſitionem non ſequitur, quòd ejus judicium ſit irreformabile, & propoſitio non ſit probabilis.

32 R. Negatur conſequentia. Nec antecedens obſtat, nam ut inquit Toſtatus hujuſmodi approbatio eſt ſolùm ſimplex cõmendatio generalis doctrinæ dictorum Patrum, tanquàm piæ, & eruditæ, in eo tamen ſenſu, quòd non repugnent iis, quę ab Eccleſia erant definita, quando illi ſcribebant; adeòut poſſent pro tunc eorũ opera recipi. Propoſitiones verò, de quibus agimus in ſpeciali ſtrictè reprobantur, ut continentes errorem circa fidem, & mores. Et Pontifex, ut Caput Eccleſiæ, & Ma-

Magiſter fidei, decretum edit pro univerſa Eccleſia, illudque vult ab omnibus fidelibus obſervari, id præcipiens in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii, ac Eccleſiaſtica cenſura, ut ex dictis Decretis Alexandri, & Innocentii. Non ſic ea opuſcula obſervanda proponit Eccleſiæ.

Quæritur. Qua cenſura notandus ſit, qui propoſitiones à Pontifice, loquente ex Cathedra damnatas, amplectitur adhuc ut probabiles, ſeù veras?

33 R. Propoſitionem damnatam ut hæreticam, citra hæreſim eſſe talem negari non poſſe, eſt ſententia communis: tum quòd ſit hæretica: tum quòd ſit falſa, utpotè immediatè oppoſita doctrinę fidei eſſentialiter veræ, ab Eccleſia definitæ. Dubium eſt de propoſitione alià cenſurà notata V.G. ut ſcandaloſa, temeraria, erronea, &c. Nonnulli putant ſolùm eſſe errorem, aut errori proximum negare, quòd propoſitio mereatur notam, qua à Sancta Sede inuritur. Verùm, quòd citra hæreſim, ſaltem reductivè, non poſſit affirmari ampliùs, quòd ſit probabilis, & vera, ſed habenda ſit omninò talis, prout definitur, certum mihi eſt; nam oppoſitum definitionis aſſerere, eſt ſaltem implicitè aſſerere Pontificem poſſe errare in proſcriptione propoſitionum in materia morum, in quo errare non poſſe eſt de fide nobis revelatum Joan. ult. illis verbis: *Paſce oves meas*, doctrina tum fidei, tum morum: ſi verò erraret, non modò non paſceret, ſed, pabula venenoſa proponendo, occideret.

34 Reſolutis addendum putamus plura eſſe cenſurarum genera, quibus notari poſſunt propoſitiones, referentes doctrinam, quæ fidei Catholicæ, & Chriſtianis moribus eſt nociva; à quibus eędem propoſitiones denominationem ſortiuntur; quarum plures recenſentur in Concilio Conſtantienſi *tit. de notis cenſuræ contra errores Vvicleffi, & Huſſii*, quas hìc breviter explicandas aſſumimus.

35 I. Hæretica propoſitio ea dicitur, *quæ apertè opponitur veritati à Deo revelatæ, & per Eccleſiam definitæ*; ſic hæretica cenſenda eſt illa, qua quis diceret: *Chriſtus non eſt Deus*, oppoſita huic, *Chriſtus eſt Deus*, revelata & toties ab Eccleſia declarata. Dicitur autē *hæretica* ab hæreſi, ſive electione, quatenus eſt proprio judicio electa contra oppoſitum à Deo revelatum, & univerſalis Eccleſiæ judicium; in qua oppoſitione ſita eſt ratio hæreſis, & ſine qua nullus cenſendus eſt hæreticus. Dicitur ab *Eccleſia definitæ*: propter quod hæretici non fuerunt plures Eccleſiæ Doctores, qui, eſtò inter ſe pugnarint, & contraria fidei dogmata tenuerint, tamen hæreticè non ſenſerunt, ex eo quòd res, de quibus diſputabant, nondum erant per Eccleſiam definitæ. Ita Auguſtinus *lib.4. de baptiſ. contr. Donat. c.16.* Supponens aliquem idem ſentientem, quòd Photinus, dicens Chriſtum eſſe purum Pontificem, & exiſtimantem ipſam eſſe Catholicam fidem, ait: *Iſtum nondum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina Catholica, fidei reſiſtere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit*.

36 II. Erronea eſt, *quæcumque opponitur Doctrinæ juxta unanimem ſenſum Sanctorum Patrū, vel Eccleſiæ Doctorum revelatæ ſed, nondum per Eccleſiam definitæ; vel, quę opponitur doctrinæ, quæ, licèt non ſit per Eccleſiam definita, nec formaliter, & expreſsè revelata, infertur tamen communiter à Theologis per diſcurſum ex revelatis*: unde & concluſio Theologica dicitur; ideò eſt virtualiter revelata, & proximè accedens ad fidem, quia proxima eſt, ut per Eccleſiam definiatur; cui nihil deeſt, ut ſit de fide, præter definitionem Eccleſiæ. *Hinc erronea*, & *hæreſi proxima* coincidunt, & confunduntur; utraque enim opponitur doctrinæ ad fidem accedenti, ſeù doctrinæ virtualiter revelatæ, vel, ex revelatis illatæ, ſeù concluſioni Theologicæ. Sic erronea eſt, ac proinde hęreſi proxima, hæc: *Chriſtus non eſt riſibilis*, quia opponitur virtualiter revelatæ, ſeù à Theologis ex revelatis illatæ:

latæ; hoc eſt, iſti: *Chriſtus eſt riſibilis*: quæ infertur ex iſta revelata formaliter: *Chriſtus eſt homo*: ex eo enim, quòd Chriſtus ſit homo, rectè concluditur, & infertur quòd ſit riſibilis.

37 III. *Errori proxima eſt ea, quæ opponitur ei, quam plures, ſed non omnes Theologi tenent, eſſe concluſionem Theologicam.*

38 IV. *Sapiens hæreſim*, ſeù *ſuſpecta de hæreſi*, ea eſt, *quæ licèt aliquando poſſit habere bonum ſenſum, tamen ex quibuſdam, circumſtantiis, vel, ex parte aſſerentis, vel, ex temporum calamitate, cùm non ſit ſatis modificata, habet judicio prudentum ſaporem, & ſuſpicionem hæreſis*; qualis eſt hæc: *Pater major me eſt*. Quæ à Catholico prolata Catholica eſt, quia intellecta de humana Chriſti natura; ſed ab Ariano pronuntiata, Arianam hæreſim ſapit, quia gravis ſuſpicio eſt, ne intelligatur de ſuppoſito Chriſti: Pariter hæc, *fides juſtificat*, in ore Pauli eſt Catholica, ſed in ore Lutherani, tenentis fidem ſine charitate juſtificare, hæreſim ſapit.

39 V. *Sapiens errorem*, vel, *ſuſpecta erroris*, eſt pariter illa, quæ ex circumſtantia perſonæ loquentis, *loci*, vel *temporis gravem adjunctam habet erroris ſuſpicionem*; ut, ſi quis aſſereret propoſitionem aliquam, quà aſſertà, videretur negare iſtam erroneam; *Chriſtus non eſt riſibilis*.

40 VI. Temeraria ea eſt, *quæ ſine gravi fundamento impugnat in re gravi communem Theologorum ſententiam*; vel, *quæ nullo auctore fide digno, nulla probabili nixa ratione, contra communem Theologorum ſenſum procedit*, ut, ſiquis aſſereret: *Finale judicium poſt centum*, vel *ducentos annos futurum*: vel, *Beata Virgo in Cœlum in corpore non eſt aſſumpta*. Ea dicitur negativè ſolùm *temeraria*, ſi careat tam auctoritate extrinſeca Doctorum, quàm ratione ſolida ab intrinſeco: poſitivè verò, ſi opponatur auctoritati Theologorum.

41 VII. *Scandaloſa* ea eſt, *quæ immediatè, & de ſe præbet alii occaſionem ruinæ ſpiritualis circa doctrinam morum, & fidei*, ut, ſiquis, *data opera, diceret*: *Plura ſequuntur incommoda ex jejuniis Eccleſiaſticis, ex votis, & ex Sacramentali confeſſione*: ex eo enim homines redderentur ſegniores ad confeſſionem, vota, & jejunia.

42 VIII. Seditioſa ea eſt, *quæ diviſionem inducit in populo*; ut, ſiquis diceret: *Malo Prælato, aut Principi non eſt obediendum*.

43 IX. *Schiſmatica ea eſt, quæ aperit viam diviſioni Corporis myſtici Chriſti, hoc eſt Eccleſiæ*: ſeù, *quæ Fideles ab unitate, & pace Eccleſiæ*, vel, *ab obedientia Romani Pontificis retrahit*: ut, ſiquis diceret: *Romano Pontifici, moribus non ita integro, non eſt parendum*.

44 X. *Offenſiva pietatis, ſeù piarum aurium offenſiva*, ea eſt, *quæ nedum malè ſonat, ſed aliquid pariter indignum in materia Religionis pronuntiat*; ut, ſiquis actiones humanas Chriſti turpibus, & obſcœnis vocibus explicaret; vel, diceret: *Magdalena Meretrix, Petre perjure, orate pro nobis*. Similes enim pias aures offendunt, & timoratas conſcientias lædunt.

45 XI. Malè ſonans eſt, *quæ eſtò duos ſenſus habeat, unum fidei congruum, alterum non congruum, ſæpè tamen ab audientibus ſumitur in malam partem*: ut, ſiquis diceret: *Pater in divinis eſt fons divinitatis*. Hæc Catholicum ſenſum habet, ſi intelligatur, quòd Pater communicat Filio, & Spiritui Sancto divinitatem. Incongruus autem fidei ſenſus eſt, ſi intelligatur, quòd *Pater in divinis ſit principium divinitatis*. Eſſe enim fontem, eſt eſſe principium: ergo illa uſurpanda non eſt: nam Pater in divinis non eſt principium divinitatis, quæ omni principio, & fine caret.

46 XII. *Simplicium ſeductiva eſt quæcumque ſub ſpecie pietatis, vel boni prætextu, errorem tegens, apta eſt ſimplicium mentes ſeducere*, prout quamplures fuerunt ex aſſertis à Michaele de Molinos, quas Innocentius XI. *Conſtit. Cœleſtis Paſtor* proſcripſit duodecimo Kalen. Decembr. 1687.

Injurioſa eſt, *quæ facit injuriam alicui*, vel

vel perſonæ, vel ſtatui; ut fuit 20. ab Alexandro VIII. inter alias proſcripta 7. *Decembr*. 1690. *Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ*.

47 XIII. Impia, & Blaſphema ea eſt, *quæ Deo, vel Deiparæ, vel Sanctis eſt injurioſa, ac dehoneſtativa, detrahendo perfectiones illis debitas, vel affingendo defectus*: ut, ſiquis videns bonos malis abundare, & malos proſperari, *vocaret Deum injuſtum*: Vel, *Paulum vas fractum*, *Petrum Chriſti abnegatorem*, *Joannem juvenem ſtolidum*, & *Matthæum fæneratorem* appellaret; ut effutiit Hæreticus Quintinus, natione Picardus.

48 XIV. *Inſana, fabuloſa, & Mendoſa ea eſt, quæ nec ratione, nec auctoritate conſtat, neque aliqua veriſimilitudine nititur*, ut plures fuerunt ex aſſertis à Fraticellis ex *Conſtitut. Joan. XXII. Glorioſam* 3. §. 24. *Bull. to*. 1. & coincidit cum temeraria.

49 XV. *Antiquata* ea eſt, *quæ antiquitùs admittebatur tanquàm probabilis, quia nondum erat cognitum principium certum, ſed jam licèt non ſit expreſsè damnata, eſt tamen incompoſſibilis cum novo decreto Romanæ Cathedræ*: hujuſmodi eſt, *nullum præceptum Eccleſiæ obligat ſub mortali*; quæ eſt incompoſſibilis cum contradictorio propoſitionis 52. ex proſcriptis ab Innocentio XI. quæ erat: *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, & ſi abſit contemptus*. Etenim ex hujus contradictorio definito, & vero, quod eſt: *Præceptum ſervandi feſta obligat ſub mortali, etiamſi nullum adſit ſcandalum, aut contemptus*, ſequitur contradictorium illius univerſalis, hoc eſt, *aliquod præceptum Eccleſiæ obligat ſub mortali*, cum quo eſt evidens illius univerſalis incompoſſibilitas, & propterea habenda eſt ut penitùs antiquata.

50 XVI. Apocrypha ea eſt, *cujus auctor incognitus, aut incertus eſt*: vel, *de qua non conſtat, quòd ſit canonica, vel divina*. Ita Apocryphæ Scripturæ appellantur, de quibus an ſint canonicæ, vel divinæ minimè liquet.

51 XVII. *Judaica eſt quæcumque de Chriſto ſentit cum Judæis*; qualis eſſet illa, quę Chriſtum, ſeù Meſſiam nondum veniſſe, ſed venturum aſſereret, vel ſupponeret.

52 XVIII. *Pagana* ea eſt, *quæ cum Paganis Deos plures* admittit.

53 XIX. *Athea* ea eſt, *quæ cum Atheis Deum eſſe negat*: qualis eſt iſta dicentis in corde ſuo: *non eſt Deus*.

Quibus omnibus, & ſingulis, aliiſque, quas reportat eruditiſſimus Seſſa, olim meus Magiſter, *in ſcrutin. Doctrinarum*, notari poſſunt propoſitiones, per Theologos examinatæ continentes doctrinam fidei, & moribus nocivam.

CAPUT IV.

An Pontifex poſſit errare, in approbatione Religionum?

SUMMARIUM.

1 *Quid Religionis appellatione veniat?*
2 *Aliquando Religiones approbatæ fuerunt ab Epiſcopis.*
3 *Pontifex non poteſt errare in approbatione Religionum ad* 4.
5 *Nec etiam quoad circumſtantias.*
6 *Nulla Religio fundari poteſt, ſine approbatione Sedis Apoſtolicæ.*
7 *Semper præſumendum eſt pro capite, niſi error ſit manifeſtus.*
8 *Malè ſentientes de Religionibus à Pontifice approbatis reprehenduntur.*
9 *Error Waldenſium circa Religionum inſtitutionem.*
10 *Sectæ Fraticellorum origo.*
11 *Cur nonnullæ Religiones à Pontificibus approbatæ poſteà extinguantur?*
12 *Et unde deſumatur diverſitas Religionum?*
13 *Sanctitas Religionum (& Legum) à Pontifice approbatarum eſt à Deo revelato ad* 14.

1 Appellatione Religionis hìc venit quędam particularis vivendi for-

ma, includens eſſentialiter tria vota ſolemniter emiſſa, videlicet, *Paupertatis*, *Obedientiæ*, *& Caſtitatis*. Quibus apud aliquos additur quartum: ita Jeſuitæ prçter illa, ſolemne pariter votum emittunt obediendi Romano Pontifici quoad Miſſiones: & Minimi abſtinendi à carnibus, & lacticiniis. Hujuſmodi votis Religioſi Deo conſecrantur, & quantùm in ipſis eſt, perpetuò ſe Deo devovent, adeòut ſine reatu ſacrilegii ea non poſſint transgredi. Et ab exercitio, & particulari profeſſione virtutis Religionis (cujus eſt procurare debitum honorem, & gloriam Deo) Religioſi dicuntur; qui præ cæteris Fidelibus peculiari modo Deum honorare tenentur.

2 Olim nova aliqua Religio variis modis approbabatur. Primò, tacito conſenſu Pontificis ſcientis, & cònſentientis. Secundò, expreſſa approbatione ab ipſo impetrata. Tertiò, confirmatione ab Epiſcopo Diœceſano petita. Extra dubium eſt ante Conſtitutionem *Ne nimia de Religioſ. domib.* editam in Concilio Lateranen. IV. ſub Innoc.III. & ſubinde confirmatam à Gregorio X. in Lugdunenſi II. relatam *eod.tit.in 6.* Epiſcopos in ſuis Diœceſibus Religiones approbaſſe. Quibus tamen, poſt enuntiata Jura, id ampliùs non licet. Sed earum approbatio eſt reſervata Apoſtolicæ Sedi: cui majores cauſæ reſervantur; *cap.Majores de baptiſ.* Inter quas ſanè venit Religionum approbatio; etenim ea eſt una ex gravioribus Reipublicæ Chriſtianæ cauſis; ſiquidem per eam introducitur nova vivendi forma, & obſervandi perfectionem Evangelicam. Novæ enim Congregationes, majoris perfectionis gratia inſtituuntur. Ideò priùs diligenter ipſa vitæ futuræ forma examinari, & perſcrutari debet, ne ſub prætextu majoris boni, & ſanctioris vitæ hæreſes oriantur, vel hæretici foveantur. Quod optimè fit à Romana Cathedra. Et inde nova Religio, ſeù vitæ Monaſticæ forma, inconſulto Romano Pontifice, inſtitui minimè poteſt.

Melchior Canus *lib.5. de locis Theol.cap.5.* hac in re negavit infallibilitatem Pontificis. In quo à cçteris Catholicis diſcedit, & ab ipſis meritò reprehenditur.

3 Dicendum. *Pontifex errare minimè poteſt in approbatione Religionum*. Ita Diana *coord.tom.9. tract.5.reſol.23.* Cardenas *Criſ. Theol.p.1.diſp.q.6. art.1. nu.57.* Leytam *Synopſ. de Eccleſ. Milit. diſceptat.6. ſect.3.* Seſſa *Scrutin.doctrin.cap.2. artic.13.n.38.* aliique.

Probatur. Inſtituta Religioſa ſunt ſancta, ſalutaria, honeſta, & media conducentia ad acquirendam perfectionem, ac conformia obſervantiæ conſiliorum Evangelii: ergo Pontifex in eorum approbatione errare minimè poteſt. De antecedenti nullus dubitare poteſt, niſi cum Vvicleffo blaſphemet: *Sancti inſtituentes Religiones privatas, ſic inſtituendo, peccaverunt. Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipſo inhabiles ſunt ad obſervanda divina præcepta, & per conſequens ad perveniendum ad Regnum Cælorum, niſi apoſtataverint ab eiſdem*. Quæ propoſitiones cum aliis fuerunt proſcriptæ à Martino V. in Concilio Conſtantienſi, prout in ejus *conſtit.Inter cunctas* 1. *Bullar. tom.1.* Conſequentia ſequitur. Aliàs Pontifex erraret in materia morum. Siquidem proponeret toti Eccleſiæ illicitum pro ſancto, & malum pro bono, & ſic operaretur, ut tota Eccleſia erraret, judicando malum bonum, & ſequendo vitium pro virtute: atque ita ſancta perfectè non eſſet. Quod omninò repugnat; ſicut Pontificem in materia morum non eſſe ab errore immunem, ut dictum eſt *cap.2.*

4 Confirmatur. Eſt de fide non poſſe Pontificem pro tota Eccleſia præcepta, legeſque nocivas imponere: ergo nec conſilia pernicioſa, tanquàm ſalutaria proponere. Etenim conſilia in religioſo inſtituto, ab ipſo Pontifice approbato, commendantur Eccleſiæ, ut via ad perfectionem, & ut ſalutaria canonizantur. Et hinc, quomodo poteſtas inferni non prævaleret, ſi Papa erraret?

Di-

Dicunt. Papam non poſſe errare in approbatione Regulæ, vel legum alicujus Religionis, quantùm ad ſubſtantiam, vel honeſtatem, moralemque bonitatem ipſarum, benè verò quoad circumſtantias, imprudenter judicando, quòd hìc, & nunc conveniens eſſet aliquam Regulam approbare, cùm tamen id conveniens minimè foret. Ita Bannez, & Aragonius.

5 Contra. Hoc ſecundum etiam affirmare, non vacat temeritate, ut tradunt Franciſcus de Caſtillo, & Valentia apud Dianam *cit. nu.* 10. Nam temerarium eſt de eo, quod Pontifex palàm probat, diverſum ferre judicium. Sententia enim Summi Paſtoris reverenter ſuſcipienda eſt, non verò ſiniſtrè interpretanda: ergo, cùm Papa errare non poſſit in approbatione alicujus Religionis, quoad honeſtatem Inſtituti; inde eſt, ut neque dici poſſit ipſum imprudenter ſe gerere in approbandis Religionibus; ſeù quantùm ad hoc, quòd approbet, quòd hìc, & nunc eſt diſconveniens. Tum quia, Pontifex habet aſſiſtentiam Spiritus Sancti in his, quæ pertinent ad univerſalis Eccleſiæ regimen; ſed approbare Religiones, etiam quantùm ad circumſtantias, & quantùm ad modum, ſpectat ad regimen univerſalis Eccleſiæ: Oportet enim, ut Eccleſia habeat ſecuritatem, & certitudinem non tantùm in præceptis, ſed in conſiliis pariter, & in via perfectionis: ergo ad providentiam Spiritus Sancti ſpectat, ut non permittat eum, etiam quantùm ad circumſtantias, errare.

6 Accedit. Innocentius, & Gregorius ubi ſupra decreverunt, ut deinceps nulla fundaretur Religio ſine licentia Sedis Apoſtolicæ; quæ lex fuit ab illis præfixa, ne Religionum multitudo confuſionem pareret: ergo dicendum eſt, quòd, Papa approbante, non poſſit hoc inconveniens eſſe in Eccleſia, hoc eſt, ut ſint adeò multæ Religiones approbatæ, quòd multitudo confuſionem generet. Et ideò timendum non eſt, quòd Papa in approbandis Religionibus imprudenter ſe gerat; ſicut nec in condendis legibus, quæ ad Eccleſiam univerſalem pertinent.

Dicunt. Poſſe Pontificem, ut minimùm in hoc errare, ut illi concedat privilegia non neceſſaria.

7 Contra. Hoc Leytam *cit. ſect. 4. num.* 445. abſque timore affirmat, nec inde ſequi ait, quòd erret circa ſubſtantiam Inſtituti; cùm non definiat ea privilegia, ut quid ſanctum, & honeſtum. Verùm neque hoc poteſt abſque temeritate ſuſtineri; temerè enim judicat, qui judicium Romani Pontificis abſque fundamento de imprudentia redarguit. Semper enim præſumendum eſt pro Capite.

8 Quare adversùs malè ſentientes de Religionibus à Pontifice approbatis, nedum currit damnatio, qua à Martino ubi ſupra fuit perſtrictus Vvicleff. Verùm etiam decretum Papæ Hilarii relatum *in cap. Nulli 25. q. 1. Nulli fas ſit Apoſtolica decreta contemnere*. Et quod Scripſit D. Thomas *opuſc. 39. contra impugnan. Religiones c. 4. Cùm aliqua Religio*, inquit, *per Sedem Apoſtolicam inſtituta eſt, manifeſtè ſe damnabilem oſtendit, qui talem Religionem damnare conatur*. Propter quod meritò ab Auctoribus Canus reprehenditur, qui reſolutioni adeò certæ ſe oppoſuit.

Opponunt 1. Innocentius III. in *d. cap. Ne Nimia* advertens diverſitatem Religionum gravem in Eccleſia confuſionem inducere, prohibuit: *Ne quis ullus deinceps novam Religionem inveniat, ſed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis aſſumat*. Idem fuit renovatum ubi ſupra à Gregorio X. ubi eas omnes ſuppreſſit, quæ poſt d. Concilium Lateranenſe fuerunt erectæ: ergo Pontifex, approbans Religiones de novo, facit contra diſpoſita in dd. Conciliis à præfatis Pontificibus confirmatis.

Confirmatur. Unus Pontifex ſæpè ſupprimit Religionem ab alio Pontifice approbatam. Ita *cap. Sancta Romana de religioſ. domib. inter Extravag. Joan. XXII.* ipſe reprobavit

bavit Ordinem Fraticellorum, à Cęleſtino V. approbatum. Nec in dubium revocandum, quòd curſu temporis plures Ordines per Sedem Apoſtolicam approbati, fuerint à Pontificibus ſucceſſoribus ſuppreſſi: ergo opus eſt, vel, quòd ſuppreſſor erret, vel, quòd confirmator Eccleſiam deceperit.

9 R. Notatur, occaſionem edendi illud caput Innocentio fuiſſe Vualdenſes (aliàs dictos pauperes de Lugduno, & Albigenſes) qui tempore Innocentii ſuperſtitioſum vivendi modum pro Religioſo invenerunt, jactantes ſe vivere ſecundùm Evangelicam Doctrinam; cùm autem eumdem Innocentium poſtulaſſent, ut eam vivendi formam approbaret, & Innocentius, juſtitia exigente, petitionem rejeciſſet, ipſi nihilominus temerè cęperunt ſe veros Chriſti diſcipulos jactare, & variis erroribus implicari: ſentientes poſſe eam novam vivendi formam, & novam Religionem, Romano Pontifice contradicente, inſtituere, & obſervare, ut refert Pegna *comment. ad Director. Eymerici 2. p. q. 14.* Ad horum, ſimiliumque pro ſuo arbitratu novas Religiones fingentium, coercendam inſaniam, Innocentius eam tulit legem. In qua non legitur eum obſervaſſe, nimiam Religionum à Sancta Sede approbatarum multitudinem incommodare Eccleſiam, ſed de nimia diverſitate earum loquitur, quæ abſque Apoſtolicæ Sedis approbatione eriguntur. Etenim de illis ab eadem approbatis non procedit, quòd confuſionem generent, cùm nihil noxii in hujuſmodi reperiatur.

Hinc Gregorius eas tantùm revocat, quas importuna petitio ab Epiſcopis extorſerat, ac propria privatorum auctoritate fuerunt adinventæ, nullamque confirmationem Sedis Apoſtolicæ meruerunt, ut ibi textus. Nec Decretalis ad Ordines ab eadem Sede confirmatos extenditur, ut expreſsè §. *Confirmatos*, & §. *Sanè*, ex quo evidens eſſet ex eis utilitatem Eccleſiæ provenire.

10 Ad confirmationem. Pretendebant quidem Fraticelli ſe à Cęleſtino privilegium confirmationis obtinuiſſe, ſed non probabant, neque oſtendere valebant, ut Expreſsè *in d. c. Sancta*. Errores Sectæ recenſentur, & damnantur in *Conſt. Joan. XXII. Glorioſam 3. Bullar. tom. 1.* Ubi enuntiatur nonnullos ſolo nomine Profeſſores Ordinis S. Franciſci in ea fuiſſe. Auctor aſſeritur Hermannus Pongilupus apud Bail. *Sum. Conc. to. 1. in Concil. Viennen. tit. annotat. de erroribus Begardorum*.

11 Quòd verò quidam Pontifices Ordines aliquos à Prædeceſſoribus approbatos extinxerint, nihil ad nos. Quoniam non extinguuntur, quia Pontifices in approbatione illorum erraverint, approbando aliquid contra jus naturale, vel divinum; vel, quia Inſtitutum in ſe; & ſui natura Sanctum, & optimum non fuerit; ſed quia propter pravitatem, & malitiam profitentium, nimis relaxati erant abſque probabili ſpe futuræ emendationis; vel, quia ob alias extrinſecas circumſtantias, pro ſtatu præſenti minus utiles, & convenientes Eccleſiæ apparebant. Propter quod non mirum, ſi ad ipſorum ſuppreſſionem ipſi Romani Pontifices devenerint. In quo nullum præjudicium intulerunt Prædeceſſoribus, qui eos approbarunt. Quemadmodum plerumque leges ipſas poſitivas à Prædeceſſoribus latas ſucceſſores revocant, non quia malæ per ſe, & ſui natura cenſeantur, ſed quia per accidens, & ob extrinſecas circumſtantias, aliaſve cauſas, utiles ampliùs non ſunt; vel, minùs neceſſariæ, aut ſecundùm prudentiæ dictamen minùs idoneæ reputantur; ita Doctores communiter *cit. loco*. Vide *infrà numer. 13.*

Opponunt 2. Quamvis Pontifices in Religionum approbatione immunes ab errore ſint, ut nequeant ea in re quidquam probare, quod contrarium ſit juri naturali, & divino, adhuc ad minùs de imprudentia ſunt arguendi; cùm approbent plures Religiones, tanquam diverſas, cùm

cùm tamen diverſæ non ſint; ſiquidem omnes hoc habent commune, ut quis ſe totaliter præbeat ad ſerviendum Deo, in obſervantia trium votorum Religionis, *Obedientiæ, Continentiæ, & Carentiæ proprii cap. Cùm ad Monaſterium de Stat. Monachor.* ergo.

12 R. Hæc objectio litem excitat de voce. Negamus itaque poſſe Pontifices ea nota ſugillari. Itemque Religiones omnes unam eſſe, & non diverſas; nam quòd conveniant in generica ratione, vel in tribus votis ſubſtantialibus Religioni, non impedit, quin ſpecie diſtinguantur.

Idcircò notetur, ſtatum Religionis illis tribus votis eſſentialiter, & genericè conſtitutum, eſſe perfectius quoddam exercitium, quo quis exercetur ad perfectionem charitatis, & debitum honorem Deo procurandum. Sunt autem diverſa charitatis opera, quibus homo vacare poteſt. Sunt pariter diverſi modi exercitiorum; & hinc Religiones diverſificantur dupliciter. Primò, ſecundùm diverſitatem finium, ſeù operum, ad quæ ordinantur, quibus Charitas exercetur; ita una ordinatur ad peregrinos hoſpitandos: alia ad viſitandos, vel redimendos captivos; una ad infirmos curandos: una ad docendum; alia ad actus contemplativos, alia ad activos, alia ad mixtos, & ſimiles. Secundò, ſecundùm diverſos actus exercitiorum; ita in una caſtigatur corpus per abſtinentiam: in alia per nuditatem: in alia per obſervantiam ſilentii: in alia per operationem manuum. Ideò, licèt illa tria vota ſint unicuique Religioni communia, non obſtat quin cum eo compatiatur Religionum diverſitas: habentur enim, tum diverſa opera ad exercitium charitatis ordinata, tum diverſæ diſpoſitiones conducentes ad obſervantiam votorum eſſentialium. Aliquis enim ſe diſponere poteſt ad votum continentiæ ſervandum, per loci ſolitudinem, per abſtinentiam, vel per mutuam ſocietatem; aliquis ad paupertatem per puram mendicationem, vel per renuntiationem cujuſvis dominii, tum in particulari, tum in communi, & per multa alia hujuſmodi, quæ operantur, ut Religiones diverſificentur, non tantùm per accidens, ſed etiam per ſpecies morales, ut poſt Joann. Andr. ſcripſit Fagnan. *in 3. ad cap. Sanè nu. 12. ad 23. de regul.*

Opponunt iterùm. Nullibi Religiones ſunt à Deo revelatæ. Ergo Papa in ipſarum approbatione poteſt errare: cùm ſolùm circa revelata ſit infallibilis.

Reſp. Negatur conſequentia juxta dicta *cap. 2. & 3.* Et eſtò Religiones non ſint revelatæ quantum ad exiſtentiam; earum tamen honeſtas, & ſanctitas revelata eſt in hoc principio: *Eccleſia eſt ſancta: Eccleſia in ſuo Capite habet poteſtatem* circa neceſſaria, & utilia ſaluti Fidelium. Ideò ſequitur omninò: *Religio hæc eſt à Pontifice approbata:* ergo *eſt ſancta, honeſta, & utilis ad ſalutem.* Pontifex enim ex officio ſui Paſtoratus non poteſt proponere toti Eccleſiæ (vel etiam particulari Provinciæ) niſi bonum, & honeſtum.

Dices. Religiones ſunt contingentes: ergo nullo modo cadere poſſunt ſub revelatione.

Reſp. Sunt contingentes quoad exiſtentiam, non quoad honeſtatem, & ſanctitatem. Nec ſupprimuntur, quia in ſe evadunt inhoneſtæ, ſed quia ipſis malè utuntur profeſſores earumdem, ex quorum malitia ceſſant eſſe Eccleſiæ utiles. Unde ſuppreſſio non tangit ſanctitatem Religionis ſuppreſſæ, ſed propter abuſus introductos circa ipſius obſervantiam ſine ſpe emendationis, ſuppreſſione, Pontifex declarat homines inhabiles ad ampliùs eam Religionem profitendam.

Inſtant: Nequit Pontifex ſupprimere cultum debitum Sancto canonizato eſtò quis illum non colat, ſed potiùs blaſphemet. Ergo.

Reſp. Negatur conſequentia. Diſcrimen eſt; quia Religiones ſunt veluti leges poſitivæ Eccleſiaſticæ; Eſt autem in poteſtate Pontificis ex ratione curæ Paſtoralis, le-

legesillas, variatis circumſtantiis, tollere, cùm nimirum, mutatis temporibus, vel aliis extrinſecis; utiles ampliùs ſaluti animarum non ſunt. Ita, cùm Regula aliqua, ex malitia, & inobſervantia Profeſſorum non regulat ampliùs eorum vitam, Pontifex eam prudentiſſimè ſupprimit, juxta dicta. Canonizatio autem non participat de natura talium legum adeòut exiſtentia canonizati in Cęlo dependeat à ſubſequenti circumſtantia extrinſeca mutabili. Quinimò Pontifex per canonizationem proponit explicitè, hunc eſſe in Cęlo (adeòque dignum cultu) eſſe à Deo revelatum: quæ autem ſunt à Deo revelata, ſunt immutabilia. Vide *cap.ſequen.nu.43.*

CAPUT V.

An Pontifex ſit infallibilis in Beatificatione, & Canonizatione?

SUMMARIUM.

1 *Solus Pontifex poteſt Sanctos canonizare.*
2 *Quid Beatificatio, & Canonizatio?*
3 *In utraque eſt Pontifex infallibilis. ad 5.*
6 *Honor, qui Sanctis exhibetur, eſt quædam profeſſio fidei.*
7 *In revelatione univerſali revelantur implicitè particularia.*
8 *Duo ſunt neceſſaria, ut quis in Eccleſia militante ſit Beatus.*
9 *Nullus beatificatur, niſi probatis virtutibus, & miraculis.*
10 *Papa non poteſt errare in pertinentibus ad Religionem.*
11 *Quomodò Papa Beatificatum proponat toti Eccleſiæ venerandum?*
12 *Injuriam facit Martyri, qui pro eo orat.*
13 *Divina providentia præſervat Pontificem, ne in hujuſmodi cauſis erret.*
Teſtimonia hominum ad quid deſerviant in cauſis Beatificationum, & Canonizationum?
15 *Falſitas phyſica, & moralis quid ſit?*
16 *Facta alia particularia, alia connexa cum jure.*
17 *Oratio fit etiam, ut impleantur Dei promiſſiones.*
18 *Sanctis canonizatis cultus Duliæ debetur.*
19 *Illud*, multa corpora Sanctorum, &c. *non eſt Auguſtini.*
20 *Per Beatificationem fit completum judicium de gloria Servi Dei. ad 21.*
22 *Agitur de miraculis requiſitis pro Beatificatione, &c.ad 28.*
29 *Revelato toto, revelantur partes, ad 32.*
33 *Nullus poteſt ſibi mortem inferre.*
34 *Agitur de martyrio, ad 38.*
39 *Corpus Chriſti eſt in hoſtia ritè conſecrata.*
40 *Eſt de fide Pontificem non poſſe errare in Canonizatione, ad 42.*
43 *Et quòd Canonizati ſint in gloria, ad 45.*

1 HIc omnimoda certitudine tenendum præmonemus, ad Romanos tantùm Pontifices pertinere Sanctos canonizare. Cùm enim Chriſtus juſtos homines faciat, eoſque ſanctificet, juxta illud Levitici *cap.21.v.8.& 23. Ego Dominus, qui ſanctifico eos*, ad ejus Vicarium ſpectat ipſorum ſanctitatem approbare, & proponere Eccleſiæ. Accedit, quòd Canonizatio eſt una de majoribus cauſis, quæ inter Chriſtianos poteſt proponi, & hinc ejus cognitio eſt de reſervatis Pontifici ad textum in *cap.Majores de baptiſ.*

Fuit quidem olim praxis, quòd Epiſcopi, ex tacita ſaltem permiſſione Romani Pontificis, proponerent martyres in ſuis Diœceſibus venerandos, eos inter Beatos recenſentes, ut teſtatur Ivo Carnotenſis *p.3. Decretal.can.54.* nefas enim erat, etiam martyrem venerari ſine Epiſcopi, vel Synodi permiſſione ex Euſebio *libr.4. hiſtor.cap.14.* Epiſcopi verò eos colendos publicè ſuis populis proponebant, quos ſatis noverant, aut evidentia facti, aut con-

conſtanti probatione, verè pro Domino, aut ejus fide occubuiſſe. Vel moris erat, ut, cùm aliquis martyrium ſubiiſſet, Epiſcopus loci rem geſtam ſcriberet ad Primatem; à quo, re maturè diſcuſſa in Concilio Epiſcoporum Provincialium, & veritate inſpecta, decernebatur ponendum in Dyptica, ſeù Cathalogo Sanctorum. Unde refert Optatus Milevitanus *lib.1.adverſ. Parmenian.* nefas fuiſſe Lucillæ, potenti, & factioſæ fęminæ Donatiſtarum, venerari Reliquias certi Martyris *nondum vindicati*, hoc eſt non adhuc probati, & recepti. Ita S.Cyprianus *epiſt.37.* dies exceſſus Martyrum adnotari juſſit, ut cum honore celebrarentur.

Cæterùm propoſitio illa, & deſcriptio neutiquam Canonizatio dicebatur, ſed beatificatio: illa enim nunquàm Epiſcopis licuit: Siquidem in Canonizatione Sanctus canonizatus proponitur ab omnibus Fidelibus adorandus: & nullus id poteſt, niſi Romanus Pontifex, qui eſt Summus Paſtor Eccleſiæ, omnibus de Eccleſia præcipere potens, cùm ſit omnium Judex ordinarius *cap. Cuncta per mundum, capit. Per principalem 9.q.3.*

Multi verò illorum à peculiari cultu Beatorum ad univerſalem Sanctorum tranſibant, non auctoritate Epiſcoporū, ſed Pontificum Romanorum; qui, cùm cernerent univerſam Dei Eccleſiam amplecti cultum illorum ita ſemel in Beatorum numero relatorum, colendos publicè in univerſa Eccleſia, aſſiſtente Spiritu Sancto, decernebant: abſque eo, quòd probationes denuò conficerentur; ſufficiens enim erat atteſtatio Eccleſię ſuo conſenſu manifeſtata.

Hinc conſtat, Canonizationem ex ſua natura ad Sedem Romanam ſpectare, nec fieri ullo modo poſſe ab inferioribus Prælatis. Propterea falluntur, quotquot putant Alexandrum III. *in cap. Audivimus de reliq.& venerat.Sanct.* ſibi reſervaſſe Sanctorum Canonizationem, denegata ulterius ea poteſtate inferioribus Prælatis, quaſi aliquando id potuerint. Verùm in textu nulla eſt clauſula, quæ jus novum ſapiat, aut uſitatum improbet; nec ibi Papa agit de canonizatione, ſed duo tantùm præſtat: Unum, prohibet pro Sancto venerari Monachum in ebrietate occiſum, quem alii Monachi Martyrem prædicabant. Alterum conſtituit, *non licere aliquem pro Sancto abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ publicè venerari*. Ex qua regula patet Alexandrum ſibi reſervaſſe Beatificationem, olim Epiſcopis permiſſam: qui nunquàm canonizare potuerunt.

Primus, de quo conſtet, qui fuerit ſolemni pompa canonizatus, fuit S.Suitbertus, Epiſcopus Vverdæ, à Leone III. *ann.* 803. apud Surium *tom.2.* & *de ann.993.* à Joanne XV. S. Uldaricus, Epiſcopus Auguſtanus, ut in ejus *Conſtit. Cùm Conventus Bullar. tom.1.*

2 Quibus notatis, addimus pro præſentis difficultatis reſolutione, non eſſe confundendam Beatificationem cum canonizatione. Inter quas diſcrimen colligitur: tum ex quo Beatificatio ſit via ad canonizationem; tum ex formulis adjectis litteris Beatificationis, & Canonizationis. Nam in Bullis Canonizationis utuntur verbis explicitis: *Declaramus, Definimus, Decernimus, & Mandamus*, ut in Bulla *Sixti V. Rex Regum* 82. *Bullar.to.1.Canonizationis S.Didaci Ord. Min. In Sanctorum Confeſſorum numerum adſcribendum eſſe decrevimus, & adſcripſimus, prout per præſentes decernimus, & adſcribimus, eumque, ut Sanctum ab omnibus venerandum eſſe mandamus*. Et in *Bulla Clementis X. Romanorum 1. Bullar.to.5.Canonizationis S. Petri de Alcantara* factæ à Clemente IX. *B. Petrum de Alcantara Sanctum eſſe decrevit, & definivit, ac Sanctorum Cathalogo adſcripſit*.

In Bullis verò Beatificationis uti ſolent verbis: *Concedimus, impartimur, &c.* ut in *Bulla Urbani VIII. In Sede 24. ibi tom.3. Beatificationis B.Jacobi de Marchia. Quare nos, &c.ut ipſe bon.mem.Jacobus de Marchia Beatus nuncupari, atque officium, & Miſſa*

de

de eo, tanquàm de Confeſſore non Pontifice in Eccleſia tantummodò S.Mariæ de Nova nuncupatæ (Indultum poſteà aliàs extendit ad totum ordinem Frat.Min. & ad Civitatem Neapolitanam) *Civitat. Neapolitan. ubi corpus ejuſdem requieſcere aſſeritur recitari, & celebrari reſpectivè liberè, & licitè poſſit, ac valeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur*. Et ſic de aliis.

Hinc Canonizatio eſt, *publicum Sedis Apoſtolicæ judicium, & expreſſa definitio de ſanctitate, & gloria alicujus defuncti in oſculo Domini: quia ſolemni cæremoniarum pompa Sanctorum Cathalogo adſcribitur, & publicè totius Militantis Eccleſiæ venerationi proponitur, & honores Sanctis debiti decernuntur.* Beatificatio verò, eſt *indulgentia, vel conceſſio à Pontifice facta, ut Beatus appellari quis poſſit de quo fuerunt examinatæ virtutes, & miracula autenticè probata: propter quod dignus publicatur, ut in quodam determinato loco, Provincia, Diœceſi, vel Ordine Beatus nuncupetur, & cultus publicus ei exhibeatur, utpote cum Chriſto in Cœlis regnanti*: Beatitudo enim conſiſtit in clara viſione, & fruitione Dei.

Qua differentia ſuppoſita, nonnullis videtur poſſe Pontificem in Beatificatione Sanctorum errare, licèt in Canonizatione liber prorſus ſit ab errore. Siquidem ex errore illo, ajunt, non ſequitur Eccleſiam univerſalem errare, cùm Beatus ille colendus non proponatur Eccleſiæ univerſali. Et fortè hujus opinionis fuit Matta, qui eſtò *p.4.de Canonizat. Sanctor. cap.30.nu.21.* indubitanter affirmet, Pontificem in Sanctorum canonizatione errare non poſſe, ſuſpicionem tamen reliquit de beatificatione; tum ex eo, quòd de iſta ibi taceat; tum ex quo *p.1.cap.2.nu.11.* dixerat, Pontificem in canonizatione, ut judicem univerſalis Eccleſiæ definitivè ſtatuere, & præcipere univerſali Eccleſiæ venerationem erga ſervum Dei, quem Sanctum declarat: In Beatificatione verò ſolùm, ut Principem Eccleſiæ concedere, & indulgere, ut cum titulo Beati cultus, & veneratio poſſit à nonnullis Servo Dei exhiberi. Nobis tamen

3 Dicendum. *Pontifex eſt regula infallibilis, tum quoad Canonizationem, tum quoad Beatificationem Sanctorum*. Quantum ad primam partem eſt Laureæ *de fid. diſp.6.ar.3.§.1.* Leytan Synopſ. de *Eccleſ. milit. diſcep. 6.ſect.1.* ubi plures allegat. Diana *coord.to.9. tract.3.reſolut.15.* Quoad ſecundam partem eſt ejuſdem Dianæ ibi *reſolut.17.* Poteſtatis *exam.Confeſſarior.to.2.p.2.cap.7.nu.309.* Adversùs Cajetanum *to.1.opuſc.tr.15. de Indulgent.cap.8. ad ult.* & Canum *lib.5.cap.5.qu.5.* apud Dianam *reſol.18.n.1.* alioſque.

4 Probatur quantum ad Canonizationem. Si Pontifex in canonizandis Sanctis non eſſet talis regula, poſſet ea in re errare, quod omninò repugnat; nam judicium de ſanctitate canonizandi, vel, quòd cum Chriſto regnet, non format, niſi ex prævia Spiritus Sancti aſſiſtentia, vel illuminatione, qua certò, & infallibiliter cognoſcit eum, cujus virtutes, & miracula fuerunt tanta diligentia, & diſcuſſione probata, unum ex iis eſſe, qui cum Chriſto regnant. Quod patet ex formulis loquendi, quibus Romani Pontifices utuntur in Bullis Canonizationum. Alexander III. *Conſtit.Contigit 2.pro S.Bernardo*, narratis virtutibus, ejuſque meritis, §.2. ait: *Quibus omnibus, pia conſideratione penſatis, confiſi de miſericordia Dei, necnon & de Beatorum Petri, & Pauli meritis, præſumentes, eum Apoſtolicæ Sedis auctoritate cathalogo adſcribi mandavimus*.

Cæleſtinus III. *Conſtit. Benedictus I. pro Sancto Ubaldo §.1.* inquit. *Nos opus iſtud intuentes ſenſum, & intelligentias noſtras excedere, quia potiùs eſt divini judicii, quàm humani, cùm ipſe ſolus plenè noverit, qui ſunt ejus, ſuſpendimus deſiderium tuum aliquandiù, ut nobis, & Fratribus noſtris, quid potiùs agendum eſſet, Spiritus Sancti gratia revelaret. Tu igitur, &c. Sed de miſericordia Creatoris potiſſimùm confidentes canonizantes prædictum, &c.*

In-

Innocentius III. *Conſtit. Quia pietas 2. pro Sancto Homobono §.3. De divina miſericordia confidentes, ipſum Sanctorum Cathalogo conſcribendum duximus.*

Honorius III. *Conſtit. Infallibilis 7. pro Sancto Laurentio Dublinen. §.10. De ipſius igitur ſanctitate tantis certificati miraculis, divinumque ſecuti judicium, per quod ejus glorificatio nobis, tam evidentibus innotuit argumentis, eumdem Cathalogo Sanctorum adſcripſimus.*

Alexander IV. *Conſtit. Clara claris 3. pro Sancta Clara §.9. Nos de Omnipotentia Divina confiſi, &c. ipſam Cathalogo Sanctarum Virginum duximus adſcribendam.*

Joannes XXII. *Conſtit. Sol oriens 1. pro Sancto Ludovico Epiſcopo §.29. De Omnipotentis Dei virtute, &c.*

Sixtus IV. *Conſtit. Superum 21. pro Sancto Bonaventura §.19. Nos ergo Dei nutum, & voluntatem ſequentes, &c. Sanctum eſſe, ac aliorum Sanctorum Dei Cathalogo adſcribendum, adiiciendum, ac aggregandum fore, ac fideliter, firmiterque teneri debere decernimus ipſumque adſcribimus, & aggregamus per pręſentes.*

Leo X. *Conſtit. Excelſus 38. pro Sancto Franciſco de Paula §.39. Nos iterùm humiles Omnipotenti Deo gratias agentes, quòd ad Beatum Servum ſuum debitis honoribus proſequendum corda noſtra illuminare dignatus eſſet, ipſius canonizationis diem, &c. ad canonizationem ejuſdem Beati, &c.*

Sixtus V: *d. Conſtitut. Rex Regum 82. pro Sancto Didaco §.2. in fin. Publico noſtro, & hujus Sanctæ Sedis teſtimonio, quæ à Spiritu Sancto gubernatur, & regitur, B. Didaci ſanctitatem optimo jure declaratam eſſe, & promulgatam.* Et §.21. *Ut Spiritus Sancti gratia illuſtrati, de Fratrum noſtrorum conſilio deliberare poſſemus.* Similia alii Pontifices addiderunt, ac Spiritus Sancti gratiam omnes implorarunt, ut oſtenderent ſe Spiritus Sancti aſſiſtentia, inſtinctu, & illuſtratione, in ferenda ſententia canonizationis regi; & ſic reddunt teſtimonium auctenticum, & infallibile, quòd ii, quos canonizant, regnent in Patria cum Chriſto: ergo errare non poteſt. Conſequentia à Catholicæ fidei profeſſore eſt innegabilis: nam aliàs error tribuendus eſſet Spiritui Sancto; quod abſque blaſphemia, poteſt à nullo pronuntiari. Et falſa pariter eſſet promiſſio Chriſti. Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis Spiritum veritatis.*

5 Confirmatur. Si Papa poſſet in canonizatione errare, Eccleſia non eſſet Sancta, contra articulum fidei: *Credo unam Sanctam Eccleſiam*; quomodo enim eſſet Sancta, ſi crederet eos cum Chriſto regnare (ut Pontifices canonizando definiunt) quorum animæ eſſent in inferno? Si poſſet Pontifex in hoc errare, poſſet & tota Eccleſia errare; nam tota Eccleſia tenetur obedire Pontifici in decreto canonizationis ſervando. Unde erraret, ſi approbaret, ut honeſtum, & pium, cultum pręſtandum homini damnato in inferno, ac ſi eſſet Beatus in Cęlo. Repugnat verò, quòd tota Eccleſia erret, quia eſt *columna, & firmamentum veritatis*, 1. *ad Timoth.* 3. & Joan. 16. *Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: ergo, &c.

6 Probatur 2. Teſtimonio D. Thomæ, *quolib. 9. q. 7. art. 16.* ubi quærens: *An omnes Sancti, qui ſunt per Eccleſiam canonizati, ſint in gloria, vel aliqui eorum in inferno? in corpor. quæſtion.* dixit, quòd *ſi conſideretur divina providentia, qua Eccleſiam ſuam Spiritu Sancto dirigit, ut non erret, ſicut ipſe promiſit.* Joan. 14. Quòd Spiritus adveniens doceret omnem veritatem, &c. *certum eſt, quòd judicium Eccleſiæ univerſalis errare non poteſt in iis, quæ ad fidem pertinent.* Unde *magis ſtandum eſt ſententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in judicio profert, quàm quorumlibet Sapientum in Scripturis opinioni*: Et poſt: *Honor, quem Sanctis exhibemus, eſt profeſſio quædam fidei, qua Sanctorum gloriam credimus*: Et poſteà ſubdit: *Pontifex, cujus eſt canonizare Sanctos, poteſt certificari de ſtatu alicujus per inquiſitionem vitæ, & atteſtationem miraculorum,*

rum, & præcipuè per inſtinctum Spiritus Sancti, qui omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei: ergo Pontifex lumine ſupernaturali, ſeù inſtinctu, & aſſiſtentia Spiritus Sancti certò judicat, quòd ille, de quo probatę ſunt virtutes, & miracula, ſit unus electorum, qui regnet cum Chriſto.

7 Confirmatur, & ſimul probatur quo ad Beatificationem. Sed notetur. Primò, Deum in propoſitione univerſali explicitè revelata, revelaſſe implicitè omnes particulares, qui ſalvandi ſunt, & futuri ſunt Sancti (in propoſitione enim univerſali revelantur implicitè omnia particularia) Ita Matth.5. *Qui autem fecerit, & docuerit, hic major eſt in Regno Cœlorum.* Cap.7. *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe intrabit in Regnum Cœlorum.* Cap.19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandàta.* Joan. 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Pſal.14. Interrogans David, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte Sancto tuo?* Ipſe ex divini Spiritus illuſtratione dixit. *Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam: qui loquitur veritatem in corde ſuo: qui non egit dolum in lingua ſua: nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit adversùs proximos ſuos: qui jurat proximo ſuo, & non decipit: qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit. Qui facit hæc, non movebitur in æternum.* His, ſimilibuſve, quibus ſacer textus abundat, Deus in univerſali revelavit, quales conditiones neceſſariæ ſint in iis, qui ſalvandi ſunt.

8 Secundò. Ut quis in Eccleſia militante Beatus, & Sanctus habeatur, duo ſunt neceſſaria, *virtus morum, & veritas ſignorum: merita videlicet, & miracula, ut hæc, & illa ſibi ad invicem conteſtentur, cùm nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plenè ſufficiant ad perhibendum inter homines teſtimonium Sanctitatis; ſed cùm merita ſana præcedunt, & clara ſuccedunt miracula, certum præbent judicium ſanctitatis, ut nos ad ipſius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & ſignis ſubſequentibus exhibet venerandum*, ut ait Gregorius IX. *Conſtit. Cùm dicat IV. Canonizationis Sancti Antonii de Padua.* Et *Conſtitution. Mira 2. pro Sancto Franciſco. Vitam eius ſibi fuiſſe acceptam, & ipſius memoriam eſſe à militanti Eccleſia venerandam, multis, & preclaris miraculis* (Deus) *declaravit.*

9 Probatis itaque pleniſſimè virtutibus, & miraculis, eſt moraliter certum, eum, de quo fuerunt diligentiſſimè probata, unum ex illis eſſe, in illis propoſitionibus univerſalibus contentis, & in illis implicitè revelatis: conſequenter, ſuppoſita illa certitudine, Pontifex, implorata divina ope, ex illuſtratione, ac Spiritus Sancti aſſiſtentia, certò judicat, & deducit eum cum Chriſto regnare (illumque eſſe Beatum implicitè declarat, & Eccleſiæ, ut talem proponit, vel in Cœlo eſſe ſupponit) dum facultatem facit, ut ab Eccleſia Beatus nuncupetur: ergo errare in eo non poteſt. Siquidem nec inſipiens diceret Spiritum veritatis aſſiſtere Pontifici, ut proponat Eccleſiæ eum eſſe in Cælo, qui ſit in inferno.

10 Addo. Papa non poteſt errare circa materiam cultus, & Religionis: ergo, nec in Beatificatione, aliàs in ea materia erraret. Siquidem eſt res pertinens ad Religionem, quòd proponatur alicui certæ Provinciæ aliquis, ut Beatus, cum facultate exhibendi ei cultum religioſum; quo indignus eſſet, ſi Beatus non foret.

Item. Nec errare poteſt in iis, quæ ad fidei materiam ſpectant; ſed honorare Beatos, & Sanctos ſpectat ad materiam fidei: nam ut dixit D.Thomas cit. honor, quem Sanctis exhibemus, *eſt quædam profeſſio fidei*, qua creditur eorum gloria. Neque obſtat, quòd dixerit *Sanctis*, quia ſub hoc vocabulo voluit comprehendere, etiam Beatos, quos ſanè eos Fideles adorant, quia credunt eos eſſe in Cęlo, aliàs ſanè non adoraturi.

11 Item. Si Pontifex in Beatificatione erraret, tota Eccleſia in iis erraret, quæ per-

pertinent ad cultum; ſed hoc repugnat, aliàs Eccleſia non eſſet Sancta, ut alibi diximus: ergo, &c. Probatur ſequela. Pontifex beatificans aliquem, eum toti Eccleſiæ venerandum implicitè proponit. Quod conſtat, tum ex eo, quòd licèt divinum Officium, & Sacrum Deo offerre in ejus honorem omnibus non concedatur, omnibus tamen in Eccleſia licet ſe illius precibus, etiam publicè commendare, eumque Beatum vocare, & pro tali reputare. Tum etiam, quia Sacerdos, offerens Sacrificium, eſt publicus Eccleſiæ Miniſter, ex Trid. *ſeſs.22.cap.6. de Sacrif. Miſſæ*, cujus nomine Sacrificium offert: ergo univerſalis Eccleſia, medio illo miniſtro, & Sacrificio ab illo oblato, Beatum illum veneratur. Et ideò negatur Eccleſiam univerſalem non errare, ſi Pontifex in Beatificatione erraret. Nam, licèt à Pontifice non proponatur venerandus ubique per omnes univerſalis Eccleſiæ miniſtros ſacrificantes, proponitur tamen in aliquo loco venerandus ab univerſali Eccleſia per ſpeciales aliquos Eccleſiæ miniſtros: & hoc ſufficit, ut tota Eccleſia errare diceretur, ſi Pontifex in eo erraret.

12 Probatur ultimò: Si eſſe poteſt, quòd is non ſit Beatus, quem Pontifex Beatum declarat, ei nocet, quem beatificando vult honorari. Siquidem impediret, ne pro illo fierent ſacrificia, & ſuffragia; conſequenter operaretur, ut iſtorum fructu careret; atque ità nec à pœnis Purgatorii citiùs liberaretur; *nam, ſicut injuria eſt pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari*, ut inquit Auguſtinus *Sermon. 159. cap.1. de verb. Apoſtol.* Sic, & pro aliis, quos cum Chriſto regnare tenet Eccleſia, nemo prudenter orabit, ut à pœnis Purgatorii liberentur, juxta *Cap. Cum Marthæ §. 3. de celebrat. Miſſarum*. Quæ incommoda non habentur, ſtatuendo Pontificem, in Beatificatione, eſſe ab errore immunem.

Opponunt I. contra utramque. Quicumque innititur medio fallibili poteſt errare; ſed Pontifex, tam in Canonizatione, quàm Beatificatione innititur medio fallibili hominum nimirum teſtimoniis, qui deponunt de vita, & miraculis canonizandorum, & beatificandorum, ac conſilio Conſultorum; quorum ſinguli poſſunt decipi, unum pro alio cognoſcentes; ac etiam decipere, quia, vel ducti nimio affectu circa Dei Servum, vel, dono à Poſtulatoribus ſubornati, vel, ſtudio neceſſario non adhibito, falſum poſſunt referre, & hùc ſanè ſpectat illud ex *cap. à nobis il 2. de ſent. excom.* ubi ſic legitur. *Judicium Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpè contingit, & falli, propter quod contingit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus: & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus*: ergo.

13 R. Major concludit de homine privato, & privatam ſolùm, naturalemque notitiam habente. Non verò de Pontifice, qui ad Canonizationem, & Beatificationem non procedit, ex illa tantùm notitia, quæ reſultat ex depoſitione teſtium, & Conſultorum conſilio, ſed maximè innititur lumini ſupernaturali, ac aſſiſtentia Spiritus Sancti dirigitur, ut, ſuppoſita illa diligentiſſima diſcuſſione (quæ deſervit ut conditio neceſſaria ad explicandum, an ille, de quo fuerunt virtutes, & miracula probata, contineretur in illis propoſitionibus univerſalibus ſuperiùs indicatis) deducat hunc, vel illum contineri in illis, ac regnare cum Chriſto. Et inde à divina providentia præſervatur, ne ea in re errorem committat, ut dixit ſupra D. Thomas. Quoniam verò in argumento vim ponunt etherodoxi, ſubnecto hunc diſcurſum, ut nihil ad reſolutionem deſideretur.

Canonizatio Sanctorum innititur humanis teſtimoniis; ſed humanis teſtimoniis poteſt ſubeſſe falſitas: ergo Sanctorum canonizationi poteſt ſubeſſe falſitas.

14 Hic major eſt falſa, ſi ſenſus ſit, quòd Pontifex ſolis teſtimoniis hominum, in ſe fallacibus, utatur. Illis quidem utitur, ut diſ-

diſpoſitionibus requiſitis, ut maturo procedens conſilio, & examine, ſe diſponat ad recipiendam motionem Spiritus Sancti: quo præmiſſo, non ampliùs humano ſe gerit more, ſed ex Spiritus Sancti ductu, directione, & aſſiſtentia, pronuntiat hunc eſſe Beatum, hunc eſſe Sanctum, ut diximus *nu.*4. Hinc Spiritus Sancti aſſiſtentia eſt unica cauſa, ut dubitari non poſſit de judicio Pontificis, ac etiam, ut falſas depoſitiones reiiciat, & veras admittat. Quod ſimile ſæpè contingit in quęſtionibus juris. Si aliqui Theologi, vel rem non capientes, vel præoccupati judicantes, concluderent aliquam doctrinam deduci ex Traditionibus, vel ex Scriptura, & hoc verum non eſſet, ut ſępè aliqua pars etiam in Conciliis tentavit (ut conſtat ex actis Conciliorum, utriuſque Nicæni, Chalcedonenſis, & Florentini) non proinde Pontifex ſequitur eorum conſilium, ſed aliorum, qui ex Traditionibus, & Scriptura veram conſequentiam deducũt. Nam Spiritus Sanctus regit Concilium, & Pontificem definientem in materia fidei, & Religionis; nec permittit, ut ſequatur conſilium Theologi decepti, vel decipientis. Ita in caſu ad providentiam Dei, pertinet non permittere, ut habeatur ratio de falſis depoſitionibus, & conſiliis; inſpirando Papæ, inſtinctu interno; ad ea reiicienda, & ad ulteriora non procedendum, ut inquit Laurea *num.*155.

Minor etiam, ſi ſumatur philoſophicè, ac, ut æquivalens particulari (propoſitio enim indefinita, in materia contingenti, æquivalet particulari, ut philoſophi tradunt) adeòut idem ſit, ac *aliquibus teſtimoniis poteſt ſubeſſe falſitas*, nullatenus concludit, Canonizationi, & Beatificationi Sanctorum poſſe falſitatem ſubeſſe. Nam ex pręmiſſis particularibus non poteſt ſequi concluſio univerſalis.

Si verò minor illa ſumatur ſecundùm principia legalia, ita ut reſolvatur in univerſalem, & idem importet, ac *omnibus teſtimoniis humanis poteſt ſubeſſe falſum*, eſt ſimpliciter, & abſolutè falſa, loquendo tam de falſitate phyſica, quàm morali.

15 Conſtat loquendo de phyſica falſitate (quæ conſiſtit in ſenſuum deceptione) nam in hujuſmodi cauſis non approbatur aliquod factum, niſi ſuper eo deponant plures, & plures teſtes, conteſtes cum cauſa ſcientiæ, & redditione rationis, & quidem concludentes de eorum dicto; ideò in eis dubitari nullatenùs poteſt de phyſica falſitate, & ſenſuum deceptione.

Idem procedit quoad falſitatem moralem (quæ conſiſtit in mendacio, & poſitiva ratione fallendi) Siquidem eſt moraliter impoſſibile plures teſtes juratos omni exceptione majores, prout examinantur in hujuſmodi cauſis, velle contra propriam conſcientiam, & in ipſorum animę detrimentum, abſque ulla temporali neceſſitate, & magna utilitate, falſum cum juramento deponere.

16 Nec obſtat illud ex *d. capit. à nobis*. Nam textus non loquitur de Eccleſia à ſuo Magiſtro erudita. Decretalis edita eſt occaſione dubii: an excommunicatus, qui cum ſignis pęnitentię deceſſerat, habendus eſſet pro abſoluto ab Eccleſia? Nonnulli ſtabant pro affirmativa; ſed Pontifex interrogatus reſpondit negativè. Per contritionem excommunicatus redit in gratiam cum Deo; ſed adhuc eſt ligatus apud Eccleſiam; ideò decedens, non ſequuta abſolutione à cenſura, non poteſt eſſe particeps ſuffragiorum Eccleſiæ, & debet carere eccleſiaſtica ſepultura.

Dices. Judicium Pontificis in Canonizatione eſt humanum: ergo fallibile.

Reſp. Eſt humanum elicitivè, ſed directivè eſt divinum roboratum nimirum aſſiſtentia Spiritus Sancti, qua ita regitur, ut in definitione errare non poſſit. Ideò, eo poſito, ſumus certi de gloria canonizati. Et illud *Eccleſiaſtes cap.9. neſcit homo, utrùm amore, an odio dignus ſit*: non intelligitur quoad eum, quem Papa declaravit eſſe in gloria.

Dices. Papa regitur à Spiritu Sancto in eden-

edendis, etiam Legibus eccleſiaſticis pro regimine Eccleſiæ; quæ adhuc, eo non obſtante poſſunt mutari. Ergo & in caſu.

Reſp. Neque in illis Papa poteſt errare propter aſſiſtentiam Spiritus Sancti. Verùm quia circumſtantiæ, pro quibus eduntur tunc contingentes, & variari poſſunt; ideò iſtis mutatis, Spiritus Sanctus illius poteſtati reliquit, ut alias poſſet ſubſtituere, & illas abrogare. Definitiones verò circa fidem, mores, & Facta dogmatica, vel univerſalia à nulla circumſtantia mutabili pendent, ſed ipſarum materia eſt immobilis, & idcircò ipſæ ſunt omninò immutabiles: & divinæ inde appellari poſſunt.

Dices. Pontifices advertunt ſe poſſe in hujuſmodi cauſis errare. Aliàs ad quid, priuſquàm ad actum Canonizationis, & Beatificationis procedant, opem divinam impetrant, & inducunt populum ad orandum Deum, ut non permittat ipſos in illis errare? Fruſtra enim precibus impetratur, quod aliàs alicui convenit. Quinimò aliquorum Pontificum praxis fuit, antequàm definitionem Canonizationis alicujus Sancti pronuntiaſſent, publicè proteſtari ſuæ intentionis non eſſe, aliquē exinde in Eccleſia errorem inducere, ut refert Gonzalez *in 3. tit. 45. capit. 3. numer. 6.* ex cæremonial. Leonis X. ergo errare poſſunt; & inde eſt illud ſatis vulgatum Auguſtini: *Multa corpora Sanctorum venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in inferno.*

17 R. Negatur antecedens. Oratio enim fit ab Eccleſia, ut impleantur, quæ Deus promiſit, & infallibilia ſunt. Ita ex Hieronymo in *cap. 9. Danielis relato in capit. Prædixerat diſt. 1. de penit.* ad Samuel dicitur, *uſquequò tu luges Saul, cùm ego projecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael?* (1. Reg. 16.) *in cinere igitur, & ſacco poſtulat impleri, quod promiſerat Deus, non quòd eſſet incredulus futurorum, ſed ne ſecuritas negligentiam, & negligentia pareret offenſam.*

18 Ad illud, quod refertur ex cæremoniali Leonis X. reſpondet ipſe Gonzalez ibi, & Seſſa *Scrutin. doctrinar. cap. 3. art. 14. nu. 61.* Sed quanti ſint eorum reſponſa facienda, Lector advertat. Quare dicta proteſtatio minimè præmittebatur, quaſi Pontifices putarent ſe poſſe errare in actu canonizationis; ſed erat cautio neceſſaria, ut conſuleretur honori debito Sancto, & non confunderetur cum illo debito Deo, ut indicant verba hæc: *per hunc actum Canonizationis non intendimus aliquid facere, quod ſit contra fidem, aut Eccleſiam Catholicam, ſeù honorem Dei;* ideò ea proteſtatione intendebant populo ſignificare, Sanctis canonizatis non debere cultum Latriæ, ſoli Deo proprium, ſed Duliæ, qui à Pontifice per canonizationem decernitur. Vide Petrum ad *Conſtit. Apoſtol. ad 1. Alex. III. num. 22.*

19 Auctoritas illa in Auguſtino non reperitur, ut eruditi obſervant. Propter quod illud nonnulli tribuunt Gregorio. Cujuſcunque autem ſit, veritatem non habet de Sanctis à Romano Pontifice canonizatis, vel ſervis Dei ab eodem beatificatis, ſed de aliquibus, qui apud multos nomen Sancti obtinent. Ita Donatiſtę ſuos martyres honorabant, quos carpit Auguſtinus *Serm. 325. de natal. 20. Martyrum.* Huſſium, ut martyrem colunt Huſſitæ. Lutherum ſui venerantur, ut Sanctum: Vel, intelligitur de hypocritis, ab hominibus, qui ſecundùm faciem judicant, & abſcondita cordis non penetrant, Sanctis putatis, quatenus in veſtimentis ovium Sancti apparent, cùm tamen intrinſecùs ſint lupi rapaces, & peſſimi Chriſtiani. Cujus generis, noſtris temporibus fuit Michael Molinos.

Opponunt 2. ſpecialiter contra Beatificationem. Beatificatio non eſt ultimum judicium, quòd ſervus Dei ſit in gloria, ſicut eſt Canonizatio. Et propterea ad canonizationem non devenitur, niſi priùs aliud examen ſuper miraculis inſtituatur. Hoc autem ideò exigitur, & canonizationi præmittitur, quia certum non eſt, quòd

vir, qui Beatus appellatur, ſit in gloria: ergo Pontifex poteſt in Beatificatione errare; aliàs ſi eſſet in eo ab errore immunis, erraret inquirendo denuò circa Sanctitatem Beati.

20 R. Negatur per Beatificationem nõ fieri abſolutum, & completum judicium, quòd vir Dei ſit in gloria, immò ut talis toti Eccleſiæ proponitur; hinc ubique à Fidelibus Beatus certò abſque formidine in gloria creditur, & ad gratias impetrandas invocatur; cum hoc ſolo diſcrimine, quòd uni ſoli Provinciæ, vel Regno, aut Religioni, cultu, officio, ac Miſsâ colendus proponatur.

Nec obſtat, quòd pro Canonizatione novum fiat examen. Nam non fit de Virtutibus, & miraculis ante Beatificationẽ patratis, quibus probata fuit Sanctitas vitæ, & exiſtentia in Cœlo Servi Dei; ſed fit ſolùm de continuatione miraculorum poſt Beatificationem à Deo ad interceſſionem Beati patratorum; ſeù: *an conſtet de relevantia eorum, quæ ſupervenerunt poſt indultam Beato venerationem ad effectum, de quo agitur*: quod dubium, concordatur à D. Cardinali Cauſæ relatore cum B. Promotore Fidei. Comperta verò continuatione miraculorum, Papa certificatur Deum velle, quòd ſolemniter ad judicium de Beati gloria deveniatur, ac in tota Eccleſia proponatur publico cultu colendus, ejuſque memoria ubique glorificetur per dicta *nu.*8.

21 Ideò, cum Matta allegat. *nu.*2. dixit, quòd Beatificatio ſit ſolùm *conceſſio cultus cum titulo Beati*: errat, ſi propterea ſentiat, quòd quis poſſit de exiſtentia Beati in Cęlo, & quòd non ſit dignus cultu à Papa ei præfinito dubitare. Hinc dicitur *conceſſio* ſolùm in hoc ſenſu, quia Papa explicitè non præcipit, ſicut in Canonizatione.

Circa quod obſervetur doctrina Arriagæ, *tom.*4. *Theolog. diſputat.*7. *ſect.*4. quòd, cùm Pontifex declarat aliquem eſſe Beatum, videtur implicitè definire, vel ſaltem ſupponere eum eſſe in Cælo. Et inde ex vi ſolius Beatificationis eſt omninò certum virum Dei regnare cum Chriſto, & Papam non errare. Propterea Trullench *in decalog. tom.*1. *libr.*1. *capit.*9. *dub.*5. *numer.*3. ſcribit, per Canonizationem, & Beatificationem cognoſci Servum Dei eſſe in gloria: per Canonizationem quidem in forma expreſsè definitiva, & pronuntiativa; per Beatificationem verò in forma indultiva, conceſſiva, & implicitè definitiva.

Opponunt 3. contra utramque. Ad Beatificationem, & Canonizationem non procedit Pontifex, niſi priùs examinatis miraculis. Non eſt autem evidens, quòd miracula ſint vera miracula, & non ſint illuſiones Dęmonis. Dęmon enim, etſi non poſſit facere vera miracula, poteſt tamen facere apparenter quædam mirabilia. Ergo, ſicut miracula poſſunt eſſe falſa, ita poteſt Pontifex errare.

22 Reſp. Sed 1. notatur miraculum eſſe *opus excedens vires totius naturæ creatæ* agentis: Et à D. Auguſtino *lib. de util. credendi cap.*16. reſcribitur: *miraculum voco, quidquid arduum, aut inſolitum ſupra ſpem vel facultatem mirantis apparet: quædam ſolùm faciunt admirationem; quædam magnam gratiam, benevolentiamque conciliant*; Hæc ultima addita ſunt ad diſcernendum verum ab apparenti miraculo. *Si quis volantem hominem cernat, cùm ea rès ſpectatori nihil afferat commodi, præter ipſum ſpectaculum, miratur tantummodò. Si quis autem gravi, & deſperato morbo affectus, mox* ad invocationem Sancti, vel contactum Reliquiæ *convaluerit, admirationem ſanitatis ſuæ, ſanitatis etiam charitate ſuperabit*, ut ait S. Doctor.

23 II. Notatur, Deum miraculis loqui Eccleſiæ; quia, teſte Auguſtino *trac.* 24. *in Joan. nu.*2. miracula *linguam ſuam habent, & quandam Dei eloquentiam præſeferunt*. Et Scotus in *Prologo q.*2. *§. De octavo, ver. contr. ſecundum* dixit, miracula eſſe *teſtimonia veritatis*. Unde duo Deus patrando miracula ad invocationem alicujus Servi

vi Dei nobis præſtat; Unum, nobis præbet ſignum, & motivum credibilitatis illius gloriæ; ſeù quo poſſumus, & debemus prudenter judicare illum eſſe unum ex particularibus contentis in revelatione generali de Beatitudine Sanctorum. Aliud, ſignificat Eccleſiæ ſibi placere, ut ille ſacro cultu in Eccleſia honoretur, juxta *conſtitut. Gregorii IX. Mira I. pro canonizat. S. Franc. Bullar. to. 1.*

24 III. Notatur, diſcrimen eſſe inter miracula, quæ fiunt ad confirmationem fidei, & quæ fiunt ad demonſtrandam ſanctitatem alicujus Servi Dei. Miracula ad confirmationem fidei patrari poſſunt, etiam à malis per veram fidem, & invocationem Jeſu Chriſti, juxta illud Matth. 7. 22. *Nonne in nomine tuo prophetavimus: & virtutes multas fecimus?* hoc eſt, miracula, ut legunt Doctores. Sicut enim Deus per malos Miniſtros veritatem docet, ita per eos poteſt illam ſignis conteſtari. Nunquam autem vera miracula fiunt in confirmationem ſanctitatis, niſi ab juſtis, & exiſtentibus in Charitate Dei; etenim Deus non poteſt eſſe teſtis falſi, & confirmare falſam ſanctitatem, ſicut nec falſam doctrinam.

25 Ita fruſtra tentavit Simon Magus reſuſcitare mortuum, ex Egeſippo 3. *de excid. Jeroſol. cap. 2.* & Manichæus ſanare filium Regis Perſarum, ex Epiph. *hæreſ. 66.* Fruſtrà tentavit Lutherus eiicere diabolum de quadam ſua puella, à qua ferè necatus eſt, teſte Genebrar. *ad ann.* 1536. Fruſtrà tentavit Calvinus reſuſcitare mortuum fictum, & fecit mortuum verum, ex Surio *ad ann.* 1538. De quo verificatur illud Tertulliani *de præſcript. cap. 30.* dicentis hæreticos imitari Apoſtolos ex adverſo. *Illi*, inquit, hoc eſt, Apoſtoli, *de mortuis vivos faciebant: iſti*, ſcilicet, hæretici, *de vivis mortuos faciunt*. Hinc concordant Doctores extra Eccleſiam nulla miracula fieri.

26 IV. Notatur miracula in vita patrata, junctis etiam pietatis operibus, non inferre neceſſariò ſanctitatem, niſi conſtet de perſeverantia uſque in finem: de qua conſtat per miracula edita, poſt mortem; cùm hæc ſanctitatis certitudinem inducant.

27 V. Notatur Deum ligaſſe Diabolo manus, ne, etiam illa ſigna, & mirabilia faciat, quæ ipſius capacitatem non videntur excedere; Aliàs, cùm Dæmon ſit aviđiſſimus noſtræ perditionis, & ſciat nihil plus auctoritatis conciliare dogmatibus, & moribus, quàm extraordinaria aliqua ſigna, & prodigia, quis dubitat, quin plurima eſſet patraturus in confirmationem hæreſum, & ad juſtificandam corruptam vitam perditorum hominum? Hoc verùm, quia non facit, probat à Deo eſſe ligatum; Deus enim eſt perfectè verax, &, ut inquit Apoſtolus 1. *ad Corinth. 10. Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari, ſupra id, quod poteſtis*. Sic autem tentaremur, ſi non eſſet ita ligatus: vel, ſi permitteret Deus, ut illa ſigna faceret, ex circumſtantiis antecedentibus, ac concomitantibus colligi poſſet, quòd illis non eſſet credendum.

Propterea non ſufficiunt quæcumque ſigna facta ad ſanctitatem probandam, ſed neceſſe eſt, ut examinetur à peritis, an veram naturam miraculi habeant; & in ipſis concurrant, quæ ex Zacchia excripſi *Offic. cur. Eccleſiaſt. cap. 47. nu. 15.* eſſe omnimodè neceſſaria ad opus verè miraculoſum, & ibi *nu. 14.* de diviſione miraculi.

28 Ex quibus objecto fit ſatis. Semperque Pontifex ab errore circa ſanctitatem Servi Dei præſervatur ab inſtinctu Spiritus Sancti ex *n. 6.* Ideò, quando etiam, Periti errarent in judicio de qualitate operis, ſummum nefas ſemper eſſet dubitare de gloria illius à Pontifice Beatificati, vel Canonizati. Fideles enim fide divina credunt Pontificem in definiendo errare non poſſe, propter aſſiſtentiam Spiritus Sancti ei à Chriſto promiſſam.

Dices. Non eſt à Deo revelatum, quòd hic à Pontifice canonizatus ſit in Cælo. Ergo

go de fide non eſt, quòd Pontifex non poſſit ea in re errare.

Reſp. Conſequentia ex antecedenti non ſequitur; quia eſtò illud revelatum non eſſet, nec eſſet de fide, quòd canonizati ſunt in Cælo; tamen eſt revelatum, quòd Papa ſit infallibilis in definitionibus de fide, & moribus, Factiſque dogmaticis, & univerſalibus; cujus generis eſt canonizatio Sanctorum: Et ideò in caſu omnimoda certitudo infra fidem haberetur de exiſtentia canonizati in Cęlo.

29 Cæterùm negatur antecedens ex dicendis *num.*43. nam eſt implicitè revelata gloria Sancti canonizati in revelatione generali de Sanctorum gloria, quamvis expreſsè non ſit in illa nominatus, ut dictum eſt *n.*7.8.& 9.

30 Conſiderandum eſt, quod pars in toto, particulare in univerſali inferiùs in ſuperiori, confuſum in diſtincto implicitè revelatur: & ideò eſt de fide *quoad ſe;* & quoad nos de fide eſt, cùm Papa declarat, & pronuntiat contineri in illa univerſali revelatione; & tunc eſt ſimpliciter tenendum, & non ſub conditione, ſi Papa non erret; quia hęc conditio eſt impoſſibilis cùm Papa ex aſſiſtentia Spiritus Sancti definiat. Propter quod timendum non eſt, quòd non ſint vera, cùm de fide pronuntiat, cùm leges ſtatuit, aut cultum præſcribit.

31 Ideò falſum eſt aſſertum à Ferre *de fide q.*13.§.9.*nu.*24. nimirùm, *quòd lex de cultu canonizati non habet pro materia immediata ſanctitatem canonizati, ſed tantùm cultum canonizati: hic autem cultus eſt bonus in re, etiam ſi canonizatus in Cælo non ſit.* Nam objectum judicii Pontificii eſt ſanctitas glorificata Beati, vel Sancti; cùm Papa eum cum Chriſto regnare declaret; vel, implicitè, ut in Beatificatione, vel, explicitè, ut in Canonizatione, prout conſtat ex probationibus, & ex *n.*21. Et maximè habetur ex auctoritate D.Thomæ ſupra *n.*6. ex qua certum eſt legem de cultu ſanctis præſtando, non habere pro materia cultum quomodocumque, ſed prout eſt proteſtativus fidei, qua credimus Sanctorum gloriam. Quæ fides in Eccleſia falſa eſſe non poteſt. Quid abſurdius, & injurioſius auctoritati Romani Pontificis, quàm aſſerere eum poſſe concedere, vel jubere, ut cultus exhibeatur exiſtenti in inferno; quod ex ſententia Ferre neceſſariò ſequitur.

Inſtant. Eccleſia, quæ nunc exiſtit, non poteſt in ſuo Capite condere novos articulos fidei, neque libros canonicos ſcribere, ſicut potuit Eccleſia tempore Apoſtolorum. Ergo eamdem non habet auctoritatem, quam habuit tunc. Ergo eſtò pro eo tempore non potuerit errare in Sanctorum Canonizatione, aliter tamen diſcurrendum eſt de præſenti.

32 Reſp. Argumentum eſt Proteſtantium, qui blaſphemant Eccleſiam ante tempora Lutheri periiſſe, & defeciſſe à perfectione ſui ſtatus. Adversùs quorum inſaniam plura exprofeſsò diximus *cont.*1. *cap.*3. Unde utraque conſequentia eſt falſa. Planè Eccleſia non poteſt novos articulos facere, quia novas revelationes non habet: cùm omnia Eccleſiæ, & ſaluti neceſſaria fuerint à Deo revelata Apoſtolis juxta illud *Joan.*15.*omnia, quæ audivi à Patre meo nota feci vobis.* Et *cap.*16. *cùm venerit ille ſpiritus veritatis, docebit nos omnem veritatem.* Neque poteſt libros canonicos ſcribere; quia hoc fuit munus, & functio Apoſtolatus: quæ prærogativa, utpote extraordinaria ad Succeſſores Apoſtolorum non tranſivit, ſed cum ipſis Apoſtolis extincta eſt. Hinc eſtò in Eccleſia nunc non ſit auctoritas quoad munus extraordinarium Apoſtolatus: eſt tamen quoad munus ordinarium paſtorale, & magiſterii Eccleſiæ. In hoc enim munere Pontifex ſuccedit Petro prout alibi notavimus. Ideò poteſt abſque erroris periculo cauſas fidei agere, lites dirimere, leges præſcribere, & Eccleſiæ proponere, & explicare, quid ſit revelatum, & in quo ſenſu ſit revelatum; ac omnia facere, quæ

ſunt

ſunt neceſſaria, & utilia regimini Eccleſiæ; atque ita declarare quinam contineantur in generali revelatione de gloria Sanctorum.

Opponunt 4. D. Auguſtinus dubitavit de ſanctitate quarumdam Virginum, quas Eccleſia ſuo tempore, ut martyres venerabatur; nam cùm ſibi opponeretur, quòd illæ, inſtante perſecutione ne pudicitiam perderent, in fluvium ſe projeciſſent, *lib.1. de civit.cap.26.* reſpondit: *de his nihil temerè audeo judicare: Utrùm enim Eccleſiæ aliquibus fide dignis teſtificationibus, ut earum memoriam ſic honoret, divina perſuaſerit auctoritas neſcio: & fieri poteſt, ut ita ſit.* Ergo dubium eſt eſſe in Cœlo eos, quos Pontifex canonizat, & proponit colendos.

Deinde. Stat benè, quòd ego prudenter adorem hanc hoſtiam conſecratam, quin ſit infallibiliter, quòd ſub ea ſit Corpus Chriſti. Ergo pariter ſtat, quòd hic homo proponatur Eccleſiæ, tanquàm Sanctus, & ab Eccleſia adoretur, quin judicium Papæ ſit infallibile; ac tenendum infallibiliter, quòd hic homo ſit in re Sanctus cum Chriſto regnans.

33 Reſp. Negatur conſequentia. Circa antecedens dicendum, S. Doctori non fuiſſe propoſitam quæſtionem, quam tractamus: ei enim ſemper fuit perſpicua infallibilitas Pontificis ex dicendis *cap.7.nu. 9.* ideò de ea nullatenus dubitaſſet. Ejus Scopus ibi fuit oſtendere nemini licere ſibi ſpontaneam mortem inferre. Cùm verò in exemplum ablegarentur illæ Sanctæ mulieres: reſpondit, eas id feciſſe ex Spiritus Sancti motione, prout *de Samſone*, ait, *aliud nobis fas non eſt credere.* Monet tamen non eſſe cujuslibet de ſimili motione præſumere, cùm ſubjungit: *Qui audit, non licere ſe occidere, faciat ſi juſſit, cujus non licet juſſa contemnere. Tantummodo videat, utrùm divina juſſio nullo nutet incerto.*

34 Dubium verò ipſius videtur reſtringi circa veritatem hiſtoriæ. Qua tamen admiſſa, inquit, *ipſarum martyria* (Martyria hìc per Durantum *de ritib. Eccleſ.li.1. cap.1.num.11.* Sunt Eccleſiæ, in quibus martyrum memoria veneratur) *in Catholica Eccleſia veneratione celeberrima frequentari, quia Deus teſtificationibus fide dignis,* hoc eſt, miraculis, juxta dicta *nu.23.* Eccleſiam per ſuum Vicarium certificavit opus illud fuiſſe excellentiſſimæ charitatis ſupernaturalis, & non ob alium finem humanum; ac etiam, ut, eorumdem patratione cognoſceretur Deum velle, quòd illæ Sanctæ Virgines in univerſa Eccleſia proponerentur à Pontifice publico cultu honorandæ.

35 Hinc ſequitur, quòd priuſquàm à Romana Cathedra decernantur alicui in tormentis mortuo ob Chriſti fidem honores martyribus debiti; debet: Primò conſtare de martyrio, hoc eſt, fuiſſe illi ab extrinſeco in odium Chriſtianæ veritatis violenter mortem illatam; eumque ob dictam veritatem alacriter tormenta ſuſtinuiſſe, & ſanguinem fudiſſe; Nam martyr per Auguſtinum *cap.39.in Job,* dicitur: *intrepidus, & alacer teſtis fidei;* de quo per teſtes de viſu debet concludentiſſimè conſtare.

36 Secundò, conſtare debet de cauſa martyrii; enimverò, *veros martyres, non facit pena ſed cauſa,* ut notavit Auguſtinus *Epiſt.108.cap.5.ad Macrobium.* Et *ſerm.275. in natal. martyr. Vincentii,* dixit: *Martyres diſcernit cauſa, non pena. Multi enim dolores toleraverunt pertinacia, non conſtantia: vitio, non virtute, pravo errore, non recta ratione: diabolo poſſidente, non perſequente.* Diſtinguendi ſunt veri, & falſi martyres: etiam *Hæretici*, ſcripſit Auguſtinus *Serm. 328.in natal.* Martyr. *pro falſitate patiuntur, non pro veritate, quia mentiuntur contra ipſum Chriſtum.* Sed abſit, hæreticos dicere veros Martyres: licèt enim veram pœnam ſuſtineant, cauſam tamen malam defendunt, cùm non pro Chriſto, non pro Chriſtiana veritate, & iis, quæ annectuntur fidei, ſanguinem fundant, ſed ex abundantia ſui ſenſus, & pertinacia ad

ſuos errores. Implicantia eſt, quòd velint Dominum Jeſum honorare, & ejus legi, ac præceptis adverſentur. Quin etiam eorum paſſio non eſt à fide divina regulata, cùm ipſa ſint deſtituti: ideò nec præmio, nec laude digni ſunt, dicente Auguſtino *Serm.1.in pſal.68.nu.9.Laus eſt in cauſæ bonitate non in pœnæ acerbitate*. Idcircò in martyribus eſt diligenter inquirendum ſuper cauſa,& modo paſſionis:niſi adeò eſſet nota,quod non poſſet tergiverſatione celari.

37 Dictum eſt, *quæ annectuntur fidei*, quia pro iis à perſequentibus torqueri, martyrem efficit. Ita teſte Auguſtino *in pſal.90.ad fin.* Joannes Baptiſta fuit martyr Chriſti, non quòd cogeretur Chriſtum negare, vel directè fidem Chriſti, ſed cogebatur negare veritatem à Deo revelatam: *Occiditur*, ait, *ab Herode*, *quia dicebat ei:* Non tibi licet habere uxorem Fratris tui: *Neque enim Frater ejus ſine poſteritate deceſſerat. Pro lege quidem veritatis, pro æqualitate, pro juſtitia. Ideò Sanctus, ideò Martyr; ſed non tamen pro illo nomine, quo Chriſtiani ſumus*.

Diſputant Doctores, utrùm debeat conſtare de miraculis pro canonizatione martyrum; ſeù, ut martyribus honores in Eccleſia à Pontifice decernantur.

38 De hoc articulo agit Matta *de canonizat.Sanctor.p.4.cap.7.& p.5.cap.3.n.1*. aliique plures. Pro ſententia affirmativa videtur eſſe Auguſtinus ubi ſupra *numer.34*. Pro qua eſt praxis S.Rituum Congregationis. Nec majora opus nobis eſt hìc addere, cùm ad noſtrum inſtitutum non ſpectet; qui adversùs hæreticos laborem ſuſcepimus, & ne extra chorum ſaltemus, ad Auctores rem ex profeſſo tractantes Lectorem remittimus.

39 Ad deinde. Argumentum eſt aſſerentium judicium Canonizationis,& Beatificationis eſſe certum ſola certitudine formali, & practica: quæ in hoc conſiſtit, ut hìc, & nunc judicetur. Secundùm allegata, & probata, prout prudentia dictat; non verò eſſe certum certitudine,etiam materiali; quæ in hoc ſtat, ut res ſit à parte rei, ſicut judicatur: vel judicium ſit conforme rei, prout eſt à parte rei. In ſententia autem iſtorum poſſet Beatificatus, & Canonizatus realiter non eſſe in Cœlo; quo caſu inquiunt, Papa materialiter, non verò formaliter erraret. Quæ opinio eſt improbabilis, & falſa; nec diſcrimen ponit inter judicium Romani Pōtificis, & Judicis forenſis; nam etiam hujus ſententia pronuntiata ſecundùm allegata, & probata, habet certitudinem formalem, & poteſt carere materiali, cùm à parte rei poſſit res ſententiæ non correſpondere. Erubeſcant proinde, qui de Romano Pontifice adeò viliter ſentiunt.

Ideò conceſſo antecedenti, negatur conſequentia. Diſcrimen eſt; quia fides Eccleſiæ eſt, quòd Corpus Chriſti verè, & realiter continetur in hoſtia ritè conſecrata, quam adorandam proponit Fidelibus; quibus in particulari non proponit, quòd hæc ſit ritè conſecrata: ideò hanc in particulari non proponit eſſe adorandam, niſi ſub conditione, ſi nimirùm eſt ritè conſecrata, quam conditionem, ſaltem implicitè retinent Fideles, dum eam adorant; eamque prudentiſſimè adorant, quia eis nihil in contrarium occurrit, ut hic, & nunc debeant prudenter ſuſpicari de non rita conſecratione. Pontifex verò in Canonizatione abſolutè definit hunc numero Franciſcum V. Gr. Dominicum, Bonaventuram, &c. eſſe Sanctum, & abſolutè eum proponit Eccleſiæ adorandum, & de eo officium, & miſſam recitari, & celebrari concedit. Ideò neceſſe eſt, ut tale ſit ejus judicium, qualis eſt perſona beatificata, vel canonizata; adeòque purum, & purgatiſſimum ab omni errore, tum formali, tum materiali: à quovis enim præſervatur à ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti; quæ eſt debita, & promiſſa Eccleſiæ in ſuo Capite; in quo ipſa eſt *columna veritatis*, tam in rebus ſpectantibus ad fidem, & mores, quàm

quàm ad cultum, quem viris cum Chriſto regnantibus exhibet.

Quæritur. *An ſit de fide Pontificem non poſſe errare in Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum?*

40 R. Bannez 2.2.*in breviorib.comm.dub.* 7.*conc*.2. aliique apud Dianam *cit.reſol.*18. docent Pontificem in hujuſmodi cauſis errare non poſſe, id tamen non fide divina, ſed certum eſſe certitudine infra fidem, adeòut propoſitio negans Beatum eſſe in gloria, ſit *temeraria*, quia contra communem Doctorum, & ſenſum Fidelium: *ſcandaloſa*, quia Fideles à Sanctorum cultu, & veneratione retrahit: *impia*, quia contra cultum viris Beatis, & Sanctis debitum: & *ſuſpecta de hæreſi*, quia ſic affirmans, videtur negare in Papa poteſtatem ad Beatificandum, & canonizandum; vel, quòd Beati, & Sancti non ſint digni tali honore.

41 Ex oppoſito. Valentia *to.3.diſput.*1. *q.*1.*punct.*7.*§.*40. Tannerus 2.2.*to.*1. *diſput.* 17.*dub.6.* cum aliis, quos ſequitur Diana ubi *ſupra num.6.* tradunt in Canonizatione, non ſolùm errare non poſſe, ſed id eſſe de fide: ſed hoc ſecundum negant de Beatificatione; fortè hac ducti ratione, quòd Canonizatio ſit ultimum judicium Eccleſiæ, quo definitur vir Dei eſſe in gloria, poſt quod nihil ampliùs diſcutitur; quod judicium non eſt Beatificatio, ſed poſt eam novum examen fit, quod tamen fieri non poſſet, ſi eſſet de fide.

42 Verùm nos dicimus de fide eſſe Pontificem eſſe regulam animatam infallibilem, tam quoad Canonizationem, quàm quoad Beatificationem, ita Leytam *cit.nu.* 436. Caſtro Palao *to.*1.*tr.*4.*diſp.*5.*punct.*5. *§.*5.*nu.*4. Verricelli *in qq.moral. tract.*8.*q.*5. *num.*3. Ratio eſt, quia illa propoſitio ſequitur ex duplici præmiſſa de fide, hoc eſt, *Romanus Pontifex docens Eccleſiam errare non poteſt in iis, quæ ſpectant ad materiam fidei, & Religionis; ſed Canonizatio, & Beatificatio ſpectant ad materiam fidei, & religionis:* ergo, &c. Minor patet ex dictis ſupr. ex D.Thoma. Tum quia ad Religionem pertinet, quòd aliquis proponatur colendus toti Eccleſiæ, vel alicui Provinciæ. Major etiam conſtat *cap.*2. Cur autem pro Canonizatione novum inſtituatur examen, diximus ſupra. Neque enim conveniens eſt, ut cuilibet exiſtenti in gloria honor officii, & Miſſæ in tota Eccleſia concedatur, ſed conſtare debet, an Deo id placeat; de quo conſtare dicitur, ſi Beatus novis illuſtretur miraculis.

Quæritur II. *An ſit de fide Sanctum, & Beatum eſſe in gloria?*

43 R. Affirmamus cum Lauræa cit. Poncio *cur.Theol.diſput.*28.*q.*1.*num.*17.*reſpon.*2. Veriſimile eſt Chriſtum revelaſſe Apoſtolis, quòd quicumque eſſet Beatificatus, & Canonizatus à Pontifice, eſſet ſine dubio in Cœlo: & ex eo deſcendit, quòd Fideles id credant. Tum quia, ſtatim ac Pontifex aliquem beatificat, vel canonizat, declarat eum contineri in revelatione generali de beatitudine Sanctorum in Cœlo; nam proponit, quòd ille habuit conditiones, quas Spiritus Sanctus revelavit neceſſarias in iis, qui ſtatim poſt mortem donandi ſunt beatitudine: ergo ſtatim cognoſcitur, quòd unus ex illis ſit à Deo in propoſitione univerſali implicitè revelatis; conſequenter id negans peccat contra fidem: quia negat aliquid à Deo revelatum, & ut tale à Pontifice propoſitum.

Nec obſtat, quòd multæ præmittantur diſcuſſiones, & ratiocinationes, priuſquàm Papa ad Beatificationem, & Canonizationem procedat. Siquidem iſtæ deſerviunt, ut conditiones ad explicandum, an hic, vel ille in particulari contineatur ſub propoſitione illa univerſali, explicitè revelata, non verò, ut ratio formalis aſſentiendi concluſioni, quia hæc eſt divina revelatio à Papa propoſita.

44 Quod hoc explicamus diſcurſu. *Deus revelavit, quòd ſtatim poſt mortem in Cœlo cum Chriſto regnat, qui benè vivit juxta præſcripta in teſtimoniis Sacræ Scripturæ alle-*

ga-

gatis nu.7. Sed S.*Franciſcus ita vixit:* ergo *Deus revelavit, quod Sanctus Franciſcus ſtatim poſt mortem cum Chriſto regnavit.* Major eſt de fide. Minor, ſuppoſitis exactis diligentiis, quæ in hujuſmodi cauſis fiunt, eſt certa moraliter, explicans particularem contineri in propoſitione univerſali. Concluſio, ſi deducatur à Doctoribus eſt certa certitudine morali. Si à Pontifice ex aſſiſtentia Spiritus Sancti, ut in caſu fit, eſt certa certitudine fidei divinæ; & hinc ea fide credenda eſt. Nam hac fide credendum eſt, quod eſt à Deo revelatum, & à Pontifice propoſitum. Legas dicta *numer.14.*

Dices. Ut Pontifex ſuo decreto concedat cultum exhiberi alicui Sancto neceſſe non eſt, ut ſit de fide illum eſſe in Cælo. Nam Conceptio Immaculata B.M.V. pro primo inſtanti de fide non creditur; Conceptionis autem cultus eſt à Sancta Sede decretus, ut ex conſtit. Alexandri VII. *Solicitudo 117.Bullar.to.5.*

45 Reſp. Illud per ſe loquendo non requiritur. Sed in caſu noſtro non tenet; Nam Papa, beatificando,& canonizando declarat hunc in particulari contineri in revelatione generali de Beatitudine Sanctorum in Cælo. Quod non currit de Conceptione pro primo inſtanti; Etenim poteſt eſſe de fide *quoad ſe*, ſed *quoad nos* nondum Sedes Apoſtolica declaravit expreſsè eſſe à Deo revelatam. Ideò ad eum effectum, & pro conceſſione Indulgentiæ, ſufficit, ut infallibiliter infallibilitate infra fidem ſancta pro primo inſtanti judicetur. Vide *contr.8. cap.7.nu.30.*

CAPUT VI.

An Pontifex ſit infallibilis, in decidendis quæſtionibus Facti dogmatici, ſeù connexi cum jure?

SUMMARIUM.

1 *Subterfugia Janſeniana circa Pontificias Conſtitutiones in cauſa damnationis quinque propoſitionum Janſenii*, ad 8.

9 *Quænam quæſtio Juris, quæ verò Facti*, ad 12.

13 *Senſus Auctoris duplex internus, & externus*, & 13.

14 *Pontifex infallibilis in decidendis queſtionibus Facti dogmatici*, ad 16.

17 *Doctrina Arii, in ſenſu ab illo intento, damnata.*

18 *Et illa Neſtorii.*

19 *Et illa Eutychetis.*

20 *Ac propoſitiones Michaelis Baii.*

21 *Et aliæ Archiepiſcopi Cameracenſis.*

22 *Propoſitiones Janſenii ſunt proſcriptæ in obvio ipſarum ſenſu*, & *non alieno, & improprio.*

23 *Pontifex errare non poteſt in quæſtionibus connexis cum jure*, ad 25.

26 *Pontifex poteſt definire de fide Factum connexum cum jure.*

27 *Fragmentum hiſtoriæ Pelagianæ*, ad 32.

33 *Senſus naturalis Auctoris quinam?*

34 *Cæleſtius non fuit à Zozimo abſolutus.*

35 *De ſenſu obvio poteſt Papa judicare*, ad 36

37 *Papa infallibilis eſt in cognoſcenda doctrina conformi, vel diſformi Scripturæ, & Traditionibus.*

38 *Aliqua explicitè, alia implicitè revelata.*

39 *Hæc propoſitio*. Doctrina Janſenii in ſenſu ab eo intento eſt hæretica, *credenda eſt fide divina*, ad 43.

44 *An teſtamentum Janſenii fuerit ſincera mente conditum* ad 45.

46 *Propoſitiones aliquando in abſtracto, aliquando in concreto damnantur, & quid hoc importet?* ad 47.

1 ADverſùs Janſeniſtas ſuſcipitur examen. Quorum cavillationes, & ſubterfugia ad eludendas Pontificias Conſtitutiones nullus eſt; qui non viderit. Sciendum eſt Urbanum VIII. *an.1641.* edidiſſe Conſtitutionem. *In Eminenti 289. Bullar.to.5.* qua ſimul confirmavit Conſtit.

S.Pii

S.Pii V.Gregor.XIII. editas adverſùs propoſitiones Baii: ac prohibuit librum Cornelii Janſenii, cui titulus *Auguſtinus*. Quę Conſtitutio ab Janſeniſtis dicebatur ſubreptitia, hoc eſt, dolo extortam per expoſitionem falſi. Falſum enim omninò dixerunt, quòd in Janſenii libro continerentur, & renovarentur propoſitiones Baii, in ſenſu illo damnato. Propter quod idem Urbanus ad plures Epiſcopos, & Academiam Duacenſem ſcripſit in hęc verba: *Impudentem aliquorum temeritatem ſatis improbari non poſſe, qui Conſtitutionem illam falſitatis inſimulare vaniſſimis rationibus non ſunt veriti.*

2 Subinde. Innocentius X. *Conſtitut. Cùm occaſione* 31. ibi *to.*4. inſtantibus quampluribus Galliæ Epiſcopis, quinque propoſitiones Janſenii, ut hęreticas damnavit. Quarum.

I. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.*

II. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur.*

III. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

V. *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe.*

3 Poſteà Alexander VII. accipiens, quòd nonnulli iniquitatis filii, quinque illas propoſitiones, vel in Janſenii libro non reperiri, ſed fictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum Chriſti Fidelium ſcandalo non reformidarent, d. Conſtit. Innocentii confirmavit, innovavitque, illaſque propoſitiones ex libro Janſenii excerptas, ac in ſenſu ab eodem Janſenio intento damnatas fuiſſe declaravit, & definivit, *conſtitut. Ad Sanctam* 38. *tom.*5.

4 Verùm, quia frons temeritatis adhuc erigebatur adverſùs definitiones Romanæ Cathedræ, idem Alexander ad varios Janſeniſtarum cavillos obtruncandos, & imponendum controverſiæ finem, in *Conſtit. Regimini de an.* 1664. edidit formulam fidei ab omnibus Eccleſiaſticis ſubſcribendam ſincero animo, & cum juramento reiiciendo, & damnando quinque propoſitiones excerptas ex libro Janſenii, & in ſenſu ab eodem Auctore intento, prout fuerant ab Innoc. & ipſo Alexand. damnatæ.

5 Sed cùm adhuc non deeſſent, qui variis diſtinctionibus in erroris ſubſidium excogitatis, Eccleſiam turbarent, Innocentius XII. ad redarguenda, eliminandaque hujuſmodi effugia litteras in forma Brevis direxit Epiſcopis Belgii 6. *Februar.* 1694. & præcepit, ut ii, *qui ad juramentum adigendi ſunt, illud præſtare debent ſincerè abſque ulla diſtinctione, reſtrictione, ſeù expoſitione, damnando illas propoſitiones ex libro Janſenii excerptas, in ſenſu obvio, quem ipſamet verba preſeferunt*, prout ſenſum illum damnarunt Pontifices prædeceſſores.

6 Quinimò alios non puduit litteras Innocentii in ſenſum pravum extorquere, aſſerentes, quòd non fuerit locutus de ipſo ſenſu obvio, quem propoſitiones habent in Janſenii libro, quivè ab eodem Janſenio intentus fuit, ſe de alio quoppiam diverſo ſenſu. Quorum mendoſam expoſitionem ipſe Innocentius perſtringit in litteris in forma Brevis ad eoſdem directis 24. *Novembr.* 1696.

7 Tandem iidem inquieti homines, & propoſitionum defenſores non ſine maxima Sedis Apoſtolicæ injuria docere non erubuerunt: *Non requiri ad obedientiam debitam præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus,*

ut

ut propoſitiones Janſenii interiùs tanquam hereticæ damnentur, ſed ſufficere, *ſi ea de re obſequioſum, ut ipſi vocant, ſilentium teneatur*. Quod viam ſternit ad fovendam mente hæreſim. Nonnulli verò eò dementiæ devenere, ut vellent formulæ ab Alex. conſtitutæ ſubſcribi licitè poſſe, etiam ab iis, qui interiùs non judicant in prædicto Janſenii libro doctrinam hæreticam contineri. Quaſi liceat ipſam Eccleſiam jurejurando decipere. Unde Clemens XI. 16. *Julii* 1705. Conſtitut. edidit *incipien. Vineam Domini*, qua illud obſequioſum ſilentium proſcripſit, ac iterùm confirmavit litteras Innocentii, & Alexandri. De qua re ſermo erit, *cap.7.*

8 Inde coniicere quiſque poteſt, quas artes poſt damnationē adhibuerint quinque propoſitionum propugnatores, ut ipſi innocentes apparerent, ipſique Pontifices rei, ſi fieri poſſet, in eo, quod pronuntiarunt judicio. Quod obtinuiſſe adhuc plures deprędicant propter clauſulam in *ſenſu Janſenii* ab Alexandro Conſtitutioni adjectam.

9 Janſeniani concordant Pontifices eſſe infallibiles in quæſtionibus juris (eſtò nec in iſtis, ſi definiant extra Concilia, de qua re *cap.proximo*) non verò in quæſtionibus Facti. Factum eſt duplex, aliud purū, & aliud dogmaticum, ſeù connexum cum jure. Purum, ſeù perſonale; quòd iſte *liber ſit ab hoc Auctore ſcriptus*: quòd *internè*, & *in animo ſuo Auctor ita ſenſerit*; quòd *hic ſit dignus beneficio*: quòd *hoc crimen commiſerit*, *&c.* Dogmaticum verò eſt dogma, ſeù doctrina cujuſvis privati Auctoris in materia fidei, & religionis; ut, quòd *hæ propoſitiones verè excerptæ ſint ex libro Janſenii nomen præferente, & in eo continentur in ſenſu ab Janſenio intento*; quòd *hic ſit ſenſus hujus propoſitionis*. Quòd *hæc ſcriptura ſit divina*: hujuſmodi enim eſt tale Factum cum fide neceſſariò connexum, ut ex illius deciſione dependeat deciſio fidei; & ex ejus negatione negatio ſequatur fidei. Nam ſi negetur hæc ſcriptura, quam nobis Eccleſia, ut divinam proponit, ſequitur negatio fidei, quæ in hac Scriptura continetur, & ſimilia Facta.

10 Quæſtio Juris ſecundùm Theologos illa eſt, quæ probari, & ſolvi poteſt ex Scriptura, vel Traditione, in quibus eſt jus fidei noſtræ, V.Gr. *An Chriſtus ſit æqualis Patri?* An *Beata Virgo ſit Mater Dei? &c.*

11 Hinc quæſtio juris in caſu idem eſt, ac quæſtio in doctrina fidei, vel motum: Quæſtio verò Facti illa eſt, quæ in materia contingenti, nec ex Scriptura, vel Traditione ſolvi poteſt, ut eſt hæc: An *Arius dixerit Chriſtum eſſe creaturam?* An *Neſtorius pronuntiaverit in Chriſto eſſe duas perſonalitates?* Poteſt quidem ex Scriptura probari Chriſtum eſſe æqualem Patri, & ex Traditione unam eſſe in Chriſto perſonā, non verò, quòd illi præfata pronuntiaverint; quod aliunde ex eorum nimirùm ſcriptis, & defenſione probatum fuit, & ideò ab Eccleſia proſcripti ſunt.

12 Quæſtio *Facti* Dogmatici ſignificat quæſtionem, qua quæritur: an Ver.Gr. *quinque propoſitiones Janſenii fuerint excerptę ex illius libro?* An *doctrina Janſenii in ſenſu obvio, & germano verborum ſit hæretica?* An *talis doctrina in ſenſu à Pelagio, vel alio intento ſit prava, verbo Dei repugnans? &c.*

13 II. Senſus Auctoris eſt duplex, internus videlicet, & externus. Internus eſt cogitatio ſecreta mentis intus latens, & ab Auctore in mente retenta, nec verbis, nec ſcriptis expreſſa. Externus verò, ille eſt, quem verba Auctoris per ſe exprimunt, ſeù, ad quem exprimendum ab inſtitutoribus linguæ inſtituta ſunt: & qui intelligitur eo ipſo, quo verba intelliguntur: qui ſolet dici ſenſus *obvius*, *nativus*, *litteralis*, *& germanus* verborum Auctoris.

Quare. In præſenti quæritur: an Papa ſit *infallibilis in decidendis quæſtionibus Facti dogmatici?* adeòut illa doctrina, & dogma juxta ſenſum obvium, & nativum, ac litteralem Auctoris ſit Catholicum, quod Pontifex,

tifex, ut Catholicum approbat; & illud ſit hæreticum, quod ut hæreticum damnat. Quod eſt idem, ac quærere, an *infallibilis ſit in diſcernendo obvio, & naturali ſenſu doctrinæ cujuſvis privati Auctoris*. Affirmat Lauræa *de fide diſp.6.art.6.num.267.* ubi tradit damnationem doctrinæ factam à Concilio confirmato, vel à ſolo Pontifice in ſenſu Auctoris, ſive Auctor ſit vivus, & per ſemetipſum verbo, aut ſcripto exprimat ſuum ſenſum: ſive ſit mortuus, & ſenſum in ſcripto auctentico ſufficienter manifeſtaverit, eſſe objectum fidei æſtque damnatio illa fide divina credenda. Annatus *apparat. ad Theol.poſit.lib.6.artic.3.* Viva *Trutina Theol.9. prodroma ad prop.damn. ab Alex.VII.* Seſſa *Scrutin. doctrinar.cap.1.ar.5. num.6. & cap.3.art.14.nu.36.* Luccheſinius *Polemica Hiſtoria Janſeniſmi*.

14 Dicendum. *Pontifex eſt infallibilis in decidendis quaſtionibus Facti dogmatici*, ſeù, *in approbanda*, vel *reprobanda doctrina aliqua in ſenſu obvio cujuſvis privati auctoris.* Contra Janſeniſtas.

Probatur. Pontifex eſt infallibilis in cognoſcenda doctrina, ſeù ſenſu Sanctorum Patrum; ſed ſenſus Sanctorum Patrum eſt factum aliquod dogmaticum: ergo Pontifex infallibilis eſt in cognoſcendo iſto Facto dogmatico; ergo & quocumque alio dogmatico Facto, cùm non ſit major ratio de uno, quàm de alio; ergo infallibilis eſt in decidendis quæſtionibus Facti dogmatici. Probatur antecedens. Eſt Pontifex infallibilis, in intelligendo ſenſu legitimo Sacræ Scripturæ, & ipſamet Traditione diſcernenda juxta Tridentinum *ſeſſ.4. in decreto de canonic.Script.* Nam ex Scriptura, & Traditione cognoſcit, quid ſit de fide tenendum. At infallibilis eſſe non poteſt in intelligendo legitimo Scripturæ ſenſu, & Traditione diſcernenda, niſi ſit pariter infallibilis in cognoſcenda doctrina, & ſenſu Sanctorum Patrum; cùm ſæpè Scripturæ ſenſus ſit obſcurus; quem, & latentem Traditionem non cognoſcit, niſi ex doctrina, & ſenſu Sanctorum Patrum.

Tum quia, ſi Pontifex errare poſſet in approbanda alicujus libri doctrina, ut vera, & Catholica, vel reprobanda, ut falſa & hæretica, jam ferè omnes Apoſtolicæ Cathedræ definitiones ſuum robur amiſiſſent. Doctrina enim definita, ut plurimùm à particulari perſona conſcripta eſt, & poſteà Pontificis judicio ſubjecta. Exemplum eſt, ut alia prætercam, in duodecim Anathematiſmis contra Neſtorium, qui elaborati, & conſcripti fuerant à Cyrillo; quos poſteà Synodus Epheſina, à Romana Cathedra confirmata, ut Catholicos approbavit. Quæ approbatio nullius eſſet roboris, ſi non potuiſſet Synodus ſine periculo erroris judicare de Catholico ſenſu Doctrinæ à Cyrillo conſcriptæ: Non enim de ſolis vocibus, aut verbis Eccleſia judicat, ſed de ſenſu, & ſignificato, quem verba illa exhibent. Factum autem eſt, quod Cyrillus illos anathematiſmos conſcripſerit: ergo, &c.

Si concedant de Concilio, & de Pontifice negent, dicendum *cap.ſequen.*

15 Confir. Eſt Papa infallibilis in cognoſcenda vera doctrina fidei, & Religionis à quacunque ei repugnante; ad hoc enim habet Spiritus Sancti aſſiſtentiam. *Joan.14.* & *Lucæ 22.* ergo & infallibilis eſſe debet in cognoſcenda doctrina cujuſvis privati Auctoris, an ſit doctrinæ fidei repugnans; ergo & in illius nativo, & obvio ſenſu cognoſcendo, approbando, vel reprobando. Nam, dum Pontifex approbat, vel reprobat aliquam doctrinã, illã approbat, vel reprobat quoad naturalem, nativũ, & obvium ſenſum verborũ, quibus Auctor eſt uſus: confert enim illius textus cũ Scriptura, vel Traditione, & ubi reperit cum illis convenire Catholicos eſſe declarat, ubi verò repugnare noſcit, hæreticos pronuntiat. Quod totum præſtitit Apoſtolica Sedes in damnatione propoſitionum Janſenii, quas cùm cognoverit in ſenſu obvio verborũ repugnare Scripturę divinę, eas in ſenſu illo definivit hæreticas eſſe: ergo, &c.

16 Denique. Conſtans praxis Eccleſiæ ſem-

ſemper fuit hæreticam credere, & tenere doctrinam, quam, vel ſolus Papa, vel ipſe cum Concilio hęreticam proſcripſit: ergo, quia pro certo habuit, eum eſſe erroris expertem in approbanda, vel reprobanda doctrina cujuſvis Auctoris in obvio, & germano ſenſu, quem verba Auctoris faciunt.

Deinde. Janſeniani non negant Pontificem eſſe infallibilem in approbandis libris S.Auguſtini: traduntque nefas eſſe de iis dubitare, maximè in ea parte, qua Pelagianos, & Semipelagianos confutavit, utpotè confirmatis à Cęleſtino, Hormiſda, & Joanne Papa: ergo, ſicut ſumma auctoritas Pontificum poteſt ſine errore definire, an *doctrina S.Auguſtini ſit Catholica, vel non?* ita dicendum, dum ſententiam ferunt circa doctrinam aliorum. Num Spiritus Sanctus aſſiſtit Pontifici ad penetrandum ſenſum S.Doctoris, non verò ad aliorum ſenſum recognoſcendum? Nonne definitio illa Factum aliquod pręſupponit, nimirùm, quòd D.Auguſtinus extiterit, quòd libros ſcripſerit, quòd verba illa eum ſenſum faciant, quem primi inſtitutores illis impoſuerunt? At hoc non impedit, quin definitio ſit infallibilis.

17 Probatur 2. Papa poteſt certò ſecernere ſenſum Catholicum à ſenſu hæretico in propoſitione ab aliquo ſcripta, utrumque habente: & pronuntiare propoſitionem in hoc ſenſu, eſt hæretica; aliàs in Eccleſia nulla daretur regula viva infallibilis ad conſervandum depoſitum fidei, & dirigendos Fideles, quod dicendum non eſt: Sed hoc probat eum eſſe infallibilem in decidendis quæſtionibus Facti dogmatici; vel, in approbanda, aut reprobanda doctrina aliqua in ſenſu obvio cujuſvis privati Auctoris: ergo, &c. Major exemplis patet. Nam hæc propoſitio à Chriſto revelata: *Pater major me eſt*, admittit duplicem ſenſum: Catholicum, ſi intelligatur de Chriſto ſecundùm humanitatem, quo ſenſu eam Chriſtus dixit. Hæreticum verò, ſi accipiatur de Chriſto ſecundùm Divinitatem, quo ſenſu uſurpabatur ab Ario, dum dixit: *Filius eſt minor Patre*. Ideò Nicænum I. damnans dogma Arii, ut hæreticum, ſenſum hæreticum à Catholico diſcrevit, & poterat definitionem his terminis pronuntiare, quòd *Chriſtus ſit minor Patre in ſenſu Arii*, eſt hæreſis.

18 Ita diſcurritur de dogmate Neſtorii negantis *Mariam Virginem eſſe Matrem Dei*, cujus doctrina damnata eſt, ut hæretica in Concilio Epheſino I. Et potuiſſet eam damnare, dicendo: *Quod Maria ſit Mater Dei, in ſenſu Neſtorii, eſt hæreſis*. Neſtorius enim intelligebat humanitatem Chriſti fuiſſe perſonatam perſonalitate creata, conſequenter à Maria genitam eſſe perſonam creatam; perſonam verò divinam fuiſſe per affectum unitam perſonæ humanæ. Catholici verò cum Epheſino dicebant humanitatem conceptam in Utero B.Mariæ Virginis fuiſſe perſonatam, non à perſonalitate creata, ſed à Divina; & in eo inſtanti, in quo, creata anima, & unita corpori, debuerat reſultare perſonalitas creata, hęc fuit impedita, ne reſultaret, ſed loco ejus fuit perſonalitas divina; quia verò omnis Mater dicitur concipere, & parere perſonam, ideò B.Maria eſt Mater perſonæ Divinæ.

19 Idem dici poteſt de dogmate Eutychii damnato in Concilio Chalcedonenſi: Eſt certum quòd Natura divina ſimul cum humana fuit in Chriſto. Verùm Eutyches dicebat eſſe ita in eo unitas, & permixtas, ut evaſerint una; quod in Concilio fuit damnatum, & definitum duas in Chriſto diſtinctas, & inconfuſas eſſe naturas. Potuitque hoc modo illud proſcribere: *Unio, & permixtio naturarum in Chriſto in ſenſu Euthychii, eſt hæretica.*

20 Idem habetur ex *conſtitut. Ex omnibus S.Pii V.* relata in *d. conſtit. In eminenti Urbani VIII.* qua S.Pius damnans 75. propoſitiones Michaelis Baii, *quas quidem ſententiis*, ait, *ſtricto coram nobis examine ponderatas, quanquàm nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore, & proprio verborum*

ſenſu

ſenſu ab Aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, &c. damnamus, circumſcribimus, & abolemus. Ubi omnes propoſitiones damnat, quia falſum ſenſum continent ſub cortice verborum, quem præſeferunt, & exhibent audientibus, eſtò aliquis ſenſus poſſet ab Auctoribus illis adaptari, & quem ſe intendiſſe affirmarent ob verborum amphibologiam.

21 Idem pariter conſtat ex *Conſtitutione Cùm aliàs*, quæ prodiit 12. Martii 1699. Qua Innocentius XII. proſcripſit librum Gallico idiomate editum ab Archiepiſcopo Cameracen. *tanquàm continentem propoſitiones* (& viginti tres in ea referuntur) *ſive in obvio eorum verborum ſenſu, ſive, attenta ſententiarum connexione, temerarias, ſcandaloſas*; & hoc quid eſt aliud, quàm eas damnaſſe in obvio ſenſu, quem verba præſeferunt?

Cur verò ſæpè, tam Pontifices, quàm Concilia non ea formula, & reſtrictione utantur, eſt, quia pravi ſenſus Auctorum erant notiſſimi, & pluries diſputati, ac per Eccleſiam diffamati; ut dubium non eſt de iniquo ſenſu Arii, Neſtorii, & Eutychii; ideò non oportuit damnare eorum doctrinas cum ea reſtrictione in ſenſu Arii V.Gr. Neſtorii, &c. ſed ſatis fuit damnare eos, eorumque pravas doctrinas circa divinitatem, & perſonam Chriſti, &c.

Reſpondent Janſeniani. Sedes Apoſtolica non damnavit propoſitiones in ſenſu proprio, & germano Janſenii, ſed in alieno, & improprio.

22 Contra. In hoc recedunt ab judicio Apoſtolicæ Cathedræ, quæ adversùs aſſerentes illas propoſitiones, vel, in libro Janſenii non reperiri, ſed fictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe; vel, non in ſenſu ab Janſenio intento fuiſſe ab Innocentio X. damnatas, declaravit, & definivit, quinque illas propoſitiones ex libro Cornelii Janſenii excerptas fuiſſe, & in ſenſu ab eodem Cornelio intento damnatas, & uti tales iterùm damnavit. Ita Alexander VII. *conſtitutione ad Sanctam*.

Ideò credendum eſt ſenſum damnatum, ut hæreticum in propoſitionibus Janſenii eſſe ſenſum obvium, proprium, & nativum, quem verba ipſa exhibent, hoc eſt, in quo verba illa uſurpantur in communi locutione, ac explicantur in Vocabulariis; non verò in improprio, non obvio, ſed recondito, & pro arbitrio ficto, ac à verbis non expreſſo, vel verborum ſignificationi contrario. Aliàs & Calviniſta affirmaret ſe non obſtringi ad accipiendũ in ſenſu proprio illud Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum*; & omnes hæretici irriderent omnes Conciliares, & Pontificias definitiones adversùs ſe emanatas; aſſererentque libros ſuorum Magiſtrorum damnatos eſſe in ſenſu nõ ab illis intento. Tum quia, ſi hęreticorum propoſitiones fuiſſent damnatæ in ſenſu non ab illis intento, & quem verba non exhibuiſſent, quo titulo potuiſſent dici pertinaces adversùs definitiones Eccleſiæ? Tum quia, Eccleſia, ut hæreticos damnat eos, quos pertinaces obſervat in externa hæreſum defenſione, hoc eſt, in illis defendendis in obvio verborum ſenſu: ergo diſtinctio de ſenſu improprio eſt arbitraria: aliàs in alieno, & improprio ſenſu damnari poſſent puriſſimi textus Athanaſii, Auguſtini, & cæterorum Patrum.

Dices. Cùm dicitur Chriſtus, *eſt Ovis, Leo, Petra, Lapis angularis* non accipitur in ſenſu verborum proprio, ſed improprio; & tamen textus Scripturæ ſunt veri: ergo poterit eſſe vera definitio Pontificia circa propoſitiones Janſenii, quamvis de ſenſu improprio intelligatur.

R. Verba Scripturæ ſunt ſemper in proprio, & obvio verborum ſenſu accipienda, niſi aliunde ſenſus veritati repugnet, vel definitum ſit, quòd ea ſint intelligenda in ſenſu improprio, & figurato, in quo uſurpantur tituli allegati; multa enim figuratè dicta Scriptura commemorat. Legatur D. Auguſtinus *lib. 2. de Geneſ. contra Manichæos capit. 2*. In caſu ſenſus impro-

prius

prius Janſenii definitioni repugnaret: ergo in proprio accipi debet.

23 Probatur 3. Si Pontifex poſſet errare in Quæſtionibus Facti dogmatici, erraſſet V.Gr. cùm definivit: *propoſitiones excerptæ ex libro Janſenii ſunt hæreticæ in ſenſu obvio ab Janſenio intento, & , quem verba in eo litteraliter exhibent*: ergo ſequitur erraſſe definiendo, quod *ad merendum non ſufficiat libertas à coactione*. Probatur hoc; qui negat hoc Factum, hoc eſt, quòd illa propoſitio hæretica contineatur in libro Janſenii in ſenſu obvio, quem in ejus libro verba faciunt, cogitur negare eam propoſitionem in ſe, eſſe hæreticam. Nam negare minimè poteſt, niſi demens ſit, eam in dicto libro contineri, eumque ſenſum in libro habere. Hoc enim à ſingulis palpatur; & inde negando factum negaret jus; affirmaretque Pontificem errando in Quæſtionibus Facti connexis cum Quęſtionibus Juris, in poſterioribus pariter quæſtionibus errare. Eo prorsùs modo, quo quis negans libros Lutheri, & Calvini ab Eccleſia proſcriptos continere propoſitiones fidei contrarias (quod ſpectat ad quæſtionem Facti) cogitur negare, quòd ſit fidei contraria hæc propoſitio aſſerta à Luthero: *In Euchariſtia eſt panis ſimul cum Corpore Chriſti*: & hæc alia à Calvino: *Corpus Chriſti non eſt in Euchariſtia, niſi figuratè*; quod ſpectat ad Quæſtionem Juris. Quoniam negari minimè poteſt, illas propoſitiones reſpectivè in eorum libris contineri, cùm evidenter in illis appareant: ergo negans eos libros propoſitiones hæreticas continere, de neceſſitate negare debet illas propoſitiones eſſe hęreticas.

24 Quare quiſque debet tenere quinq; propoſitiones Janſenii à Sancta Sede ut hęreticas, in ipſarum obvio ſenſu proſcriptas, eſſe tales; ſicut Theodoretus tenere omninò debuit doctrinam in ſenſu Neſtorii ab Epheſino I. proſcriptam eſſe hæreticam; & quamdiù Theodoretus renuit clarè, & diſtinctè anathema dicere Neſtorio, ut hæreticus, & Neſtorianus à Concilio Chalcedonenſi exiſtimatus eſt. Propterea licèt *art.* 8. dixiſſet: *Ego ab Orthodoxis nutritus ſum: orthodoxè prædicavi, & docui, & non ſolùm Neſtorium, & Eutychem, ſed & omnem hominem, qui rectè non ſapit adverſor*: Iſtis Epiſcopi non fuerunt contenti, ſed dixerunt: *clarè dic anathema Neſtorio, & dogmatibus ejus anathema. Tandem compulſus eſt, ut expreſsè, & clarè Neſtorium, & Eutychem, omnem hæreticum, & omnem hominem dicentem, vel opinantem duos filios, & eos, qui non dicerent Dei genitricem Virginem Mariam, anathematizaret*: Quod cùm dixiſſet: *omnes Epiſcopi clamaverunt: Theodoretus dignus eſt Sede Eccleſiæ. Orthodoxum Eccleſia Paſtorem recipiat*. Quid autem eſt, Theodoretum anathematizare Neſtorium, & ejus dogmata, quàm anathematizare doctrinam Neſtorii in ſenſu ab eo intento, ipſumque pertinacem in ea ſuſtinenda?

25 Ita, diſponente Martino V. *conſtit. Inter curas* 1. *Bullar. to.* 1. edita in Concilio Conſtantienſi, à ſuſpectis de erroribus Vvicleffi, & Huſſii exigebatur, ut crederēt, & aſſererent Joannem Vvicleff. & Joannē Hus, & Hieronymum de Praga eſſe hæreticos, eorumque libros, & doctrinas eſſe perverſas; *propter quos, & quas, & eorum pertinacias per Sacrum Concilium Conſtantienſe pro hæreticis ſunt condemnati*. Ergo, ſi Catholici illi ſuſpecti tenebantur credere complexa ex Facto, & Jure, non ſeparantes Factum, hoc eſt, quòd illi ea dixerint, & ſcripſerint, ab Jure, hoc eſt, quòd eorum propoſitiones in eorum ſenſu eſſent hæreticæ, & perverſæ, concludentiſſimè ſequitur, quòd Papa, qui illud Concilium in pertinentibus ad fidei materiam confirmavit, ſit infallibilis in decidendis quæſtionibus Facti dogmatici.

26 Probatur ult. Pontifex poteſt definire de fide Factum aliquod connexum cum Jure, ſeù concluſionem Theologicam deſcendentem ex una præmiſſa de fide ſpectante ad Jus, & altera evidenti, & moraliter

liter certa, ſpectante ad Factum. Ita definire poteſt de fide, quod Concilium Tridentinum fuerit rite congregatum, habuitque Spiritus Sancti aſſiſtentiam; quæ eſt concluſio Theologica deſcendens ex hac præmiſſa de fide, ſeu pertinente ad Jus: *Omne Concilium generale à Papa congregatum eſt congregatum legitimè, & habet aſſiſtentiam Spiritus Sancti*; & ex hac alia pertinente ad Factum moraliter certa; *ſed Tridentinum fuit congregatum à Papa*. Ita definivit, quod Neſtorius eſt hæreticus; ex hac præmiſſa revelata: *Hæreticus eſt negans B. Virginem eſſe Matrem Dei*: & ex hac alia ſpectante ad Factum; ſed *Neſtorius id negavit*: ergo *Neſtorius eſt hæreticus*. Pariter definivit, quod Franciſcus de Aſſiſio ſit Sanctus, & cultu religioſo colendus: diſcurrens ex hac præmiſſa de fide: *eſt Sanctus, & cultu religioſo colendus, qui poſt heroicas virtutes clarus miraculis moritur in oſculo Domini*; ſed poſt tot prævias diligentias *eſt moraliter certum, quod Sanctus Franciſcus poſt heroicas virtutes meritis clarus mortuus ſit in oſculo Domini*, quod ſpectat ad Factum. Pariter hac ratione Sancta Sedes definivit, quod propoſitiones Janſenii contentæ in ejus libro ſunt hæreticæ in ſenſu obvio, quem præſeferunt verba: diſcurrens V. Gr. ex hac præmiſſa de fide: *eſt hæreticum dicere, quod ad merendum non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*: ſed hæc *propoſitio in ſenſu obvio continetur in libro Janſenii*: quod eſt Factum nedum moraliter certum, ſed evidens omnibus legentibus textum ipſius *to. 3. lib. de grat. Salvat. capit. 6.* & ſic de cæteris ejuſdem proſcriptis propoſitionibus.

Opponunt I. Zozimus Papa erravit in judicio circa doctrinam Pelagii, & Cæleſtii. Ex libello enim profeſſionis fidei, quem Pelagius ſe purgans Innocentio direxerat apud Auguſtinum *to. 10. in append. in hiſtor. Pelagianor.* (qui ob Innocentii obitum redditus fuit Zozimo, qui ſucceſſerat Innocentio) ac ex confeſſione Cęleſtii apud eumdem Auguſtinum, eos Catholicos eſſe judicavit; reſcripſitque non ſine increpatione Epiſcopis Africanis, quòd ab illis accuſatione Lazari, & Erotis, hæretici crederentur. Sed illa fuit Quæſtio Facti dogmatici; agebatur enim, an ipſorum Doctrina eſſet perverſa, ipſique hæretici: ergo Pontifex infallibilis minimè eſt in decidendis Quæſtionibus Facti dogmatici.

27 Reſponſioni præmittenda nonnulla ſunt circa Pelagianam hiſtoriam, de qua agit Auguſtinus *lib. de geſtis Pelagii*, & alibi ſæpiſſimè. Ideò eſt adnotatione dignum, quòd Pelagius fuit de nonnullis erroribus accuſatus apud Epiſcopos Palæſtinæ ab Erote Epiſc. Arelatenſi, & Lazaro Aquenſi; cujus occaſione fuit de ann. 415. Synodus celebrata Dioſpoli in Palęſtina, ad quam vocatus fuit Pelagius, ut ſe defenderet, cui varii errores, tum ex Cæleſtii ejus diſcipuli aſſertionibus, tum ex propriis ipſius libris excerpti, fuerunt objecti. A quibus ſe ſe expedivit fraude, & impoſtura, partim negando à ſe dicta, partim in bonum aliquem ſenſum ſaltem ſpecioſum, & apparentem interpretando, non ſine æquivocationibus. Quo factum eſt, ut cùm nullos adverſarios ſatis perſpicaces, & acutos ibi haberet, à quibus urgeretur, ab illis Epiſcopis declaratus ſit Catholicus, & Orthodoxus. De quibus Auguſtinus *lib. ſupr. cit. cap. 1. Reſponſiones ejus non immeritò approbaverunt, non curantes quomodò ea, quæ obiiciebantur, in opuſculis ſuis poſuerit, ſed quid de his in præſenti examine reſponderit*. Propter quod factum eſt, ut Pelagius poſt hoc judicium gloriaretur, quaſi de parta Victoria, hæreſeſque ſuas latiùs diſſeminaret ſub nomine Catholici.

28 Africani Epiſcopi, audito infelici Dioſpolitani Conventus exitu, Synodum Carthagine celebrarunt ann. 416. Initio conſeſſus exhibitæ, & perlectæ fuerunt Epiſtolæ Herotis, & Lazari in Africam delatæ ab Oroſio, prout teſtatur Epiſtola Synodica d. Concilii Carthaginenſis ad In-

Innocentium I. *inter Auguſtinianas* 175. Poſteà verò cauſa Pelagii, & Cęleſtii diligenter diſcuſſa fuit, ac contra eorum errores oppoſiti canones (qui deinde relecti ſunt, & probati in Concilio Milevitano II. Epiſcoporum 60. ſub eodem Innocentio) Actorumque confirmatio petita eſt ab eodem Innocentio, ut ex d. Epiſtola. Ad quem duæ aliæ fuerunt ab Afris Epiſcopis tranſmiſſæ, requirentibus, ut ea confirmaret, quæ item adversùs Pelagium, & Cęleſtium fuerunt in Synodis reſoluta. Ipſe verò Innocentius Acta confirmavit, ut ex ipſius Epiſtolis inter illas Auguſtini 181. 182. *&* 183. Et *in* 182. Pelagium, & Cœleſtium his verbis damnavit: *Quare Pelagium, & Cæleſtium, ideſt, inventores vocum novarum, quæ ſicut dixit Apoſtolus, ædificationis nihil, ſed magis noviſſimas conſueverunt parere quæſtiones* (2. ad Timoth. 2. *v.* 13.) *Eccleſiaſtica communione privari, Apoſtolici vigoris auctoritate cēſemus, donec reſipiſcant de Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur.* Ab Innocentio itaq; primùm antequã ulla in Synodo nominatim damnati fuiſſent, dicta eſt ſententia in Pelagium, & Cæleſtium.

29 Eodem anno ubi Pelagius audivit ſe ab Innocentio damnatum, ſcripſit ad Innocentium libellum profeſſionis fidei, ut ſe purgaret, qui refertur *to.* 10. *operum Auguſtini, ubi ſupr.* ſed, eo jam mortuo, Zozimus recepit. Libellum autem Pelagius iſtis concluſit. *Hæc eſt fides, Papa Beatiſſime, quam in Eccleſia Catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus, & tenemus. In qua ſi minus peritè, aut parum cautè aliquid fortè poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri, & fidem, & Sedem tenes. Sin autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatus tui judicio cōprobatur, quicunque me maculare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hereticum comprobabit.* At unum ore dixit, & aliud corde retinuit.

30 Cęleſtius deinde Romam veniens libellum Romæ edidit, quò ſe purgaret, in quo ex Auguſtino *lib. de peccat. original.* hæc poſuit *cap.* 23. *Si quæ verò præter fidem quæſtiones natæ ſunt, de quibus eſſet inter pleroſque contentio: non ego, quaſi auctor alicujus dogmatis definita hoc auctoritate ſtatui, ſed ea, quæ de Prophetarum, & Apoſtolorum fonte ſuſcepi, veſtri Apoſtolatus offerimus probanda eſſe judicio: ut, ſi fortè ut hominibus quiſquam ignorantiæ error obrepſit, veſtra ſententia corrigatur.* Qui pariter, inſtante Zozimo, ut ad ea reſponderet, quę à Diacono Paulino illi fuerunt objecta, tum Innocentii litteris aſſentiretur, noluit quidem à Diacono objectis reſpondere, ſed Innocentii litteris non eſt auſus obſiſtere, immò omnia, quæ ſedes illa damnaret, ſe damnaturum eſſe promiſit, ex Auguſtino *loc. cit. cap.* 7. licèt aliud corde retinuerit. Verùm nondum fuit ab excommunicationis vinculo abſolutus, ſed duorum menſium ſpatium illi datum eſt, ut, præſentibus accuſatoribus, ſe purgaret; & intereà ab Africanis Epiſcopis reſcriberetur. Ad quos Zozimus à ficta, & ſimulata Cęleſtii confeſſione deceptus increpatorias litteras dedit, quòd tam facilè aures præbuiſſent illius accuſatoribus, ut ex Epiſtolis Zozimi in *append. cit.*

31 Interim Patres Africani, acceptis Zozimi litteris, congregantur Carthagine an. 418. & Acta Pelagii, & Cęleſtii accuratiùs diſcutiunt; & inde Zozimo ſcripſerunt admonentes eum de Pelagii, & Cęleſtii mendaciis, ac hypocriſi, nec ſatis eſſe illam generalem profeſſionem, niſi ea damnarent, quę in ſuis libellis ſimulatè poſuerant. Illis verò Zozimus iterùm ſcripſit ſe non omnia probaſſe, quæ Cæleſtius dixerat, ſed in priſtino ſtatu omnia reliquiſſe, aſſignato duorum menſium ſpatio, ut intereà accuſatores adeſſe poſſent, coram quibus ſe purgaret, ut ex alia ipſius Epiſtola *loc. cit.* In qua cauſa legitur, cur ad Africanos ſcripſerit; *non quia, quid deberet fieri, neſciremus, aut faceremus aliquid, quod contra utilitatem Eccleſiæ veniens diſpliceret; ſed pariter vobiſcum voluimus habere tractatum de illo, qui apud vos (ſicut ipſi per litteras dicitis) fuerit accuſatus; & ad noſtram,*

ſtram,qui ſe aſſereret innocentem,non refugiens judicium ex appellatione priſtina, venerit ſedẽ accuſatores ſuos ultrodepoſcens,& ,quę in ſe crimina per rumorẽ falsò dicebatillata,condemnãs.

32 Comperta autem à Zozimo Pelagii, & Cæleſtii fraude,in eos tulit damnationis ſententiã, & ad totius Orbis Eccleſias trãſmiſit,ut habet Proſper *in Chronico ad an.*418 *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum quatuordecim Epiſcoporum ad Papam Zozimũ Synodalia decreta perlata, quibus probatis, per totum Mundum, hereſis Pelagiana damnata eſt.*

Quare Zozimus conatus eſt ſimulantes lucrari, ſed quando eosſtrictius examen fidei ſubterfugere animadvertit,hoc,quod retulimus, egit. Ad quod ſubſecutum eſt edictum Imperatoris Honorii, qui in ſententiæ Pontificiæ executionem, eos ex omnibus Urbibus cum ingenti Eccleſię augumento expulſit. Reſcriptũ Honorii legitur *in d.append.* Quibus viſis ad argumentum.

33 R. Negatur major. Sciendumque juxta dicta nu.13. Senſum Auctoris duplicem eſſe: alterum, qui ſit penitùs internus, ſive hic ſit propoſitioni externæ prolatæ conformis, ſive non: alterum, qui licèt internus ſit, eſt tamen cum externa propoſitione connexus, & per hanc manifeſtatus. Hinc cùm Pontifex damnat propoſitionem in ſenſu ab Auctore intento, non intelligitur de ſenſu illo intus ſuppreſſo, & ab Auctore occultato. Eccleſia enim non judicat de occultis, niſi extra manifeſtentur. *De occultis enim animorum ſolius Dei poteſt eſſe judicium*, prout ex Epiſtola Zozimi ad Afros. Ita Archiepiſcopus Cameracenſis *to.1.docum.paſtoral.* dixit, quòd Sedes Apoſtolica damnans propoſitiones in ſenſu Janſenii non voluit dijudicare arcanam mentis cogitationem ſejunctam à textibus, ſed deſignavit eum ſenſum damnare, quem Janſenius exhibet propria, & nativa ſui textus ſignificatione. Atque ita damnatio directè, & immediatè pertinet ad textus Janſenii, ex obliquo verò, & veluti repercuſſu ad Janſenii cogitationem, prout manifeſtè notum eſt mentem ipſius propriam ſenſui textuum nativo conſentaneam fuiſſe. Et Luccheſinius ſcripſit infallibilitatem Pontificis non extendi ad ſenſum mente retentum non extra manifeſtatum, damnationemque afficere ſenſum externum naturalem Janſenii; cujus naturalis ſenſus ille eſt, quem exhibent verba Auctoris.

Pari pacto, quod dicitur de damnatione propoſitionis in ſenſu Auctoris, procedit de approbatione, aut profeſſione fidei, & ſenſus eam proferentis. Et quemadmodum ex prima ſequitur damnatio Auctoris, ſi poſt damnationem propoſitionis velit pertinaciter in ea perſiſtere; ita ex ſecunda ſequitur abſolutio proferentis illam, maximè ſi adſint ſufficientia indicia, quod verè, & ſincerè ſe gerat. Quare Zozimus deceptus quidem eſt Pelagium,& Cęleſtium judicando Catholicos, ſed deceptio non fuit in eo, quod Catholicos eos pũtaverit in ſenſu, quem præſeferebat eorum profeſſio, præſertim, inſpectis clauſulis relatis ſupra nu.29. & 30. Unde dixit Baronius *ad an.*417.*num.*37. *Quomodo inter hæreticos relinquendus Pelagius erat, & non inter Catholicos adſciſcendus, qui Catholica profeſſione, Catholica ſapere declaravit, & hæreticum eſſe non poſſe conteſtatione illa appoſita ſignificavit?* Et ipſius Abbreviator Spondanus *in d.an.n.*3. *At adiecit prudenter Zozimus ad explorandam hominis* (Cæleſtii) *fidem interrogare eum, quàm exactiſſimè, an aſſentiretur Epiſtolæ adversùs errores Pelagii ab Innocentio ſcriptæ, quod, cùm ille profeſſus eſſet, tum leniùs quidem cum eo ſpe converſionis ipſius agens, minimè tamen adhuc à vinculis excõmunicationis ſolvendũ exiſtimavit; ſed ex abbundanti in Africam ſcripſit, ut, ſi quid haberent contra eum, Romam mitterent.*

Ad inſtant. Ad minus ſequitur, quod Zozimus à ſe ipſo diſſentiat; nam primò Pelagium,& Cęleſtium Catholicos judicavit,& deinde eos condemnavit. Et inde, ubi irretractabile eſt judicium Romanę Cathedrę?

34 R. Inſtantia ſolvitur ab Auguſtino *lib.6.contra Julianum cap.*12. Julianus præ-

Ff 2 vari-

varicationis Zozimum accuſabat, ſed prorſus iniquè: quia, ut ibi Auguſtinus: *Zozimus non receſſit à Prædeceſſore Innocentio, quem tu nominare timuiſti: ſed maluiſti Zozimum, quia egit primitùs leniùs cum Cæleſtio; quoniam in his ſenſibus veſtris, ſi quid diſpliceret, paratum eſſe dixerat corrigi, & Innocentii litteris conſenſurum eſſe promiſerat*. Quare nec ab Innocentio, neque à ſe ipſo Zozimus receſſerat, nec unquàm Cęleſtium abſolvit. Qui cùm in ſuo libello poſuiſſet *hominem ſine peccato originali naſci; in eo voluntas emendationis, & non fálſitas dogmatis approbata eſt*, ut inquit Auguſtinus *lib. 2. contr. duas Epiſtol. Pelagianorum cap. 3. Et propterea libellus*, ejus ſequitur Sanctus Doctor, *Catholicus dictus eſt, quia & hoc Catholicæ mentis eſt, ſi qua fortè aliter ſapit, quàm veritas exigit, non ea certiſſimè definire, ſed detecta, ac demonſtrata reſpuere; non enim hæreticis, ſed Catholicis Apoſtolus loquebatur*, ubi ait (Philippen. 3.) Quotquot ergo perfecti, hoc ſapiamus, & ſi quid aliter ſapitis, id quoque Deus vobis revelabit. *Hoc in illo* (Cæleſtio) *factum eſſe putamus, quando ſe litteræ beatæ memoriæ Papæ Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota ſublata eſt, conſentire reſpondit. Et hoc, ut pleniùs, & manifeſtiùs in illo fieret, expectabatur, venturis ex Africa litteris, in qua Provincia ejus aliquantò calliditas evidentiùs innotuerat. Quæ Romam litteræ poſteaquàm venerunt, id continentes non ſufficere hominibus tardioribus, & ſollicitioribus, quòd ſe generaliter Innocentii Epiſcopi litteris conſentire fatebatur, ſed apertè eum debere anathematizare, quæ in ſuo libello prava poſuerat; ne ſi id non feciſſet, multi parum intelligentes magis in libello ejus illa fidei venena à Sede Apoſtolica crederent approbata, propterea quòd ab illa dictum erat, eum libellum eſſe Catholicum, quàm emendata: propter illud, quòd ſe Papæ Innocentii litteris conſentire ipſe reſponderat*. Et infra. *Profectò quidquid intereà* (hoc eſt antequam à Zozimo damnaretur) *leniùs actum eſt cum Cæleſtio, ſervata dumtaxat antiquiſſima, & robuſtiſſimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementiſſima ſuaſio, non approbatio exitioſiſſima pravitatis*. Quæ adnotare oportuit, ut exactè objecto ſatis fieret, & viderent Janſeniſtæ, quàm irrationabiliter in ſui patrocinium Factum Zozimi cum Pelagio, & Cęleſtio adducant.

Opponunt 2. Senſus cujuslibet Auctoris eſt quid merè internum; ergo de eo Pontifex judicare non poteſt; & quatenus judicet, errare non eſt impoſſibile.

35 R. Antecedens eſt verum de ſenſu merè interno, & non extra manifeſtato: falſum verò de ſenſu externo, & obvio, quem verba præſeferunt, juxta dicta n. 13. & 33.

36 De hoc ſenſu quæſtio fuit, an eſſet hæreticus? Quæ erat quæſtio clara juris divini; reſolvi enim debebat ex jure divino, an ſenſus ille repugnaret doctrinæ, quam Deus revelavit; quod cùm compertum fuerit, definitum eſt eſſe hæreticum, & propoſitiones in obvio illo ſenſu, quem, inſpecta communi vocabulorum acceptione, ipſarum verba faciunt, ut hæreticas damnatas. De qua re etiam *cap. 7*.

Opponunt 3. Facta dogmatica nullibi in Scriptura, vel Traditione ſunt à Deo revelata: ergo non eſt Pontifex in illis decidendis infallibilis. Antecedens patet: Nam, ubi eſt revelatum, quòd quinque propoſitiones Janſenii contineantur in ejus libro? quod ille ſit obvius verborum ſenſus? Quinimò de utroque evidenter conſtat, cùm notorium ſit eas ibi reperiri, & quem ſenſum verba intelligentibus præſeferant.

37 R. I. Poſſet omitti antecedens, & negatur conſequentia. Cùm debeant approbari, vel reprobari per conformitatem, vel difformitatem cum Scriptura, vel Traditione, Papa à Spiritu Sancto ita dirigitur, ut non erret cognoſcendo illa eſſe Scripturæ, vel Traditioni conformia, vel difformia.

38 R. 2. Diſtinguitur antecedens. Non ſunt revelata explicitè, concedo; implicitè ne-

nego. Multa fide divina creduntur, quæ non ſunt explicitè, ſed solùm implicitè revelata; ita revelatum eſt: *quòd hic numero homo canonicè electus in Pontificem ſit Chriſti Vicarius*, ut diximus *contr. præced. cap. 3.* Quòd *Sanctus Franciſcus ſit in Cælo*, ut ex cap. præc. &c. Sic in principio univerſali, eſt implicitè revelatum futuros in Eccleſia hæreticos, doctrinaſque Catholicæ fidei contrarias, *2. Petri cap. 2. Erunt in vobis Magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis. Prima ad Timoth. 1. Habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt. Ex quibus eſt Hymæneus, & Alexander, quos tradidi Sathanæ.* Ad *Hebr. 9. Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.* In iſtis, ſimilibuſve fuit à Chriſto prædictum futuros in Eccleſia Magiſtros errorum, pravaſque doctrinas; & in eis implicitè eſt revelatum, quòd doctrina in ſenſu obvio Janſenii ſit hæretica, utpotè *peregrina, & inducens Sectam perditionis;* idcircò cùm à Pontifice proponitur pro hæretica, ut hæretica eſt fide ſupernaturali credenda.

Dices. Hæc propoſitio: doctrina excerpta ex Janſenii libro damnata ut hæretica in ſenſu obvio ab Janſenio intento, complectitur Factum, & Jus; Factum eſt: *Doctrina illa eſt excerpta ex libro Janſenii:* item: *ſenſus obvius eſt ille, quem verba exhibent:* item: *eam tenuit Janſenius in eo ſenſu.* Jus verò: eſt hæretica. Hinc illa eſt hypotetica conſtans ex duabus cathegoricis: ſecunda eſt objectum fidei, non prima; quoniam eſt evidens, & notorium, tam ejus propoſitiones reperiri in libro Janſenii; quàm ſenſum nativum, & germanum, quem in libro faciunt: ergo non poteſt utrumque fide divina credi.

Item. Cur non dicitur hæreticus Janſenius, ſi ejus propoſitiones doctrinam hęreticam continent? Sicut hac ratione hæretici ſunt Arius, & Neſtorius, &c.

39 R. Negatur ultima conſequentia. Cùm nobis proponitur propoſitio per modum unius complexi, conſtantis ex Facto tanquàm ſubjecto, & Jure tanquàm prædicato cum ſubjecto connexo, totum complexum debet fide divina credi, ut dixit Lauræa *cit. num. 272.* & exemplificat hac propoſitione: *Terra eſt creata*, quæ reſolvi poteſt in duas cathegoricas, unam Facti, quòd *terra ſit:* & aliam *Juris*, quòd *ſit creata*. Quòd *terra ſit* ſeorſim ſumpta, non eſt objectum fidei: proprio enim ſenſu, &c. nemine dicente, percipitur. Totum verò complexum: *Terra eſt creata*, eſt fidei objectum, ex hoc capite, quòd eſtò virtualiter includat duas cathegoricas, tamen proponitur, & apprehenditur per modum unius. Ita hoc complexum: *Propoſitiones excerptæ ex libro Janſenii in ſenſu obvio ab eo intento ſunt hæreticæ*, credi fide divina debet: Quoniam, eſtò virtualiter includat plures cathegoricas, formaliter tamen proponitur per modum unius, & Factum ſe tenet ex parte ſubjecti, Jus verò ex parte prædicati. Unde ineptè Janſeniani conantur dividere Jus à Facto.

40 Deinde, ſi evidens eſt, ſicut profectò eſt, propoſitiones in obvio ſenſu in libro Janſenii contineri, cur Janſeniani id inficiari præſumpſerunt? Quorum licentiam repreſſit Alexander VII. *conſtit. Ad Sanctam*, quia declaravit *illas eſſe ex libro Janſenii excerptas, & in obvio Janſenii ſenſu damnatas.* Nec talis evidentia, & notorietas infallibilitati Judicii Pontificis obſtat, ſed judicii veritatem confirmat.

41 Idcircò à quovis, quando etiam ſeorſim proponitur, *propoſitiones eſſe ex libro excerptas, & ſenſum obvium Janſenii eſſe, quem verba faciunt*, eſt infallibili certitudine tenendum; & qui negaret, inſaniret, ac temerarius eſſet, & hæreticus adminus virtualiter, & præſumptivè, quatenus tunc cogeretur negare illas in ſenſu obvio Janſenii eſſe hæreticas, & ita aſſeverare Apoſtolicam Sedem in damnatione erraſſe. Videas itaque connexionem Facti cum dogmate fidei.

42 Nec obſtat. Quòd revelatum non ſit eas in libro contineri, & ex eo excerptas.

Nam, ut infallibili certitudine hoc teneatur ſatis eſt, quòd Romana Cathedra dixerit. Tum quia, ubi eſt revelatum, quod Concilium Nicænum extiterit, quod tamen extitiſſe negari non poteſt; & qui id negaret eſſet hæreticus præſumptivè, & illativè; quatenus, negata Concilii exiſtentia, tolleret fundamentum proponens divinam revelationem de divinitate Filii, & à Fidelibus obligationem adhibendi fidem ſupernaturalem illi veritati, ac cum Arianis præſumeretur ſentire.

43 Ad item. Eſt quidem definitum eſſe hæreticas propoſitiones excerptas ex libro Janſenii in obvio ſenſu ab eodem intento, ſeù, quem in libro verba exhibent, ſed definitum non eſt Janſenium fuiſſe hęreticum. A qua Facti quæſtione Sedes Apoſtolica voluit præſcindere, & nihil definire: omittendo, num ex animo, an oretenus dumtaxat Janſenius ad declinandas cenſuras in Teſtamento, quod condidit 6. Maii 1638. hæc poſuerit: *Si tamen Romana Sedes aliquid mutare velit, ſum obediens Filius: & illius Eccleſiæ, in qua ſemper vixi uſque ad hunc lectum mortis, obediens ſum. Ita mea poſtrema voluntas eſt.* Et inde propter ſubmiſſionem fuit ab eo excluſa pertinacia, quæ ad hæreſim eſſentialiter poſtulatur, ut expreſsè dixit Auguſtinus, *Epiſt.43. ad Glorium, & Eleuſium cap.1.* ibi: *Sed qui ſententiam ſuam quamvis falſam, atque pernicioſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt parati corrigi, cùm veritatem invenerunt; nequaquàm ſunt inter hæreticos reputandi:* propterea non ipſe, ſed ejus doctrina damnata eſt. Cùm verò Arius, & Neſtorius, cęterique hujus furfuris viri pertinaces fuerint in falſæ doctrinæ defenſione, idcircò, tum ipſi, tum ipſorum doctrinæ hæreſi fuerunt notatæ.

44 Cæterùm non deſunt, qui dicant Janſenium callidè, & arte ſe ſubmiſiſſe Romanæ Eccleſiæ, inter quos Viva ad *prop.31. ab Alexand.VIII. proſcript.* Etiam Arrius Epiſt. data ad Conſtantinum apud Bail. *ſum.to.1 ad. Concilium Nicænum I.* fictè expoſitionem fidei fecit, quæ videbatur Catholica, ſed eo fine id egit, ut in gratiam Imperatoris rediret, ejuſque dogmata tutò reciperentur. Ita Janſenius potuit ſe Sedi Apoſtolicæ ſubiicere, ut videretur Catholicus, eove titulo diſcipulorum animos ſibi conciliaret. Quod non videtur arbitrariè dictum. Etenim apertè pugnavit adversùs definita ab Eccleſia, & expreſſam Tridentini doctrinam. Proteſtatio Auctoris ab hæreſi præſervat, ut dixit Auguſtinus *loc.cit.* Sed hoc dumtaxat procedit in obſcuris, & in nondum definitis, non verò in manifeſtè contrariis Scripturæ; & Eccleſiæ definitioni; & in caſu proteſtatio eſſet contraria Facto; maximè cùm illa ſit viri docti, de quo præſumptio nulla poteſt eſſe, quòd definitiones Eccleſię ignoraverit, ut dixi *Off.Cur. Eccleſiaſt.cap.47.nu.38.* Et Laurça *cit.nu.282.* Scripſit proteſtationem ab hæreſi eum non excuſare, qui unam, vel plures propoſitiones firmiter defenderet in ſenſu Calvini, nulla etiam facta Calvini mentione; & tunc Eccleſia poſſet eum damnare, quemadmodum damnati ſunt Origenes, & Theodorus Mopſueſtenus, licèt primus ſe Fabiano ſubmiſerit, & alter Concilio Chalcedonenſi.

45 Propoſitiones verò Janſenii opponuntur definitis expreſsè ab Eccleſia. Prima opponitur decretis à Tridentino *c.21. ſeſſ.6.* ubi definitum eſt. *Deum impoſſibilia non jubere, & homini juſtificato Dei præcepta non eſſe ad obſervandum impoſſibilia.*

Secunda, adverſatur illis ex *cap.5. & can.4.d. ſeſſ.* ubi definitum eſt, *hominem poſſe gratiam Dei abiicere.*

Tertia, contrait aliis ex eod. *cap.5.* ubi definitum eſt, *hominem gratiæ liberè aſſentiri, & cooperari; & can.6.* deciſum fuit, eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere.

Quarta, opponitur Arauſicano II. à quo damnati ſunt Semipelagiani, aſſerentes initium ſalutis à ſolis pendere naturæ viribus, ibi *can.3.* Et D.Auguſtinus *lib.de*

præ-

prædeſt.Sanctor.cap.2. ſcribit illos cenſuiſſe: *Fidei initium eſſe ex nobis. Fidem non eſſe donum Dei*: Atque adeò gratiam non præcedere fidem, ſed ſubſequi. In quo fuerunt hæretici, non verò in hoc, quod vellent voluntatem poſſe gratiæ reſiſtere, ut voluit Janſenius.

Quinta. Contradicit reſolutis à Tridentino, ibi cap.3. ubi definitum eſt. *Chriſtum pro omnibus mortuum*.

Hæc ſunt, quæ videntur concludere ſubmiſſionem Janſenii ad Apoſtolicam Sedem, ſinceram nequaquàm fuiſſe, cùm ipſe, utpotè doctrinæ vir, non potuerit ſimilia ignorare. Verùm noſtrum hìc non eſt de ipſius mente divinare, & judicium proferre, ideò id aliis diſcutiendum relinquimus.

46 Tandem hìc advertendum, à Pontifice ſæpè damnari propoſitiones in abſtracto, nullà facta Auctorum, & Librorum, ex quibus excerptę ſunt, expreſſione. Aliquando verò in concreto, expreſſis ipſarum Auctoribus, ac libris, in quibus inſertæ reperiuntur.

Verùm, non ideò dicuntur propoſitiones in abſtracto damnari, quia eæ in obvio verborum ſenſu non damnentur; quia aliàs dicendum eſſet damnari in ſenſu, quem non important, quod eſt à vero alienum; quocircà in abſtracto damnari dicuntur, quia nec Auctores ipſarum, nec libri, in quibus continentur, nominantur. Ratio verò, cur hæc non exprimantur, eſt. I. Quia ſæpè propoſitio, non verò Auctor, aut liber fuit Apoſtolicæ Sedi delata. II. Quia ſæpè propoſitio damnata in pluribus diverſorum Auctorum libris reperitur; & ob nimiam multiplicitatem non expedit omnes exprimere; ſed neque convenit, ut unius, vel alterius tantùm expreſſio fiat, ne occaſio prębeatur aſſerendi propoſitiones non fuiſſe damnatas, ut in aliis Auctoribus, & libris repertas. III. Quia ſæpè contingit, ut liber, in quo propoſitio reperitur ſanam in reliquis doctrinam exhibeat, & propterea maximæ utilitatis in Eccleſia ſit, adeòut expedire non judicatur illum ob unam, vel aliam propoſitionem pravam proſcribere.

Cùm verò propoſitiones in concreto, ſeù Auctore, etiam expreſſo, damnantur, non ſemper, damnata propoſitione, & Auctor proſcribi intelligitur; ſed ſi pertinax fuerit in defenſione propoſitionis, vel poſtquàm ipſa damnata eſt, vel, poſtquàm eſt convictus repugnare Verbo Dei Scripto, vel Tradito. Quare non ideò præcisè ab Eccleſia fuit damnatus Arius, Neſtorius, Calvinus, Lutherus, ſimileſve, quia eorum propoſitiones, & falſa dogmata damnata fuerunt in ſenſu obvio ab ipſis intento: nam aliàs cenſeretur proſcripta, etiam perſona Janſenii, cujus propoſitiones in ſenſu obvio ab eo intento fuerunt cenſura notatæ; ſed ideò illi cum propoſitionibus damnari meruerunt, quia pertinaces fuerunt in ipſarum defenſione, & definitioni Romanæ Cathedræ noluerunt parere.

CAPUT VII.

An decreta Romani Pontificis ex Cathedra in materia fidei, & morum edita extra Concilia ſint infallibilia?

SUMMARIUM.

1 *Senſus quæſtionis.*
2 *Decreta Romani Pontificis extra Concilia ſunt infallibilia, ad* 4.
5 *Concilia à Papa confirmantur extra Concilia.*
6 *Concilia Provincialia à Papa confirmata ſunt infallibilia.*
7 *Ad Pontificem in dubiis fidei Epiſcopi recurrunt.*
8 *Pontifices extra Concilia varios proſcripſerunt errores.*
9 *Probatur infallibilitas Pontificis extra Concilia ex Auguſtino.*
10 *Infallibilitas Pontificis novis dogmatibus viam claudit, ad* 11.

12 *Non eſt examinandum, an Pontifex in definiendo adhibuerit congruam diligentiam.*
13 *Definitiones Pontificiæ ſunt infallibiles independenter ab acceptatione Eccleſiæ, & num. 3.*
14 *Alexander VIII. damnavit propoſitionem negantem Pontifici infallibilitatem extra Concilia.*
15 *Cur meretrices in Republica permittantur?*
16 *Definitiones Pontificum non examinantur in Conciliis, ad 22.*
23 *Variæ formulæ adhibitæ in Conciliis, quibus præſedit Papa.*
24 *Cur ſubſcriptiones Epiſcoporum in Conciliis adhibitæ?*
25 *Cur Concilia generalia congregentur?*
26 *Ad definiendas res fidei moralis, & prudens diligentia depoſcitur.*
27 *Diligentia adhibenda ante definitionem eſt quid facti, eſſentialiter requiſiti ad illam.*
28 *Cypriani ſententia de baptiſmo.*
29 *Quo ſenſu Gelaſius Papa approbaverit ſcripta nonnullorum Patrum.*
30 *Decreta Pontificum ſunt infallibilia independenter à conſenſu Eccleſiæ.*
31 *Nec egent acceptatione Eccleſiæ, ut vim obligandi habeant.*
32 *Ut obligent, ſufficit, quod Romæ publicentur.*
33 *Decreta doctrinæ Tridentini ubique recepta.*
34 *Laici non examinant decreta dogmatica Apoſtolicæ Sedis.*

1 QUæritur in præſenti: An, ut Pontifex ex Cathedra loqui cenſeatur ſub aſſiſtentia Spiritus Sancti citra periculum errandi in materia fidei, & morum, requiratur, quòd cum Concilio Oecumenico, tanquàm cum Eccleſia in unum congregata definiat? An verò extra Concilium infallibilitatem habeat in definiendo, adeòut eadem certitudine tenendæ ſint ut hæreticæ propoſitiones V. G. Janſenii, & ut temerariæ, & reſpectivè ſcandaloſæ proſcriptæ ab Alexandro VII. & Innocentio XI. ac ſi à Concilio eas cenſuras accepiſſent?

Olim Adrianus in 4. *de Sacram. confirm. art. 3. ad 2. principale*. Caſtro *lib. 1. contra hæreſes cap. 2. & 8.* Gerſon *de poteſt. Eccleſ.* Almainus *in 3. diſt. 24. q. 5. dub. 6.* & alii docuerunt, quòd eſtò Romanus Pontifex cum Concilio generali errare in definiendo non poſſit, tamen ſi ſeorſim definiat, immunis ab errore non ſit. Iſtos ſubſecuti ſunt Janſeniſtæ, qui eſtò apertè non præſumpſerint negare *propoſitiones Janſenii damnatas ab Innocentio X. hæreſim continere*, dixerunt tamen Janſenium illas non docuiſſe in ſenſu hæretico. Sed cùm ſubinde ab Alexandro VII. fuiſſet definitum, *eas damnatas eſſe, ut hæreticas in ſenſu intento ab Janſenio*: Et deinde, ab Innocentio XII. declaratum, *illas damnatas in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba exhibent, & præſeferunt*, ut diximus *ſuperior. cap.* Ipſi ad enervandas Pontificias Conſtitutiones de re hac editas renovarunt recenſitum errorem Adriani, & Caſtro, evulgantes Pontifices definientes extra Concilia fallere, & falli poſſe; conſequenter dictas propoſitiones, utpote damnatas non in Concilio, ſed à ſolo Papa poſſe adhuc defendi, ut non hæreticas.

Sententia tamen oppoſita communiter recepta eſt inter Catholicos, quam defendunt Lauræa *de fide diſput. 5. art. 3.* Leytam *clyp. dignit. Pontif. diſceptat. 6. per totum*. Diana *coord. to. 9. tr. 5. reſol. 1. & 2.* Bail. *Sum. Concil. to. 1. in apparat. tit. de verb. Dei definito, §. An extra Concilia*, aliique, quos Diana reportat. Quibus aſſentimur, ac id eſſe de fide tenemus.

2 Dicendum. *Decreta Romani Pontificis ex Cathedra in materia fidei, & morum edita, etiam extra Concilia generalia ſunt infallibilia*: Contra Janſeniſtas, alioſque.

Probatur. Petro, & in Petro ſuis ſucceſſoribus à Chriſto dictum abſolutè eſt, etiã coram aliis Apoſtolis (qui Eccleſiam, ſeu Con-

Concilium repræſentabant) *Matth.16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam*. Quibus verbis ſecundùm communiſſimam Patrum interpretationem promiſſa eſt ſoli Petro, ejuſque ſucceſſoribus aſſiſtentia Spiritus Sancti, adeòque infallibilitas in decretis fidei, & morum formandis; quæ neceſſaria eſt ad rectam Eccleſiæ gubernationem, & perpetuam ejus conſervationem, quin limitaretur ad decreta fidei, & morum in Concilio generali; ſæpè enim in materia fidei, & morum ſuboriuntur controverſiæ, quarum deciſio abſque Eccleſię incommodis diù differri nequit uſque ad Concilii generalis convocationem, quæ rarò accidit. Experientia enim conſtat Concilia generalia frequenter non eſſe celebrata. Ab initio enim Eccleſiæ uſque ad hæc tempora nonniſi decem, & octo (eſtò quidam plura referant) recenſentur: ergo, &c.

3 Confirmatur Lucæ 22. Petro Chriſtus dixit: *ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſùs confirma fratres tuos*. Super quibus eſt obſervatione dignum, Chriſtum dixiſſe: *ego rogavi pro te, non pro vobis*, ut non deficiat fides *tua*, non *veſtra*. Tu aliquando *converſùs*, hoc eſt, applicatus, ſeù intendens *confirma*: non verò, *vos aliquando converſi confirmate*. Unde per ly *Vos* ſignificavit membra, & alias Eccleſias, ac particulares Sedes, quarum aliquæ aliquando defecerunt in fide, ut diximus ſupra *contr.1.cap.4*. Et fuerunt à Sede Apoſtolica Romana correctæ, quæ verò non defecerunt, poſſunt deficere. Per ly *Te*, *Tua* ſignificavit Caput, Eccleſiam, & Sedem Petri, quæ nunquàm defecit in fide, nec poteſt deficere, juxta pluries hoc opere repetita. Ideò nec opus fuit, nec erit, quòd ab aliis Eccleſiis corrigeretur, vel corrigatur: ergo Capiti Eccleſiæ Romanæ, nimirum Pontifici, independenter à Concilio, & membris eſt à Chriſto data infallibilitas circa fidei, & morum decreta.

4 Item. Joannis *ult.* Petro, non verò cæteris Apoſtolis Chriſtus abſolutè dixit: *Paſce oves meas*, quibus demandata eſt ei cura paſcendi Eccleſiam: ergo eidem competit infallibilitas, qua etiam extra Concilia paſcua noxia ab innoxiis certò ſecernat (quod præſtat decretis ad fidem, & mores ſpectantibus) aliàs non benè eſſet proviſum Eccleſiæ neceſſitati (quod à nullo Catholicorum dici poteſt) ſæpè enim eſt moraliter impoſſibile propter bella, perſecutiones, & alia incommoda Concilia generalia congregari; quo tempore expedit Eccleſiæ, ut de paſcuis illis judicium à Pontifice feratur.

Probatur 2. Infallibilitas in Pontifice extra Concilia ab ipſiſmet Conciliis recognoſcitur: ergo independenter ab illis eam habet. Probatur antecedens. Concilia confirmationem (quando Papa per ſe ipſum Conciliis non præſedit) petierunt à Romana Cathedra, prout *contr.ſequen.* Ad quid autem confirmationem requirerent, ſi Pontifex eſſet errori obnoxius? Qua prudentia id agerent? Ergo ideò de confirmatione ſunt ſoliciti, ut robur iis conferat, quæ decreverunt, nec ea in dubium revocari poſſint. Non enim ignorant ad *Apoſtolicam dumtaxat conſiderationem pertinere ea, quæ ſunt fidei declarare*, ut dicitur in *Clement. de Sum. Trinit.* edita in Concilio Viennenſi. *Fatentur Romanum Pontificem eſſe omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem, ac ipſi in B. Petro paſcendi, gubernandi, & regendi Eccleſiam univerſalem à Domino Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe*, ut definitum eſt in Florentino ab Eugenio IV. *in litteris unionis*:

5 Hinc ſequitur, quòd ſi Pontifex definiens extra Concilia errare poſſet, actum eſſet de fide adhibenda Conciliorum definitionibus (nam Concilia à Papa extra Concilia confirmantur) & exinde non poſſent infallibili certitudine teneri; ſiquidem ab eo eſſent confirmata, qui, aſſerentibus adverſariis, extra Concilia immu-

munis non eſſet ab errore, errandique periculo. Hæreticum autem eſt dicere Concilia à Pontifice confirmata fidem infallibilem non mereri, neque eſſe infallibilis veritatis, juxta textum in *cap. Sancta octo 16. diſt.* & *Conſtit. Eugenii IV. Exultate edita in d. Concilio Florentino:*

6 Quin etiam ipſa Concilia Provincialia eo ipſo, ac à Pontifice extra Concilium Oecumenicum confirmantur, habentur, ut regula fidei, ut Doctores docent de Concilio Milevitano II. in cauſa Pelagiana ab Innocentio I. confirmato, & Arauſicano contra Semipelagianos à Bonifacio II. confirmatione roborato, aliiſque non paucis: ergo indubitatum eſt Pontifici extra Concilium competere infallibilitatem in quæſtionibus fidei, & morum.

7 Quod item evincitur ex ſenſu, & praxi Eccleſiæ, à cujus exordio ea fuit conſuetudo, quòd Epiſcopi in controverſiis fidei, & morum ad Pontificem, extra Concilium recurſum habuerint, illique ſoli acquieverint, ut videre eſt in corpore Juris canonici, in quo tot reſponſa Pontificum ad Epiſcopos continentur; & inſuper conſtat, ex quo Patres Africani Innocentio, & Zozimo remiſerunt, quæ ipſi contra Pelagium, & Cęleſtium determinarunt, ut ab iiſdem confirmarentur. Et præter antiquam praxim id confirmat exemplū octogintaquinque Epiſcoporum Galliæ, qui anno 1653. pro deciſione controverſiæ ſuper quinque propoſitionibus Janſenii recurſum habuerunt ad Innocentium X. tanquàm ad infallibilem controverſiarum Judicem; cujus deciſioni, non ipſi tantùm, ſed omnes de Eccleſia, paucis exceptis, qui ſapere noluerunt, ut oportet, ſteterunt, eſtò deciſio extra Concilium emanaverit:

8 Probatur 3. Quamplures Pontifices abſque ullo Concilio generali varios errores circa fidem, & mores damnarunt, ut dixi *controverſia 3. cap. 5. num.* 8. Et ex profeſſo probat Lauræa cit. Ac conſtat ex eo, quòd primis trecentis annis, priuſquàm Concilium Nicęnum primum celebraretur, multæ quæſtiones circa fidem, & mores deciſæ, & reſolutæ fuerunt per Pontificum definitiones; quorum condemnatio à tota Eccleſia recepta fuit: ergo, quia Traditio Apoſtolico-divina à principio naſcentis Eccleſiæ fuit, eſſe in Romano Pontifice auctoritatem ad infallibiliter definiendum circa fidem, & mores, independenter à Concilio, tum Provinciali, tum Generali.

Quod Traditio Dominica ſit, dubitari minimè poteſt, ſcribente Tertulliano *de præſcript. cap. 20.* ibi. *Conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, Matricibus, & Originalibus fidei conſpirat, veritati deputandam, ſine dubio tenentem, quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto acceperunt.* Et D. Auguſtinus *lib. de baptiſ. contr. Donatiſtas cap. 24.* dixit: *Et ſi quiſquam auctoritatem divinam quærat, quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Quocirca de fide eſt in Pontifice infallibilitatem eſſe ad definiendum, etiam extra Concilia. Verbum enim Dei traditum non minùs eſt credendum de fide, quàm verbum Dei ſcriptum. Quod verò Traditio Apoſtolica ſit certiſſima regula explorandæ veritatis, idem S. Doctor habet ibi *lib. 5. cap. 26. Quod autem nos admonet* (Cyprianus) *ut ad fontem recurramus, id eſt, ad Apoſtolicam Traditionem, & inde canalem in noſtra tempora dirigamus, optimum eſt, & ſine dubitatione faciendum*: ergo, cùm ab Eccleſiæ exordio ſenſus Eccleſiæ fuerit eſſe in Pontifice infallibilitatem ad definiendum, etiam extra Concilia, id ſanè à Traditione Apoſtolica emanavit, & quiſquis ei refragatur, adversùs fidem committit.

9 Probatur 4. ex Patribus; Verùm duos ſolùm referam, ex Græcis eſt S. Flavianus *Epiſt. 7 aliàs 9.* inter illas Leonis, qui tanti fecit ſolius Apoſtolicæ Cathedræ ſententiam, ut ad eliminandos hęreticos opus

non

non eſſe dixerit congregatione Conciliorum, ibi: *Cauſa* (hoc eſt Eutychiana) *eget ſolummodò veſtro ſolatio, atque definitione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæreſis, quæ ſurrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ ſunt: facilè reſecantur, Deo cooperante, per veſtras ſanctiſſimas litteras: revocabitur autem, & Concilium, quod fieri divulgatur.*

Ex Latinis eſt Auguſtinus, qui in ſola Petri Sede agnoſcit firmitatem ad definiendum, ideò in *pſal.contr.part. Donati* monet, ut reſpiciantur Petri ſucceſſores, in quorum continuata ſerie firma Petri fides ſemper permanſit: ibi: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Sede Petri: in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſerit, videte: ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.*

Epiſtola 190. *ad Optatum cap.6.* tradit, Pelagium, & Cęleſtium ab Innocentio, & Zozimo fuiſſe damnatos, ac univerſaliter ad omnes Epiſcopos de Sede Apoſtolica litteras emanaſſe; &, relatis verbis à Zozimo in Epiſtola Encyclica, concludit: *In his verbis Apoſtolicæ Sedis, tam antiqua, quàm fundata, certa, & clara eſt Catholica fides, ut nefas ſit de illa dubitare Chriſtianis.* Si decreta Apoſtolicæ Sedis ſunt certa, adeòut de illis dubitare non liceat; nec minus de ejuſdem infallibilitate dubitari poteſt. Litteræ verò, de quibus Auguſtinus loquitur, ab Apoſtolica Sede extra Concilia prodierunt.

Item, cùm Julianus Pelagianus in cauſa Pelagii provocaſſet ad Epiſcopos Orientis in unum congregatos, hæc Auguſtinus *lib.1.contr. eumd. cap.4.* habet: *Si Eccleſiæ* (Romanæ) *præſidentem B.Innocentium audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit ille vir Sanctus Africanis reſpondere Conciliis* (Provincialibus) *niſi quod antiquitùs Apoſtolica Sedes, & Romana cum cęteris tenet perſeveranter Eccleſia?* Duo hic ab Auguſtino firmantur. Unum, quòd Romanus Pontifex non poteſt à vera doctrina aberrare. Alterum, quòd ſola auctoritas Romani Pontificis ſufficit ad hæreticorum errores damnandos.

Pariter *Serm.131.de verb.Evangel.Joan.6. cap.10.* Renitentibus Pelagianis parere judicio Apoſtolicæ Sedis, & provocantibus ad Concilium generale, ſcribit: *Jam enim de hac cauſa* (hæreſi Pelagiana) *duo Concilia* (Provincialia) *miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam* (ex Africa) *inde etiam reſcripta venerunt: cauſa finita eſt: utinam aliquando finiatur error.* Duo pariter Auguſtinus docuit. Primum, quòd dubia fidei ad Sedem Apoſtolicam ſunt referenda. Secundum, quòd, poſito Sedis Apoſtolicæ judicio, cauſa finita eſt, quia illius Sedis judicium eſt ultimum, à qua illud Concilii reformatur, vel confirmatur. Qua verò ratione cauſa juxta Auguſtinum finita foret, ſi ſententia Romani Pontificis eſſet errori ſubjecta? Si à Concilio poſſet corrigi?

Tandem *lib.2.oper.imperf.contr.Julianum reſp.ad 103.* interrogavit. *Quid adhuc queris examen, quod jam factum eſt apud Apoſtolicam Sedem? Damnata ergo hereſis, non adhuc ab Epiſcopis examinanda, ſed coercenda eſt à Poteſtatibus Chriſtianis.* Sanè, ſi poſt damnationem quinque propoſitionum Janſenius vixiſſet, utpote in Doctrina D. Auguſtini per Janſenianos optimè inſtructus, acquieviſſet Romanæ Cathedræ judicio, nec appellaſſet ad Concilium generale: nam Auguſtinus eo ad damnandas hæreſes opus non eſſe affirmat; ſed ſufficere auctoritatem Romani Pontificis; vel, ſi appellaſſet, deberent Janſeniſtæ potiùs credere Auguſtino, quàm Janſenio.

10 Probatur 4. Si Romano Pontifici extra tempora Conciliorum infallibilitas non conveniret circa decreta fidei, & morum, liberum unicuique eſſet, quidquid interim ab eo ſtatueretur, arbitrari ejuſdem Conſtitutiones eſſe errori obnoxias: At hoc nullus Catholicorum, ſalva fide, poteſt aſſerere: ergo Pontifex eſt extra

Con-

Concilia infallibilis. Sequela majoris patet ex Janſeniſtarum doctrina. Minor maniféſtè conſtat. Nam inde locus datur hęreticis novorum dogmatum Auctoribus, aut jam damnatorum renovatoribus, in Eccleſiam impunè graſſandi, & novitates adversùs doctrinam fidei, & morum introducendi. Siquidem, ſi nullus extra Conciliorum tempora eſſet à Deo Judex conſtitutus, nullus eos poſſet reprimere; ſemper enim exciperent, nihil certè ab ullo poſſe definiri. Et inde, quanta animarum ſtrages edenda eſſet? Quæ ſchiſmata, & diviſiones in Eccleſia non darentur? Idcircò videant Janſeniſtæ; qui ſimiles motus in Eccleſia excitarunt, quibus incommodis Eccleſiam exponant, & quale ſaluti animarum præjudicium inferant.

11 Confir. Si Chriſtus Petro, ejuſque Succeſſoribus non dediſſet infallibilem auctoritatem ad definiendum, quænam doctrina ſana eſſet, quæ Catholica, quæ hæretica, niſi dependenter à Concilio generali, Chriſtus non haberet perfectiſſimam providentiam erga ſuam Eccleſiam; at eſt de fide certum Chriſtum erga ſuam Eccleſiam perfectiſſimam providentiam habere: ergo Pontifex habet infallibilem auctoritatem ad definiendum independenter à Concilio Generali. Minorem nec Janſeniani poſſunt negare, niſi velint extra Eccleſiam eſſe. Probatur major; quam enim providentiam Dominus haberet erga ſuum gregem; ſi cùm poſſet ponere Paſtorem, qui poſſet eum à lupis liberare, unum poneret, qui ſe ſolo eſſet impotens, nec poſſet, niſi expectando alios in adjutorium; qui, vel non venient, vel ita tardè, ut intereà lupi oves diſperdant, diſcerpant, & devorent? Quas ſtrages non feciſſet in Eccleſia Dei Pelagius, ſi pręſtò non occurriſſent Innocentius, & Zozimus? Quid non egiſſet Lutherus, ſi Leo X. ejus errores non proſcripſiſſet, ſed expectaſſet Concilium Tridentinum? majorem cladem ſanè Eccleſia ſuſtinuiſſet. Quid Molinos in animarum perniciem prætextu Orationis quietis non tentaſſet, niſi Innocentius XI. non expectata generali Synodo, pravam, perniciosamque ipſius doctrinam non declaraſſet, ac prohibuiſſet? Idem de aliis hæreticis, & novorum dogmatum inventoribus: ergo, vel Chriſtus non benè providit ſuæ Eccleſiæ incolumitati, vel Pontifex infallibilitate gaudet, etiam extra Conciliorum tempora.

12 Profectò vim argumenti non declinant, quotquot aſſerunt in materia fidei, & doctrinæ licitè ſuſpendi poſſe Bullas, & Conſtitutiones Papales, donec examinatum fuerit, *An à Pontifice adhibita fuerint omnia, quę ad infallibilem definitionem requiruntur*? Ajunt enim Pontifici promiſſam infallibilitatem per media congrua, & opportuna, ut prudenter agat ſub conditione, nimirùm, *ſi maturum, & diligens examen, ac diſcuſſionem præmittat juxta rei qualitatem*. Cæterùm ſtatim ac à Pontifice emanat aliqua definitio, certi omninò ſumus, nihil eorum eſſe omiſſum, quæ ad infallibilitatem requiruntur, nec poſſumus fluctuare de purificata conditione. Promiſſio enim infallibilitatis facta Pontifici ſimul involvit promiſſionem applicandorum mediorum ad infallibiliter definiendum. Idcircò poſita definitione, certitudinem omnimodam habemus de mediis adhibitis, ſicut, poſita forma in materia, certi ſumus, quòd diſpoſitiones neceſſariæ ad eam introducendam præceſſerint. Vide *cap. ſequen. nu. 21.*

13 Deinde, ſi ſuſpendi ea ratione poſſent Conſtitutiones Pontificiæ, aliquis Judex quærendus, vel adeundus erit, qui controverſiam dirimat de adhibitis, vel non àdhibitis per Pontificem omnibus cōditionibus ad infallibilitatem requiſitis. Sed quis ille erit? Non Pontifex, uti adverſarii fatentur, cùm ei credendum, ajunt, in re ſua non ſit. Nec Reges, aut Imperatores, qui in rebus Eccleſiaſticis Judices idonei non ſint. Nec Epiſcopi, qui certè ſe excuſabunt illa maxima: *prima Sedes à nemine judicatur; ſe ſuo ore ipſa judicet.*

Nec

Nec Concilium Oecumenicum, nam præterquam quòd hoc ad errorem Pelagianorum accedit, qui, teſte Auguſtino *libr.4. contr. duas Epiſt. Pelagianor.cap.ult.* ad iteratum cauſæ examen volebant Orientis,& Occidentis Synodum congregari, quos D. Doctor urget in hæc verba: *Aut verò Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione damnata ſit, cùm potiùs rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit*. Sed quid de definitionibus Pontificiis fiet interim, dum Synodus Oecumenica congregabitur? Nonne illæ ſtrages erunt inevitabiles, quas ſupra tetigimus?

Dicunt Pontificias definitiones deberi tunc haberi infallibiles, quando Eccleſia, vel major pars eas pro talibus acceptaverit, quæ cùm errare non poſſit, tunc certi ſumus Pontificem omnia adhibuiſſe ad infallibilem definitionem requiſita.

Verùm ex hac reſponſione non minora incommoda oriuntur. Nam hæc reſponſio reverà infallibilitatem aufert à Pontifice, eamque immediatè in ipſo Eccleſiæ corpore conſtituit. Si enim Pontificię definitioni fides non adhibetur, niſi quia Eccleſiam eam acceptat, & approbat, non tam creditur Pontifici, quàm Eccleſię. Ubi autem Eccleſiæ eſt infallibilitas ad definiendum promiſſa? Non membra, Caput, ſed Caput, membra judicat, & ne erraret Corpus Eccleſiæ infallibilitas eſt data Capiti, & Magiſtro, de qua re *cap.ſeq.* Tum quia, incertum eſt, quandonam dici debeat, quòd major Eccleſiæ pars aliquam definitionem acceptaverit: ergo non definitioni ideò creditur, quia ab Eccleſia acceptatur, ſed quia à Pontifice emanat. Neque eſt Eccleſiæ liberum Pontificias definitiones acceptare, ſed omninò debet: Nam oves Paſtoris vocem audire tenentur. Tum quia Pontifici ad definiendum auctoritas non eſt data ſub conditione, ſi Eccleſia acceptet, conſentiat, ſed abſolutè.

14 Tandem, opinio, quam impugnamus, proſcripta eſt ab Alexand.VIII. à quo damnata fuit hæc propoſitio in ordine 29. *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate*. Et propterea infirmum eſt contrariorum argumentum aſſerentium non eſſe damnatam, ut hæreticam opinionem, quòd Papa non habeat infallibilitatem in definiendo extra Concilium. Ulteriùs, conſideratur argumentum eſſe merè negativum, quod nihil concludit. Tum quia illa opinio ſatis reprobata legitur in Concilio Viennenſi, & Florentino, ubi ſupra. Tum quia, Pontifices re ipſa declarant ſe illam opinionem damnare, cùm toties extra Concilium multas hæreſes proſcripſerint, & in facti contingentia proſcribunt, condemnando, ut hæreticos, eos qui pertinaciter damnationi reſiſtunt, & errores proſcriptos ſequuntur.

15 Quod autem Pontifex propoſitionem ſolùm in abſtracto damnaverit, non declarando hæreticos auctores, eſt ipſius prudentiæ tribuendum ad majus malum evitandum. Verùm hæc ejus permiſſio, ſeù potiùs diſſimulatio non eſt, nec eſſe potuit approbatio erroris, vel, contrariæ ſententiæ, ſed ſchiſmatis timor; ſicut quod Reſpublica permittat meretricium, ne fiant adulteria, vel alia in venereis ſcelera, eſt timor adulterii, aliorumve criminum, non verò approbatio meretricii, dicente Auguſtino *lib.2.de ord.cap.4. Aufer meretricium de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus*.

Probatur ult. Non erat expediens Eccleſiæ, propter quam eſt Pontifici data poteſtas ad definiendum, ut illi daretur, quaſi alligata, & dependens à Concilio generali: ergo hoc modo data non fuit; & ita poterit Pontifex ſine Concilio veritatem definire abſque erroris periculo. Antecedens patet, nam difficillimum eſt congregare Concilium generale, & aliquando eſt moraliter impoſſibile propter bella, vel

alia

alia impedimenta; aliunde verò poteſt inſtare neceſſitas damnandi novam inſurgentem hæreſim, vel declarandi veritatem aliquam neceſſariam, quæ in dubium revocatur: ergo oportuit Pontificem habere hanc poteſtatem independenter à Concilio generali.

Opponunt 1. Dogmata à Pontificibus definita committuntur examini Conciliorum generalium; quod opus non eſſet, ſi eſſent infallibilis veritatis: ergo independenter à Concilio generali hujuſmodi non ſunt: Antecedens confirmat exemplum Leonis magni, qui, litteris datis ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolit. damnavit hæreſim Eutychetis, & adhuc voluit ejus cauſam in Concilio examinari; & ubi Concilium hæreſim proſcripſit, Leo ſibi gratulatus eſt, quòd ſuam de duabus naturis in Chriſto definitionem Concilium confirmaverit; prout ipſe teſtatur in *Epiſtola 16. ad Flavianum* ibi: *Quia piè, ac religiosè Chriſtianiſſimus Imperator haberi voluit Epiſcopale Concilium, ut pleniore judicio, error aboleri poſſit*. Agnoſcit ergo Leo judicium Concilii eſſe plenius ſententia Pontificis, & ita majorem eſſe Concilii, quàm Papæ auctoritatem. Et infra. *Gloriamur in Domino, qui nullum in noſtris Fratribus deſiderium ſentire permiſit; ſed quod noſtro prius miniſterio definierat, univerſæ fraternitatis firmavit aſſenſu*. Hic Sanctus Pontifex ſupponit definitiones Pontificum confirmari, & iterùm examinari poſſe à Concilio.

16 R. Argumentum urget Maimburgus ad firmandam Concilii ſuperioritatem ſupra Romanos Pontifices. De qua re agendum ex profeſſo *contr. ſequen.* Quare ad minorem dicendum à S. Pontifice Leone fuiſſe directam Epiſtolam Flaviano, & Concilio, ut legeretur in Concilio Epheſino, quod dicitur II. ut quid de Verbi Incarnatione ſentiendum ſit, univerſa Synodus intelligeret. In quo tamen lecta non eſt, & Eutyches fuit abſolutus: dictaque Synodus Epheſina *prædatoria*, quia inſtar prædonum Dioſcorus, & ei faventes omnia egerunt vi, metu, & armis; nulloque jure ſervato, coacti ſunt Epiſcopi ad ſubſcribendum. Tantummodò Legati Apoſtolicæ Sedis Dioſcoro in faciem reſtiterunt, conteſtantes nullius eſſe roboris, quæ per vim, & metum extorquerentur. Hic fuit fructus hujus Synodi, in qua, loco Sacrorum Librorum gladii, atque fuſtes; in qua ſuffragiorum libertas catenis vincta eſt: in qua Dioſcorus auſus eſt in S. Leonem excommunicationis ſententiam pronuntiare, rebellans adversùs eum, à quo omnis juriſdictio deſcendit.

17 Ad defenſionem fidei adversùs Euthychetem, & acta Conciliabuli Epheſini, conſentiente S. Leone, celebratum eſt Concilium Chalcedonenſe, in quo per ſuos Legatos ipſe præſedit, ut habetur ex *Epiſtola Synodica incip. Repletum eſt ad Leonem*, qui ab eo Patres poſtularunt geſta Concilii confirmari: ibi: *quibus tu quidem, ſicut membris caput præeras in his, qui tuas vices gerebant, tuum tenebant ordinem*. Patribus Leo ſcripſit, quid credi, quidve decerni oporteat; injunxitque, ne ad examen vocarent ea, quæ in Epiſtola ad Flavianum definierat, ſed ea reciperent, & juxta ipſa decernerent, ut ex *Epiſtola 54. ejuſdem ad Concilium*, ibi: *Fratres chariſſimi, rejecta penitùs audacia diſputandi contra fidem divinitùs inſpiratam, vana errantium infidelitas conquieſcat: nec liceat defendi, quod non licet credi*. Eſt Leo imitatus Cœleſtinum prædeceſſorem ſuum, qui in commonitorio Legatis ſuis ad Concilium Epheſinum I. dato, hæc poſuit apud *auctorem Galliæ vindicatæ diſſertat. 3. §. 1. Auctoritatem Sedis Apoſtolicæ cuſtodite. Siquidem & inſtructiones, quæ vobis traditæ ſunt, hoc loquuntur, ut intereſſe conventui debeatis, ad diſceptationem; ſi fuerit ventum, vos de eorum ſententiis judicare debeatis, non ſubire examen.*

18 Et reverà *act. 2.* poſt lectionem Epiſtolæ Leonis ad Flavianum de hæreſi Eutychetis, Epiſcopi clamaverunt: *Hæc Patrum fides: omnes ita credimus. Anathema*,

ma, qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus eſt, Apoſtoli ita docuerunt.

19 Quare falſum eſt, ut putat Suavis, quod univerſa, vel major pars Synodi de veritate litteræ Leonis dubitaverit; Solùm quidam Epiſcopi Illyriciani, & Palęſtini ſuper nonnullis verbis Epiſtolæ dubitare cæperunt, ut habetur *art.*4. apud Bail *Sum.Concil.tom.*1. & Luccheſinum *de Sacr. Monarchia S.Leonis magni cap.*30.*num.*134. Nec ex eo dicendum Concilium de infallibilitate Leonis hæſitaſſe, quòd ſuſceperit opus videndi, an Epiſtola S.Pontificis conformaretur cum contentis in litteris Cyrilli, quæ fuerant approbatæ in Epheſino I. directo ab Apoſtolica Sede, & ab eadem confirmato, & ideò credendæ de fide. Sciendum enim eſt Epiſcopos contradictores magno in pretio habuiſſe Cyrilli doctrinam (& quidem meritò juxta dicta) ac ſe jactaſſe illius contra Neſtorium defenſores; hinc Patres Chalcedonenſes, non quia putarent auctoritatem Pontificiam aliena atteſtatione fulciendam eſſe, ſed ſolummodò ut hæreticos in viam ſalutis revocarent, oſtenderunt eandem eſſe Leonis, & Cyrilli doctrinam. Fortè, qui confert Evangelium Lucę cum illo Marci, de uno, vel altero dubitat? Hæſitavit ne Auguſtinus de veritate Evangeliorum, dum non pepercit labori ſcribendi librum de conſenſu Evangeliſtarum? Abſit hoc affirmare. Ita dicti Patres conferentes ſcriptum infallibile Leonis cum illo Cyrilli pariter ob allegatam confirmationem infallibili, de neutro dubitabant.

20 Ideò verò Anatolius deputatus fuit, ut alios idoneos eligeret ad docendum dubitantes; non verò Legati, quia Gręci magiſterio eorum egebant, qui Græcæ,& Latinæ linguæ eſſent periti: Latina enim lingua, qua Epiſtola Leonis erat Scripta, Epiſcopis Palęſtinis, & Illyricianis nequaquam comperta erat, idcircò opportunius fuit ipſos à Græcis quibuſdam, utriuſque idiomatis optimè conſcii erudiri, ut obſervat Luccheſinus *cap.*31. *numer.*140.

21 Gratulatus eſt Leo proſpiciens Eutychianam hæreſim pleniori judicio eſſe proſcriptam; at hinc quomodo colligitur, quòd Conciliaris definitio ſit Pontificia firmior? Plenius judicium Leo vocavit illud Concilii, non plenitudine intenſiva, quaſi aliquis defectus fuerit in illo Leonis adversùs Eutychetem, ſed extenſiva dumtaxat, quatenùs à pluribus fuit illius hæreſis proſcripta. Forſan, quia in Parlamento Regis plures ſunt congregati, qui reum aliquem damnent, firmior, ac major eſt auctoritas Parlamenti, quàm Regis? Ita Deus, & creatura, quid majus aliquo modo dici poteſt, quàm Deus ſolus, numero ſcilicet, & extenſione, quatenus in collectione ex Deo, & creaturis plures numerantur; non tamen perfectione; quoniam non eſt intenſivè perfectior collectio ex Deo, & creatura, quàm ſolus Deus; cùm nulla ſit in creatura perfectio, quæ ſupereminenter non ſit in Deo,& quæ originem non ducat à Deo. Ita in propoſito.

22 Secundo loco laudat aſſenſum Concilii ſecutum ad rem à ſe definitam, & de eo gaudet: non quòd ſentiat ſententiam Concilii eſſe firmiorem definitione Pontificia; vel, hanc firmam non eſſe,niſi Concilium in ea conſentiat, ſed eo tantùm fine, ut oſtendat dubitantes de contentis in ſua Epiſtola irrationabiliter dubitaſſe, cùm Deus ea aſſenſu Concilii (cujus judicium illi pluris faciebant) firmaverit. Quare aſſenſus Concilii non dat firmitatem definitioni Pontificiæ, quæ in ſe firma eſt, ſed ſolùm operatur, ut faciliùs ab omnibus acceptetur, ab iis etiam, qui ad Concilia provocant, quam tamen, etiam Concilio diſſentiente, firmam eſſe tenere debent, cùm Pontifici infallibilitas ad definiendum ſit data, & non Conciliis (niſi à Papa confirmatis) quæ non definiunt,niſi cum debito obſequio, & ſubordinatione ad Pontificem.

Opponunt 2. Decreta in Conciliis ſub Sum-

Summorum Pontificum præſentia, & præſidentia habita, nomine, tam Concilii, quàm Papæ eduntur, & à Concilio approbantur: ergo ab utroque, & non à ſolo Pontifice firmitatem habent; aliàs ineptè ab utroque denominarentur. Antecedens patet ex formulis, quibus ipſimet Pontifices uſi ſunt. Aliquando enim dixerunt: *Sacro approbante Concilio*, *cap. Sacro approbante de ſent.excom.* qua formula uſus eſt Martinus V. in conſtitut. *Inter cunctas* edita in Concilio Conſtantienſi, & Eugenius IV. *in decreto unionis* in Concilio Florentino; *& aliquando* *Sacra auctoritate Concilii cap. Nimis de jure juran.* Ergo auctoritas Concilii dat robur definitionibus Papæ.

Confir. Patres in Conciliis celebratis cum immediata præſentia Papæ ſe ſubſcribunt, ut conſtat ex d.Florentino, in quo poſt enuntiatum decretum Eugenii ſequuntur ſubſcriptiones Epiſcoporum utriuſque Eccleſiæ. Item, Hilarius Papa in Concilio Romano celebrato anno 467. firmiorem auctoritatem recognovit in Synodo, nam ſuam Conſtitutionem petiit à Synodo comprobari, ut ex capit. *Quod quis* 35.*qu.*2. ibi. *Ut deinceps poſſit tenaciùs cuſtodiri, ſi placet, ſententias, cauſas, & ſubſcriptiones proprias omnes commodate ut ſynodali judicio aditus claudatur illicitis*: ergo, præciſa Conciliorum auctoritate, definitiones Pontificiæ infallibiles non ſunt, alioquin non opus fuiſſet Synodali ſubſcriptione.

23 R. Non ſemper eadem formula eduntur decreta in Conciliis, quibus præſidet Papa, quandoque enim hac prodierunt *Sacro ſuadente Concilio præcipimus cap. Licèt Grecos de baptiſ.* Sępè hac alia, *cum fratribus noſtris, & Sancto Concilio deliberatione præhabita*, cap. *Ad Apoſtolicæ de ſent. & re-judic. in 6.* Quo ſanè caſu definitio non tribuitur Concilio, nec ab eo firmitatem habet, ſed à Pontifice, qui de congruentia, non verò neceſſitate conſilium, vel conſenſum Concilii requirit, ne protervi, prætextu examinis in Concilio non pręſtiti, occaſione tergiverſandi concipiantur; vel, ut faciliùs, & feliciùs decreta evulgentur.

In quo ſenſu accipitur illud *approbante, & auctoritate Concilii*; neque enim de approbatione, & auctoritate juriſdictionali, aut neceſſitatis uſurpari poteſt. Nam abſque ullo definitionum Apoſtolicarum prę-judicio poteſt non exquiri, & ut plurimùm non eſt exquiſita. Propterea approbatio, vel definitio Conciliaris præſupponens Pontificiam, neque eſt, neque in rigore confirmatio appellatur. Illa verò Pontificis, qua decreta à Conciliis edita confirmantur, eſſentialiter exigitur, tum ne de ipſorum infallibilitate dubitandum ſit; tum, ut vim habeant obligandi totam Eccleſiam ad ea tenenda, quæ præſcribunt, qua præciſa, nulla obligatio daretur.

24 Ad confirmationem. Subſcriptiones Epiſcoporum in Florentino non ideò admiſit Eugenius, ut ipſius decretum robur obtineret, ſed ad ſuaviùs, faciliùſq; inducendam obſervantiam: libentiùs enim, & maximè à refractariis Eccleſiæ acceptatur, quod multorum conſilio ſancitur. Vel, ut notum omnibus eſſet, Gręcos in unionem conſenſiſſe.

Ad auctoritatem Hilarii patet ex textu, quo fine ſubſcriptiones Patrum expoſtulaverit. Verùm eſtò id ipſe fecerit, non adſtrinxit Succeſſores, ſi id præſtare nollent. Quinimò, ſi quidquam ex Hilario probaretur, ſequeretur decreta Pontificum non modò infallibilitate carere, ſi ederentur extra Concilia generalia, verùm etiam ſi extra Provincialia, cujus generis fuit illud celebratum ſub Hilario.

Opponunt 3. Fruſtra congregarentur Concilia ad definiendas res fidei, ſi Pontifex abſque illorum ſubſidio poſſet ſine errore definire: Illud autem dicendum non eſt: ergo ideò congregantur, ut definitiones ſint infallibiles.

Addo. In negotiis ordinariis ſufficit diligentia ordinaria, quæ in gravioribus ſatis non eſt; ſed longè major exigitur: ſicut

ſicut ſumma expoſcitur in graviſſimis, & maximi momenti: cujuſmodi ſunt ea, quę ſpectant ad definitiones fidei, & morum pro tota Eccleſia, præſcribentes quid credendum, & agendum ſit pro conſequendo bono fęlicitatis æternæ, & vitando ſummo æternæ damnationis periculo: ergo, ut Papa quidquam definire poſſit, Concilium generale congregari debet, in quo Summus diligentiæ gradus reperitur: ergo.

25 R. Negatur ſequela. Nam, eſtò Concilia non ita requirantur, quaſi ſine illis Papa non poſſit infallibiliter definire, adhuc tamen ſępè utiliſſimè congregantur. Primò. Ut definitio Pontificis ſolemnior ſit. Secundò. Ut faciliùs, quæ ipſe decrevit, executioni mandari poſſint. Tertiò. Ut per conſenſum tot Pręlatorum faciliùs obvietur ſchiſmati, & occurratur importunitatibus hęreticorum contra deciſiones in Concilio factas. Quartò. Ut, convocatis ex omni natione Patribus, &, inſpectis cujuſque Nationis conſuetudinibus, valeant faciliùs, & convenientiùs leges communes decerni, & municipales cujuſquę Provinciæ commodiùs approbari, & diſponi poſſint. An quia Rex Galliæ ad ferendas commodè leges ſuos Magiſtratus, juriſque peritos in Comitiis Regni congregat, auctoritas condendi Leges, non in Rege, ſed in ſubordinatis Miniſtris reperitur? Si illa juriſdictio non negatur in ſuo Regno Regi temporali, cur neganda eſt Romano Pontifici, ſupremo totius Eccleſiæ Principi, cui ſpecialem aſſiſtentiam Deus promiſit, ne erraret?

26 Ad additum. Negatur ad definiendum ſummam omninò diligentiam requiri, ſed ſufficit, quæ inſpectis rerum circumſtantiis, præſentique neceſſitate moraliter, prudenterque fieri poſſit. Hæc autem à Pontifice præmittitur. Agetne contra æternam ſalutem (quæ profectò eſt maximi momenti) qui ſummam omnium diligentiam non adhibet? Prudens, moraliſque ſatis non erit? Exigiturne, ut tota die, quis acerbiſſimis flagellis ſe caſtiget? Et tamen hęc ſumma diligentia eſt, ſumma cura, & ſumma ſedulitas ad ęternam ſalutem, quæ mediis illis adeò aſperis fortaſsè ſecurior eſſet.

Dices. Diligentia eſt quid facti, in quo Pontificem errare poſſe non dubitatur. Minus autem eſt erroris periculum definire cum multis, quàm cum paucis, juxta vulgatam maximam: *melius eſt errare cum multis, quàm ſapere cum paucis*; non quòd error ſit in ullo caſu ſequendus; ſed quia, qui in rebus dubiis, viris majoris auctoritatis adhæret, minùs ſe exponit errandi periculo: & ubi errat, eſt per accidens, nec amat errorem; ſicut hunc vult, qui plurium auctoritatem, illâ paucorum contentus, nihili facit.

27 R. Diligentia utique eſt quid facti, non utcunque, ſed quod per ſe omninò ad infallibilem definitionem requiritur: ſapientia enim Dei, quæ omnia ſuaviter diſponit, finem non vult obtineri per ſaltum, & ex obrupto, ſed per media congrua, & opportuna, vult gradatim ad eum deveniri: ergo aſſiſtit Pontifici, ne definiendo erret; ſed aſſiſtentia accomodata eſt humano definiendi modo, poſtulatque, ut diligentia adhibeatur: atque ita non permittet, quod in eo facto erret. Vide *contr.8.cap.7.nu.21.*

Opponunt 4. Qui repugnat definitionibus Romani Pontificis, non eſt hęreticus: ut patet in D. Cypriano, qui vehementer obſtitit Stephano Pontifici definienti, baptizatos ab hęreticis non eſſe rebaptizandos: ergo ejus judicium certum, & infallibile non eſt.

Accedit. Gelaſius Papa *cap.Sancta Romana 15.diſt.* approbavit ſcripta Cypriani, Chryſoſtomi, Gregorii Nazianzeni, Baſilii, & Ambroſii; ſed in iſtis plura ſunt, quæ à vero ſunt aliena: ergo judicium Pontificis non eſt infallibile.

28 R. Negatur antecedens, ſi definitio pertineat ad fidem, de quo diximus *contr. & cap.cit.* Quinimò, ſicut auctoritas Cypria-

priani non fecit, quòd baptiſmus ab hæreticis collatus, quem nullum exiſtimaverat, irritus eſſet, ita efficere minimè potuit, quòd Pontificis Romani auctoritas infallibilis non eſſet. Et fortaſsè Cypriano nondum apparebat adeò clara Romani Pontificis infallibilis in rebus fidei definiendis auctoritas, quæ lucidior evaſit, & nunc eſt, accedente unanimi Patrum de hac infallibilitate conſenſu.

29 Ad accedit. Approbatio illa generalis, idem eſt, accommendatio doctrinæ illorum Patrum, ut utilis, & pię; vel, aliud non importat, quàm illos piè, & bona intentione ſcripſiſſe, in eo tamen ſenſu, quòd non repugnent iis, quæ ab Eccleſia definita erant, quando ab illis ſcribebantur. Hinc Gelaſius nullatenus intendit approbare, tanquàm vera, quæcumque ab illis dicuntur, ſed ſolùm tanquàm dicta hominum fallibili auctoritate præditorum, & mutationi obnoxia, ſi veritas ſucceſſu temporis ampliùs inclareſcat. Hoc modo, & ſub iſta perſuaſione ab illis tradita fuerunt, & à Gelaſio probata cum libertate, ut Fideles illis uti poſſint: Non ſic dicitur de approbatione doctrinæ fidei, & morum. Nam non generaliter approbatur, vel collaudatur cum permiſſione, ut Fideles eam ſequantur, ſi velint; ſed poſt accuratum examen toti Eccleſiæ proponitur, & pęnis urgetur, ut eam amplectatur, & ad illiùs pręſcriptum operetur. Et proinde eſt infallibiliter quoad nos vera, & judicium Papæ irreformabile. Etenim Spiritus veritatis ei aſſiſtit, ne Eccleſiam in errorem inducat.

30 Hucuſque dicta robur accipiunt ex damnatione ſequentis propoſitionis, (quæ eſt quarta ex aſſertis in Comitiis Gallicanis de an. 1682.) *In fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, ejuſque decreta ad omnes, & ſingulas Eccleſias pertinere: nec tam irreformabile eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.* Quam proſcripſit Alexander VIII. *conſtit. Inter multiplices 4. Auguſti 1690.* Ut dixi *Offic. Cur. Eccleſiaſt. cap. 29. nu. 16.*

31 Hinc ſequitur I. Decreta Dogmatica Apoſtolicæ Sedis non egere acceptatione Fidelium, ut ſint infallibilia, & obligantia; Siquidem non Fidelibus data eſt cura ovium Chriſti, aut privilegium non errandi in definitionibus fidei, ſed Petro ejuſque Succeſſoribus. Neque Fideles unquàm contulerunt Papæ poteſtatem regendi Eccleſiam, & docendi dogmata, ſed ipſe Chriſtus, ſuppoſita electione, Pontificibus tradit: ergo cùm nullo modo Papa dependeat à ſubditis in docendo doctrinam fidei, & morum, nulla eorum acceptatione eget, ut definitio obliget. Tum quia, Papa habet plenitudinem poteſtatis in totam Eccleſiam ad eam docendam, & dirigendam, *ex cap. Decreto 3. qu. 6. & ex conſtitutione. In minoribus Pii II. 20. Bullar. tom. 1.* ergo independenter à Fidelium acceptatione ejus decreta eos obligant, & ad acceptandum, & credendum conſtringunt.

32 II. Non requiri, ut in qualibet Provincia publicentur, ſed ſufficere, quòd Romæ ſint ſolemniter promulgata; hac enim poſita, omnes, ad quos notitia Decretorum pervenit, ad obſervantiam adſtringuntur, ut dixit Cardenas *Criſis Theol. p. 1. num. 1. diſput. 9. cap. 20. art. 11.* Quilibet enim jure naturæ tenetur tenere, & credere, quæ Spiritus Sanctus per Pontificem, tanquàm per ſui præconem docet, & declarat eſſe credenda, quomodocumque illa innoteſcant.

Dices. Decreta Concilii Tridentini non ſtatim ab omnibus Nationibus Catholicis fuerunt recepta; immò neque nunc videntur ab omnibus acceptata, & tamen non acceptantes non ſunt hæretici:

33 R. Antecedens eſt falſum de decretis doctrinæ: hæc enim omnes Catholici ſtatim acceptarunt. Quantùm verò ad decreta reformationis diſciplinæ, non omnia ubique fuerunt acceptata: ſed an licitè?

tè? Hoc opus. Quærimus enim non quid, ſed quid juſtè factum ſit. Immò ubi ea fuerunt non acceptata, factum eſt ſciente,& tolerante Pontifice, ac ex ſua benignitate nolens reluctantes cogere.

Dices. In Gallia Decreta Romani Pontificis non obligant, niſi priùs à Parlamento, vel Curia Laica recipiantur: ergo, &c.

34 R. Hujuſmodi examen non reſpicit decreta dogmatica, ſed ſolùm alia diſciplinæ, vel proviſionum Beneficiorum. Neque circa hoc fit, quaſi Laici velint ſe Judices ſanctæ Sedis conſtituere, aliàs non evitarent cenſuras; ſed eo dumtaxat fine, ut recognoſcant, an tranquillitati Regni conſona ſint, nec ne. Et quatenus aliquid reperiant, propter quod videatur executio ſuſpendenda eſt certiorandus Pontifex, ut opportunè provideat. Sed hæc ad propoſitum non ſunt pro articulo examinato.

CAPUT VIII.

An ſilentium obſequioſum Janſeniſtarum, ipſorumque praxis jurandi non credendo internè hæreticitatem propoſitionum Janſenii, virum Catholicum deceat?

SUMMARIUM.

1 *Janſenianorum artificium adversùs Apoſtolicæ Sedis judicium.*
2 *Janſeniani renovant Calviniſmum ad 6.*
7 *Et inſtaurant hæreſim prædeſtinatianam.*
8 *Silentium obſequioſum, quid importet?*
9 *Pontifex infallibilis circa quæſtiones facti conjuncti cum jure ad 14. & n. 38.*
15 *Concilium Chalcedonenſe improbat ſilentium obſequioſum.*
16 *Propoſitiones Janſenii proſcribuntur in concreto ad 17.*
18 *Hæreticus habendus eſt ſenſus textus Janſeniani.*
19 *Auguſtinus ſilentium reprobat.*
20 *Praxis jurandi, quam ſervant Janſeniani, quæ ſit?*
21 *Praxis illa favet mendacio.*
22 *Illà Janſeniani perierant.*
23 *Cur Janſeniani illa praxi utantur ad 24.*
25 *Clementis XI. Conſtitutio adversùs illam praxim.*
26 *Qua ratione dicatur, Papam novum articulum fidei condere?*
27 *Sedes Apoſtolica aſſenſum omninò certum exigit circa hæreticitatem textus Janſeniani, ad 29.*
30 *De examine doctrinæ facto à Sede Apoſtolica nulla ratione eſt ex Auguſtino dubitandum.*
31 *Pondus auctoritatis, non verò numerus judicantium attenditur.*
32 *Urgente præcepto loquendi, ſilendùm non eſt.*
33 *Innocentius X. Alex. VII. & Clemens XI. internum aſſenſum poſtulant.*
34 *Honorius I. Monothelitis non favet.*
35 *Silentium impoſitum circa controverſiam de Sanguine Chriſti.*
36 *Innocentius XII. quodnam ſilentium precepiat ſervari in cauſa damnationis textus Janſeniani?*
37 *In factis purè privatis poſſunt Pontifices errare ad 40.*
41 *Janſenium, librum elucubraſſe inſanæ mentis eſt negare.*
42 *Auctores doctrinæ hæreticæ immediatè damnantur.*
43 *Doctrina Auguſtini non eſt irrefragabilis, ut volunt Janſeniſtæ ad 50.*
51 *Quo ordine legendi ſunt Sancti Patres.*
52 *Janſenius negat hereſim Prædeſtinatianorum.*
53 *A D. Auguſtino gratia ſufficiens, & cui poſſit reſiſti, conceſſa.*
54 *Poteſt Pontifex jubere actus internos, ad 60.*
61 *Janſeniani non credentes hæreticitatem textus Janſeniani ſunt hæretici.*
62 *Cultus pro falſa ſanctitate ab Eccleſia inſtitui non valet.*
63 *Dubitari non poteſt de Sanctitate Concep-*

tionis B. M. V. in primo inſtanti.

64 *Improbabilitas, & falſitas non ſunt cenſuræ Theologicæ.*

65 *Sincera obedientia debetur Conſtitutionibus Apoſtolicis.*

1 NOva Dogmatiſtarum factio, ubi novit ſe non poſſe palàm refragari Romanæ Sedis judicio damnantis, ut hæreticas quinque propoſitiones Janſenii ex ejus libro excerptas in obvio verborum ſenſu, fraudibus ſe dedit. Exinde nonnullis placuit aſſeverare ad ſatisfaciendum Apoſtolicis Conſtitutionibus ſatis eſſe obſequioſum ſilentium ſervare; alii contendentes Alexandrum VII. in præfixione formularii pro juramento præſtando, obedientiam ſolùm externam, non internam præcepiſſe muſſitarunt. Ideò quanquam Romana Cathedra definierit, *nulla Dei præcepta eſſe juſtis impoſſibilia: reſiſti aliquando, etiam in ſtatu naturæ lapſæ interiori gratiæ. Neceſſariam ad merendum, & demerendum eſſe libertatem indifferentiæ: Chriſtum Dominum pro omnibus mortuum eſſe:* atque has, aliaſque veritates, utpote nativo, & germano Janſeniani textus ſenſui repugnantes, Sedes Romana credendas eſſe præceperit, ſoli Janſeniani intellectum captivare detrectant in obſequium fidei, & infallibilitatis Pontificiæ definitionis, ſuoque illo ſilentio ſe continent. Sed tantùm abeſt, quòd ſilentium ſervent, ut potius nimiùm loquaces, diſtortas in dies interpretationes eos non pudeat Apoſtolicis Conſtitutionibus adiicere, ut tantis notum eſt libellis, & paginis, quibus turbas, vel fovent, vel excitant:

2 Eòque dolus collimat, ut Calviniſmum protegat, & inſtauret. Ab eo enim ſuos Janſenius hauſit errores, ut notat Lucchefinus *polemic. hiſtor. Janſenii lib. 4. p. 2. §. 2.* ſuamque ex Calvino, aliiſque hæreticis doctrinam exſcripſit, teſte Bail. *Sum. Concil. to. 2. quint. Claſſ. tit. Concil. Gallic. Concil. Lugdunen. ſub an. 490. §. controverſ. verſ. Sed ut.* Quod certiſſimè conſtat, prout defenſores Janſeniſmi manifeſtum reddunt. Abbas enim Sancti Cyrani ſibi præfixit Calviniſmum cum ſuo Duce Iprenſi mitigare, ſed diverſam methodum à Calvino ſuæ menti præſcripſit. Bonam fuiſſe cauſam Calvino dicebat Abbas, ſed malè defenſam, eò quòd evitare neſciverit nomen hæretici. Ut ſe catholicè ſentire Abbas ſuaderet, rejecit illas Hęreſiarchę propoſitiones, quæ horrorem provocabant, ut, *quòd Deus ſit auctor peccati: quòd figuratè ſit Corpus Chriſti in Eucharíſtia: quòd dentur duo tantùm Sacramenta: quòd ſit abominatio Sacrificium Miſſæ: quòd Romanus Pontifex ſit Antichriſtus: quòd Sanctorum cultus ſit Idololatria: quòd iidem, & Angeli, immò & ipſa Deipara non ſint invocandi: quòd nullus detur carcer ignis Purgatorii, &c.*

3 E contra Janſeniani, ut mordicùs retinere viderentur, ea omnia, quæ pio Catholicorum ſenſui erant conſona, & religionem, cui populus aſſueverat, promovebant: hoc eſt, *regimen Pontificium, & Epiſcopale: omnium uſum Sacramentorum, & Miſſam, ſacraſque cæremonias.* Quarum abolitio multum obſtiterat propagationi Calviniſmi, quem ipſi reformando innumeros induxerunt ad acceptandos errores Janſenii; & præſeferentes animum orthodoxum, affectant ſincerè venerari Pontificiam auctoritatem, ut inde ſuſpiciones hæreticas non incurrant. Verùm hac ipſa ratione, & cùm cenſeantur amici, tutius Fidelibus nocent, & malum, quod corde retinent, obſtinati aperiunt, proteſtantes Obedientiam exhibendam eſſe Apoſtolicis Conſtitutionibus, hac tantùm forma, quòd lingua, & calamo impugnandæ non ſint, non verò, quòd ſit fide ſupernaturali credendum, quod ipſę tanquàm Catholicum probant, vel, tanquàm hæreticum damnant. Quo fit, ut eorum error, tanquàm cancer ſerpat, & venenoſa ſemina ad fovenda deliramenta relinquat.

4 Calviniſtæ dixerunt, *liberum arbitrium divinæ gratiæ motione tolli.* Reſonate

Jan-

Janſeniani faciunt libertatis nomen, neque explicitè affirmant, quòd gratia voluntati neceſſitatem imponat, ſed ſolùm, quòd eadem gratia ſita in victrici delectatione ſuaviter trahat abſque coactione, & violentia. Quod juxta eorum ſenſum ſignificat, à gratia victrici trahi voluntatem antecedenti neceſſitate abſque potentia ad actum contrarium, vel, actus ſuſpenſionem; ac proinde ſolùm ſupereſſe libertatem oppoſitam coactioni, quæ in ſenſu catholico ad meritum non eſt ſatis; ſed neceſſaria eſt libertas à neceſſitate.

5 Calviniſtæ pronuntiarunt: *gratiam ſemper ex ſe efficacem eſſe*. Æquivalentibus verbis Janſeniſtæ hoc prædicant, aſſerentes, *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur*. Quid hoc eſt aliud, quàm gratiam ſemper ex ſe efficacem facere, ut voluntas ſub ea neceſſitetur?

6 Dixerat Calvinus; *mandata Dei eſſe impoſſibilia*. Quod horrorem incutit; ideò Janſeniani id mitigarunt, dicendo: *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis......ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant*.

7 Renovat pariter Janſeniſmus Prædeſtinatianorum hęreſim. Aſſerebant iſti, quòd Deus abſoluto decreto, nullo habito reſpectu operum futurorum, quoſdam in certo numero elegit ad gloriam, & pro iſtis ſolis Filius incarnatus, & crucifixus fuit, non pro aliis, quos in majori numero, abſoluto etiam decreto reprobavit, nulla demeritorum prævisione prævia, ſed quia ſibi ſic placitum fuit. Hoc ipſum æquivalenter ab Janſeniſtis aſſeritur, affirmantibus: *Chriſtum pro omnibus mortuum non eſſe*, & ſic de cęteris diſcurrendum. Contra quos

Dicendum. *Obſequioſum Janſeniſtarum ſilentium, eorumque inducta jurandi praxis ad obediendum formulæ Alex. VII. ſunt viro Catholico indigna*. Debet eſſe commune.

8 Probatur prima pars. Silentium obſequioſum eſt manifeſtus error contra fidem, & ſcandalum grande fidei ex Gerſonio de *exam. doctr. conſiderat. 2.* ergo obſequioſum Janſenianum ſilentium eſt viro Catholico indignum. Conſequentia ſequitur. Nam tale ſilentium fidei repugnat. Quoniam id præſtat, ut mente hæreſis foveatur, & retineatur error. Importat enim, ut propoſitiones in ſenſu obvio, nativo, & germano Janſenii ex ejus libro excerptæ ab Apoſtolica Sede damnatæ, non ut hæreticæ interiùs, ſed Catholicę credantur; & ſatis ſit, ut ob reverentiam Sedi Apoſtolicæ debitam taceatur, hoc eſt, exteriùs deinceps propoſitiones non admittantur, nec ut innocentes à cenſura, verbo, & ſcripto defendantur. Hujuſmodi verò ſilentium Janſeniani ſpôdent, quia cenſent Romanum Pontificem in damnatione textus Janſeniani immunem ab errore non fuiſſe, & textum eſſe Catholicum. Hoc autem eſt contra fidem errare, ſiquidem eſt idem, ac judicare falſas eſſe, & mendaces promiſſiones Chriſti, quibus Romanis Pontificibus aſſiſtentiam ad infallibiliter definiendum in materia fidei, & religionis promiſit. Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam*. Lucæ 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Joan. 14. *Paraclitus Spiritus Sanctus docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia*.

Dicunt. Infallibilitas eſt promiſſa, & tradita Romano Pontifici pro deciſione quæſtionum Juris, non verò Facti. Quæſtio Facti eſt: an *propoſitiones Janſenii excerptæ ſint ex libro, qui nomen Janſenii in fronte habet, quique ab eo conſcriptus dicitur?* Item, an *ſenſus obvius Janſenii ille ſit, quem verba præſeferunt?* Quæſtio verò Juris, *an hæreticus ſit obvius ſenſus propoſitionum?* Hinc ajunt, obſequioſo ſilentio adjungendam eſſe fidem circa dogmata; Factis autem ſatisfieri obſequioſo ſilentio. Dogmatibus fidem, Factis animi venerationem exhibent.

9 Contra I. *Capite 6.* probatum eſt Pontificibus conceſſum eſſe privilegium infallibilitatis, etiam circa quæſtiones Facti connexas cum Jure, ſeù dogmate fidei: ergo circa definitiones Facti dogmatici non eſt ſatis illa animi ſubjectio, ſed neceſſe eſt, ut internus aſſenſus definitioni præſtetur, & credatur hæreticitas textus Janſeniani à Romana Cathedra definita, prout diximus *d. cap.*

10 Dices. Non eſt revelatum propoſitiones in obvio ſenſu Janſenii contineri in ejus libro, ex eo excerptas: ergo Sedes Apoſtolica non poteſt ad fidem circa id compellere, ſed ſufficit intimam animi ſubmiſſionem exhibere, adeòque ſilentium.

11 Contra. Ibi *nu. 39.* diximus totum hoc complexum: *propoſitiones excerptæ ex libro Janſenii in obvio ſenſu ſunt hæreticæ*, debere fide divina credi. Pariter, quòd ubi ſeorſim proponitur hoc totum: *propoſitiones ſunt excerptæ ex libro Janſenii: Senſus obvius eſt, quem verba præſeferunt*, eſt infallibili certitudine tenendum ob auctoritatem Sedis Apoſtolicæ: ergo non ſufficit illa intima animi ſubmiſſio, & ſilentium, ut Conſtitutionibus obedientia Chriſtiana exhibeatur. Quinimò, quando huic aſſenſus internus negaretur, ſequeretur, quod ibi ponderavimus.

12 Denique. Dicant Janſeniſtæ, quo revelatum ſit, quod hoc Factum, hoc eſt, voces propoſitionis Arianæ: *Verbum non eſt æquale Patri*, ſignificent potiùs ſenſum, quem habuit Arius, quàm alium diſparatum? Hoc ſanè à revelatione non pendet, ſed habetur ex inſtitutione linguæ, & Grammaticæ, ac ab Auctoribus vocabulariorum, qui illis vocibus tale dederunt ſignificatum; & tamen hoc non impedit, quin illa propoſitio, utpote contraria divinis eloquiis, ſit hæretica; ratio eſt, ut notat Luccheſinius *lib. 3. p. 2. §. 5.* quia illud eſt de genere Factorum prorsùs inſeparabilium ab Jure. Ita in quavis definitione Pontificia, & Conciliari ſupponitur ſignificatio verbis ab Inſtitutoribus data, nec impedit definitionum infallibilitatem. Sic à pari Factum iſtud, *propoſitiones ſunt excerptæ ex libro Janſenii: ſenſus obvius eſt, &c.* infallibilitatem definitionis circa Jus non tollit, ſed ei ſupponitur, & cum ſententia pronuntiata connectitur.

13 Contra 2. Negata Pontifici infallibilitate circa quæſtiones dogmaticas decidendas, nullus finis erit in controverſiis fidei. Nam ponamus Pontificem rem aliquam definire V.G. *Lutherum non eſſe à Deo miſſum*, facillimè poterit quis definitionem evertere, opponendo, hìc involvi quæſtionem Facti: ſcilicet, *an Lutherus extiterit: hanc non eſſe quæſtionem fidei*; & inde Pontificem limites ſuæ auctoritatis exceſſiſſe. Dicendum autem non eſt controverſias, quæ circa fidem, excitantur eſſe æternas, & inſolubiles: ergo, &c.

14 Deinde. Pontifices non modò infallibiles ſunt in iis, quæ ad fidem pertinent, & circa controverſias, quæ conducunt ad ſervandum fidei depoſitum, ut ex D. Thoma *quolibet 9. art. 16.* dicente: *Divinæ providentiæ eſt, ut Eccleſiam ſuam Spiritu Sancto dirigat, ut non erret, ſicut propoſuerat.* Joan. 14. ergo omnimoda certitudine affirmandum eſt propoſitiones fuiſſe *ex libro Janſenii excerptas*, ac damnatas *in ſenſu Janſenii*, prout Alexander declaravit, & definivit. Quamvis quis non teneatur illud Factum ſeorſim acceptum fide divina credere, utpote non revelatum, ut idem ſcribit *p. 3. lib. 2. §. 2.* Tamen admitti debet certitudine omninò infallibili, licèt infra fidem, veritas illius Facti; & credendum eſt fide ſupernaturali, *hæreticum eſſe ſenſum, & doctrinam obviam quinque propoſitionum Janſenii, à contextu voluminis ejuſdem explicatarum*, ex eodem *lib. 3. p. 2. §. 8.*

15 Probatur 2. Obſequioſum ſilentium fuit improbatum à Concilio Chalcedonenſi: ergo eſt indignum viro Catholico. Antecedens patet: nam ut diximus *cap.*

prior.

prior.nu.24. Patres non fuerunt contenti, quod Theodoretus circa hęreſim Neſtorianam intima animi ſubmiſſione ſe contineret, vel lingua, ſeù ſcripto exteriùs illam non defenderet, ſed exegerunt, ut clarè Neſtorio, ejuſque dogmatibus anathema diceret; quem ſuæ ſedi non reddidere, niſi poſtquàm Neſtorium expreſsè damnavit. Hic Theodoretus non reſpondit, ſe quantùm ad Jus credere omnia, quæ oportet; quantùm verò ad Factum ſe continere obſequioſo ſilentio, ſed expreſsè. Neſtorium anathematizavit.

Ab Iba pariter Concilium poſtulavit, ut anathematizaret Neſtorium, ejuſque dogma, prout ipſe *act.11* non diſtinguens Factum ab Jure, tam Neſtorio, quàm ejus doctrinæ decies millies anathema dixit, & ex tunc declaratus eſt innocens, & ſuo Epiſcopatui reſtitutus.

Quocirca obſervatur, Patres à Theodoreto, & Iba non exegiſſe tantùm obedientiam extrinſecam, ſed intrinſecam pariter credendo internè hęreticitatem, tam doctrinæ, quàm Neſtorii: Quoniam non mendacium, aut fictam locutionem requiſiverunt. Item, poſtularunt anathema abſolutum pertinens tam ad Facti, quàm Juris controverſiam.

Dicunt. Apoſtolica Sedes proſcripſit propoſitiones quinque in obvio ſenſu ſumptas in abſtracto, præſcindendo à libro Janſenii. Ita in Patrum libris plures repeRiuntur propoſitiones, quæ ſeorſim ſumptæ malè ſonant, & in abſtracto proſcribuntur, non tamen in concreto. Indeque deducunt adſtringi ſolùm ad fidem exhibendam, quòd propoſitiones illę in abſtracto ſint hæreticæ, non verò in concreto, & prout in libro Janſenii, vel ab eo aſſertæ.

16 Contra. Omninò patet propoſitiones illas eſſe ab Apoſtolica Sede confixas non in abſtracto, ſed in obvio ſenſu, quem habent in concreto in libro Janſenii. Ita Alexander *d.conſtitut. Ad Sanctam* definivit, *eas excerptas eſſe ex libro Janſenii; ac in ſenſu ab eodem Cornelio Janſenio intento damnatas* (ab Innocentio X.) *fuiſſe*; & iterùm ipſe damnavit. In *Conſtitut. Regimini.* Formularium edidit ſubſcribendum, ut infra. *Ego N. Conſtitutioni Innocentii X. & Alexandri VII. Summorum Pontificum me ſubiicio, & quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo reiicio, ac damno, & ita juro; ſic me Deus adjuvet, & hęc Sancta Dei Evangelia.* Ac ſi jurans dicat à Deo nunquàm adjuver, & hęc Dei Sancta Evangelia in die Chriſti in meam damnationem inſurgant, ſi tantillum dubitem de hæreticitate quinque propoſitionum, ſicut proprius, & germanus ſenſus, quem Auctor in textu habet, exprimit.

Innocentius XII. per Breve ad Epiſcopos Belgii præcipit, ut, qui ad juramentum tenentur, illud præſtari debeant, ſincerè, & abſque ulla diſtinctione, reſtrictione, ac expoſitione, damnando eas propoſitiones *ex libro Janſenii excerptas, in ſenſu obvio, quem ipſa propoſitionum verba præſeferunt, prout ſenſum illum damnarunt Summi Pontifices prædeceſſores noſtri, damnatumque haberi voluerunt à Chriſti Fidelibus.*

Clemens XI. feliciter regnans *Conſtitut. Vineam Domini* edidit adversùs aſſerentes: *Ad obedientiam præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janſeniani libri ſenſum in antedictis quinque propoſitionibus, ſicut præmittitur, damnatum, interiùs hæreticum damnet; ſed ſatis eſſe, ſi ea de re obſequioſum* (ut ipſi vocant) *ſilentium teneatur: declaravit, ſtatuit, & ordinavit, obedientiæ, quæ præinſertis Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minimè ſatisfieri; ſed damnatum in quinque præfatis propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum, quem illarum verba præſeferunt, ut præfertur, ab omnibus Chriſti Fidelibus, ut hæreticum: non ore ſolùm, ſed & corde reiici, ac damnari debere: nec alia mente, animo,* aut,

credulitate ſupradictæ formulæ ſubſcribi licitè poſſe. Expreſſius ne decidere poterat propoſitiones eſſe damnatas non in abſtracto, & præſcindendo à libro Janſenii, ſed in obvio ſenſu, quem in concreto in eo libro habent? Propterea ad ſatisfaciendum Conſtitutioni obſequioſum ſilentium ſatis non eſt, cùm illud tenentes interiùs non judicent Janſenii librum eſſe hæreticum: ergo libri ſenſus in concreto res eſt ipſiſſima, circa quam in Conſtitutione declaratur, *obſequioſo ſilentio minimè ſatisfieri*.

17 Nec urget exemplum in inſtantia productum. Nam ideò quamplures propoſitiones in libris Patrum Sedes Apoſtolica non proſcripſit in concreto, vel prout in ipſorum libris explicantur, ſed ſolùm aliquando cenſuram tulit de illis in abſtracto acceptis (vel, etiam in diverſo concreto, hoc eſt, prout in hæreticorum libris reperiuntur, in ſenſu pariter hæretico explicatæ) quia patet in concreto earum ſenſum improbum non eſſe, quatenus contextus totius doctrinę oſtendit eoſdem Patres Catholicè ſenſiſſe; quod obſervari nequaquam poteſt in quinque Janſenii propoſitionibus, quarum ſenſus obvius, & proprius, quem in ejus libro habent, eſt hæreticus, & ab ipſius libri contextu explicantur, & confirmantur in hæretico ſenſu.

Dices. Eſt divinare, quòd Janſenius mente ſenſum hæreticum habuerit, potuit enim catholicè ſentire, & nihilominus cupidus famæ comparandæ per novæ Sectę inſtitutionem voluerit ſententias hæreticas ſcripto tradere: ergo quis non tenetur credere hæreticitatem propoſitionum in ſenſu Janſenii.

R. Quando Sedes Apoſtolica proſcripſit propoſitiones in ſenſu ab Janſenio intento, non reſpexit ad ſenſum internum, quem potuit Janſenius in mente habere, non extra manifeſtatum, ſed ad eum, quem verba litteraliter præſeferunt, ut dictum eſt *cap.cit.nu.33.*

18 Etenim Factum dogmaticum, ſcilicet connexum cum dogmate Fidei, non appellatur id, quod in mente retentum Janſenius habuit. Nam Eccleſia non judicat de facto merè perſonali, quod in intima, & arcana alicujus mente repoſitum eſt: *cùm non judicet de occultis, quæ ſoli Deo cordium ſcrutatori innoteſcunt*, ut dixit Innocentius XII. in d. Brevi ad Epiſcopos Belgii contra Janſenianos. Hinc, ut de hæreticitate mentis alicujus auctoris judicet, oportet, ut externis ſignis voce, vel ſcripto manifeſtetur. Ideò quamtumvis intimus ſenſus Janſenii fuiſſet Catholicus, hæreticus tamen habendus eſt ſenſus, & doctrina libri, qui nomen Janſenii portat; & qui (licèt ab alio potuerit eſſe conſcriptus) Janſenio attribuitur, & Janſeniani non inficiantur eſſe Janſenii, immò pro eo acriter pugnant, etenim hæreticitatem illius verba manifeſtè important. Quare Factum dogmaticum in eo ſtat, quod *quinque propoſitiones in ſenſu obvio, & germano textus ſint excerptæ ex libro Janſenii*. Hoc Factum connectitur, & prſupponitur ad dogma per dicta *cap.cit.num.23.* & ad decretum Pontificium, quo definitum eſt, *quinque propoſitiones, excerptas ex libro Janſenii in obvio verborum ſenſu, ab eo intento, eſſe hæreticas*.

19 Probatur ex Auguſtino *Epiſt.191.ad Sixtum* (poſteà Romanum Pontificem) ubi manifeſtiſſimè carpit ſilentium Janſenianum, dicens: *Nec illi negligendi ſunt, qui uſque ad profundum ſilentium ſupprimuntur timore, quod ſentiunt, ſed tamen eamdem perverſitatem ſentire non deſinunt*. Quod repetit *Epiſt.194.ad eumdem cap.1. Sunt, qui omninò ſiluerunt magno timore compreſſi, ſed adhuc corde retinent, quod ore jam proferre non audent; qui tamen eſſe poſſunt fratribus ex priore ipſius dogmatis defenſione notiſſimi*. Expreſſiùs alia Auguſtinus non pronuntiaſſet, ſi ſuo tempore Janſeniani fuiſſent. Mirandumque eſt, quod ipſi litteram Auguſtini non noverint, & ita ab eo ſilentium, quod defendunt, improbari. Quin etiam ſibimet repugnare videntur. Affirmant

mant opera Auguſtini in omnibus ſanam doctrinam continere, & tamen adversùs S.Doctorem obſequioſum ſilentium tueri non deſiſtunt.

20 Probatur 2. pars. Praxis jurandi, quam Janſeniani in caſu ſervant, eſt, quòd mente, & internè certò non credant hæreticitatem quinque Janſenii propoſitionum, quamvis eas ore damnent; ſed hæc praxis eſt ab Eccleſia proſcripta: ergo eſt viro Catholico indigna. Circa majorem dubium nullum eſt. Minor conſtat, tum ex *d.Conſtit.Vineam*, ubi ſupra *num.*16.tum ex litteris ejuſdem Clementis in forma Brevis datis 13.*Februar.*1703. ad Regem Galliæ, & Cardinalem de Noailles, quibus proſcripſit libellum, cui titulus *Cas de coſcience' propoſe per un Confeßaur, &c.* In quo Auctor hæc omni cenſura digna dixit: *Clerico, qui ſubſcripſit formulæ Alexandri ſufficere obſequium, quod vocant ſilentii, & reverentiæ: ex quo ſequitur licere ipſi aliter de hoc ſentire, quàm ab Eccleſia definitum eſt: intus credere Eccleſiam in ea re definienda, nempè in damnando Janſenii libro, & ſenſu erraſſe, falsò hereſim tribuiſſe Janſenio:*

21 Confirmatur. Illa praxis favet mendacio: quandoquidem aliud ore dicitur, & aliud mente retinetur; ore deteſtantur propoſitiones Janſenii, ut hæreticæ; ſed mente hæreticæ non creduntur, ideò ſcienter falſum dicitur cum voluntate fallendi, & decipiendi Eccleſiam, quod eſt mentiri juxta Auguſtinum *contr.mendac.ad Conſentium cap.*12. Quod ſemper eſt illicitum, & nunquàm in doctrina religionis exhibendum ex S.Doctore *lib. de mendac.c.*10.ergo eſt viro Catholico indigna, non minus ac viros, etiam non Catholicos, non decet ulla ratione mentiri.

22 Hoc quoque titulo reiicienda eſt, quòd ea graviſſima injuria divinæ auctoritati irrogetur; quoniam ore adducitur in teſtimonium, quòd propoſitiones Janſenii ſint hæreticæ, & mente reſpuitur. Item. Janſeniani perjurant; nam jurant de re, quam mente putant eſſe falſam; vel, jurant cum reſtrictione mentali, quod prohibuit Innocentius XI.in damnatione propoſitionum, & Innocentius XII. & Clemens XI. ubi ſupra. Tum quia, hìc ſumus in re ſpectante ad fidem, in qua penitùs ſunt interdictæ locutiones Amphibologicæ, & cum reſtrictione mentali, ut dixi *Caut.Confeſ.lib.*2.*cap.*17.

Probatur 3. Virum Catholicum non docet Eccleſiæ præcipienti ſincerè, & ex animo non obedire; ſed Janſeniani ea praxi jurandi, ſincerè, & ex animo Eccleſiæ non obediunt: ergo, &c. Probatur minor Eccleſia præcipiens, ut Formulæ ſubſcribatur, & jurejurando, ut hereticæ damnentur propoſitiones Janſenii, poſtulat, ut juramentum ex animo, & ſincerè exhibeatur circa hereticitatem textus Janſenii in ſenſu, qui legenti ſtatim occurrit. Neque enim ſolam obedientiam externam exigit, ſed externam obedientiam cum interna fide, & credulitate de hereticitate illarum propoſitionum; ſed hac forma Janſeniani non jurant: ergo Eccleſiæ obedientes non ſunt.

23 Confirmatur. Ideò Janſeniani ea praxi utuntur, quia cenſent propoſitiones damnatas, in ſenſu Janſenii hæreticas non eſſe. Hoc verò ideò judicant, quia cenſent Pontifices in illarum damnationem non fuiſſe immunes ab errore. Atqui hoc judicium eſt indignum viro, qui ſit profeſſione Catholicus. Tunc enim cogitur aſſerere I. Eccleſiam eſſe impiam; cùm impium ſit exigere juramentum, quo affirmetur hereticitas alicujus textus, qui ſecundùm ſe ſit maximè purus. II. Nullam in Eccleſiam eſſe vivam regulam infallibilem ad definiendas fidei controverſias.

24 Hæc ſunt connexa, & in neceſſariam conſequentiam veniunt ad inſaniſſimam perſuaſionem, qua Janſeniani ſibi perſuadent Pontifices in damnatione propoſitionum Janſenii erraſſe; & cùm exegerant, ut verbis Formularii cum juramento ſubſcriberetur, non præcepiſſe fidem in-

internam, quòd crederetur hęreticitas textus Janſeniani in ſenſu, qui patet ex ipſius libro; quam profectò niſi credant, quantumvis externam juramenti actionem ponant, mandatis Eccleſiæ, ut oportet, non parent. Ideò & ore, & corde debent credere, quod hæreticus ſit ſenſus, & doctrina propoſitionum ex Janſenii libro excerptarum.

25 Addo. Falcem ad radicem poſuit idem Clemens in *d. Conſtit. Vineam*. In qua temeritas Janſeniana exagitatur, & praxis præjacta proſcribitur ibi. *Quin etiam eò impudentiæ nonnullos deveniſſe compertum eſt, ut veluti naturalis boneſtatis, nedum Chriſtianæ ſinceritatis obliti, aſſerere non dubitaverint, præfatæ Formulæ à memorato Alexandro Prædeceſſore præſcriptæ, ſubſcribi licitè poſſe, etiam ab iis, qui interiùs non judicant prædicto Janſenii libro doctrinam hæreticam contineri, quaſi verò, contra quàm ſcriptum eſt*: Qui loquitur veritatem in corde ſuo; *&*, qui jurat proximo ſuo, & non decipit: *hujuſmodi erroribus Sectatoribus liceat Eccleſiam ipſam jurejurando decipere, ſimulque Apoſtolicæ Sedis providentiam fallere, dum ejuſdem Formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Eccleſia loquitur; quod tamen ſentit ipſa, non ſentiunt: ſeque parere Conſtitutionibus Apoſtolicis profitentur, quibus animo contradicunt*; & infra, ſtatuit, & declarat *non ore ſolùm*, ſed *& corde reiici, ac damnari debere* (damnatum in quinque præfatis propoſitionibus Janſenii libri ſenſum, quem illarum verba præſeferunt, ut hæreticum) *nec alia mente, animo, aut credulitate ſupradictæ Formulæ ſubſcribi licitè poſſe*. Hic Sanctiſſimus Paſtor, & omnem reſtrictionem mentalem debere à ſubſcribentibus Formulæ eſſe alienam decernit; & abſurdam praxim eorum proſcribit, qui lingua quidem deteſtantur propoſitiones excerptas ex libro Janſenii in ejuſdem Janſenii ſenſu, ſed animo id ipſum negant, ſtatuentes apud ſe nequaquàm eas extractas à volumine Janſenii, nec ullam iiſdem ſubeſſe hæreſim in ſenſu Janſenii, ſed ſolùm hęreticas cenſeri poſſe in ſenſu Calvini.

Item. Formularium Alexandri confirmavit Innocentius XII. 28. *Januarii* 194. contra quod diſputare interdixit, & prohibuit afferri, & uſurpari *quoſcumque alios ſenſus præter eum, quem in ſenſu obvio ipſius verba exhibent*, & de his vetuit lites, & quæſtiones moveri, ut infrà *num. 36*.

Dicunt. Non eſt in Poteſtate Pontificum condere novos articulos fidei, ut ſcribunt Theologi: ergo non eſt fide ſupernaturali credenda hęreticitas ſenſus in libro Janſeniano. Nam cùm liber hic ſit ſcriptus poſt Apoſtolorum mortem, ſi de fide eſſet ſenſum illum eſſe hæreticum, jam Apoſtolica Sedes novum fidei articulum condidiſſet.

26 Contra. Duplici modo accipi poteſt Papam condere novum articulum fidei. Primò, quatenus aliqua propoſitio, quæ ante determinationem, & definitionem Papæ explicitè non credebatur fide divina, & poſt credenda eſſet. Secundò, quatenus poſſit declarare, aut proponere aliquid de fide credendum ob aliquam novam revelationem, quæ fieret ipſi, quod nec in generali, nec in particulari fuit revelatum ante à Chriſto Apoſtolis ſive explicitè, ſive implicitè. In ſecundo ſenſu concordant Theologi non eſſe Pontificibus auctoritatem condendi novos articulos fidei, traditam; qui eſt, & fuit ipſorum Pontificum, & Eccleſiæ ſenſus. Habetur enim ex praxi, & uſu Pontificũ, & Conciliorum; nunquàm verò tentaverunt proponere aliquid de fide divina credendum novæ revelationi innixum, ſed cùm dubitatum eſt de aliquibus veritatibus fidei, uſi ſunt diligentia ſcrutandi Scripturas, & Traditiones in Scriptis Patrum de re decidenda, tanquàm de fide. Lege *contr. 3. cap. 1.*

In primo verò ſenſu negari non poteſt in Pontificibus poteſtas condendi novos articulos fidei, & ſæpè ipſi in eo ſenſu plures condiderunt; aliàs ſanè auctoritas infalli-

fallibilis à Deo ipſis conceſſa ad determinandas fidei controverſias eſſet inutilis, & fruſtranea. Quare cùm Cathedra Apoſtolica definivit, & propoſuit hæreticum eſſe propoſitionum Janſenii, & Janſeniani libri ſenſum non doctrinam de novo revelatam propoſuit, ſed propoſuit, & definivit eum repugnare doctrinæ, de gratia, & libertate ad meritum neceſſaria à Chriſto Apoſtolis revelatæ.

Neque obſtat, quòd volumen Janſenii conſcriptum ſit poſt tranſitum Apoſtolorum. Nam quòd doctrina, quam Janſenius aſſeruit ſit falſa, fuit à Chriſto Apoſtolis revelatum, non ſub explicita reduplicatione, ut à Janſenio aſſerta, ſed in univerſali, nimirum, quod falſa, & hęretica ſit doctrina, à quocumque aſſeratur, quæ repugnat revelationi, qua revelatum eſt *præcepta Dei non eſſe impoſſibilia: ad meritum requiri libertatem indifferentiæ, &c.* Ideò ſecundùm ſe, & implicitè ſemper propter auctoritatem Dei erat, ut hæretica credenda; & quoad nos, ac ut ab iſto, vel illo aſſerta, explicitè credenda eſt hęretica, dum Pontifex eam proponit eidem revelationi repugnare, & ut hæreticam damnat.

Dicunt 2. Propter Conſtitutionem Clementis XI. qua declaravit non ore ſolùm, ſed & corde reiiciendum eſſe tanquàm hęreticum quinque propoſitionum Janſenianum ſenſum, illum videlicet, quem obvium exhibent ipſę propoſitiones, ac explicat volumen Janſenio attributum, præſtandus eſt eidem veritati aliquis interior aſſenſus; ſed negant neceſſarium eſſe, ut divina, adeòque infallibili, & nunquàm in dubium revocanda fide, cenſeatur hæreticus ſenſus Janſenianus; adeòut ad obediendum Pontifici ſatis ſit, ut hic aſſenſus ſit moraliter certus; quo pacto certum eſt, quòd ex hoc potiùs Patre, quàm alio nati ſimus; quod conſecrata ſit hoſtia, quam à populo adorari conſpicimus.

27 Contra. Adhuc filii perditionis effugia requirunt ad eludenda Apoſtolica Reſcripta, proinde tum Apoſtolicæ Sedi, tum Eccleſiæ adhuc rebellant. Etenim Apoſtolica Sedes non qualencunque aſſenſum periculo falſitatis expoſitum requirit, ſed omninò certum, & cui error nullatenus ſubeſſe poſſit. Textus Conſtitutionis in hoc caput collimat, ut nimirùm fide ſupernaturali credatur, quòd hæreticus ſit proprius, genuinus, germanus, & obvius ſenſus propoſitionum Janſenii. Quæ fides præſtari debet ab jurantibus ad præſcriptum Formulæ Alexandrinæ; *& qui aliter ſenſerint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel ſcripto docuerint* ſubiiciuntur à Clemente cenſuris, & pęnis in jure latis contra hæreticos; prout iiſdem fuerunt ſubjecti ab Innocentio X. & Alexandro VII. Sub aſſenſu verò moraliter certo, quem Janſeniani admittere deprædicant, falſitas eſſe poteſt; quod quidem inficiari non audent, & ſupponunt in allegatis exemplis. Quinimò, cum aſſenſu illo, quem vocant moraliter certum, componunt judicium dubitandi de hæreticitate ſenſus Janſenii; immò & poſitivè ſentiendi hæreticum non eſſe; ſiquidem ſemper exclamarunt ſibi ab Apoſtolica Sede imperari non poſſe, ut certò infallibiliter crederent eſſe hæreticas quinque propoſitiones in ſenſu Janſenii: ergo nec modò id credunt, vel judicant, ſed opinantur id ad minus poſſe eſſe falſum; cùm adhuc affirment non eſſe auctoritatem in Apoſtolica Sede ad certò, & infallibiliter proſcribendas, ut hæreticas propoſitiones in ſenſu Janſenii, minuſque ad jubendum, ut fide certa, & nunquàm revocanda de hæreticitate textus Janſeniani, hæreticus credatur. Propterea aſſenſu illo moraliter certo nunc ac anteà pejerant.

Dicunt 3. Se non poſſe urgeri ad jurandum in hęreticitatem textus Janſeniani, quia Apoſtolica Sedes non decrevit ſe eſſe immunem ab erroris periculo in ea hæreticitate dijudicanda, ſed eam reliquiſſe inter ea, de quibus non certiſſimè conſtar,

ſtat, & juramentum debet omnem dubitationem excludere.

Contra. Hæc Clemens in ſua Conſtitutione poſuit: *Cauſa finita eſt, non tamen, ut par erat, finitus eſt error*. Quare finita? quia Sedes Apoſtolica abſque erroris periculo judicavit: ergo Janſeniani nullum aliud jus examinis prætendere poſſunt. Sicut de Pelagianis dixit Auguſtinus *libr. 3. contr. Julianum cap. 1. nu. 5. Quamvis dederit vobis Eccleſia Catholica judicium, quale debuit, ubi cauſa veſtra finita eſt*. Et ſi quæratur quodnam ſit hoc judicium? ex Auguſtino dicitur fuiſſe illud Sedis Apoſtolicæ: *Serm. enim* 131. *de verb. Evangel. Joan.* 16. in fine ſcribit. *Jam enim de hac cauſa* (contra Pelagianos) *duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: inde etiam reſcripta venerunt: cauſa finita eſt: utinam aliquando finiatur error:* Hæc Janſenianis vim quidem facere debent, neque eorum conſcientia jure poteſt, aut debet reclamare contra veritatem Pontificiæ definitionis.

28 Contra 2. Ergo, eo periculo poſito, fatendum eſt, Formulam Alexandrinam eſſe inſtrumentum ſine controverſia tyrannicum. Nam Sedes Apoſtolica compelleret ad temerè jurandum in rem incertam. Quis autem non horreat hoc audire?

29 Contra 3. Statim ac Pontifex quidquam ſpectans ad fidei, & morum doctrinam definit, & facto, & ex divinis promiſſionibus conſtat eum non poſſe errare. Unde, qui putaret non eſſe hæreticas quinque Janſenii propoſitiones à Sede Apoſtolica proſcriptas, apertè convinceretur eſſe contra illius infallibilitatem, jurique divino ſe opponeret, præcipienti, ut ipſam habeamus tanquàm regulam viſibilem, Spiritus Sancti regimine præmunitam, ne in his poſſit Eccleſiam decipere, eamque alienam reddere à certo veritatis tramite. Atque ita definiens hæreticas propoſitiones Janſenii, hæreticitatem non reliquit inter ea, de quibus non certiſſimè conſtat, ſed divino præcepto credendum eſt eſſe hæreticas.

30 Quod de doctrina, cujus examen inſtitutum eſt à Cathedra Petri dubitandum non ſit, dixit Auguſtinus *lib. 2. oper. imperf. contr. Julianum n. 103. Quid adhuc quæris examen, quod jam factum eſt apud Apoſtolicam Sedem?* Et infra: *damnata ergo hæreſis ab Epiſcopis, non adhuc examinanda, ſed coercenda eſt à Poteſtatibus Chriſtianis:* ergo ineptiſſimè Janſeniani dubitant de hæreticitate textus à Sede Apoſtolica damnati, ut hæretici.

Adversùs quos per optimè facit, quod ibi addit S. Doctor: *excurre*, inquit, *quò volueris, remorare quantum volueris, multiplica gyros tuos quaquaverſum volueris; quandocumque ad eadem verba veritatis, navis fallaciarum tuarum pervenerit, ſine dubio naufragabis*. Ita naufragabunt Janſeniani, ſi definitionem Apoſtolicæ Sedis circa propoſitiones Janſenii non receperint. *Evigilent* itaque, & audiant Apoſtolicam Sedem, & *deſinant inſidiari veritati*, ut Donatiſtas hortatur Auguſtinus *Epiſt. 53. ad Generoſum*.

31 Nec dicant propoſitiones Janſenii non ab Epiſcopis fuiſſe damnatas, ſed ab uno, Summo nimirum Pontifice. Nam id item apponebant Donatiſtæ adversùs ſententiam Melchiadis Papæ in cauſa Cæciliani (quem priùs damnaverat Concilium ſeptuaginta Epiſcoporum in Africa, & Auguſtinus *Epiſt. 43. ad Glorium capit. 5.* ſcripſit: *Non numerum numero, ſed pondus ponderi comparate*. Ita Janſeniani non numerum judicantium debent attendere, ſed pondus auctoritatis Romani Pontificis, qui ſolus eſt viva regula definiendi infallibiliter controverſias fidei, etiam extra tempora Conciliorum, per dicta *capit. prior.*

Opponunt contra primam partem. Silentium eſt à Sede Apoſtolica approbatum, prout patet. Primò. Cùm Cyrus Patriarcha Alexandrinus diceret unam tantùm in Chriſto Domino fuiſſe operationem, duas verò aſſereret Sophronius Jeroſolymitanus, metuens Honorius I.

ne contentio graviſſimum in Eccleſia ſchiſma paritura eſſet, cenſuit intactam poſſe ſervari fidem abſque uſu vocis *geminæ*, vel *unius operationis*; ideò ſcripſit ab eo abſtinendum eſſe.

Secundò. Pius II. *Conſtit. Ineffabilis XI. Bullar.tom.1.* Silentium impoſuit, ne ampliùs diſputaretur, an Sacratiſſimus Sanguis Domini Noſtri Jeſu Chriſti in triduo Paſſionis diviſus fuerit, vel non, ab ipſius ſanctiſſima humanitate.

Tertiò. Innocentius XII. in Brevi ad Epiſcopos Belgii *6. Febr.1694.* ad præcavendas omnes diſſidiorum cauſas perpetuum ſilentium impoſuit circa interpretationem Formularii Alexandrini: ergo tantùm abeſt, quòd ſilentium obſequioſum Janſeniſtarum ſit viro Catholico indignum, ut potiùs à Catholicis ſit ad praxim reducendum. Ideò, ut quis Conſtitutionibus emanatis adversùs quinque Janſenii propoſitiones pareat, ſatis eſt, ut externè pacem non perturbet, linguam coerceat, & ſcriptis illas non impetat.

32 R. Negatur antecedens de Janſenianorum ſilentio: Licèt enim quandoq; ſilentium ſufficiens eſſe poſſit, ſaltem pro foro externo, cùm nimirum non urgeat præceptum loquendi, nunquam tamen per illud adimplebitur præceptum tenendi intus, quod tenet Eccleſia, niſi extet ſincera animi ſubjectio, perfectaque mentis conformitas cum definitionibus Pontificiis; quæ ſubjectio deeſt in ſilentiariis Janſenianis, quibus mandatur, ut intùs, & mente credant hæreticitatem quinque propoſitionum Janſenii in ſenſu obvio ab eodem intento. Ita Innocentius X. qui primò illas propoſitiones proſcripſit *in d. Conſtit. Cùm occaſione*, inquit: *Mandamus omnibus Chriſti Fidelibus utriuſque ſexus, ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac præſenti noſtra declaratione, & definitione continetur, ſub cenſuris, & pænis contra hæreticos, & eorum fautores injure expreſſis.* Alexander VII. *allegat.Conſtitut.Ad Sanctam* edita adversùs *affirmantes quinque propoſitiones excerptas non eſſe ex libro Janſenii: nec in ſenſu ab eodem intento damnatas*, habet: *mandantes omnibus Chriſti Fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo, vel ſcripto exponant, vel interpretentur, publicè, vel privatim, palàm, vel occultè imprimant, ſub pænis, &c.* Et Clemens XI. præcit. *Conſtit.Vineam*, obſequioſum ſilentium damnavit, *ut quævis in poſterum erroris occaſio pænitus præcidatur, atque omnes Eccleſiæ Catholicæ Filii Eccleſiam ipſam audire, non tacendo ſolùm* (nam & impii in tenebris conticeſcunt) *ſed interiùs obſequendo; quę vera eſt orthodoxi hominis obedientia, condiſcant.* Et infra; *ita ut qui ſecus, aut contra, quoad hæc omnia, & ſingula ſenſerint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel ſcripto docuerint, aut aſſeruerint, &c.*

33 Hic Pontifices apertè actionem externam expreſſam verbis, *prædicare, docere, imprimere*, vel *aſſerere* diſtinguunt ab interno aſſenſu, quem iſtis *tenere*, & *ſentire* ſignificant: ergo, ut Conſtitutionibus illis debita obedientia præſtetur, nedum ab externis actionibus abſtinendum eſt, illas non impugnando, verùm & mente, & ore credendum, & tenendum, quod illæ tenendum eſſe præſcribunt.

34 Ad 1. ex Honorio Janſenianis non favet. Optabant Monothelitæ, ut ſilentium imponeretur ſuper exiſtentia unius, vel duplicis voluntatis in Chriſto. Honorius in ſilentium propendit, non ut Monothelitis faveret; ſed ad pacis œconomiam, & ut materiam liti ſubtraheret, ſcripſit expedire, ut ab uſu geminæ operationis abſtineretur, ne ſuſpicari ullus poſſet duplicem cum Neſtorio perſonam admitti; nec adhiberetur terminus *unius* tantùm operationis, ne quis exiſtimaret unam tantùm naturam cum Eutychete affirmari. Verùm eſtò ſuſpenſionem vocum probaverit, duas tamen operationes æquivalentibus verbis dixit in ſecunda Epiſtola: *Utraſque naturas in*

uno

uno Chriſto unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus. Et *divinam quidem, quæ Dei ſunt operantem*: *& humanam, quæ carnis ſunt, exequentem*. Vide, quæ diximus *contr.6.cap.4*. Et Lucchesinium *cit.p.3. lib.1.§.9.*

35 Ad 2. Planè Pius II. ad obviandum ſcandalo, quod facilè poterat in mentibus Fidelium generari, præcepit, ut circa dictam controverſiam ſilentium ſervaretur. Subinde, ut inter Fratres Ordinum Prædicatorum, & Minorum pax, & religioſa Charitas ſervaretur, iiſdem præcepit, ne ullus aſſereret hæreticum, vel peccatum eſſe, tenere, vel credere ſanguinem in triduo paſſionis fuiſſe, vel non fuiſſe ſeparatum, donec ſuper deciſione dubietatis, & quid tenendum eſſet, fuiſſet *per Sedem Apoſtolicam definitum*. Unde patet diverſi generis hujuſmodi ſilentium eſſe ab eo, quod Janſeniani in contemptum Pontificiæ infallibilitatis evulgant.

36 Silentium, quod impoſuit Innocentius XII. hoc ſolùm reſpicit, ut diſtortę interpretationes Formulario non adhibeantur, nec de ſenſu diſputetur, in quo quinque propoſitiones ſint proſcriptę; omneſque alios damnat, eumque teneri mandat, quem ipſa verba per ſe exhibent; in quo propoſitiones à quovis ſunt damnandæ, ut ex lectura Brevis, & decreti SS. Inquiſitionis editi 28. *Januarii* 1694. Quid autem hoc ad ſilentium Janſeniſtarum?

Opponunt contra utramque. Pontifex nequit compellere, ut mente credatur hæreticitas quinque propoſitionum Janſenii; nam, conſentientibus Baronio, Bellarmino, & Petavio, non eſt immunis ab erroris periculo in Factis dijudicandis. Damnatio verò propoſitionum Factum includit: ergo, &c.

37 Reſp. Hìc Silentiarii deberent conticeſcere. Nam eſtò Bellarminus cum aliis Theologis dixerit Pontificem ſubjectum eſſe errori quoad Facta merè privata, & perſonalia, nullatenùs doctrinalia, quæ privato judicio decidit, poſtquàm inquiſitum fuit; *an hic, vel ille ſit dignus eligi in Epiſcopum?* vel *legitimè ſit promotus? utrùm deponi mereatur*, *&c.* Super quibus poſſunt teſtes falſum deponere; Nullus tamen Pontifici negavit privilegium infallibilitatis, quoad Facta dogmatica, & connexa cum jure, vel fidei, & morum doctrina, quorũ deciſio ab ejus Magiſtro toti Eccleſiæ proponitur. In horum definitionibus infallibilitate gaudet: Ejuſque decreta ſunt immutabilia, utpote circa materiam immobilem (ut eſt doctrina fidei, & morum, cum qua hęc Facta connectuntur) edita, Spiritu Sancto aſſiſtente, & dirigente. Quæ poteſtas videtur incluſa illis verbis: *paſce oves meas*. Quibus Salvator contulit Petro, ejuſque Succeſſoribus ſupremam poteſtatem Paſtoralem in ordine ad omnia, quæ ſunt neceſſaria ad optimum regimen Eccleſiæ; inter quæ eſt omnimodè neceſſarium, ut judicio falli neſcio poſſit diſcernere, & Ovibus ſuis ex Cathedra indicare loca, in quibus venenatæ herbæ naſcuntur: hoc eſt, Volumina erroribus in hoc, vel illo ſenſu referta. Paſtori enim ſatis non eſt, ut ovibus poſſit oſtendere ſalubres, aut noxias herbarum qualitates; ſed etiam neceſſe eſt, ut ſua voce poſſit oves revocare à locis, quæ pabula mortifera continent; eiſque ſignificare ipſa loca.

38 Conſideratur etiam quòd Eccleſia ratione ſui Capitis eſt *columna, & firmamentum veritatis*: *& portæ inferi* (errorum) *non prævalebunt adversùs eam*. Falſæ autem eſſent hæc Spiritus Sancti oracula, ſi denegaretur Pontifici infallibilitas in judicio Facti dogmatici, & dum pronuntiat de ſana, & vera fidei, & morum doctrina, etiam in hoc, vel illo libro contenta. Nam tunc poſſet Eccleſiæ proponere falſum, & Eccleſia teneretur magiſtro parere. Impoſſibile autem eſt, quòd oracula illa ſint falſa. Ergo & quòd falſum poſſit eſſe judicium Pontificis; qui Conſtitutiones editas circa propoſitiones Janſenii ad uni-

univerſam Eccleſiam direxit, præcipiens omnibus Fidelibus non aliter ſentire, quàm ipſæ præſcribant.

In qua re duo judicia Cathedra Petri pronuntiavit: alterum circa Factum dogmaticum; connexum cum jure: ut, *propoſitiones ſunt excerptę ex libro Janſenii, & ſenſus obvius ille eſt, quem verba præſeferunt*; alterum, circa Jus, hoc eſt, *propoſitiones excerptę ex libro in ſenſu obvio ſunt hæreticæ*. Nefas eſt de uno, vel altero dubitare, ſed interno aſſenſu debet quis definitioni ſe conformare.

Dices. Pontifex in ferendo tali judicio audivit Conſultores, & Theologos, à quibus fieri poteſt, ut decipiatur. Ita octoginta quinque Epiſcopi Galliæ in delatione dd. propoſitionum ad Apoſtolicam Sedem poterant Innocentium X. fallere: ergo & in judicio Facti dogmatici eſt poſſibilis error.

II. Non eſt certum Pontifices, & Conſultores aſſecutos eſſe veram intelligentiam verborum, quibus textus exprimuntur: ergo periculum erroris non abeſt.

III. Quòd Janſenius verè ſcripſerit librum, ex quo excerptæ ſunt propoſitiones, eſt Factum merè perſonale: potuit enim alius eum compoſuiſſe, & nomen Janſenii uſurpaſſe; prout plura opera, quę non ſunt Auguſtini, fuerunt illius nomine edita: ergo exigi non poteſt fides interna circa hęreticitatem textus Janſeniani.

39 R. Sanè Pontifex audit Theologos. Verùm, quia agitur de judicio ferendo circa doctrinam fidei, & morum, non illorum conſultationibus, ſed aſſiſtentiæ Spiritus Sancti definitiones Pontificis innituntur, juxta illud Actor. 15. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, &c.* Ideò, ubi ipſi errarent, à Deo Papa prę́ſervaretur ab errore. Propoſitiones ad Sedem Apoſtolicam detulerunt illi Epiſcopi, petentes ab illa examinari, & damnationem, quam Innocentius pronuntiavit, ubi cognovit ipſas repugnare textibus purę fidei, & in perniciem animarum cedere. Vide *cap. priori nu.* 27.

40 Ad 2. Nunquàm Implanatores ſilent. Quæſtio Facti eſt: *An Concilium Nicænum regulas grammaticæ, & ſignificata vocabulorum rectè aſſecutum ſit, nec ne, in eliquando propriiſſimo ſenſu ſymboli, & definienda equalitate Filii cum Patre contra Arium?* ergo de fide non erunt, quæ in Symbolo continentur, & Filium eſſe Patri æqualem? Ad hoc aſſeverandum compelluntur Janſeniani propter repetitos cavillos. Et ita quilibet Novator prætextu Facti Jus declinabit, & fidei regulam à Conciliis, & Pontificibus propoſitam per regulam grammaticæ deludet. Quapropter ex Pontificia definitione tam circa Factum, quòd *propoſitiones ſint excerptę ex libro Janſenii*, quàm circa Jus; quòd in *ſenſu obvio, & naturali verborum ſint hæreticæ*, certiſſimè conſtat in uſurpando ſenſu verborum erratum non eſſe, & verba eſſe accepta in ſenſu illis à grammaticis attributo: prout etiam dicitur de Nicęno.

41 Ad 3. Quòd libri auctor fuerit Janſenius, certò conſtat, tum ex publica fama, quæ dubitare non ſinit; tum ex illius confeſſione, cùm ipſum ſubmittat Apoſtolicæ Sedi; tum ex aſſertiva Janſeniſtarum, qui non ab altero fuiſſe editum propugnant, ac eum Catholicè ſenſiſſe tot captioſis argumentis contra Apoſtolicam Sedem pertinaciter certant. Ideò de eo non dubitatur, ſed ſupponitur. Quinimò Sedes Apoſtolica abſtinuit à judicio circa merum Factum; an *liber verè exaratus fuerit ab Janſenio: an Janſenius in tradenda doctrina hæretica fuerit pertinax*, per notata *cap. 6. nu.* 43. Sed proceſſit ad infallibilem ſententiam pronuntiandam, circa Facta hæc dogmatica cum Jure conjuncta. I. *Quinque propoſitiones excerptæ ſunt ex libro Janſenii*: hoc eſt, *cui titulus, Auguſtinus Cornelii Janſenii Epiſcopi Ipreſis*, ut in narrativa Conſtitutionis Innocent. X. *Cùm occaſione*. II. Senſus obvius eſt, *quem* ver-

verba in d. libro per ſe exhibent. Circa quæ eſt internus aſſenſus tribuendus ex obſervatis hìc *nu.*33.Item, definivit Jus, ſcilicet; *quinque propoſitiones excerptæ ex libro Janſenii* (ſeu Janſenio, ut præfertur attributo) *in ſenſu obvio verborum in contextus totius libri declarato, & confirmato, ſunt hæreticæ*: Ideò ipſarum hęreticitas eſt à quovis mente credenda; ſuppoſito etiam, quòd liber fuiſſet ab alio uſurpāte ſibi nomen Janſenii, ſcriptus: etenim doctrina à quocumque ſcripta eſſet, repugnat Dei verbo ſcripto, & tradito, eſtque hęretica, & ita ab Eccleſia proſcripta. Vide Lucchesinum *p.3.lib.2.§.5.* & alibi.

Si inſtetur. Quòd Pontifex non poteſt de ullius Auctoris hæreticitate certò judicare;

42 R. Hoc verum eſt de hæreticitate poſita in arcana Auctoris mente à textibus ſejuncta, ut dictum eſt *num.*18. Poteſt tamen de illa infallibiliter judicare ubi externis ſignis, vocibus nimirùm, vel ſcripto manifeſtatur. Unde damnatio directè, & immediatè fertur in textus doctrinam, in Auctores verò mediatè, & indirectè propter textus prolatos. Quinimò cùm Auctores pertinaciter textus damnatos propugnant, ipſi etiam immediatè proſcribuntur, ut hæretici; credendique ſunt hæretici in proprio, & naturali ſenſu propoſitionum, quas defendunt.

Opponunt 3. Doctrina Auguſtini cenſura hęreticitatis inuri non poteſt, utpotè non ſemel à Sede Apoſtolica approbata. Cui Janſenius *tom.2.lib.1.proęmial.cap.*24. tribuit irrefragabilitatem, & majoris auctoritatis eſſe, quàm judicium Romanæ Sedis, prout ex *lib.3.de ſtat.puræ nat.ca.*22. interrogationem illam. *Quid ad propoſitiones, quas proſcripſit Sedes Apoſtolica?* Temerè reſpondet. *Sed quid ad doctrinam Auguſtini clariſſimam, conſtantiſſimamque, quam toties probavit, & ſequitur, ſequendamque monet Sedes Apoſtolica? Nam ſi fundamentales illæ contra Pelagianam hæreſim doctrinæ proſcribendę ſunt, non inter magiſtros optimos ſemper haberi Auguſtinum à Summis Pontificibus, ſed inter ignariſſimos haberi debuit*. En quod Janſenius contendit. Bullas Pontificum ab Auguſtini verbis infringi. Quem ſequitur ejus diſcipulus Abbas S. Cyrani, qui vult decreta Concilii Tridentini eſſe interpretanda ex Doctrina Auguſtini. Atqui doctrina libri Janſeniani eſt ipſiſſima Auguſtini doctrina: ergo doctrina Janſenii proſcribi minimè potuit; atque adeò nec exigi aſſenſus internus de ipſius hęreticitate, ſed ſatis erit ob reverentiam Sedis Apoſtolicæ tacere, & puram actionem externam juramenti præſtare.

43 R. Stultè ad ſuos errores propugnandos ſibi plaudit hęc Novatorum ſocietas jactans pro ſe Auguſtinum. Eſt profectò maximi facienda Auguſtini auctoritas, verùm non cenſetur irrefragabilis, niſi quoad ea, quæ à Conciliis, & Pontificibus approbata ſunt, ut vera; ex quibus nonnulla recenſentur in Epiſtola Cęleſtini I. ad Epiſcopos Galliæ apud Proſperum in fine ejus operum. Non enim omnia, quę Auguſtinus ſcripſit probata ſunt; ſed multa, vel ab univerſalis Eccleſiæ judicio, vel Theologorum, aut omnium, aut multorum non recipiuntur; & in exemplum hęc ſunt.

44 I. Libro de *Geneſ. ad litteram cap.*33. & *Epiſt.*190. *ad Optatum cap.*1. in eam propendit ſententiam, quæ animas ex traduce, ſeù per propagationem fieri tenebat. Hodie verò à dubio recederet propter definitionem Concilii Lateranenſis ſub Leone X. in quo ſeſ.8. definitum eſt animam rationalem eſſe immortalem, nec unam in pluribus hominibus eſſe.

45 II. Libro 1. *de peccat.merit. & remiſ. cap.*20. & *lib.*1 *.contr.duas epiſt.Pelagian.c.*22. cenſuit parvulis ad ſalutem neceſſariam Euchariſtiam. Quod poſteà fuit damnatum à Trid. *ſeſſ* 21. *can.*4.

Verùm doctrinam Auguſtini eſt certum ſub damnatione non contineri. Etenim

ibi

ibi S. Doctor non voluit actualem ſumptionem Euchariſtię eſſe parvulis neceſſariam; cùm eſſe ſatis dixerit, quòd baptizentur: *Cap. enim 28. lib. 2. de peccat. merit.* docuit: *Fit in baptiſmo omninò plena, & perfecta remiſſio peccatorum; & ſi continuò conſequatur ab hac vita emigratio, non erit omninò, quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus, quæ tenebant.*

Et in *loc. allegat.* ſenſit, tantùm parvulis neceſſariam virtutem hanc Sacramenti, hoc eſt, ſocietatem membrorum Eccleſiæ, tum inter ſe, tum unà cum ſuo Capite: Siquidem textus ibi expoſitionem recipiunt ab iis, quæ ſcripſit *tractat. 26. in Joan. num. 15. Hunc itaque*, ait, *cibum, & potum, ſocietatem vult intelligi corporis, & membrorum ſuorum, quod eſt Sancta Eccleſia.*

Conſociantur quidem Fideles per ſumptionem actualem Euchariſtiæ, tum inter ſe, tum cum ſuo capite Chriſto, juxta illud *1. ad Corinth. 10. Quoniam unus panis unum Corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Verùm ſocietas illa primò per baptiſmum efficitur, dicente eodem Auguſtino *lib. 3. de peccat. merit. cap. 4. Cùm parvuli baptizantur, incorporantur Eccleſiæ, id eſt, Chriſti corpori, membriſque ſociantur.*

Tandem Auguſtinum interpretatur ejus diſcipulus, S. Fulgentius *epiſt. ad Ferrandum Diacon. cap. 11.* Interrogatus enim, quid cenſendum de ſalute juvenis Æthiopis, qui, inſtante morte, baptizatus, priùs deceſſerat, quàm Euchariſtiam percepiſſet? reſpondit: *Tunc unumquemque Fidelium Corporis, Sanguiniſque Dominici participem fieri, quando in baptiſmate membrum Corporis Chriſti efficitur; nec, alienari ab eo panis, caliciſque conſortio, etiamſi antequàm panem illum comedat, & Calicem bibat, de hoc ſæculo in unitate Corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Sacramenti quippè illius participatione non privatur, quando ipſe hoc, quod illud Sacramentum ſignificat, invenit.* Et refertur *c. Nulli diſt. 4. de conſecr.*

Quo ſenſu accipitur Innocentius I. *in epiſt. ad Synodum Milevitanam inter illas Auguſtini 182.* Et Gelaſius Papa *Epiſt. ad Epiſcopos per* Picenum; aliique Patres exponuntur, cùm videntur aſſerere actualem manducationem Corporis Chriſti infantibus neceſſariam.

Negandum planè non eſt, quòd temporibus, etiam Auguſtini, mos, ſaltem multis in locis, fuerit adminiſtrandi Euchariſtiam parvulis, adhuc lactentibus, prout habetur ex Auguſtino *epiſt. 217. ad Vitalem cap. 5.* Fortè, ut eo ritu apertiùs, vel duplici titulo ſocietas illa ſignificaretur; nunquàm tamen ad neceſſitatem ſalutis. *Ut enim*, decrevit Trid. *loc. cit. cap. 4. Sanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt: ita certè, eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.*

Hæc adnotaſſe opus fuit contra Petavium mox citandum, qui cenſet Auguſtinum putaſſe Sacramentum Euchariſtiæ in re ſuſceptum, non minùs infantibus ad ſalutem eſſe neceſſarium, quàm baptiſmum.

46 III. Libro 2. *de baptiſ. contra Donatiſtas cap. 3.* dixit. *Plenaria Concilia ſæpè priora poſterioribus emendari.* Quod quidem intelligi non poteſt de decretis fidei, quæ immutabilia, & invariabilia ſunt; ſed accipienda ſunt de iis, quæ ad ritus attinent, quæ pro temporum ratione mutantur; ut ibi non obſcurè ſignificat.

Poſſent alia percenſeri capita doctrinæ Auguſtini, in quibus complures, & graviſſimi Theologi ab illo impunè diſſentiunt. De qua re agit Petavius *Theolg. dogmat. tom. 3. lib. de Trident. Concil. & S. Auguſtini doctr. cap. 5. verſ. poſſunt.*

47 Verùm Janſenianis obiicimus Auguſtinum ſua ſcripta irreformabilia non cenſuiſſe: ait enim *de dono perſeveran. cap. 21. Neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis, in quibus me non erraſſe perſpexerit. Nam propterea nunc fa-*

cio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, ut nec me ipſum in omnibus me ſecutum fuiſſe demonſtrem. Hinc Toſtatus *p.2. defenſor.cap.18.* dixit. *Non ergo neceſſe eſt nobis, quæcumque dixerit Auguſtinus concedere*. Et Melchior Canus *cap.3.de loc.Theol. ſtultum*, ait, *eſſe libris canonicis Auguſtini opuſcula æquare*. Unde Alexander VIII. propoſitionem in ordine 30. proſcripſit, cujus tenor eſt. *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam*. Regula enim infallibilis decidendi controverſias fidei, non Auguſtinus, ſed Romanus Pontifex à Chriſto conſtitutus eſt.

48 Hinc cùm Proſper Apoſtolicam vocat doctrinam Auguſtini, non vult Auguſtinum ſcripſiſſe Apoſtolicè, hoc eſt, vel, tanquàm Scriptorem Canonicum, vel, ut habentem Spiritus Sancti aſſiſtentiam, ſicut habuerunt Apoſtoli. Hoc enim alienum eſt tum à mente S.Doctoris, tum à ſenſu totius Eccleſiæ; ſed dicit Apoſtolicè ſcripſiſſe, vel, quatenus ſuam de gratia doctrinam in ſuis libris contentam ex dictis Apoſtoli Pauli confirmavit; vel, quatenus adeò verè, & fideliter de gratia ſcripſit, ut Sedes Apoſtolica ejus doctrinam, quæ ad fidei dogmata ſpectat, ſuam effecerit, ac approbaverit, ut ex d.Epiſt. Cœleſtini: Qui de eo aliud non teſtatur, quàm *Sanctæ recordationis virum fuiſſe, qui in Romanæ Sedis communione ſemper eſt habitus, nec unquàm hunc ſiniſtræ ſuſpicionis rumor aſperſit; quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus*, inquit, *ut inter magiſtros optimos, etiam à meis Prædeceſſoribus habeatur*. Sunt hæc veriſſima, & adeò excellenti Doctore digna præconia. Sed eum non vocat, *Patrem Patrum, Doctorem Doctorum, irrefragabilem, Angelicum, Seraphicum*, prout appellatur ab Janſenio ubi ſupra *lib.1.cap.24.* Sed eum vocat dumtaxat *unum ex optimis Patribus, & Magiſtris*; ac proinde, ſi fortè ab aliis diſſentiret, eſſet deſerendus.

49 Ideò non plus auctoritatis eſt Auguſtino impertiendum, quàm Concilia, & Pontifices eſſe ejus doctrinæ tribuendum decreverunt. Cura interpretandi, & declarandi decreta Tridentini, quatenus opus ſit, eſt ab eodem Concilio reſervata non doctrinæ Auguſtini, ſed Romanis Pontificibus, ut ex *ſeſ.25. in fine tit.de recipiend.& obſervand.decret.Concil.* Et proinde abſurda eſt ratiocinatio Abbatis, quem ex profeſſo carpit Petavius ubi ſupra variis capitibus.

50 Minor quoque argumenti eſt à vero omninò aliena. Non doctrinam Auguſtini ſincerè ſumptam, codex Janſenianus reportat, ſed quam Janſenius in abſurdas expoſitiones detorſit, ac ad alia direxit, quàm S.Doctor intellexerit; ut eo titulo ſub velo Auguſtini, non ſanè intellecti (ſicut moris eſt hæreticis) errores Calvinianos faciliùs inſtauraret. Adversùs quem appoſitè uſurpatur dictum Facundi Hermianienſis Epiſcopi *lib. controv. Mocianum*. *Quid autem in hoc miramur? Neque enim melius loqui potuit Auguſtinus, quàm Prophetæ, quàm Apoſtoli, quàm Evangeliſtæ, quorum verbis ſimiliter malè intellectis, tam multi hæretici ſuos defendere conantur errores*.

51 Mentem itaque D. Auguſtini minimè aſſecutus eſt Janſenius; vel aptiùs loquendo, noluit intelligere; neque cum eo ordine legit, quo, tam ipſum, quàm cæteros Patres percurrere convenit. Attendi enim debent circumſtantiæ, tum temporis, tum finis, tum perſonarum, contra quas, & in quibus ſcripſerint, ut hac ratione à contradictione purgentur, & ne erroribus favere videantur. Hoc conſiderandum in Auguſtino, qui, dum adversùs Manichæos, hoſtes liberi arbitrii, tacita gratia, totum tribuit voluntati; dum verò Pelagianos urget, reiicientes adjutorium gratiæ ſupernaturalis internæ, tacita libertate, totum gratiæ concedit. Fortè aut gratiæ neceſſitatem, aut liberum arbitrium negat? abſit. Hoc

qui-

quidem putant, qui ſtatum controverſiæ non diſtinguunt. Ad opus enim ſalutare, utrumque concurrere non ſemel dixit, præcipuèque in *libro de gratia, & libero arbitrio*: quem *lib.2.retractat.cap.16.* teſtatur à ſe *elucubratum propter eos, qui, cùm defenditur gratia Dei, putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam*. Sollicitus itaque Auguſtinus non fuit adversùs prædictos de extremo, in quo illi conveniebant; ſed ad membrum, quod negabant, ut concederent ſe converti. Hujuſmodi cautelam Janſenius in Auguſtino legendo non adhibuit, ideò tot errores ſcripſit, quos in ſuo prætenſo Auguſtino reportat.

52 Inter quos mendaciſſimum eſt pariter, quòd Janſenius ſcribit *lib.8. de hæreſi Prædeſtinatiana cap.25.* ubi dixit: *Exiſtimo equidem nunquàm in rerum natura fuiſſe hæreſim Prædeſtinatianam, vel hæreticos Prædeſtinatianos: ſed è contrario doctrinam Catholicam, quam S. Auguſtinus, & Proſper docuerunt, ſub nomine iſtius hæreſis calumnioſè à Maſſilienſibus eſſe traductam, ſeù interpretatam. Itaque hæretici illi Prædeſtinatiani non fuerunt alii, quàm S. Auguſtinus, Proſper, & Hilarius, & quotquot eorum doctrinam ſequebantur, quos eo nomine indigitarunt Semipelagiani, atque inter hæreticos, nominibus eorum non expreſſis, collocarunt*. Quod quidem à viro Calviniſta collegit, ut notavit Bail allegatus *num.2.* Stultè autem de exiſtentia illius hæreſis dubitatur, & inſaniſſimè tribuitur allegatis Patribus, ut ibi Bail; quæ hæreſis fuit à Luthero, & Calvino recocta, cum illa aſſerentibus: *bona opera nihil prodeſſe reprobis, nec mala nocere prædeſtinatis*, ut refert Annatus *apparat.Theol. poſit.lib.7.art.4.tit. de Prædeſtinatianis*.

53 Hallucinatus eſt pariter legens multoties ab Auguſtino dictum, divinam gratiam *indeclinabiliter, inſeparabiliter*, aut *invictiſſimè* agere hominem, idcircò cenſuit à S.Doctore gratiam ſufficientem non concedi, cui reſiſti poſſit, & aliquando reſiſtatur. Verùm Janſenius non obſervavit Auguſtinum id dixiſſe, habito reſpectu ad finem hujus vitæ, ita ut prædeſtinati finaliter inſuperati, & invicti remaneant, licèt interim, durante hac vita, pluries gratiæ repugnent, & cadant aliquando, ut loquitur *lib.de correpț. & grat. capit. 12.num.35. Accipiunt tantam per iſtam gratiam libertatem*; ut, *quamvis, quandiù hìc vivunt, pugnent contra concupiſcentias peccatorum, eiſque nonnulla ſubrepant, propter quæ dicant quotidie*: dimitte nobis debita noſtra: *non tamen ultra ſerviant peccato, quod eſt ad mortem*. Ubi hęc Janſenius notaſſet, non effutiſſet, *interiori gratiæ nunquàm reſiſti*.

Opponunt 4. Romanus Pontifex nequit jubere actus internos; ergo nec præcipere poterit adhibendam fidem, quòd propoſitiones in ſenſu Janſenii ſint hæreticæ. Antecedens patet. Tum ex quo Eccleſia non judicet de occultis. Tum ex D.Thoma 2. 2.q.104.art.5. ibi: *Non tenetur inferior ſuo Superiori obedire, ſi ei aliquid præcipiat, in quo non ſubdatur. In iis, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, non tenetur homo homini obedire*. Ergo, cùm Pontifices homines ſint, decernunt dumtaxat eis parendum eſſe, non adhibendo calamum, aut linguam in favorem ſenſus Janſeniani, non verò ſubmittendo intellectum credendo interius articulum Juris ab Apoſtolica Sede definitum.

54 R.Novi Sectarii ideò ſupponunt in Superiore, hoc eſt, Summo Pontifice, non eſſe auctoritatem jubendi actum internum, quia putant eſſe deſtitutum poteſtate definiendi articulos fidei; at hoc quid eſt aliud, quàm ab Eccleſia excludere regulam vivam infallibilem decidendi controverſias Religionis, & ſingulis libertatem facere, ut quiſque ſuo privato ſpiritu credat, quidquid ſibi placet, contra illud Pauli, *una Fides*? Calumniis alii non parcunt, contendentes Apoſtolicam Sedem in præſenti controverſia invaſiſſe

auctoritatem præcipiendi ea, quæ ſui juris nullatenus erant. Inſanis, imprudens præbetur auditus. Nonne hac ratione Lutherani, & Calviniſtæ judicium Romanę Sedis deludere tentabunt?

55 Ut autem apertiùs de nugis Janſenianis conſtet, circa difficultatem in argumento excitatam; nonnulla dicenda occurrunt. Plures aſſeverant Eccleſiam poſſe præcipere actus mixtos ex externis, & internis; ſeù iſtos, cùm ſunt connexi, & per ſe neceſſarii ad eſſe morale, ſeù, ut actus externus ſit humanus; at tunc non directè, ſed tantùm indirectè actus internos jubet. Aliis aptiùſque placet, tunc etiam actus internos cadere ſub poteſtate directa Pontificis. Quidam verò ad actus purè internos poteſtatem Pontificiam extendunt.

56 Nos ſecundam, & tertiam ampleсtimur ſententiam, conſiderantes Chriſtum ſupra proprias oves Pontifici poteſtatem commiſiſſe illis verbis: *Paſce oves meas: Quodcumquè ligaveris, &c.* Arbitrariaque eſt reſtrictio ad ſolos actus externos, non verò internos, vel ad poteſtatem indirectam dumtaxat. Nonne Eccleſia per ſe reſpicit forum conſcientiæ; & de mediis curat ad vitam æternam conducentibus? quis autem ignorat inter ea reperiri, tam externos, quàm internos actus?

57 Quòd actus, etiam interni conjuncti cum externis ſub directa poteſtate Pontificis cadant, patet. Præcipit Eccleſia recitationem officii, & auditionem Sacri, directè præcipit complexum, ſeù actum mixtum ex externa recitatione, & interna attentione, & intentione recitandi. Ita præcipit Janſenianis, ut jurent ſe damnare, ut hęreticas propoſitiones in ſenſu obvio ab Apoſtolica Sede proſcriptas, præceptum reſpicit complexum ex externa verborum prolatione, & interna intentione vocandi Deum in teſtem veritatis, quòd ſcilicet, propoſitiones ſint in eo ſenſu hæreticæ. In utroque enim caſu præcipitur actus, qui ſit moraliter bonus; hujuſmodi autē ſine interno eſſe nō poteſt.

58 Item. Alexander VII. proſcribens propoſitionem decimamquartam in ordine: *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*, oſtendit Eccleſiam præcipere confeſſionem veram, non fictam: ut eſt voluntariè nulla. Adeòque Eccleſia ſuo præcepto *in cap. Omnis de pœnit. & remiſ.* directè præcipit actum externum confeſſionis, & actum internum veri doloris, & contritionis. Siquidem hic actus internus neceſſarius eſt ad honeſtatem confeſſionis ab Eccleſia intentam, quam primariò conſtituit in eſſe virtutis pænitentiæ.

59 Pariter octava propoſitio ab eodem Alexandro improbata eſt: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem, etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem: idque poſt decretum Urbani VIII.* Liquet ex hac damnatione per decretum Urbani prohiberi, ne quis accipiat duplicatum ſtipendium applicando petenti partem, etiam ſpecialiſſimam fructus; ſed in objecto hujus prohibitionis evidenter involvitur actus internus: etenim applicatio partis ſpecialiſſimæ ſola intentione fit. Tum quia, duplicatum ſtipendium in eo ſtat, quòd unum Sacrificium applicetur pro utroque dante, quod ſine actu interno applicationis eſt inintelligibile: ergo, dum duplicatum ſtipendium prohibet, præcipit, ne Sacrificium externè celebretur cum interna applicatione ad duos, qui ſtipendia contulerunt. Ut tradit Cardenas *Criſ. Theol. p. 1. t. 1. diſp. 9. c. 20. a. 12.*

60 Quantum verò ad actus merè internos, conſtat eos poſſe à Pontifice juberi. Ita Alexander VII. & Innocentius XI. quamplures opiniones damnant, & prohibent ad praxim deduci, quæ ſpectant ad ſolos actus internos. In decreto Alexand. eſt prima propoſitio de actu fidei, ſpei, & charitatis. In illo verò Innocentii eſt 6. 7. de actu dilectionis Dei 10. & 11.

de

de interna proximi dilectione: 13.14.15. de deſiderio mortis proximi: 16.17.19,& 65. de actu fidei: 57. de attritione. Et Concilium Tridentinum *ſeſſ.13. in decret. de SS. Euchariſt. Sacram. Interdicit, ne de Sanctiſſ. Euchariſtia aliter credatur, quàm eſt hoc preſenti decreto explicatum, atque definitum*. Credere autem eſt actus purè internus: ergo eſt in Pontifice, & Eccleſia poteſtas directa in actus purè internos.

Hinc negatur antecedens argumenti. Planè Eccleſia de occultis non judicat, ut in externo foro in delinquentes animadvertat, niſi extra manifeſtentur; Sed inde non ſequitur non poſſe actus internos præcipere: pro quorum tranſgreſſione quis reus apud Deum conſtituatur.

Abſurdiſſimè aſſerunt doctrinam Angelici. Fortè Fideles non ſubduntur Pontifici, ut non debeant captivare intellectum in obſequium fidei, cùm ab eo proponuntur credendi articuli Juris? Nonniſi factio iſta Novatorum affirmabit. Nec Pontifex in definienda ſana morum, & fidei doctrina, ut homo procedit; ſed ut ait Gravina *to.4.p.2. Catholic. præſcript. diſput. 1. qu.2. contr.8. art. ult. dubit. 1. §.2. ad argum. Spalatenſis: eſt Spiritus Sancti adminiſter, cujus lingua ad definiendum Spiritus Sanctus utitur*. Ex Macedo *de clavib. Petri lib.1. diſſert.4. ca. 3. ver. illud: minimè definit non ut perſona humana, ſed tanquàm Chriſti Vicarius, & Dei perſonam gerens*. Viva *Theol. trutina ad theſ. damnat. q. prodroma num.2.* ſcribit. *Quilibet tenetur credere dignam cenſura, & falſam propoſitionem, quam Spiritus Sanctus per Pontificem, tanquàm per ſui præconem loquens, cenſura inurenda declarat*. Qui adverſus obſequioſum Janſeniſtarum ſilentium, & quòd non ſufficit ad obediendum Eccleſiæ exteriùs dumtaxat propoſitiones Janſenii non admitti, quin debeant, etiam interiùs reiici, & haberi, ut hæreſim continentes, rationem ſubnectit, dicens, ſtatim ac Spiritus Sanctus per Pontificem docens Eccleſiam declarat propoſitionem aliquam eſſe hæreticam, non lex Eccleſiaſtica dictat, ſed naturalis ad captivandum intellectum in obſequium fidei, & credendum, etiam interiùs cenſura dignam propoſitionem, quam Pontifex ex Cathedra loquens cenſura notandam declaravit. Reſultat verò hęc obligatio ex ipſo facto Pontificis, quatenus nimirum, Pontificia ſua auctoritate doctrinam definivit, & declaravit.

Quare ſuppoſita Pontificia definitione, obligatio interiùs credendi hæreticitatem textus Janſeniani, oritur ex jure naturali, & divino, quod & ad interiùs actus poteſt obligare, & intellectum conſtringere, ut diſcurſus ſuos poſtponat, & in obſequium ſupremæ auctoritatis ſe captivet, judicando interiùs juxta definitionem Apoſtolicæ Cathedræ. Quæ obligatio ſemper adeſt, ubi Papa aliquam doctrinam proponit, approbans, vel reprobans; adeòut negans internum aſſenſum, vel diſſentiens peccet contra jus naturale, & divinum. Incurrit pariter cenſuram, ubi à lege Eccleſiaſtica eſt in tranſgreſſores appoſita.

Sed difficultas eſt, an Janſeniſta interiùs non credens hæreticitatem textus Janſeniani incurrat excommunicationem?

R. Affirmativè. Nam Innocentius d. Conſtitutione. *Cùm occaſione ſub cenſuris, & penis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis, mandat omnibus Chriſti Fidelibus, nede dictis propoſitionibus ſentire* (en aſſenſus internus) *docere, prædicare aliter præſumant, quàm in declaratione, & definitione continetur*. Idem exprimit Conſtitutio Alex. *Ad Sanctam*. Et Conſtitut. Clementis *Vineam*; in qua utraque confirmatur. Unde Janſeniani non credentes interiùs dictas hæreticitates delinquunt, & contra jus divinum, & legem Eccleſiaſticam.

Propterea notari debet in exercitio, & praxi non ſemper actus purè internos cadere ſub pęna à legiſlatore impoſita, ſed ſolùm, quando præceptum expreſsè, &

directè illud intendit, quod ex verbis præcepti debet conſtare, ut conſtat in caſu noſtro. Proinde, ubi non exprimitur, hęreſis purè mentalis non cadit ſub cenſura Bullæ Cænæ. Hæc enim generaliter loquitur de hæreſi formali ſignis externis manifeſtata.

Opponunt 5. Pontifices inſtituerunt publico cultu Sacrificii, & officii canonici celebrandam eſſe feſtivitatem Conceptionis B.M.Virginis in primo inſtanti ſui eſſe, & tamen neceſſe non eſt, ut de fide credatur, quinimò certum non eſt, ſed ſolùm probabile, ut ait Caramuel in *Apolog. de probabilit. contr. Fagnan.* quòd ipſius anima in primo inſtanti creationis, & infuſionis in corpus, fuerit à macula peccati originalis immunis, adeòut quis poſſit internè contrarium ſentire. Unde Alexander VII. *Conſtit. Solicitudo* 117. *Bullar. tom.*5.*§.6.* vetat aſſerere, quòd *tenentes contrariam opinionem, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis* crimen, *aut peccatum mortale incurrant*, & ſub pęnis contentis in litteris Sixti IV. & aliorum Pontificum hac de re editis, prohibet, *ne contraria illa opinio hæreſis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnetur*: ergo adhuc internè poteſt contrarium teneri.

R. Hoc unum eſt apud Doctores certum omninò, non poſſe Eccleſia in ſuo capite inſtituere, aut ipſa exhibere cultum publicum Sacrificii, & Officii canonici Sanctitati falſæ, ſecundùm doctrinam D. Bernardi, qui *Epiſt.*174. dixit; *Quia ortum Virginis didici in Eccleſia indubitanter haberi feſtivum, firmiſſimè cum Eccleſia ſentio in utero accepiſſe, quòd Sancta prodiret.* S. Thomas 3.*p.q.*27.*art.*1. ait. *Eccleſia celebrat Nativitatem Virginis: non autem celebratur Feſtum, niſi pro Sancto.* S. Bonaventura *in* 3. *diſt.*3.*qu.*3.*art.*1. *Pro indubitanti hoc habet Eccleſia*, videlicet, quòd *B. Virgo fuerit ſanctificata; & illud ex hoc patet, quod ejus Nativitatem Eccleſia celebrat, quod non faceret, niſi ſanctificata eſſet.* Et Auguſtinus *ſer.*292. *& 6. de natal. Joan. Baptiſtæ*, reddens rationem, cur Joannis, & non aliorum Sanctorum nativitas celebretur, inquit: *Quia nullius eorum nativitas Domino militavit, & ætatis acceſſu repleti ſunt Spiritu Sancto. Joannis autem ipſa nativitas Dominum Chriſtum prophetavit, quem conceptum ex utero ſalutavit.* Affirmatque ideò Eccleſiam obitus, non natales Sanctorum celebrare, quia obitus ſunt Sancti, non natales, prout habet *Serm.*310. *de natal. Cypriani Martyris*; cujus *cap.*1. ait. Diem paſſionis, & non nativitatis celebrari: *quia illo die vicit omne peccatum: iſto verò die traxit originale peccatum.*

Propterea licèt non ſit Sanctitas Conceptionis pro primo inſtanti de fide credenda, quia non adhuc Sedes Apoſtolica definivit eſſe rem à Deo revelatam, eſt tamen ſancta judicanda infallibiliter infallibilitate, & certitudine infra fidem firma, juxta allegatam Conſtitut. Alex. qui §.4. innovavit, & ſub cenſuris, & pęnis in eiſdem contentis obſervari mandavit *Conſtitutiones, & decreta, præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem ſententiæ, aſſerentis animam B.M.Virginis in ſui creatione, & in Corpus infuſione Spiritus Sancti gratia donatam, & à peccato originali præſervatam fuiſſe: nec non, & in favorem Feſti, & cultus, Conceptioni ejuſdem Virginis Deiparæ ſecundùm piam iſtam ſententiam exhibiti.* Et *§.*5. præter conſtitutas pęnas alias addit in diſtortas interpretationes trahentes dicta decreta, adeòut pia ſententia præjudiciũ recipiat: vel in diſputationem ſententiam illam, & cultum, ſeù Feſtum revocantes; aut præſumentes contra ea directè, vel indirectè quavis occaſione, vel prætextu loqui, tractare, concionari, & diſputare, prout expreſſiùs in textu: Ergo de Sanctitate Conceptionis pro primo inſtanti nefas eſt dubitare; quidquid dixerit Caramuel. A quo, qua parerat, diligentia non fuit Conſtitutio Alexandri obſervata. Poſt quem Clemens XI. cultum Conceptionis ampliavit ad univerſam Eccleſiam, inſti-

inſtituens ipſius Feſtum eſſe ubique terrarum de præcepto ſervandum cum abſtinentia ab operibus ſervilibus, prout cætera Feſta de præcepto celebrantur, & ſervantur.

Ideò verò vetitum eſt ab Alexandro quempiam aſſerere, quòd tenentes contrariam opinionem, hæretici ſint, aut peccent mortaliter, quia ut ait textus Conſtitutionis, *à Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede nondum fuit hoc deciſum, prout nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus*. Propterea debet quilibet à cenſura Theologica illis inurenda temperare, ſummoque obſequio inhibitionem ſervare; quæ quidem, etiam in bonum pacis facta præſumitur, ſervatura inter Fideles vinculum charitatis. Circa opinionem Caramuelis videri poteſt Cardenas *Criſ. Theol. p. 1 cap. 18. per totum*. Et Viva *trutin. Theol. ad theſ. damnat. quæſt. prodroma numero 26*.

Concluditur itaque ſinceram obedientiam, quæ debita eſt Conſtitutionibus Apoſtolicis, nedum importare quod externè taceatur, ſed ulterius, quòd interiùs intellectus ſentiat, prout ipſæ tenere mandant, & decernunt. Nam aliàs, quæ ſubjectio erit in eo erga Apoſtolicam Sedem proſcribentem propoſitiones Janſenianas, ut hæreticas, declarantemque eas ex libro Janſenii excerptas, & in ſenſu obvio verborum damnatas, qui nihil aliud in ipſius obſequium, & reverentiam exhibet, quàm lingua, & ſcriptis tacere? Forſam, qui ſolummodò tacet, propterea tenet, quod Cathedra Petri tenendum præcipit? Æquè benè tacere poteſt, qui interiùs ſentit, quod illa præſcribit, ac qui eidem refragatur. Poteſt profectò ſilentium externam contradictionem excludere, non internam; pariterque poteſt ſimul verificari, quòd quis perfectè taceat, & quòd pertinaciter ſimul à definitis diſſentiat. Silentium itaque ab Janſenianis exhibitum, hoc præſtat, ut mente error, & hæreſis foveatur; & pallium ſit ad internam mentis pertinaciam velandam

CONTROVERSIA VIII.

De Conciliis.

STatuta in ſuperiori controverſia adversùs Novatorum factionem Romani Pontificis infallibilitate, qua eſt à Chriſto Domino donatus ad explicanda, decidenda, & irrefragabiliter definienda dubia, quæſtioneſque ad fidei, & morum doctrinam ſpectantes; nunc, quæ ſint illius partes in Conciliis, ac de iſtorum natura diſſerere, aggredimur, ut hinc nihil deſiderare ſuperſit, quo Etherodoxorum perſtringatur temeritas, deprimatur elatio, evertanturque machinamenta, quæ ad exagitandam Eccleſiam tanta animoſitate confixere.

1 Idem in Eccleſia exprimit hæc vox Concilium, quod in Regnis nomine Comitiorum ſignificatur; ideò ſicut Comitia in Regnis aliud non ſunt, quàm Principum, Procerum, & Magiſtratuum in unum congregatio, ita Concilium in Eccleſia nihil aliud eſt, quàm *Prælatorum Eccleſiæ congregatio ad fidei controverſias definiendas, vel ad fidelium mores reformandos à legitimo Capite convocata*. Quæ congregatio ab Hebræis *Synedrin*, vel *Synedrion*, à Græcis Synodus appellatur, & à Latinis Concilium à conciliando dicitur; appellatione accepta, à Con, & cilium, ut inquit Archidiaconus; eò quia, ſicut, dum oculorum cilia clauduntur, conveniunt in unum, & conciliari dicuntur oculi; ita, quia ſimul congregati, dum concludunt, vel definiunt aliquid, in unum conveniunt, & conciliari dicuntur Epiſcopi; ideò eorum cætus, ſive congregatio à conciliando Concilium vocatur.

2 Quatuor verò ſunt genera Conciliorum. Quædam ſunt Generalia, ſeù Oecumenica. Quædam Nationalia, quædam Provincialia, & quædam Diœceſana. Generalia ſunt, quæ auctoritate Summi Pontificis, convocatis ex univerſo Orbe Epiſcopis congregantur. Nationalia ſunt, quæ, convocatis alicujus Regni, ſeù Nationis Epiſcopis, à Primate, vel Patriarcha, indicuntur Provincialia, quæ ab Archiepiſcopo, convocatis Provinciæ ſibi ſubjectæ Epiſcopis, convocantur. Diœceſana denique, quæ Epiſcopi auctoritate, convocatis Parochis Diœceſis, celebrantur.

3 Diverſitas Conciliorum Generalium à particularibus habetur ex Auguſtino *lib. 2. de baptiſ. contra Donatiſtas cap. 3.* ibi: *Et ipſa Concilia, quæ per ſingulas Regiones, vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum* (Generalium) *auctoritati, quæ fiunt ex univerſo Orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedunt.*

4 Diſcrimen inter Generalia, & his minora Concilia non conſiſtit in majore, vel minore Prælatorum, qui interſunt, numero. Contingit enim aliquando numeroſiorem eſſe cętum Concilii Nationalis, quàm fuerit Generalis. In Arelatenſi enim I. coacto ann. 314. in cauſa Cæciliani adversùs Donatiſtas interfuerunt ducenti Occidentis Epiſcopi (eſtò quidam ſcribant ſexcenti) Et in Conſtantinopolitano, convocato ann. 381. contra Macedonium convenerunt ſolùm quinquaginta Antiſtites; & tamen hoc eſt generale, illud nationale: ergo diſcrimen ſumitur, ſi Papa ex univerſo Orbe vocet in conventum Epiſcopos, eſtò ex aliquo accidenti non tot congregentur, quanti interdum ſunt in Nationali.

CAPUT I.

An Concilia Generalia ſint in Eccleſia abſolutè, & ſimpliciter neceſſaria?

SUMMARIUM.

1 *Concilia Generalia, alia legitima, illegitima alia.*
2 *Neceſſitas duplex, ſimpliciter, & ſecundùm quid.*
3 *Hæreſes damnari poſſunt, etiam extra Concilia, & nu.8.*
4 *Probationes ex S. Auguſtino.*
5 *Sine Conciliis Generalibus poſſunt ſchyſmata extingui.*
6 *Non ſunt Concilia congreganda ad reformandos abuſus.*
7 *Nec ad indicendum bellum hoſtibus Eccleſiæ.*
8 *Sola auctoritas Romanæ Sedis ſufficiens eſt ad hereticos proſcribendos.*
9 *Controverſia de legalibus poterat ſine Concilio dirimi.*
10 *Concilia generalia ſunt utilia Eccleſiæ ad 12.*
13 *Cur Pontifices interdum Concilia generalia convocant? ad 14.*
15 *Concilium Chalcedonenſe non approbatum quantum ad omnia.*
16 *Concilia generalia ſunt opportuniſſima Eccleſiæ.*
17 *In Conciliis ab Epiſcopis tractatur cum ſubordinatione ad Romanum Pontificem.*
18 *Sententia Annati circa congregationes Conciliorum reprobatur.*
19 *Odio habentes veritatem, definitionibus Sedis Apoſtolicæ repugnant.*
20 *Infallibilitas Romanæ Cathedræ omnibus perſpicua.*
21 *Fructus Conciliorum ex Vincentio Lyrinenſi.*

NOnnulli Primatus Romani Pontificis hoſtes libentiſſimè urgent neceſſitatem Conciliorum Generalium, ut hinc ſupremam illius auctoritatem, vel enervent, vel ex integro tollant; quorum partes ſuſcepit Marcus Antonius de Dominis *lib.7.de Republic.Chriſtian.cap.3.*

1 Ut de voce quæſtio non inſtituatur, adverti debet, Concilium generale duplex eſſe poteſt, *Legitimum*, & *Illegitimum*. Legitimum eſt (quod & Oecumenicum dicitur, & ab univerſa Eccleſia receptum) ſi à Pontifice non ſolùm congregetur, ſed etiam confirmetur. Illegitimum verò eſt (quod pſeudo-Synodus, ſive conciliabulum, vel latrocinium diaboli dici ſolet) ſi ab univerſa Eccleſia non recipiatur; quod idcircò contingit, quia à Pontifice reprobatur, & non confirmatur, ut fuit Mediolanenſe habitum *an.354.* in cauſa Athanaſii; & Ariminenſe *an.359.* coactum, in cujus fine per fraudem damnata eſt fides Nicæni. Et Epheſinum II. *an.449.* celebratum, in quo hęreſis Eutychiana fuit confirmata. Hinc difficultas non de illegitimis, ſed de legitimis procedit.

2 Circa quod notari debet, duplicem juxta Logicos dari neceſſitatem, abſolutã unam, & aliam ſecundùm quid. Prior convenit rei, ſine qua finis nullo modo haberi poteſt; poſterior ea dicitur, quæ convenit rei, ſine qua finis obtineri quidem poteſt, ſed non ita faciliter; & ideò appellatur neceſſitas, non ſimpliciter, ſed ad melius eſſe.

Dicendum. *Celebratio Conciliorum Generalium non eſt in Eccleſia ſimpliciter, & abſolutè neceſſaria.* Ita Catholici communiter adversùs Novatores.

3 Probatur 1. Ex nullo titulo hujuſmodi neceſſitas comprobatur: ergo convocatio Conciliorum non eſt in Eccleſia, &c. Antecedens patet I. Nam neceſſitas non habetur ex capite damnandi hęreſes. Nam primis trecentis annis Eccleſia caruit Cõciliis Generalibus (primum enim fuit Nicænum celebratum ann.325.) in quibus quamplures hæreſes abſque Conciliorum, etiam particularium ope fuerunt proſcriptæ, ut Menandri, Ebionis, Cerinthi,

Cer-

Cerdonis, Marcionis, aliorumque. Quarum novitatum meminit Euſebius in *Eccleſiaſtica hiſtoria*, quin referat aliquam Epiſcoporum Synodum, in qua damnatæ fuerint; quas proinde ſequitur, reprobatas eſſe decretis ſolius Apoſtolicæ Sedis; quibus ſucceſſivis temporibus potuit commodè aliis erroribus occurri, ut non ſemel factum eſt, pravaſque doctrinas improbavit, ut dixi *contr.3.cap.5. & contr.7. capit.2.*

4 Accedit. D. Auguſtinus, poſcentibus Pelagianis Synodum Oecumenicam, in qua examinaretur eorum doctrina, reſpondit id neceſſarium minimè eſſe, cùm abſque Synodis plures antiquiores hæreſes damnatæ fuiſſent: hæc *lib.4. ad Bonifacium contr. duas Epiſtol. Pelagianor. cap. ult.* habet: *Aut verò congregatione Synodali opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? Quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodali congregatione damnata ſit, cùm potiùs rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit? Verùm iſtorum* (Pelagianorum) *Superbia .... hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur.*

Et urgens Julianum nullam neceſſitatem eſſe, ut in Concilio congregato ex Epiſcopis Orientis, & Occidentalis Eccleſiæ hæreſis Pelagiana damnaretur, ſcripſit *libr.1. contr. Julianum cap.4. Puto tibi eam partem Orbis ſufficere debere, in qua primùm Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium, ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuã Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit ille vir ſanctus Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitùs Apoſtolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perſeveranter Eccleſia? ..... Non eſt ergo, cur provoces ad Orientis Antiſtites.* Quem nolentem acquieſcere reprehendit *lib.2. oper. imperf. num.*103. ibi. *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum eſt apud Apoſtolicam Sedem?* Ergo propter hæreſes proſcribendas nullatenus eſt abſoluta Conciliorum Generalium neceſſitas.

5 II. Neque hujuſmodi concluditur ad effectum componendi ſchiſmata. Nam abſque Conciliorum generalium ope extinctum eſt ſchiſma à Novatiano Pſeudo-Papa conflatum an.252. adversùs Cornelium legitimum Romanum Pontificem. De quo ſchiſmate agit idem Euſebius *hiſt. lib.6. cap.43.* D. Cyprianus *Epiſt.52. ad Antonianum*: Et cùm Novatianus Epiſtolam ad Epiſcopos diverſarum Eccleſiarum miſiſſet mendaciis refertam. Inter quæ hoc etiam fuit, quòd ſignificaret ad Sedem Apoſtolicam fuiſſe aſſumptum, & ipſam Sedem vacaſſe, depoſito Cornelio ab Eccleſia ob enormia Cornelii delicta, cui reſpōdit Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus. *Nolenſne ad Sacerdotium fueris inductus? ita demùm oſtendes, ſi volens ceſſeris: nam oportuit quidvis hac gratia perpeti, ne diſcinderetur Eccleſia Dei.*

Item. Abſq; Conciliorum Generalium auxilio ſedata ſunt ſchiſmata Urſicini adversùs Damaſum excitata an.385 Laurentii adversùs Symmachum ſubortum ann. 498. Vigilii contra Silverium extructum an.535. aliaque plura adversùs legitimos Apoſtolicæ Sedis Antiſtites à refractariis Eccleſiæ ſubſequentibus annis commota; quæ recenſentur à Leytam *Synopſ. de Eccleſ. milit. p.2.* ibique ſublata narrat, quin auxilium Concilia generalia præſtiterint.

Nec obſtat, quòd ſchiſmati orto ann. 1378. quod Eccleſiam quadraginta annis exagitavit, obviam iverit Concilium Generale Conſtantienſe, in quo, depoſitis Benedicto XIII. Gregorio XII. & Innocentio XXIII. qui ſe prætendebant Pontifices, ſubſtitutus fuit Martinus V. & pax Eccleſiæ reſtituta. Quoniam ut dixit Boyvin *Theol. Scoti quartæ partis p.2. diſp.3. q.2. de Concil.* potuiſſet hoc ſchiſma abſque Concilio Generali terminari, vel, per Cardinales, vel per Epiſcopos Provinciales, ſicut pluſquàm viginti quinque ſchiſmata ſopita fuiſſe teſtatur: vel, œconomia,

mia, & providentia Romani Pontificis extingui ſchiſmata poſſunt; ſæpè enim legitimi Pontifices, intruſos in ſedem monuerunt, ut ad cor redirent, & ubi pertinaces officiis charitatis non paruerunt, cenſuras in eos pronuntiarunt. Ita ſine Concilio, etiam Provinciali, ſublatum feliciter eſt ſchiſma Baſileenſium. Nam Amadæus Sabaudus dictus Felix V. qui inſignia Pontificia invaſerat, Antipapatum depoſuit, ſeque Nicolao V. Supremo Chriſti Vicario ſubmiſit, de quo *contr. ſeq. c. 6.* Quin etiam, ſi niſi juvantibus Conciliis Generalibus ſchiſmata tolli non poſſent, videretur tranquillitati Eccleſię perperàm proviſum, cùm in congregandis Conciliis generalibus maximæ difficultates occurrant.

6 III. Concilia Generalia non ſunt abſolutè neceſſaria ad reformandos abuſus in Eccleſia introductos; hoc enim in membris fieri poteſt per litteras enciclycas, & decreta Romani Pontificis extra tempora Conciliorum edita; quibus Eccleſiæ tenentur obtemperare, cùm oves debeant Paſtoris vocem audire, ipſiuſque mandata exequi. In capite verò, ubi opus eſſet, poſſet per charitativam exhortationem, vel reverentialem Cardinalium, aut proborum virorum monitionem.

7 IV. Non ſunt congreganda Concilia Generalia, ut reſiſtatur communi hoſti Eccleſiæ, nimirum, Turcarum Tyranno; bellum enim poſſet à Pontifice ſine Concilio indici, & per Epiſtolas, ac ſolemnes legationes Principes ad defenſionem Eccleſiæ in auxilium exquirere, prout, monente S. Pio V. ſine Concilio, contractis in unam claſſem Pontificiis, Hiſpanis, Venetiſque triremibus, ad inſulas Curſularias an. 1571. pugnatum eſt, & de Turcis à Catholicis triumphatum. Subinde anno 1683. Zelus Sanctiſſimi Pontificis Innocentii XI. ſine Concilio Sacrum bellum in illos, aſſecuto fędere cum Leopoldo Auſtriaco Imperatore, Polonis, Venetiſque inſtruxit, ac pluries fęderati celebrantur victores: ergo ex nullo titulo eſt convocatio Conciliorum abſolutè, & ſimpliciter neceſſaria.

8 Probatur 2. Sanctus Flavianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus tanti exiſtimavit ſolius Romanæ Cathedræ ſententiam, ut opus non eſſe dixerit Conciliorum congregatione ad hæreticos eliminandos, ac ad diſſenſiones removendas, nec non ad quietem Epiſcoporum; ſed ſatis eſſe, ſi controverſias Romanus Pontifex componeret. Ita recenſens Leoni I. geſta ab Eutychete, & petens à Pontifice, ut confirmaret damnationem in eum promulgatam à Synodo Provinciali Conſtantinop. celebrata an. 448. hęc habet Epiſt. incipien. *Nulla res Diaboli*, quæ eſt inter illas Leonis poſt octavam. *Cauſa enim, eget ſolummodò veſtro ſolatio, atque definitione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæreſis, quæ ſurrexit, & turbæ, quæ propter eum factæ ſunt, facilè reſecantur, Deo cooperante, per veſtras Sanctiſſimas litteras: revocabitur autem, & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquàm ubique ſanctiſſimæ turbentur Eccleſiæ*: Senſus autem Flaviani communis omnibus eſſe debet; ergo, &c.

Opponunt I. Neceſſitatem Conciliorum Generalium ad fidei controverſias finiendas oſtenderunt Apoſtoli; nam, cùm diſſenſio orta eſſet inter Chriſtianos Antiochiæ ſuper obſervatione legalium legis Moſaycæ, quam Judæi ad fidem Chriſti converſi contendebant eſſe cum lege Chriſtiana ſervandam, ad litem terminandam Concilium coegerunt. *Actor. 15. Convenerunt Apoſtoli, & Seniores videre de verbo hoc:* & res definita eſt in Concilio, edito decreto. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Ac reſolutum legem Circumciſionis à Chriſtianis non eſſe ſervandam: ergo ad hęreſes proſcribendas debent Concilia congregari. Ita antiqui Patres non aliter hæreſes Arii, Macedonii, Neſtorii, & Eutychetis eradicare potuerunt,

quàm

quàm Conciliorum Generalium congregatione.

9 R. Negatur conſequentia. Non ideò Apoſtoli convenerunt ad deciſionem quæſtionis de legalibus, quaſi opus abſolutè eſſet eam in Concilio dirimere; nam quilibet eorum poterat per ſe illam decidere: (Omnes enim erant in fide infallibiles ex privilegio confirmationis in gratia in die Pentecoſtes recepto) & maximè Petrus, omnium, & Eccleſiæ Caput poterat controverſiam ultimatè extrà Concilium terminare; ſed idcircò terminata eſt in Concilio, ut ſolemnior eſſet definitio, & faciliùs à Fidelibus reciperetur; faciliùs enim oves in unam fidei ſententiam conſpirant, cùm viderint conſacerdotes, & commiſtros ejuſdem fidei in iiſdem regulis fuiſſe concordes. Ita ad ſolemniorem tantùm, non verò ad neceſſitatem damnationis hęreſum Arii, &c. Romani Pontifices judicarunt conducere Eccleſiæ generalia Comitia.

10 Concilia Generalia eſſe Eccleſię utilia, ſeù neceſſaria ſecundùm quid non negamus, ſed ſaluberrima dicimus, dicente Auguſtino *Epiſt.54. ad Januarium cap.1. Conciliorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas*. Et Innocentius I. in quadam Epiſtola ſcripſit. *Integrum Judicium exiſtimatur, quod plurimorum ſententiis roboratur*. Verùm *integritas* hic non ſignificat abſolutam neceſſitatem Conciliorum, ſed ut ſolemnior dumtaxat ſit deciſio, ac facilior acceptatio. Vel, oſtenditur neceſſitas ſecundùm quid, & congruentiæ, ut, nimirum, quivis tergiverſandi locus protervis adimatur, & ad pacem veniant. In Conciliis enim per viam diſputationis hæretici convincuntur. Ita in Nicęno I. datus eſt Ario, & Epiſcopis, quos in ſuam ſententiam traxerat, locus defenſionis: auditæ ſunt rationes, eorumque probationes, ut videntes à Catholicis infringi, & reſponſionibus ſuperari, magis confunderentur, & ad Eccleſiæ pacem redirent. Vide *contr. prior. cap.6. nu.28*.

Opponunt 2. D. Auguſtinus non ſemel agnovit aliquando neceſſitatem congregandi Concilia generalia. I. ubi ſupra *contr. duas Epiſtolas Pelagianor. Cùm potiùs* (inquit) *rariſſimæ hæreſes inveniantur propter quas damnandas neceſſitas talis* (convocandi Concilium generale) *extiterit*. II. *lib.1. de baptiſ. contr. Donatiſt. cap.7.* ſcribit; neceſſarium fuiſſe Concilium generale, ut dirimeretur quæſtio de baptiſmo ab hęreticis collato: additque de eo baptiſmate Epiſcopos in utramque partem potuiſſe, ſalva pace, diſceptare, & fluctuari: *donec plenario totius Orbis Concilio, quod ſaluberrimè ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur*. Et repetit *libro 2. capite 9*.

III. *Epiſt.43. cap.7. ad Glorioſ. & Eleut.* increpans Donatiſtas, qui à ſententia Melchiadis Papæ lata in favorem Cæciliani adversùs Donatum à Caſis-nigris ad Imperatorem Conſtantinum provocarunt, dixit: *Eccę putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos Judices fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium univerſæ Eccleſię Concilium, in quo cauſa terminaretur*.

11 R. Auguſtinus exponendus eſt de neceſſitate ſecundùm quid, vel utilitate, aut neceſſitate congruentiæ. In quo ſenſu intelligitur prima illius auctoritas.

Cur verò Auguſtinus congregationem Concilii plenarii neceſſariam ſecundùm quid recognoverit pro damnanda hæreſi Ariana, & Donatiſtarum rebaptizantium baptizatos ab hæreticis, non verò pro Pelagianæ proſcriptione? ideò eſt, quia cùm magna ex parte extincti eſſent Pelagiani, & Conciliis Africanis à Sancta Sede confirmatis fuerint debellati, ratio nulla ſuadebat, ut ex univerſali Eccleſia formaretur exercitus ad eos opprimendos per generalis Concilii convocationem. E contra Ariani, & Donatiſtæ plurium Eccleſiarum Epiſcopos habebant defenſores, propterea opus putavit fuiſſe Concilio.

Dices. Ergo ex mente Auguſtini, ubi aliqua hæreſis adhuc exſuflata non eſt, & eſt

eſt multorum, neceſſe eſt Synodum generalem congregari, & quodvis aliud medium eſt inſufficiens.

12 R. Negatur conſequentia, ſi accipiatur de neceſſitate abſoluta; qua neceſſitate neque contra Arianos, neque adversùs Donatiſtas fuit Nicænum I. congregatum. Neque ſtatim, eo celebrato, finitus eſt error, ſed adhuc remanſerunt contradictores: ſicut contra Tridentinum inſurgere non ceſſant Lutherani, & Calviniſtæ. Unde in Conciliis generalibus finem quidem controverſię accipiunt quantum ad deciſionem, ſed non quantum ad plenam contendentium acceptationem, qui adhuc pertinaces obluctantur: & tam Sedis Apoſtolicæ; quàm Conciliorum auctoritatem inſaniſſimè aſpernantur, & utrumque remedium reiiciunt.

13 Neque ex inſufficientia auctoritatis Pontificiæ ad proſcribendas hæreſes extra Concilia, oritur, quòd interdum Concilia congreget, ſed ex abundantia potiùs poteſtatis, & ſupremæ juriſdictionis Pontificis naſcitur, quòd Epiſcopos convocet, eorumque miniſterio aliquando utatur in re aliqua reſolvenda. Verùm ipſorum concurſus in generali Synodo collectus neceſſarius non eſt, ut hęreſim, ſive paucorum, ſive plurium, Pontifex damnet, cùm ſolus ſua definitione poſſit eam proſcribere; ſed tunc ipſos in Concilium vocat, cùm advertit, vel, id requiri, ut protervi ſolemniùs convincantur, vel, ex Congregatione Concilii fructus ſperatur. In caſu verò indictio Concilii cenſetur neceſſaria, non abſolutè, & ſecundùm ſe, ſed per accidens, inſpecta nimirum neceſſitate protervorum, vel, ex ſuppoſitione fructus, qui ſperatur pacis, & converſionis. Et ideò, cùm alia media, ut dictum eſt in probationibus, non deſint, quæcumque neceſſitas adſtruitur, eſt tantùm ſupererogationis, ſolius convenientiæ, & ad ſummum ex ſuppoſitione.

14 Ad 2. De eadem neceſſitate congruentiæ agit. Et quidem de re aliqua, ſalva pace, dubitare fas eſt, donec, vel à generali Synodo à Papa confirmata, vel à Papa extra Concilia res definita ſit.

Opponunt 3. Ex ſententia Romanę Sedis hæreſes ſunt à Conciliis generalibus extirpandæ. Sanctus Leo *Epiſt. ad Martianum Auguſtum* apud Bail. *tom.1. ſum. in 2.p. Concil. Chalcedonen. Popoſceram quidem*, ait Leo, *à glorioſiſſima clementia veſtra, ut Synodum, quam ad reparandam Orientalis Eccleſiæ pacem, à nobis etiam petitam, neceſſariam iudicaſtis, aliquantiſper differri ad tempus opportunius juberetis, ut liberiùs ab omni perturbatione animi, hi quoque Epiſcopi, quos hoſtilitatis metus detinet, convenirent*: ergo & ipſe Concilium à Martiano poſtulatum judicavit neceſſarium ad tollendum ſcandalum, quod in prædatoria Synodo Epheſina, Eutychiani erroris occaſione, Eccleſiæ Catholicæ datum fuerat à Dioſcoro.

Paulus III. in Bulla indictionis Sacri Concilii Tridentini idem ſentit: *Deinde animo repetentes majores noſtros ſapientia admirabili, & ſanctitate præditos, ſæpè in ſummis Chriſtianæ Reipublicæ periculis remedium optimum, atque opportuniſſimum, Oecumenica Concilia, & Epiſcoporum generales conventus adhibuiſſe, ipſi quoque animum ad generale habendum Concilium adjecimus:*

15 R. Profectò Leo judicavit neceſſarium Concilium generale Chalcedonenſe, ut ejus auctoritate id poſſet deſtrui, quod perperàm egerat dictum Concilium Epheſinum II. Quæ tamen non fuit neceſſitas abſoluta, ſed aliqualis tantùm convenientiæ, & ex ſuppoſitione, ut dictum eſt *num.13.* Nam etiam Ariminenſe Concilium fuit generale, & celebrius illo Epheſino, & tamen à Damaſo Papa ſine Concilio generali fuit irritatum. Et idem Leo non omnia in Chalcedonenſi geſta, aut decreta approbavit, ſed ea tantùm, de quibus ſpeciale mandatum habuerunt Legati; rejecitque Canonem, quo Jus Patriarchicum, & Primatus honorem poſt Romanum Pontificem Conſtantinopolitanæ Se-

Sedi Synodus conceſſerat, ex alibi dictis.

16 Ad 2. Paulus congregationes Conciliorum Generalium appellat *optimum*, & *opportuniſſimum remedium*, quod & nos fatemur. Verùm de abſoluta neceſſitate altum ſilentium in Bulla ſervatur, & terminis utilitatem ſonantibus Pontifex utitur. Ideò ſolùm de utilitate, vel neceſſitate ſecundùm quid ſunt intelligendi, qui neceſſaria cenſent Concilia Generalia ex Gravina *de præſcription. tom.4.p.2.q.4.punct.1.art.2.*

Opponunt 5. Quæ univerſalem Eccleſiam concernunt ab univerſæ Eccleſiæ Epiſcopis tractanda ſunt, ſed hæreſum exſufflatio, ac ſchiſmatum extinctio univerſam Eccleſiam concernunt: ergo ab omnibus Epiſcopis in Concilio congregatis tractari debent. Hinc Conſtantinus Magnus ſcripſit: *non poſſe Religionem Chriſtianam in tuto collocari, niſi, vel omnes Epiſcopi, vel maxima eorum pars in unum conveniſſet, ſinguliqve ſententiam de rebus ad Sanctiſſimam Religionem pertinentibus dixiſſent*: ergo Concilia congregari eſt abſolutè neceſſarium.

17 R. Major eſt hoc in ſenſu vera, quia quæ univerſalis Eccleſiæ ſtatum reſpiciũt, tractanda ſunt ab Epiſcopis, ſed cum ſubordinatione ad Summum Pontificem. Epiſcopi enim in Conciliis ſunt Judices, ſed non ultimi, quorum judicium, ſi à Pontifice non confirmetur, nec poteſt univerſam Eccleſiam adſtringere (cùm Eccleſiæ univerſalis cura ſit non Concilio, ſed Pontifici commiſſa) nec eſt apud homines infallibile, quantumvis apud Deum poſſit eſſe. Quinimò, ubi res à ſolo Pontifice tractantur, cùm à Capite Eccleſiæ id fiat, à tota Eccleſia fieri præſumitur. Nam eſt Pontifex virtualiter tota Eccleſia, quatenus eſt fundamentum Eccleſiæ cum plenitudine poteſtatis, à quo cæteri Prælati in partem ſollicitudinis vocati, juriſdictionem ſibi proportionatam accipiunt, ut diximus *contr.6.cap.8.*

Ad dictum Conſtantini. Verba ipſius non important omnimodam neceſſitatem, ſed ſolùm ex ſuppoſitione, adjunctis circumſtantiis temporis, & multitudinis, cæteriſque, prout ſupra *n.10. & 13.*

18 Neque probamus ſententiam Annati *apparat. ad Theol. poſit. lib.5. p.1. art.2. ad finem*, aſſeverantis, quòd licèt controverſiæ fidei decidi poſſent à Summo Pontifice tamen hujus deciſio non tam quietat diſcordes Fidelium animos, quàm definitio Concilii Oecumenici; cùm non conveniant omnes de fide eſſe, Summum Pontificem eſſe infallibilem: & è contra fateantur omnes in fidei, vel morum controverſiis decidendis, infallibilia eſſe Oecumenica Concilia. Hæc ille. Et inde debet inferri omnimoda neceſſitate eſſe Concilia convocanda.

19 Verùm, ſi ideò ſcripſit deciſionem Pontificis non quietare Fidelium animos, quatenus ejuſdem definitionibus pertinaces reluctantur; pari modo, cùm non deſint, qui definitiones Conciliorum generalium oppugnent, ut, miſſis aliis, Novatores illas Tridentini carpunt, nec deciſiones Conciliorum Fideles quietarent, atque ita nulla eſſet in Eccleſia regula viva infallibilis, ad dubia fidei, & morum decidenda. Quapropter qui refragantur Pontifici definienti, non hoc agunt, quatenus ignorent Papæ infallibilitatem, ſed quia vel ignorare affectant, vel non dociles, non amatores veritatis ſe exhibent, nec intellectum in obſequium Pontificiæ infallibilitatis captivant, ſed obdurata fronte Spiritui Sancto reſiſtunt.

20 Ubi verò affirmat omnes convenire Concilia Generalia eſſe infallibilia, non verò hujuſmodi ſenſum eſſe circa infallibilitatem Pontificiam, inveriſimilia ſcribit; nam ab Eccleſiæ initio uſque ad hęc tempora in dubiis fidei, & morum ſemper fuit conſulta Sedes Apoſtolica, ut dixi *contr.7.cap.7.* Neque Patres illius judicium requiſiviſſent, ſi dubia eis fuiſſet Sanctæ Sedis infallibilitas. Quinimò ipſa Concilia

lia Generalia ſuam firmitatem mutuant à confirmatione Romanæ Cathedrę: Ergo, quo titulo poteſt eſſe certa infallibilitas Conciliorum, & non illa Pontificis? Cavendum itaque eſt à doctrina Annati, tum ex quo à radice Janſeniana deſcendere videatur, tum ex quo neceſſitatem abſolutam Conciliorum concludat.

21 Vis, & fructus Conciliorum exponi videtur à Vincentio Lirinenſi *in 1. commonit. cap. 32.* ibi. *Chriſti Eccleſia ſedula, & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos nihil in his unquàm permutat, nihil minuit, nihil addit.... Denique, quid unquàm aliud Conciliorum decretis enixa eſt, niſi, ut, quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſteà diligentiùs crederetur? quod anteà lentiùs prędicabatur, hoc idem poſteà inſtantiùs prædicaretur?.... Hoc inquam ſemper, neque quidquam pretereà hæreticorum novitatibus excitata Conciliorum ſuorum decretis perfecit Eccleſia, niſi, ut quod priùs à majoribus ſuis ſola Traditione ſuſceperat, hoc idem poſteris, etiam per Scripturæ Chirographum conſignaret, magnam rerum ſummam paucis litteris comprehendendo; & plerumque propter intelligentiæ lucem, non novum fidei ſenſum novæ appellationis proprietate ſignando.* Unde ex Lirinenſi fructus, qui ex Conciliis habetur, eſt, ut inſtantiùs prædicetur, hoc eſt, ab Epiſcopis in ſuis Diœceſibus publicentur, & faciliùs acceptentur decreta in illis edita. Quod non abſolutam neceſſitatem importat; à ſolo enim Pontifice poſſunt decreta fidei, & morum emanare, & fidelibus proponi, ut ſerventur, quibus obedire tenentur.

CAPUT II.

An ſolius Pontificis ſit Concilia Generalia indicere, & convocare?

SUMMARIUM.

1 *Sententiæ opinantium.*
2 *Jus congregandi Concilia Generalia eſt in ſolo Romano Pontifice.*
3 *Reges carent poteſtate coercitiva ſupra Epiſcopos.*
4 *Comitia in Regnis convocantur ab habente ſupremam in illis poteſtatem.*
5 *Ut Concilii congregatio ſit legitima, quid opus ſit?*
6 *Romano Pontifici convenit jure divino poteſtas cogendi Concilia.*
7 *Adducuntur Auctoritates conſtabilientes jus in Pontifice colligendi Synodos Generales, ad 13.*
14 *Concilia Generalia celebrata in Eccleſia, ad 31:*
32 *Concilia, & Græci præjactum jus recognoſcunt in Pontifice.*
33 *Synodi congregatæ ab Imperatoribus, non aſſentiente Papa, ſunt conventicula Sathanæ.*
34 *Synodi Nationales congregantur à Primatibus, vel Patriarchis.*
35 *Concilium Oecumenicum nullum eſt, niſi Papæ auctoritas accedat.*
36 *Alia ratione ipſe convocat Concilia, alia ratione dicitur de Imperatore, ad 37.*
38 *Quo jure Conſtantinus ſe Epiſcopum appellavit?*
39 *Quo titulo dicatur Pontifices rogaſſe Imperatores pro Conciliorum convocationibus, ad 41.*
42 *Agitur de titulo Pontificis Maximi, quo complures Chriſtiani Imperatores uſi ſunt, ad 43.*
44 *Concilia ab Apoſtolis celebrata à Petro fuerunt coacta.*
45 *Concilium Generale in eſſe perfecto quid exigat?*
46 *Cùm Pontifex judicat Concilium Eccleſiæ expedire, illud convocat.*
47 *Dum caput languet, curandum eſt, non præcidendum.*
48 *Quid agendum, exiſtente Pontifice in captivitate, vel inſania laborante?*
49 *Tempore Schiſmatis poſſunt Cardinales congregare Concilium, ad 51.*

Im-

IMperatoris eſſe, non verò Pontificis convocare Concilia generalia contendunt Lutherani, & Calviniſtæ cum recentibus Novatoribus; idcircò Generale, ſeù univerſale Concilium appellant, quod ab Imperatore omnium Domino congregatur. Quapropter ideò ad Concilium Tridentinum venire renuerunt hæretici Proteſtantes, quia non ab Imperatore, ſed à Romano Pontifice coactum.

Marcus Antonius de Dominis *de Republic. Chriſt.lib.6.cap.5.num.96.* aſſentiente Beza, tenet Imperatorem non poſſe Concilium generale cogere, cùm non ſit totius Orbis Dominus, ſed eum, junctis aliis Principibus, poſſe concedit. Magdeburgenſes *cent.4.* tradunt, jus convocandi Concilia non eſſe penes Eccleſiam ſumptam pro Paſtoribus animarum, ſed prout Imperatores, Reges, & Magiſtratus complectitur; adeòut Imperatoris ſit convocare Concilia Generalia, Regum Nationalia, & Magiſtratuum ea, quæ in ſubjectis ſibi Regionibus celebrantur.

Juvenim *tom.1.Inſtitut.Theol.diſſert.4.q.3. art.1.conc.2.* ſcribit Imperatores Chriſtianos convocaſſe octo priora Concilia Generalia.

Dicendum. *Jus congregandi Concilia verè Generalia, eſt in ſolo Romano Pontifice.* Contra allegatos.

2 Probatur. In eo dumtaxat eſt jus convocandi Concilia verè Generalia, qui poteſt ſingulis totius Orbis Epiſcopis præcipere, ut ad Concilium conveniant, & cui omnes obedire tenentur: qui enim Concilium jure indicit, non precibus, non invitatione tantùm, ſed præcepto utitur, ut patet ex Bullis convocationum, & expreſſè ex illa Pauli III. convocatoria Tridentini: Sed ſolus Romanus Pontifex poteſt ſingulis totius Orbis Epiſcopis præcipere, ut ad Concilium conveniant: etenim ipſe eſt omnium Orbis Epiſcoporum Epiſcopus, & Paſtor, juxta illud *Joan.ult. Paſce oves meas.* Et dixit Pius II. *Conſtit.In minoribus V.in Bullar.to.1. ibi §.10. Nec modò ovium, ſed & Paſtorum, tu unus omnium Paſtor*; cui proinde cęteri obedire tenentur:

3 Confirmatur. Ad illum ſolùm pertinet congregare Concilium generale, qui poteſt negligentes, vel contemnentes accedere pęnis coercere *diſt.18.per totum*; ſed nullus Imperator, nullus Rex habet potentiam coercitivam ſupra Epiſcopos, & Pręlatos, ſed ſolus Papa, qui eſt Eccleſię ſupremus Paſtor, Patriarcharum Patriarcha, & Epiſcoporum Epiſcopus:

Item. Convocatio Conciliorum Generalium eſt res pertinens ad poteſtatem Clavium, & juriſdictionis ſpiritualis, & nullo modo ad civilem, quæ Laicalis eſt: ſed poteſtas clavium (& quidem ſuprema) eſt in Romano Pontifice, non verò in Regibus, vel Imperatoribus: eſtque ſuperior quacumque civili, utpote ſuperioris ordinis:

Item. Si jus convocandi Concilia Generalia Principibus conveniſſet, neutiquàm tantæ poteſtati ceſſiſſent. Quod ſi aliqui attentarunt Synodos generales convocare, fuit uſurpatio:

4 Accedit. In quovis Regno apud eum eſt jus convocandi Comitia, qui in eo ſupremam habet auctoritatem. Si enim cujuſcumque eſſet cætus convocare, maximæ turbæ excitarentur in illo; ſcinderetur in varias ſententias, & nunquàm congregatio fieri poſſet: deeſſet quoque poteſtas coercitiva mandandi Conventum, & puniendi contradictores, ſi non venirent. Daretur pariter locus ſeditionibus, & conſpirationibus, ut inferiores Principes in Supremos inſurgerent. Sed Papa ſolus, non Principes, quinimò nec omnes ſimul Epiſcopi, habet ſupremam poteſtatem in Univerſa Eccleſia, prout diximus *contr.6. cap.1.*

5 Probatur 2. Ut Synodus Generalis ſit legitima, convocanda eſt in nomine Chriſti, hoc eſt, auctoritate à Chriſto accepta, & modo ab eo inſtituto, ſecundùm illud

illud Matth. 18. *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Ut autem ſit auctoritate à Chriſto accepta convocata, ab eo ſolo neceſſe eſt congregari, cui Chriſtus hanc auctoritatem dedit: At Chriſtus ſoli Petro, & in perſona Petri Romano Pontifici, non verò Imperatori; quinimò nec Epiſcopis eam auctoritatem contulit. Nam eam ei tradidit, cui ſuam commiſit regendam Eccleſiam, dicens, *paſce oves meas*; ſed univerſam Eccleſiam regendam commiſit Romano Pontifici, ad quem præſertim ſpectat ea agere, & diſponere, quæ ad univerſam Eccleſiam ſpectant, ut eſt Conciliorum Congregatio: ergo, ut Synodus Generalis ſit in nomine Chriſti congregata debet à Romano Pontifice, vel de ejus conſenſu, aut ſaltem, non illo inconſulto, convocari.

6 Nec jure ſolùm humano, ſed divino Romanus tantùm Pontifex Primatum in Eccleſia tenet, ut diximus *contr. & cap. cit.* Tum quia, ſi quilibet de majoribus in Eccleſia poſſet Concilium congregare, ſchiſmata in Eccleſia non vitarentur; cui incommodo à Chriſto proviſum eſt, reſtricta ad Pontificem poteſtate convocandi Concilia.

7 Probatur 3. Auctoritatibus. Pelagius II. *Conſtitut. Manifeſto, in Bullar. tom. 1.* adversùs inſolentiam Joannis Epiſcopi Conſtantinop. univerſalem Epiſcopum ſe ſcribentis, qui Epiſcopos ad Synodum generalem convocaverat, dixit. *Generalem Synodum convocandi auctoritas Apoſtolicæ Sedi B. Petri ſingulari privilegio eſt tradita.*

Item. Leò IX. *Conſtit. Cùm ex 2. ibi §. 4. Nolo vos lateat non debere præter ſententiam Romani Pontificis univerſale Concilium celebrari.*

Item. Pius II. ubi ſupra. *Inter Concilia nullum invenimus unquàm fuiſſe ratum, quod, ſtante Romano indubitato Præſule, abſque ipſius auctoritate convenerit: quia non eſt Corpus Eccleſiæ ſine capite: & omnis ex capite defluit in membra poteſtas.*

8 Leo X. in Concilio Lateranen. V. *ſeſſ. 19. Conſtit. Paſtor æternus*, quæ eſt 20. ibi. *§. 6. declarat ſolùm Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, tanquàm auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſolvendorum plenum jus, & poteſtatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ teſtimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, Sacrorumque Canonum decretis, ſed propria, etiam eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtare*, quorum aliqua recenſet: ibi videantur.

9 D. Thomas *q. 10. de potent. Dei art. 4. ad 13.* dicit. *Cujus* (hoc eſt, Papæ) *ſola auctoritate poteſt Synodus congregari.*

10 S. Antoninus *p. 3. ta. 2. ca. 3. §. 1.* ſcribit: *Nec Concilium generale poteſt congregari ſine auctoritate Papæ.*

11 Gerſonius *lib. 1. de auferibil. Papæ*, inquit. *Fateantur prius, quòd regulariter Concilium generale non eſt celebrandum de jure etiam divino, non vocante, vel approbante Papa, ſi eſt.*

12 Richerius *in hiſtor. Concilior. cap. 1. nu. 7.* docet. *Synodi generales abſque conſenſu Papæ legitimè petito celebrari non debet.*

13 Zozomenus *lib. 6. cap. 7.* refert Valentinianum Imperatorem requiſitum ab Epiſcopis ut Concilium cogeret, reſpondiſſe: *Mihi, qui ſum in ſorte plebis, fas non eſt talia curioſiùs perſcrutari: Sacerdotibus, quibus iſta curæ ſunt, quocumque voluerint loco conveniant.* Et *lib. 3. cap. 9.* aſſerit fuiſſe à Sanctis Apoſtolis traditum; Deinde in Magna (hoc eſt, Nicęna) Synodo declaratum, non poſſe ullam convocari Synodum, inconſulto, aut invito Romano Pontifice: ergo, tum rationibus, tum auctoritatibus conſtat jus convocandi Concilia generalia in ſolo reperiri Romano Pontifice.

14 Probatur ex praxi uſque nunc ſervata in convocatione Synodorum Generalium. Nicænum I. an. 325. adversùs Arium negantem Chriſti divinitatem, coactum eſt à Silveſtro Papa; vel de ejus conſenſu,

& auctoritate à Conſtantino, dicente Ruſino *lib.* 10. *hiſt. cap.* 1. Illud à Conſtantino congregatum *ex Sententia Sacerdotum, & nominatim Sylveſtri*. Et *act.* 18. Sextæ Synodi in ſermone acclamatorio ad Flavium Conſtantinum Imperatorem incipien. *A Dextra Dei* apud Bail*ſum.to.*1. *in Conſtantinopol.* III. hæc ſunt: *Arius diviſor, atque partitor Trinitatis inſurgebat, & continuò Conſtantinus ſemper Auguſtus, & Sylveſter laudabilis, magnam, atque inſignem in Nicæa Synodum congregabant.*

15 Conſtantinopolitanum I. anno 381. adversùs Macedonium, negantem divinitatem Spiritus Sancti, coactum eſt à Damaſo Theodoſii Senioris opera, prout oſtendit Epiſtola ipſius Synodi ad Damaſum incipien. *Dominis* apud cit. *in d. Concil. Quia fraternam circa nos charitatem miniſtrantes, Synodum in Romana Urbe Dei voluntate feciſtis, & nos illuc tanquàm membra propria* (nota Patres hujus Synodi ſe vocare membra Romani Pontificis) *litteris adeò admirabilis Principis evocaſtis: oratio quidem noſtra fuit, ſi eſſet poſſibile, ut omnes noſtras ſimul relinquentes Eccleſias, deſiderio utili jungeremur .... reſque nimis erat plurimis impoſſibilis, quia concurreramus in Urbem Conſtantinopolitanam, cauſa litterarum* (obſerva) *ad nos directarum veſtra charitate poſt Aquilejen. Concilium adeò amabilem Imperatorem Theodoſium propter hanc ſolùmdò cauſam uſq; ad Conſtantinopolim adire præparati*. Quod ſcripſit, etiam Theodoretus *lib.* 5. *hiſtor. cap.* 9. & in *d. act.* 18. Sextæ Synodi *loc. ubi ſupr. allegat.* dicitur. *Macedonius Spiritus denegabat divinitatem, & dominantem conſervum prædicabat: Sed maximus Imperator Theodoſius, & Damaſus fidei adamas protinus obſtiterunt:* ille miniſterialem gladium exacuendo, hic ſpecialem juriſdictionem exercendo.

Quapropter hujuſmodi Concilium eſt Oecumenicum non ſolùm ratione acceptationis, & ſubſecutæ approbationis, vel conjunctionis cum Synodo, quæ Romæ fuit à Damaſo ex Epiſcopis Occidentalibus celebrata, & ad quam, etiam illos Orientis vocaverat, cui ſe iſti animo, & ſententiis conjunxerant, ut non ineptè plures contendunt; ſed etiam ratione directæ convocationis à Pontifice præſtitæ.

16 Epheſinum I. anno 431. adversùs Neſtorium, conſtituentem duas in Chriſto perſonas, coactum eſt à Cęleſtino I. auxilio Theodoſii, & Valentiniani Imperator. juxta relationem à Synodo ipſis Imperatoribus factam incipien. *Deus ille* apud *cit. in hoc Concilio* ibi. *Hæc quidem, & antea, priuſquàm Sanctiſſima Synodus congregaretur, Sanctiſſimus Cæleſtinus Magnæ Romæ Epiſcopus litteris ſuis ſignificavit* (vel ut alii ſcribunt per litteras ſuas indicaverat) *injungens Sanctiſſimo Cyrillo, magnæ Civitatis Alexandriæ Epiſcopo, ut vices ſuas in hac cauſa ſubiret.*

17 Chalcedonenſe (quod fuit IV. Synodus Generalis) anno 451. adversùs Eutychetem, unicam in Chriſto ſtatuentem naturam, coactum eſt à S. Leone Magno, non à Martiano Imperatore, ut ex ejus Epiſtola ad Leonem incipien. *Ad hoc* apud cit. qui Pontificem invitavit, & *rogavit, ut maxima pax inter Epiſcopos fieret per celebrandam Synodum, ſe auctore*. Et in alia Epiſtola *De Studio* ab eodem Leone petiit, ut veniat, & ipſe Concilium faciat: ibi: *Supereſſet, ut ſi placuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur. Si verò hoc oneroſum eſt, ut tu ad has partes advenias: hoc ipſum propriis litteris, tua Sanctitas manifeſtet: quatenus, & in omnem Orientem, & in ipſam Thraciam, & Illyricum noſtræ litteræ dirigantur, ut ad quemdam deſtinatum locum, ubi vobis placuerit, omnes Sanctiſſimi Epiſcopi debeant convenire*. Et idem habetur ex Epiſtola Leonis ad Martianum incipien. *Popoſceram* ibi.

18 Quinta Synodus (II. Conſtantinopolitana) anno 553. propter controverſiam trium Capitulorum, ac errores Origenis repullulantes, coacta eſt, Vigilio Pontifice conſentiente, auxilio, & ſtudio Juſti-

ſtiniani exequentis, ut inquit Bzovius *lib.Rom.Pontif.cap.*8. ibi: *Juſtinianus Imperator decreto Vigilii Pontificis ad quintam Synodum Oecumenicam Epiſcopos accerſivit*. Ac patet ex *act.*18. Sextę Synodi, ubi Vigilius, & Juſtinianus in V. Synodo ad controverſiam ſopiendam juncti aſſeruntur: ſed diverſo ſanè titulo: Vigilius, ut auctoritatem exercens, Imperator verò, ut protector, & executor, ex dicendis.

19 Sexta Synodus (III. Conſtantinopolitana) an.681. adversùs hæreticos Monothelitas, aſſerentes unicam in Chriſto voluntatem, & operationem, coacta eſt à Dono Papa Romano Pontifice, & ab Agathone ipſius ſucceſſore confirmata, ut in Divali Flavii Conſtantini ad Archiepiſcopos Conſtantinopolit. apud cit. Bail. *in d.Concil.* ibi: *Jam enim ſuper hoc adhortati ſumus per pios noſtros apices adhuc inter vivos exiſtentem, & Donum Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ Præſulem, & illo de hoc ſæculo migrante, Agatho Sanctus nuper ordinatus Papa in Apoſtolica Sede prædictæ antiquæ Romæ hujuſmodi noſtros ſuſcipiens apices, deſtinavit in præſenti propriam ejus indutos perſonam, &c.*

20 Septima Synodus (Nicæna II.) an. 787. adversùs Iconomachos; ſeù Imaginum Sanctarum hoſtes, congregata eſt auctoritate Adriani I. rogato auxilio, & opera Conſtantini, & Irænis. Et *act.6.* irritum judicatum eſt Concilium quoddã Conſtantinopolitanum ſub Leone Iſaurico Imperatore, Photio præſidente, quia *non habuit cooperarium, ut hæc Synodus, quæ nunc celebratur, Romanum Pontificem, nec illius Sacerdotes*.

21 Octava Synodus (IV. Conſtantinopolitana) an.869. contra Photium pſeudo-patriarcham Conſtantinopolit. congregata eſt à Baſilio Imperatore de conſenſu, immò juſſu, & auctoritate Adriani II. prout ex ipſius Epiſtola ad Baſilium quæ lecta eſt *act.*1. *Volumus per veſtræ pietatis induſtriam Conſtantinopolim numeroſum celebrare Concilium*: non dixit *auctoritatem*, ſed *induſtriam*. Actione verò 3. lecta eſt Epiſtola Baſilii.

22 Nona Synodus (1. Lateranenſis) an.1122. congregata eſt à Caliſto II, pro recuperanda Terra Sancta, & tollenda inter Eccleſiam, & Imperatorem diſcordia in cauſa Inveſtiturarum.

23 Decima Synodus (II. Lateranenſis) an.1139. congregata eſt ab Innocentio II. pro ſopiendo ſchiſmate, excitato per pſeudo-Pontificem Petrum Leonis, potentiſſimi Romanorum civis filium; & in Petro buſianos hęreticos.

24 Undecima Synodus (III. Lateranenſis) an.1179. congregata eſt ab Alexandro III. contra Vvaldenſes, & Albigenſes, & pro reformanda diſciplina Eccleſiæ, maximè circa electionem Summi Pontificis.

25 Duodecima Synodus (IV. Lateranenſis) an.1215. congregata eſt ab Innocentio III. pro reformatione Eccleſiæ, & recuperatione Terræ Sanctæ.

26 Tertiadecima Synodus (I. Lugdunenſis) an.1245. convocata eſt ab Innocentio IV. contra Fridericum Barbaroſſam, & pro decernenda in Turcas Sancta Cruciatorum expeditione.

27 Quartadecima Synodus (II. Lugdunenſis) an.1274. coacta eſt à Gregorio X. pro Græcorum cum Latinis unione, & præſcribendo modo ad maturandam Romani Pontificis electionem.

28 Quintadecima Synodus, Viennenſis in Gallia an.1311. à Clemente V. coacta eſt pro extinguendis Templariis, damnandiſque Duluniſtis, Begardis, & Begninis, & ferendo Terræ Sanctæ ſubſidio.

29 Sextadecima Synodus Florentina an.438. congregata eſt ab Eugenio IV. pro damnandis erroribus Græcorum, iiſque uniendis cum Eccleſiâ Latina.

30 Decimaſeptima Synodus (V. Lateranenſis) an.1512. ab Julio II. indicta, à Leone X. continuata eſt, adversùs Conciliabulum Piſanum, pro reformandis moribus Eccleſiæ, Chriſtianis Principibus

uniendis, & promovenda Sancta in Turcas expeditione.

31 Decimaoctava Synodus, Tridentina, an.1545. à Paulo III. indicta, continuata eſt à Julio III. & Pio IV. pro damnandis Lutheri, & Calvini, & ſequacium Novatorum hæreſibus, reformandiſque Cleri, & populi moribus: ergo praxis convocationis intentum confirmat.

32 Probatur ultim. Concilia ipſa jus convocandi Synodos Generales Pontificibus convenire conſentiunt; non modò, quia aliàs Epiſcopi renuiſſent accedere ad Synodos ab illis coactas, utpote ab illegitimis convocatoribus congregatas, verùm etiam, quia id propria definitione ſtatuerunt, ut conſtat ex allegato Lateranenſi V. Et ſubinde decrevit Tridentinum *ſeſſ. 25. in decret. de obſer. decret. Concil.* ibi. *Confidit Sancta Synodus, Beatiſſimum Romanum Pontificem curaturum* (quantum ad removendas difficultates, quæ ſuper obſervantia decretorum potuiſſent ſuboriri) *ut.... vel, etiam Concilii Generalis celebratione, ſi neceſſarium judicaverit, vel, commodiore quacumque ratione ei viſum fuerit.... neceſſitatibus conſulatur.*

Quinimò, & ipſi Græci nobiſcum teſtantur. Nam in Concilio Chalcedonenſi *act.*1. damnatus eſt Dioſcorus, ex quo inter *alia Synodum auſus eſt facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quod nunquàm ritè factum eſt, nec fieri licuit.*

Item. Interfuerunt in Lugdunenſi II. & in Florentino, convocato prius Ferrariæ ab Eugenio IV. ut in *Conſtitut. Magnas* edita Ferrariæ 9. *Aprilis* 1438. & ſubinde ab eodem tranſlatum eſt Florentiam, ut legitur *ſeſſ.*16. Ferrariæ celebrata. In quo fertur, diſputatum eſſe de jure, de quo agitur: prætendebant Græci, quòd Papa abſque Imperatore non poſſet Synodos cõvocare: *Admiſimus* (inquiunt *ſeſſ.*25.) *privilegia Papæ, præterquàm duo, ne convocet Synodum abſque Imperatore, & Patriarchis, ſi veniant: quòd ſi advocentur, & non veniant, ne propterea impedimento ſint, quominùs Synodus fiat.* Itaque Græci ultrò agnoverunt in Pontifice poteſtatem convocandi Concilia Generalia, licèt noluerint, quòd celebrarentur, niſi, vocatis Imperatore, & Patriarchis. Verùm exceptio, quam oſtendebant, à Latinis rejecta eſt. Etenim Eugenius ibi reſpondit: *Auctoritatem ſibi eſſe, & facultatem convocandi Synodum Oecumenicam, ubi opus fuerit, & omnes Patriarchas parere ejus voluntati.*

33 Accedit. Non Concilia, ſed congregationes Sathanæ, & conventicula, ac Schiſmaticæ uniones, ſunt Synodi, quæ vel non à Papa, vel, non ejus auctoritate ab Imperatoribus indictæ ſunt. Hoc titulo reprobatum eſt in Synodo Romana à Gregorio II. Conciliabulum Conſtantinopolitanum trecentorum Epiſcoporum congregatum an.730. eodem Gregorio renitente, à Leone Iſauro Imperatore; in quo impium promulgavit edictum de abolendis ſacris Imaginibus.

Item. In Concilio Romano à Stephano IV. an.769. reſciſſa ſunt Acta Conciliabuli Conſtantinopolitani pſeudo-ſeptimæ univerſalis, à Conſtantino Copronymo Leonis filio congregati an.574. contra ſacrarum Imaginum uſum. Eadem ratione in Concilio Lateranenſi V. reprobatum eſt Conciliabulum Piſanum contra Julium II. Papam indictum an.1511. Et ſic de ceteris dicendum caſſatas, & infirmatas eſſe Synodos, quæ abſque auctoritate Romani Pontificis convocatas eſſe conſtat, & inter acephalas numerari debent.

Dices. Concilia particularia Galliæ, Hiſpaniæ, & Germaniæ non ab alio, quàm à Regibus, vel Imperatore fuere convocata, & tamen eorum Canones in illis Eccleſiis ſervantur: ergo, quia ſupponuntur ritè convocata; ergo idem videtur dicendum de Generalibus, quę à ſolis Regibus congregantur.

34 R. Negatur antecedens. Dicta Concilia fuerunt auctoritativè congregata à Primatibus, vel Archiepiſcopis, quam. Auctoritatem Epiſcopi ſemper agnoverunt

runt ſe à Pontificibus recepiſſe, ſibique eſſe ab Apoſtolica Sede demandatam (nam ipſa fons eſt omnis juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ut diximus *contr.6.cap.8.*) A Principibus verò coacta dicuntur miniſterialiter, non verò mandando auctoritativè, ut Patres congregarentur, ſed ſolùm exhortativè, & coagendo; propter quod ab Epiſcopis requiſiti miniſterialem, & adjutricem operam exhibebant, reprimendo perturbatores, & promovendo executionem. Unde adjutrices manus non auctoritativas exhibuerunt: non Conciliorum indictores, ſed defenſores extiterunt. Ita Carolus V. non ſemel à Pręſulibus Germaniæ rogatus, ut brachium ſæculare adhiberet ad occurrendum malo hæreſis Lutheranæ, opem tulit, ſed nunquàm ſibi poteſtatem ſpiritualem uſurpavit; & in executionem dumtaxat voluntatis, & ſtatutorum à Cętibus Patrum editorum intendit. Quidquid blacteret Spalatenſis, Eccleſiæ rebellis.

Opponunt 1. Illud ad ſolum Pontificem non pertinet, quod per plura ſæcula præſtitum eſt ab Imperatoribus; ſed Imperatores Orientis per plura ſæcula convocarunt Concilia generalia; ergo ad ſolum Pontificem non ſpectat jus convocandi Concilia generalia; quandoquidem inveriſimile ſit, quòd Catholici Imperatores ſibi jus alienum uſurpare voluerint. Minor conſtat. Nam Nicænum I. fuit convocatum à Conſtantino Magno, ut teſtatur Euſebius *lib.1. de illius vita cap.44. Eccleſiæ Dei præcipuè curam gerens, cùm per diverſas Provincias quidam inter ſe diſſentirent, ipſe, velut communis omnium Epiſcopus à Deo conſtitutus, Miniſtrorum Dei Synodos congregavit*: Conſtantinopolitanum I. à Theodoſio Seniore. Epheſinum ab Juniore. Chalcedonenſe à Martiano, & ſic de cæteris in Oriente celebratis.

35 R. 1. Nonnullis placuit aſſerere, quòd, ſi ex Conciliis Generalibus aliquod fuit abſque auctoritate, & conſenſu Romani Pontificis convocatum, nunquàm potuit Oecumenicum appellari, donec idem ratam ex ſuo beneplacito, & aſſenſu haberet illius convocationem; per ſubſequentem enim confirmationem robur tunc obtineret. Quod videtur probabiliter dictum, & ſatis id eſſet.

36 R. 2. Negatur minor, ut conſtat ex probatione *num.14.* Cùm verò Auctores Imperatoribus tribuunt Conciliorum cōvocationes, intelligendi ſunt, non quòd *coactivè*, ſed *exhortativè* collegerint, ut ſcribit Cardinalis Cuſanus *lib.3. de concord. Cathol. cap.13.* Et *cap.15.* explicans diſcrimen inter Romanum Pontificem, & Imperatorem in eo, quòd ſpectat ad convocationem Conciliorum, habet. *Papa, ut primus, & habens præcipuam poteſtatem ex Principatu Sacerdotii ſui in omnes alios Epiſcopos, quoad eam Congregationem reſpicientem univerſalis Eccleſiæ ſtatum, in qua ipſe primam curam gerit: ex qua credita poteſtate præcipere illis habet, ut conveniant. Imperator verò exhortatur, & ſuadet Epiſcopis, & præcipit Laicis. Neque Romanus Pontifex dicit convocationem ad ſe pertinere tantùm; ſed, quòd ſine ſua auctoritate Synodus fieri non debeat.*

37 Quare eſt differentia inter Pontificem, & Imperatorem in convocatione Conciliorum. Papa congregat auctoritativè, & poteſtativè mandat Epiſcopis congregari. Imperator verò ſuaſivè, & exhortativè, & per modum adjutorii, & tanquàm executor mandati, & voluntatis Pontificiæ: ac brachium, & adjutrices manus porrigit, ut tutò Patres congregentur, defendantur, & definita juxta eorum, & Patris Patrum Romani Pontificis determinationem executioni mandentur; atque ita ut efficaciùs Papa in convocatione ſuum finem conſequatur. Poteſtas enim Imperialis, & Regalis data eſt in auxilium poteſtatis Pontificalis, quæ eſt illa ſuperior. Quin etiam, ubi legitur Imperatores ad Concilium interdùm vocaſſe, hoc accipitur id eos feciſſe, mandante, vel de Conſilio, aut Romano Pontifice

tifice exhortante, prout D.Gregorius *lib. 9.Epiſt.1.* Exhortatur Theodoricum Galliæ Regem ad eliminandam ſimoniam, & ad indicendam Synodum in ſuo Regno. Quòd, ſi aliqua fuerunt coacta, Romano Pontifice contradicente, nulla fuerunt. Hac enim in re jus, non factum eſt attendendum; & non tantùm quid, ſed quo jure factum fuerit, oportet expendere.

Cùm Euſebius ſcripſit Nicænum fuiſſe à Conſtantino congregatum, in hoc ſenſu accipitur, inquit Spondanus *Epit. ad ann. 325.num.6.* quòd ejuſdem litteris Epiſcopi vocati fuerint, ſed interpoſita Sylveſtri auctoritate, ut dictum eſt *num.14.* Cujus voluntatis fuit Conſtantinus executor: Quod de ceteris Imperatoribus uſurpatur, cùm ab illis dicitur coacta eſſe Concilia, in qua re miniſterium adhibuerunt, non verò auctoritatem. Conveniebat tunc Pontifices miniſterio eorum uti: tum, ne Epiſcopi renuerent adire convocationem; faciliùs enim Epiſcopi Orientis (in qua parte motus excitabantur) paruiſſent Imperatori, in cujus dominio temporali erant; tum, ne ab Ethtreis, vel hæreticis damnum in itinere reciperent; tum etiam, cùm tunc magna paupertate premerentur, nec poſſent tot impenſas facere, neceſſe erat illis tam vecturas, quàm cibaria, etiam tempore convocationis ex publico Imperatorum ærario miniſtrari; tum item, ex quo Civitates, in quibus commodè poterat Concilium celebrari, ſubditæ eſſent Imperatoribus, in quibus abſque illorum conſenſu, & executorio decreto generales Conventus fieri non permittebatur.

38 Quo verò jure Conſtantinus ſe Epiſcopum appellaverit, hic non diſcutimus. Hoc quidem certum eſt, religioſiſſimum Imperatorem non dixiſſe ſe Epiſcopum, accepta nomenclatura ab Epiſcopatu, prout hic eſt dignitas Eccleſiaſtica cum juriſdictione, & poteſtate ſpirituali: hanc enim Conſtantinus ſibi non arrogabat. Unde requiſitus, ut judicem in cauſa Epiſcoporum ageret, reſpondit: *Mihi non eſt fas, cùm homo ſim, hujuſmodi cauſarum cognitionem arrogare: præſertim cùm, & qui accuſant, & accuſantur, Sacerdotes ſint.* Ideò de Epiſcopatu intelligendum eſt, prout Epiſcopatus ſuperintendentiam importat juxta Auguſtinum in *pſal.126.* ubi dicit. *Græcè, quod dicitur Epiſcopus, hoc latinè ſuperintentor interpretatur.* Quare cura Cõſtantini fuit quibuſdam actionibus exterioribus in Eccleſia ſuperintendere. Et partes illius exterioris Epiſcopatus erant; Patres ad concordiam hortari, ut fidei negotium, cujus cauſa convocati erant, ſtrenuè ageretur: hoſtes fidei ſubigere: Laicos ad pietatem colligere: procurare, ut dies feſti à Patribus conſtituti ſervarentur, ac ut deciſiones Concilii in foro exteriori executioni mandarentur, adhibito brachii ſæcularis ſubſidio. Quoad hæc Cardinalis Perronius in *replicat. ad Angl. Reg.lib.1.cap.4.* neceſſariam dicit auctoritatem Principum in Conciliorum convocatione; ſed ut legitima ſint, opus eſſe illa Pontificis. Legatur Du-hamel *tom.5. Theolog.Cleric. libr.2. de Concil. diſſert.prior. cap.2.*

Verùm hodie ab illa appellatione omninò abſtinendum eſt, cùm Sectarii velint, Laicos poſſe Epiſcopatum agere per poteſtatem à laico Senatu acceptam, ut obſervat Petavius *Theol. dogm. de Eccleſiaſt. Hierarch.lib.3.cap.6.nu.9.*

Dices. Non ſemel Romani Pontifices rogarunt Imperatores, ut Concilia convocarent, vel convocari permitterent: probat Spalatenſis, ex quo Julius I. Epiſcopos miſerit ad Conſtantium Imperatorem Orientis, cui ejuſdem Julii officio, Conſtans Imperator Occidentis, illius Frater, ſcripſit pro convocatione Synodi facienda; & poſteà viſum eſt Imperatoribus, ut Sardicæ (quæ eſt Urbs Thraciæ) Epiſcopi convenirent apud Bail *to.1.cit. in hoc Concil.*

39 R. Illa Julii rogatio, quando contigerit, mittendo Epiſcopos ad Imperatorem Conſtantem non fuit ſubmiſſionis ſi-

gnum,

gnum, neque auctoritatis Papalis depreſſio: poterat enim ſua auctoritate Synodum indicere, ſi in Conſtantio (qui Arianis favebat) religionem deprehendiſſet, non verò reſiſtentiam; ad quam emolliendam, prudentiam cum precibus adjunxit, prout iniqua illa tempora ferebant. Quapropter permiſſio illa, condeſcendentia, & rogatio Julii non auctoritatem in Imperatore concludebat, ſed ea Julius utebatur ad redimendam vexationem, qua Imperator Arianus Synodum evertere conabatur, & congregari non patiebatur.

40 Immò, Concilium fuit à Julio indictum, & tempus celebrandi ipſe deſignavit, ut ait Balſamon *præfat.* in *Concil. Sardicen.* Quod palàm fit, quia inquit Socrates *lib.3.cap.16.* quoſdam Epiſcopos ad hoc Concilium non veniſſe propter corporis infirmitatem; alios verò cauſatos anguſtiam temporis à Julio præſtituti. Propter quod argumentum eſt Julium indixiſſe Concilium, licèt Imperatores ad coadunandos faciliùs tot Epiſcopos, ſimul eos convocaverint, eorumque miniſterio Pontifex convocationem celeriùs obtinuerit; eoque uſus fuerit, & præſertim Conſtantis, qui partes Catholicorum tuebatur, Fratrique ſuo litteris bellum minatus eſt, niſi rectam fidem labefactare defineret. In quo Concilio Legati Sedis Apoſtolicæ fuerunt Archidamus, & Pollixenus. Quod Concilium, ut legitimum, & Oecumenicum ab Eccleſia receptum eſt, ac ut unum idemque cum Oecumenico Nicæno I. ſpectatur, quatenus in eo eadem fides Niceni confirmata eſt, & confirmati, vel explicati Canones Nicæni.

41 Cavendum eſt, ne orthodoxum hoc Sardicenſe confundatur cum alio Arianorum, quod celebratum eſt à 761. ex Epiſcopis Orientalibus, qui à Catholicis diſceſserunt, & Philippopolim ſe tranſtulere, ubi ſuum Concilium habuere, quod perperàm Sardicenſe appellarunt: ſed ab Eccleſia ſemper rejectum eſt.

Opponunt 2. Conſtantinus Magnus retinebat titulum Pontificis maximi, quo Imperatores uſi ſunt, & ſtolam Pontificiam induebant: ergo poteſtas in eis fuit convocandi Concilia.

Item. Patres curabant, ut in fronte Conciliorum apponerentur hæc verba: *Sacroſanctum, & Oecumenicum Concilium auctoritate Imperatoris congregatum*; & in relatione Concilii Chalcedonenſis ad Leonem Pontificem hæc ſunt: *Sancta, & Magna, & univerſalis Synodus, quæ per gratiam Dei, & Sanctionem piiſſimorum, & amatorum Chriſti Imperatorum noſtrorum collecta eſt.* Ergo ſenſus Conciliorum fuit jus convocandi Synodus generales eſſe in Imperatoribus. Quod optimè confirmatur, ex quo Leo Patres ea phraſi ad ipſum ſcribentes non correxerit.

42 R. Negatur conſequentia, quæ minimè ex allegato titulo, & uſu ſtolæ probatur. Neque enim Conſtantinus eum titulum ſibi retinuit in præjudicium rerum ſpiritualium. Quoniam, ut vidimus, noluit Sacerdotum Judex eſſe, & erga S. Sylveſtrum Romanum Pontificem officium Stratoris egit, quem ſupra ſe eſſe recognovit. Ideò nomen illud, & amictum accepit, non ut offenderet jura Romani Pontificis, ſed ut Gentilibus, & Senatui ampliſſima poteſtate ſe præditum eſſe ſignificaret. Sciendum enim eſt apud Gentiles Pontificem maximum (ab eis confictum) maximæ auctoritatis fuiſſe: judicabat de rebus ad Gentilitiam ſuperſtitionem pertinentibus: poterat comitia dirimere, Conſules abdicare, factaque irrita reddere: ac bella, ne fierent, ex ejus arbitrio pendebat: Imperatores Gentiles cenſuerunt eam auctoritatem ſibi perneceſſariã, & non poſſe Imperatores abſque illa eſſe; ideò Imperatoriæ dignitati eam Pontificatus conjunxere; ut hac forma, etiam religionis jure Senatum Populumq; Romanum (crebrò in Imperatores moleſtũ) ſibi obſequentem redderent. Ut ex Zozimo ſcribit Spondanus *Epit. ad an.312.n.12.* Hinc Conſtantinus ne in ſeipſum Senatus,

populuſque Gentilitiæ factionis, eſſent conſpiraturi, titulum illum adhibuit, & oblatum amictum Pontificium uſurpavit. Verùm, tunc Chriſtiani Imperatores titulum rejecerunt, & ſumere ſtolam deſierunt, cùm Senatores majori ex parte fuere Catholici.

43 A Gratiano Imperatore Catholico fuit ab illa nomenclatura temperatum, Præfectoque Urbis auctoritatem tradidit judicandi de rebus Gentilium ſuperſtitioſis: hoc exinde in eum ſcomma iſti jactarunt: *Si Princeps non vult appellari Pontifex maximus, admodùm brevi Maximus*(nempe Maximus Britannus) *Pontifex fiet*. Et reipſa à Gratiano exercitus defecit, fuitq; occiſus an. 383. Cujus funus denegatum eſt à Maximo Tyranno, nolente ejus corpus ſepulturæ mandari, ut ad *d.an.nu.2.* idem Spondanus.

Ad Item. Nonnullis Conciliis præjactus titulus præfixus legitur; non quatenus Patres cenſerent poteſtatem convocandi Cõcilia Imperatoribus convenire; ſed, ut ſignificarent Synodos eſſe celebratas ſub illorum protectione; atque ita, ut promptiorem executionem definitionibus conciliarent, pro qua Imperatores manus adjutrices porrexiſſent; ut inde omnes, vel virtutis amore, vel formidine pænæ Concilio obtemperarent. Ubi verò ad Concilia ipſi Imperatores Epiſcopos convocaſſe dicitur, de auctoritate, & conſenſu Romani Pontificis actum eſſe, pluries notavimus.

Opponunt 3. Poteſtas convocandi Concilia Generalia eſt in Eccleſia, prout hæc complectitur Paſtores Eccleſiæ, ita *Act.6.* per duodecim Apoſtolos convocata eſt multitudo diſcipulorum, & in eo Concilio electi ſunt ſeptem Diaconi. *Actor.15.* pro dirimenda controverſia, an circumciſio eſſet ſervanda, *convenerunt Apoſtoli, & Seniores videre de verbo hoc:* ergo non in ſolo Pontifice eſt jus convocandi Concilia Generalia.

Confirmatur. Nonnulli ab Auctoribus recitantur caſus, in quibus alteri, quàm Pontifici convenit jus convocandi Concilia generalia. Primus eſt, ſi Papa requiſitus de convocando Concilio maximè neceſſario, nollet Synodum convocare; tunc inquit Duvallius *p.4.q.2.* Cardinales poſſent illam indicere; quòd ſi iſti quoque nollent, poſſent Primates diverſorum Regnorum inter ſe convenire, & Epiſcopos ſibi ſubjectos in unum locum convocare; quibus etiam renuentibus, poſſent Epiſcopi mutuo hortatu in unum locum ad providendum rebus Eccleſiæ congregari. Hac via reiiciuntur Novatores, aſſerentes futurum eſſe caſum, in quo Eccleſia nec fidei, nec moribus, nec diſciplinæ poſſit conſulere.

Secundus. Si Papa, ut perſona privata eſſet hęreticus, juxta *caput. Si Papa* 40. *diſt.*

Tertius. Si Papa eſſet Eccleſiæ pernicioſus, & ſcandaloſus: ſiquidem Reſpublica Eccleſiaſtica eſt meliùs inſtituta, quàm terrena Politia; ſed hęc poteſt congregari ad deponendum Pontificem perturbantem, & deſtruentem Rempublicam: ergo multò magis poteſt Eccleſia auferre Pontificem regentem eam in deſtructionem.

Quartus. Si Papa eſſet apud infideles captivus, & amens, nullaque de ipſius liberatione, & ſanitate ſpes foret.

Quintus. Si duo contenderent de Papatu. Ita ad tollendum ſchiſma, quod Eccleſiam exagitavit, contendentibus de Papatu Gregorio XII. & Benedicto XIII. Piſis per Cardinales utriuſque partis congregatum fuit Concilium *ann.1409.* & utriſque depoſitis, elegerunt Alexandrum V. ex Ordine Minorum: ergo non in ſolo Pontifice jus eſt Synodos generales congregandi. Ita ex Gerſonio, & Almarino quamplures alii.

44 R. Negatur antecedens. Illud *Act. 6.* intelligitur, Apoſtolos id feciſſe ex auctoritate, & Petri conſenſu, eſtò ibi expreſſè non commemoretur. Ratio eſt, quia exi-

eximia erat reverentia Apoſtolorum erga Petrum, tanquàm ad Caput, & Principem à Chriſto conſtitutum, cui in omni negotio primum locum ceſſerunt. Ita *Act.* 1. Petrus, ut ſacri collegii præfectus, ac Præſes, & Conventum indixit, & faciendam propoſuit electionem alterius in locum perfidi Judæ; eumque convocaſſe Conventum illum *Actor.*15. eadem ratione colligitur, in quo ipſe litem abſolvit.

45 Ad Confir. Negatur antecedens. Quando, etiam in caſibus allegatis Concilium cogeretur, hoc neutiquam foret generale, & perfectum. Quoniam Concilium generale in ſuo eſſe undequaque perfectum, & abſolutum, conſtat ex capite, & membris; repræſentat enim Eccleſiam, quæ ex membris, & capite coaleſcit. Ergo, ſicut Eccleſia ſine capite eſſet acephala, ita Concilium à Papa, vel non convocatum, vel ipſo renuente coactum. Hęc ſatis eſſent pro ſolutione; verùm ad ſingula reſpondemus.

46 Ad I. Inveriſimile omninò eſt, quòd verus, & legitimus Pontifex certior factus fidem periclitari, & mores generaliter corruptos, videnſque expedire congregationem Concilii, nollet congregare; ſemper enim benè præſumendum de Romano Pontifice *cap. Non nos* 40. *diſt.* Sicut autem firma fide credimus ex divina promiſſione, & providentia Pontificem in Conciliis, & extra Concilia in decretis fidei, & morum formandis non aberrare; ſic pariter cenſendum eſt, quod excitaretur Pontifex à Spiritu Sancto ad congregandum Concilium, quando adeſſet neceſſarium, vel valdè expediens: Deus enim in neceſſariis non deficit; atque ita de remedio eſt optimè proviſum. Ideò ſi plures judicarent eſſe neceſſariam Concilii convocationem, & Pontifex in aliam ſententiam iret, non ab ullo attentanda eſſet convocatio; aliàs quilibet, & maximè Principibus faventes poſſent in Eccleſia turbas movere, & ad ſchiſmata viam parare: Ludricum eſt, quod oves debeant Paſtori imperare, vel adversùs eum agere.

Ad 2. Negamus caſum poſſibilem, ut diximus *contr.7.cap.*1 Ubi plura dedimus circa canonem allegat. eoque ſuppoſito, à quibuſdam ſcribitur caſum ex hypotheſi impoſſibili ſolummodò diſputari, *ſi fortè, vel per impoſſibile contingeret*: Sed vide ibi.

47 Ad 3. Diverſa eſt ratio Principis Laici, & Summi Hierarchæ: ille, ut inſtituitur, & auctoritatem recipit à Republica civili, poteſt malè, & tyrannicè agens deponi, & privari. At Papa immediatè à Chriſto inſtituitur, & auctoritate donatur: ergo non poteſt ab Eccleſia judicari, cogi, vel deponi. Nec ideò eſſet minus proviſum Eccleſiæ à Chriſto, nam remedia validiſſima ſuperſunt: In caſu, quo Pontifex (quod abſit) Eccleſiam ſcandalizaret, eſſent illa orationis, admonitionis reverentialis, & humilis reprehenſionis, exemplo Pauli reprehendentis Petrum ad Galat.2. Si in corpore humano caput infirmatur, & languet, non ideò à corpore ſeparatur, ſed adhibentur emplaſtra, fomenta, & ligaturæ: cùm tamen ſi pedes, vel manus morbo laborent, à corpore præcidantur propter conſervationem totius. Quapropter quando vita Pontificis à ſana doctrina, quam infallibiliter ex Cathedra docet, diſcordaret, ex illo abuſu præcidendus non foret, nec poſſet, cùm in Eccleſia hæc non ſit poteſtas.

Quod conſtat ex verbis Chriſti, *Matth.* 18.ubi: *Si oculus tuus* (manus, vel pes) *ſcandalizat te*, præcidendum eſſe docuit, ubi ſcandalum præberet; nunquam tamen dixit de capite ſcandalizante, *abſcinde illud, & proiice abs te*: ratio eſt, quia vita abſque capite in corpore conſiſtere nequit; ita dicendum de capite myſtico totius Eccleſiæ. A quâ ſi exturbari tentaretur, majora orirentur mala, & ita violenta eſſet medela, & temeraria curatio: propterea tolerabiliùs eſſet Papam (quod abſit) ſcandaloſum ſuſtinere, quàm illius depoſitionem

nem

nem attentare. Ad quod tamen non eſt in Eccleſia poteſtas.

48 Ad 4. In caſu captivitatis (quę dicitur mors civilis, tamen recuperabilis) remedium in promptu eſſet, ut oratio fieret ad Deum ab Eccleſia, prout factum eſt pro Petro vinculis alligato, & per orationem Eccleſiæ liberato *Actor.*12. De cujus liberatione minima ſpes erat: Quæ ſpes, ut liberaretur *vinctus catenis duabus*, ut ait textus? Hoc remedium eſſet adhibendum, etiam in caſu perpetuæ amentiæ: quæ appellari etiam ſolet mors civilis, naturaliter irrecuperabilis. Ideò in allegatis caſibus nihil poteſt attentari, ſed expectandum eſt, donec ad plenum libertatis, & ſanitatis reſtituatur; quia, ſicut mortuo Papa, nemo poteſt juriſdictionem Papalem exercere, ſed Succeſſoris electio expectatur, ita in caſu dicendum. Verùm ſucceſſor eligi non poſſet, dum adhuc captivus, vel infirmus vixerit; ſed confidendum eſt Deum ſuam Eccleſiam non derelicturum.

49 Ad 5. Pluribus dubiis, incertiſque Pontificibus exiſtentibus, Eccleſiam in partes dividentibus, poteſt Eccleſia per Cardinales Concilium convocare, & præcipere, ut Pontifices contendentes Pontificatu ſe abdicent, quod ni fecerint, poteſt eos, ſententia lata, à Pontificatu deiicere, prout factum eſt in d. Concilio Piſano, & omnibus Fidelibus imperare, ne eos ullo modo pro Pontificibus agnoſcant, habeant, & venerentur, ſed eum, ut legitimum teneant, qui à Cardinalibus canonicè poſteà eligeretur.

Sed quis dicet, unde colligi poteſt tantum juris, & poteſtatis eſſe tunc penes Eccleſiam?

50 R. Id ex Chriſti inſtitutione per neceſſariam, & evidentem rationem deducitur, ne ſcilicet, Chriſtum ſuam Eccleſiam deſtruiſſe videatur; aliàs multis dubiis, & incertis pro Pontificibus ſe in Eccleſia gerentibus, innumeris ſanè calamitatibus, & malis ipſa premeretur, & vexaretur. Tum quia, tunc Romana Sedes cenſetur vacare: ergo poſſunt Cardinales de medio providere, quo illius neceſſitati conſulatur. De quo etiam *cap.6. n.37.*

51 Verùm ſimile Concilium cùm non eſſet abſolutum, & perfectum, ſed ſolùm ſecundùm quid, ideò poſſet quidem omnia agere neceſſaria ad ſchiſmatis extinctionem, & Eccleſiæ pacem reddendam, non verò ſe ingerere circa definitionem doctrinæ ad fidem, & mores ſpectantis; cùm hoc ſit privilegium Capitis viſibilis Eccleſiæ, à quo eſt influxùs juriſdictionis in Patres Concilii; ut diximus ſupr. *nu.7.* & *contr.6.cap.8.*

Hinc firmum, & certum omninò eſt poteſtatem indicendi Concilia verè generalia, hoc eſt, abſolutè, & ſimpliciter perfecta ad ſolum Romanum Pontificem pertinere.

CAPUT III.

An ad ſolum Pontificem ſpectet Concilia congregata transferre, & prorogare?

SUMMARIUM.

1 *Solus Pontifex transfert, prorogat, & diſſolvit Concilia generalia.*
2 *Oves, Paſtores ſequi debent.*
3 *Sacri Canones de eo privilegio teſtantur.*
4 *De judicio Pontificis, Concilium non judicat.*
5 *Orta difficultate ſuper translatione Concilii, Sedes Apoſtolica conſulitur.*
6 *Synodus II. Epheſina à S. Leone reprobata.*
7 *Martinus V. Concilium Papiæ inchoatum Senas tranſtulit, & nu.16.*
8 *Concilium Tridentinum pluries prorogatur.*
9 *Axioma Juris:* res per cauſas, per quas naſcitur, diſſolvitur, *circa quæ verificetur, & nu.13.*
10 *Character à Deo in anima imprimitur.*

11 *Agi-*

11 *Agitur de indiſſolubilitate Matrimonii.*
12 *Profeſſio religioſa hominem Deo conſecrat.*
13 *Inferior manus ſuperioris non ligat.*
14 *Qua ratione ſeditiones ſint in Republica, ad 15.*
16 *Papa poteſt ſuper jure poſitivo humano diſpenſare.*
17 *Papa conſenſum Concilii non de neceſſitate requirit, ad 18.*
19 *Judicium, an ſemper terminandum, ubi eſt inceptum?*
20 *Judicium Papæ circa translationem Concilii, eſt hujus judicio præferendum.*
21 *Pontifex tenetur omnia agere ad ſua tuenda jura.*
22 *Altare contra Altare à Schiſmaticis erigitur.*
23 *Non eſt Imperatorum Concilia diſſolvere, ad 26.*

BAſileenſes conſtituentes in Conciliis regulativam poteſtatem omnis auctoritatis Eccleſiaſticæ aſſeruerunt non poſſe à Papa Synodos generales abſque ipſarum aſſenſu tranferri, diſſolvi, & prorogari; hinc poteſtatem Papalem Conciliis ſubiiciebant, ac Concilia ſupra Papam falsò elevabant. Hoc ultimum *cap.6.* examinabitur, & quantum ad primum.

1 Dicendum. *Solus Pontifex Romanus ſine Concilii aſſenſu poteſt Concilia congregata transferre, prorogare, & diſſolvere.* Debet eſſe commune adversùs defenſores Concilii Baſileenſis.

Probatur Transferre, prorogare, & diſſolvere Concilia ſunt munera ad plenariam juriſdictionem, & Pontificis poteſtatem ſpectantia, juxta illud Matth.16. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in Cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis;* cujus manus ab inferioribus ligari non poſſunt, nec ullis juris humani vinculis ſubiicitur, vel arctatur; prout jura de quovis Judice ſupremo clamant legibus inferioris non ligari: ergo ſolus Pontifex Romanus ſine Concilii aſſenſu poteſt Concilia congregata transferre, prorogare, & diſſolvere.

2 Confirmatur. Romanus Pontifex eſt à Chriſto Domino conſtitutus ſupremus Paſtor totius Eccleſiæ, Joan. ult. *Paſce oves meas;* Paſtoris autem eſt oves transferre, ipſaſque ducere; neque Paſtor oves, ſed oves Paſtorem ſequi debent, locumque ſecundùm illius directionem mutare, ut paſcua inveniant. Quod nullus prudens ibit inficias. Si verò Pontifex adſtringeretur amplecti determinationem Synodi circa translationem, vel diſſolutionem Concilii, Paſtor oves, & non oves Paſtorem ſequi tenerentur contra conditionem ovium, & Paſtoris naturam: ergo, &c.

Dicunt. Patres in Concilio congregati non ſunt oves.

Contra. Patres in Concilio uniti ſunt Chriſtiani, & oves Chriſti: ergo ſub cura Paſtorali Pontificis, qui eſt Chriſti Vicarius, ejus vices gerens in univerſalis Eccleſiæ regimine.

3 Probatur 2. Sacri Canones illud privilegium recognoſcunt in Romano Pontifice. Gelaſius 1. *Conſtit. Valdè unic. in Bull. to.1.§.11.* *Cuncta per mundum novit Eccleſia, quoniam quarumlibet ſententiis ligata, Pontificum Sedes B. Petri Apoſtoli jus habeat reſolvendi, utpotè quod de omni Eccleſia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.*

Leo X. *Conſtit. Paſtor æternus,* ut capit. præterit. num.8. definit, *plenum jus indicendorum, transferendorum, & diſſolvendorum Conciliorum eſſe in Summo Pontifice:*

Dicit Archiepiſcopus Famaguſtanus *in Synodia Hugonia verb. diſſolutio*, id procedit, ubi Concilium non contradicit; nam, ſi inter Pontificem, & Concilium controverſia circa translationem, vel diſſolutionem oriretur, prævaleret ſententia Concilii, utpotè melioribus rationibus roborata.

4 Contra. In caſu ordo Judicis confunderetur. Nam Concilium Supremi Judi-

dicis ſe judicem conſtitueret,& prudentiale Pontificis judicium ſugillaret, in quo temerè procederet. *Quoniam de illius judicio nulli judicare fas eſt*, ut expreſsè ibi Gelaſius. Tum quia, præſumendum eſt Pontificem melioribus rationibus moveri: quia cùm ſit in ſpecula conſtitutus, plura videt, & majores circumſtantias obſervat, quàm qui locum inferiorem obtinent.

5 Confirmatur. Quando in Concilio difficultas aliqua inter Patres naſcitur, eſt conſulenda Sedes Apoſtolica, ut de eo, quod non intelligunt, rationem accipiant, ut eſt textus *in cap. Nec licuit* 17. *diſt.* Ubi Sanctus Gregorius invehitur in Epiſcopos Venetiæ, Iſtriæ, & Liguriæ, qui convenerant ad examinandum, an decreta edita in quinta Synodo generali, bona eſſent, vel mala; ergo, ubi difficultas aliqua excitatur circa translationem Synodi, Pontifex eſt conſulendus: hæc enim una eſt de majoribus cauſis, quæ poſſunt in Eccleſia excitari; ideò ipſius judicium ad Sedem Apoſtolicam ſpectat, juxta definita à Leone IX. *Conſtit. Cùm ex* 2. *in d. Bullar.* §. 4. *Omnium Eccleſiarum majores, & difficiliores cauſæ per Sanctam, & principalem B. Petri Sedem à Succeſſoribus ejus ſunt definiendæ.* In quibus eſt ipſius ſententiæ acquieſcendum: ideò, & in caſu illius judicium prævalere debet. Aliàs nunquam daretur finis altercationi, & res procederet in infinitum. Etenim ab aliquo Judice eſſet examinandum, An Papa, an verò Concilii rationes convincerent? Quis autem eſſet hujuſmodi Judex? Nullus enim eſt Superior Papa. Et quatenus Concilium hoc prætenderet, à neutra parte eſſet victoria; cùm falſum ſit Concilium eſſe ſupra Papam ex dicendis *cap.6.* Nec Pontifex unquàm ceſſaret ſuum privilegium tueri. Et hinc in Eccleſia ſine pacis ſpe, lis indefinibilis eſſet.

6 Probatur 3. Leo Magnus in Concilio Romano 3. coacto *an.*450. reprobavit Synodum Epheſinam II. (quæ dicta eſt Latrocinalis, quia armis, more latronum concluſa fuit ex alibi dictis) indictam per Theodoſium Imperatorem, conſulto Romano Pontifice; in qua, auctore Dioſcoro, & Flavianus Conſtantinopolit. Epiſcopus fuit depoſitus; & dum Romanum Pontificem appellat, in exilium pulſus, ac pugnis, & calcibus à factione Dioſcori, malè mulctatus interiit: & Legati Romani Pontificis vexati, Eutyches communioni reſtitutus, ejuſque hæreſis confirmata, ut apud Petavium *rationar. tempor. p.*1. *lib.*6. *cap.* 19. Cur autem Leo non potuiſſet Synodum diſſolvere, vel transferre, ſi eidem priùs factiones, & violentia innotuiſſent; ex integro eam damnavit, Acta reſcidit, & aliam Chalcedone fieri adverſùs Eutychetem procuravit: ergo, ſimili ratione poterat ipſam prius diſſolvere, vel transferre. Nam major planè conatus ad hoc non requiritur, quàm circa alterum.

7 Item. Martinus V. an.1423. Concilium generale Papię indixit; quod poſteà, cùm peſtis Civitatem invaſiſſet, Senas tranſtulit; verùm timens, ne in Senenſi Concilio iterùm Schiſma penè extinctum, agente Alfonſo Rege Aragoniæ, & protegente partes Antipapæ Petri Lunenſis, Concilium maturè diſſolvit, & poſt ſeptennium an.1431. alterum indixit celebrandum Baſileæ, commiſſa præſidentia Juliano Cardinali Cæſarino, Sedis Apoſtolicæ Legato, ut in ejus *conſtit. Cùm onus* 14. *Bullar.* ibi. Martino verò è vivis ſublato, Eugenius IV. ejus ſucceſſor indictionem ratam habuit; & ut, eodem Juliano Legato præſide, celebraretur, demandavit. Verùm, cùm Synodus ſub ſpecie reformandi Eccleſiam, Fideliumque mores, pleraque Romanæ Eccleſiæ privilegia, & jura omninò tollere, & antiquare ſuaderet, & maximè ſibi ſupra Pontificem Romanum indebitam auctoritatem arrogaret, Eugenius vetuit Patres ultra progredi, & Concilium Ferrariam tranſtulit, in ejus *conſtit. Magnas XI.* ibi, ea præcipuè de cauſa, quòd, Grçcis de unione cum

Ro-

Romana Eccleſia acturis, & Civitas commodior eſſet, & in ea conſenſiſſent; eòque Baſileenſes accivit, at nihilominus Conventum nonnulli agere perſeverarunt, & Eugenium ipſum citarunt, ac ſumma temeritate in eum ſententiam depoſitionis dixerunt. Unde eſtò Synodus Baſileenſis optimum initium habuerit, turpiſſimus tamen illius exitus fuit propter ſchiſma excitatum, & ſubſecutum. Ferraria verò propter graſſantem peſtem, ſextadecima ſeſ. celebrata, Florentiam Eugenii decreto Concilium translatum eſt. Qua de re agendum eſt etiam *d.capite 6.*

8 Item. Paulus III. *Conſtit. Initio,* ut in actis Concilii, Synodum Tridentinam priùs in Civitate Mantuę celebrandam indixit; verùm, id non patiente rerum ſtatu, Vincentiam à Venetis conceſſam elegit; novis poſteà emergentibus impedimentis, ut in d.Bulla, pluries prorogata eſt. Tandem Tridentina Urbs, à Germanis optata, cæteriſque Chriſtianis Nationibus opportuna, eſt electa, ibique Concilium inchoatum ann.1545. Subinde ab eodem Paulo *conſtit. Regimini*, prout ibi, Bononiam ob peſtem graſſantem Tridenti, transfertur, celebratiſque ibi 9.& 10.ſeſ.ab Julio III. *Conſtitut.Cùm ad tollenda*, ibi: revocatum fuit Tridentum. Rapto è vivis Julio, per decem annos Concilium ceſſavit, quod poſteà à Pio IV. Tridentum revocatur, *conſtit. Ad Eccleſiæ loc.cit.* & ſub eo abſolvitur. Ex quibus liquidiſſimè conſtat jus transferendi, prorogandi, & diſſolvendi Concilia in ſolo reperiri Romano Pontifice.

Probatur 4. ratione. Ejuſdem eſt ſolvere, cujus eſt condere: & omnis res, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, *cap.1.de reg.jur. Greg.IX.* ſed Concilia generalia juxta dicta *cap.prior.* ſolius Romani Pontificis auctoritate congregantur: ergo ejus pariter auctoritate transferuntur, prorogantur, & diſſolvuntur.

Dicunt. Majorem eſſe falſam ſubſignata oſtendunt exempla: Nam I. ſuſcipiens baptiſmum, ſi voluntariè conſentiat, recipit characterem, quem tamen non deſtruit, ſi poſteà diſſentiat. II. Contrahentes matrimonium ſuo conſenſu contractũ celebrant, qui poſteà eorum voluntate diſrumpi non poteſt. III. Emittens profeſſionem in Religione approbata ſuo conſenſu irrevocabiliter Religioni ligatur, à qua, eſtò velit, ſeparari non valet: ergo poſita à Pontifice convocatione Concilii, tametſi ſubinde velit ipſum transferre, vel diſſolvere, non poterit.

9 Contra. Regula illa juris, in iis locum habet, quæ natura ſua ſolvi poſſunt, cujus generis non ſunt ea, quæ obiiciuntur, cùm ſint ex ſe perpetua, ut ad ſingula dicendum.

10 Ad 1. Indelebilitas characteris eſt de fide ex Trid. *can.9.ſeſſ.7.de Sacramen. in genere*. Ad quem imprimendum Deus, ut conditionem acceptat conſenſum adultorum, qui, vel ſuſcipiunt baptiſmum, vel confirmationem, vel ad ordinem promoventur. In quibus ſolùm character in anima imprimitur, ut ibi textus. Ideò nullus Deo inferior poteſt illum ab anima delere.

11 Ad 2. Conſenſus contrahentium matrimonium tranſit ex divina inſtitutione in contractum perpetuò indiſſolubilem, juxta illud *Matth.19. Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Atque ita vinculum Matrimonii copula carnali conſũmati nulla re, niſi conjugis morte ſolvi poteſt, ut docet Apoſtolus ad Roman.7. *Quæ ſub viro eſt mulier*, inquit, *vivente viro, alligata eſt legi: Si autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri*. Ubi verò matrimonium ratum tantùm fuerit, ſolvitur morte ſpirituali, hoc eſt, profeſſione religioſa, ſecundùm definita à Tridentino *ſeſs.24. can.6. de matrim.* eà enim quis ſe Deo devovet, ut mundo mortuus ſit, ita ut jam, nec ſui corporis poteſtatem habeat, quod Deo per votum caſtitatis

con-

conſecravit, & ſolemni ritu tradidit; nec jam ampliùs ſit ſui juris, cùm Superiorum imperio ſe per obedientiæ votum mancipaverit. Solùm matrimonium conſummatum Chriſtus permittit diſſolvi, cùm alter eſt infidelis, qui cum fideli habitare non vult, aut fortè fidelis cum eo habitare non poteſt citra ſuæ religionis, & perverſionis periculum, ut ait Paulus 1. *ad Corinth.7. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam*: & infra. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat*: quaſi diceret, nihil id intereſt, quia Fidelis eo ipſo manet liber ad aliud matrimonium ineundum, &, ut etiam ipſe diſcedat. Deus Hębreis permiſit legem repudii ad duritiam cordis eorum, ut inquit *Matthæus* 19. Quæ lex, teſte Maldonato, fuit medicinalis, & permiſſa ad impedienda homicidia; cùm Judæi crebrò, & maximè exoſas occiderent uxores.

12 Ad 3. Deus acceptat contractum perpetuò duraturum, celebratum ab eo, qui profeſſionem emittit. In hac enim homo ſeipſum conſecrat, & tradit Deo ad obedientiam, paupertatem, & continentiam perpetuam, Eccleſia traditionem acceptante. Et inde à contractu recedere neutiquàm poteſt.

13 Idcircò conſtat ea inutiliter obiici, cùm de eorum numero ſint, quæ natura ſua, poſita inſtitutione, ſolvi non poſſunt. Inter quæ non ſunt Conciliorum congregationes, ſed, adhuc illis congregatis, eſt in Pontifice potentia transferendi, & diſſolvendi illa: ſiquidem ſemper eſt in Pontifice ſuprema poteſtas regendi Eccleſiam, & ſuperioritas ad Concilium: & paſtor ovibus eſt major. Tum quia, nec Scriptura, neque Traditio proponit eum, non poſſe tranſlationi, vel diſſolutioni, dum id judicaverit expediens, ſe ingerere; ſed potius ejus auctoritas, quantum ad hunc etiam effectum, eſt nobis ex Scriptura perſpicua, ut ex illo Matth.16. *Tu es Petrus, &c.* Et *Joan. ult. Paſce agnos meos: paſce oves meas*: hoc eſt, Prælatos ovium nomine; & ſubditos nomine agnorum ſignificatos. Ideò omnium ipſe Pontifex eſt paſtor: cùm Eccleſia agnis, ovibus, & capite conſtet. Conſtat autem Concilium non eſſe Caput Eccleſię juxta dicta *contr.6. cap.2.* ergo eſt ovis, vel agnus: cui ex parte juriſdictionem Pontifex tribuit, ut cum ſubordinatione ad ipſum decidere, & definire valeat; atque adeò Concilium eſt inferius Papa: inferior autem manus ſuperioris ligare nullatenus poteſt, ut eſt textus expreſſus *in cap. Inferior* 21. *diſt.*

14 Probatur ult. Poſita aſſertione noſtræ contraria, multa incommoda eſſent in Eccleſia inevitabilia. Primò, facillimè ſeditiones, & ſchiſmata in Eccleſia orirentur, cùm ex 5. *Politic.* ex eo ſeditiones naſcantur, quòd aliqui putant, vel appetunt ęquale bonum; & ſi non ſperant, vel, illud non habent, tentant ſeditiones. Similiter ex tædio poteſtatis unius potentiæ ſuper alteram (ex eodem Philoſopho) ſeditio commovetur. Ita Baſileenſes definientes Pontificiam Poteſtatem eſſe Concilio ſubjectam, facti ſunt ſeditioſi, & ſchiſmatici: ergo à principio providendum eſt, ne ſuboriantur ſeditiones: & citiùs Papa malo occurrit diſſolvendo Concilium.

15 Secundò. Poſſent Legati contra Pontificis mandata agere, & ſeditioſis dare manus, ne decreta juxta Pontificis inſtructiones formarentur; ac nova temeritate poſſent Prælati ſibi uſurpare Sedis Apoſtolicæ privilegia, pleraque in Principum gratiam ſtatuere in præjudicium jurium Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ Immunitatis. Quibus, ſimilibuſve caſibus optimè divinitùs proviſum eſt ad Eccleſiæ unitatem ſervandam, jura Eccleſiæ cuſtodienda, & ſalutem Fidelium, conceſſa à Chriſto Pontifici poteſtate transferendi, & diſſolvendi Concilia.

Opponunt 1. Statuta Conciliorum obſervanda ſunt, ſicut quatuor Evangelia, *cap. Sicut* 15. *diſt.* ſed in Concilio Conſtantienſi.

tienſi ſeſſ.3. ſtatutum eſt, *Concilium à Pontifice. diſſolvi, vel aliò transferri non poſſe.* Quod item poſteà fuit declaratum à Baſileenſi *ſeſſ.*11. in hæc verba: *Statutum eſt, hoc præſens Concilium à nullo, etiamſi Papalis dignitatis exiſtat, diſſolvi, aut aliò transferri poſſe ſine expreſſo ipſius Concilii conſenſu.*

Ubi verò dicatur, prætactum caput *Sicut* accipi de Conciliis à Sancta Sede confirmatis, ut ea fuerunt, quæ ibi recenſentur; hoc ſuadet, eſſe decretis à Conſtantienſi, & Baſileenſi editis parendum: cùm Conſtantienſe fuerit à Martino V. confirmatum, & quantum ad Baſileenſe Eugenius IV. declaravit ab initio fuiſſe continuatum, & deinceps eſſe continuandum.

16 R. Major intelligenda eſt quoad ea, quæ fidem, vel jus naturale concernunt, non verò quantum ad ea, quæ ad diſciplinam, vel jus humanum pertinent; hæc enim ſecundùm loca, tempora, & perſonas à Papa, vel diſpenſari poſſunt, vel abrogari, ut ex *cap. Ad Apoſtolicæ de ſent. & re judic. in 6. cap. Quoniam* 18. *diſt.* Nam illis Pontifex coactivè non ligatur, juxta textum *in cap. Propoſuit de conceſ. prebend.* (quod eſt Innocentii III.) *ſecundùm plenitudinem poteſtatis de jure poſſumus ſupra jus diſpenſare.* Et re ipſa Martinus V. legi à Conſtantienſi præfixæ non ſtetit; cùm nulla facta mentione de Concilii conſenſu, Concilium Papiæ congregatum Senas tranſtulerit, ut narrat Coriolanus in *Breviar. ad an.* 1439.

17 Quinimò, quando etiam de conſenſu Concilii ſe feciſſe dixiſſet, ſicut in *d. conſtit. Dum onus* refert Baſileam pro celebrando Concilio fuiſſe electam in Concilio Senenſi *eodem Concilio approbante*: & Eugenius IV. allegat. *conſtit: Magnas* declarat Synodum Baſileenſem translatam Ferrariam, conſentientibus Imperatore, Patriarcha, & aliis, Ferrariæ ad celebrandam Synodum congregatis non probaretur in Pontifice non eſſe pleniſſimum jus ab aliis independens transferendi, & diſſolvendi Concilia; ejuſmodi enim loquendi modum non de neceſſitate Martinus adhibuiſſet, ſed ſolùm de congruentia, & quia pro tunc judicaſſet expedire: Qua ratione eo uſus eſt in d. conſtitutione: & non ab ſimili in alia Eugenius conſenſum prædictorum requiſivit. Poterat quidem ipſe ſolus Concilium transferre: verùm aſſenſum ab Imperatore, Patriarcha, aliiſque voluit præſtari, ut Sanctæ unionis negotium faciliùs concluderetur. Græciſque omnis adimeretur tergiverſandi prætextus, & occaſio recedendi à pertractanda conjunctione cum Eccleſia Romana; quam facillimè potuiſſent prætexere, ſi electa fuiſſet Civitas, vel eis non opportuna, vel diſplicens.

18 Deinde. Quod ſpectat ad decretum Conſtantienſe, vim nobis non facit; quoniam decretum editum eſt pro tempore, in quo nullus erat certus Romanus Pontifex. Unde *ſeſſ.*4. decretum loquitur de Concilio coacto ad ſchiſmatis extirpationem. Noſtra verò reſolutio procedit extra hunc caſum. Illud etiam ex Baſileenſi nullius eſt auctoritatis, utpotè Concilii non legitimi.

Quantum verò ad id, quod ſubnectitur de confirmatione Conſtantienſis, & continuatione Baſileenſis dicendum *cit. cap.* 6.

Dices. Sive ſchiſmatis tempore, ſive extra illud, nullatenus poteſt Pontifex Concilium transferre, juxta juris axioma: *ubi ſemel inceptum eſt judicium, ibi finem accipere debet. L. ubi, ff. de judiciis.*

19 R. Hoc probaret, nec de conſenſu Concilii poſſe aliò Concilium transferri. Quare, licèt regulariter judicium finiendum ſit, ubi eſt inceptum, tamen, ubi à Superiore manus inferiorum à dicendo jure ligantur, vel aliud quidpiam ſuadent circumſtantiæ locorum, & temporum, diverſo modo ſentiendum eſt, prout in facto contigit in diſſolutione Concilii Baſileenſis, ex dicendis *loc. cit. nu.* 69. Qua in re cauſæ aptiùs à Pontifice expenduntur, qui totius Eccleſiæ curam, & regimen habet.

Eſt

Eſt ſanè Principum leges condentium conſiderare temporis circumſtantias, & alia, an ſint utiles? & multò magis ad Pontificem ſpectat judicium, an hic, & nunc, & in caſibus emergentibus ſit utilis, aut expediens proſecutio, continuatio translatio, vel diſſolutio Synodi? idcircò etiam invitum Concilium, Papa poteſt ſolvere, prorogare, & transferre. Nec eſt inferiorum id examinare: ſæpè enim ſub zelo Concilii, vel titulo reformandi Eccleſiam latent in inferioribus privata ſtudia, quæ ad everſionem pacis Eccleſiæ, ad ſovendam tyrannidem, & uſurpationem privilegiorum Apoſtolici Principatus tendunt. Sicut notum eſt in Baſileenſi, quod colore reformationis in capite, & in membris ſchiſma opere complevit, vocando Eugenium in judicium, & ad extremum temeritatis proceſſit, ipſum, quantum in ſe fuit, exauctorando, intruſo Amadeo, Sabaudiæ Duce.

Opponunt 2. Si controverſia oriretur inter Pontificem, & Concilium congregatum ſuper neceſſitate, vel utilitate translationis ejuſdem, ubi Pontifex pro translatione ſtaret, Concilium verò translationem non expedire judicaret, tunc ſtandum eſſet judicio Concilii, utpotè magis ſano, & melioribus rationibus innixo; cùm plus videant oculi, quàm oculus. Et præſertim id procedit, ſi Papa ad translationem vellet procedere, ut correctionem effugeret; & poſſet dolus ex indiciis, & præſumptionibus probari, ut, ſi Concilium transferret ad locum ſuæ temporalis Ditionis, in quo propter ejus potentiam non eſset Patribus conceſſa libertas ferendi ſuffragium. Hoc enim eſſet illudere Spiritui Sancto, qui ad conſulendum Eccleſiæ laboranti de Conciliis providet: ergo, &c.

20 R. In præſumpta controverſia jus examinis non eſſet penes Patres Conciliares, ſed apud Pontificem; de quo non eſt præſumendum, quòd pro libito ſuæ voluntatis irrationabiliter, doloſè, cum Eccleſiæ detrimento; & pernicie eſset Concilium translaturus, vel diſsoluturus. Hoc enim facinus de Chriſti Vicario, etiam ſomniare prohibet divina aſſiſtentia, & providentia Salvatoris, ac Sedes Petri, quæ Rectores, qui de bono Eccleſiæ non ſatagent, ſedere in ſe nullatenus patitur, ut *cap. Non nos 40. diſt. Quis enim Sanctum dubitet eſſe, quem apex tantæ dignitatis attollet? In quo, ſi deſint bona acquiſita per meritum, ſufficiunt, quæ à loci deceſſore præſtantur. Aut enim claros ad hæc faſtigia erigit aut, qui eriguntur, illuſtrat.* Ubi Gloſ. verb. *Quis enim, dixit, quod Pontifices Sancti præſumuntur, donec contrarium conſtet.* Quin etiamſi pro libito Concilium revocaret, factum teneret, & validè transferret, ac diſsolveret; quidquid dixerit Jacobatius *de Concil. lib. 10. art. 6.*

21 Et obſervandum. Quòd ubi Pontifex nollet Concilio adhærere; & non permitteret illius continuationem, fugiens correctionem (quatenus ea ipſe indigeret, quod non admittimus) optimè ageret ſua jura tuendo: Nam *prima Sedes à nemine judicatur. Aliorum enim cauſas Deus voluit per homines terminari, Apoſtolicæ tamen Sedis Præſulis ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio*, ut diximus *contr. 6. cap. 5.* Propterea omne id operare tenetur, quod conducit, ut ſartatecta ſint ſua jura, & ne Pontificia auctoritas vileſcat. Quod ſummæ prudentiæ eſset, non verò illudere Spiritui Sancto, qui ad ſubveniendum Eccleſiæ de unius Summi Pontificis auctoritate providit.

Dices. Velle Concilium congregatum aliò transferre, non eſt aliud, quàm Altare contra Altare erigere, & Eccleſiam ſchiſmate dividere: ergo Pontifex ea poteſtate caret.

22 R. Negatur antecedens. Cùm Concilium à Pontifice transfertur, non erigit Altare contra Altare, ſed locus, in quo unum Altare conſtrui debeat, deſignatur. Ipſi ſchiſmatici ex Cypriano *de unit.* ſunt, qui Altare contra Altare erigunt, & Epiſcopo-

coporum Epiſcopum nolentes audire, dividunt Eccleſiam, & ſe à capite viſibili ſegregant; prout de Baſileenſibus commemorant hiſtoriæ.

Opponunt 3. Diſſolvere Concilia ſpectat ad Imperatorem, aliumve Principem, in quorum locis reſpectivè Synodus celebratur: ergo non ad Pontificem pertinet Concilia diſſolvere. Antecedens patet 1. Abſoluto Concilio Epheſino I. Patres petierunt ab Imperatore, ut eos ſineret ad proprias Sedes reverti, prout expreſsè habetur in relatione Synodi ad Theodoſium, & Valentinianum Imperatores *incip. Deus uţ in actis d. Synodi* ibi. *Pietatem veſtram oramus, ut jam nos, alios paupertate obſtrictos, alios morbis detentos, alios ſenio gravatos, & peregrinationem hanc amplius ferre non valentes, ut & aliqui ex nobis Epiſcopi, & Clerici jam ſint mortui, ab hac cura, & peregrinatione liberet, ut, iſta ſedata ſollicitudine, magnæ Civitatis Eccleſiæ curam geramus.*

Secundò. In Concilio Ariminenſi Patres ſolutionem Concilii, & ad ſuas Eccleſias reditum à Conſtantio Imperatore requiſierunt; neque ante obtentam ab eo facultatem, diſcedere potuerunt. Preces eorum ex Theodoreto *lib. 2. cap. 19. & 20.* fuerunt: *Iterùm te noſtris ſupplicationibus convenimus, ut jubeas Epiſcopos pergere commorantes: quos & gravitas ætatis, & paupertas affligit, quamfacillimè in Patriam deduci.*

Tertiò. In Concilio Chalcedonenſi *act. 6.* Patres ad Mauritium Imperatorem dixerunt: *Supplicamus, dimitte nos:* & Imperator: *Suſtinete tres, aut quatuor dies:* ergo, &c.

23 R. Negatur antecedens. Ad primam: potentiam, & protectionem non auctoritatem Patres petebant: ſicut, cùm ibi dicitur, Synodum congregatam eſſe *ad præceptum Imperatoris*; & in Epiſtola Concilii ad Synodum Pamphyliæ *nutu potentiæ Imperialis*, eſt ſenſus de ejus auxilio fuiſſe Patres convocatos: ita allegatis verbis ejuſdem potentiam, auxilium, & protectionem rogabant, ut redire abſque nocumento poſſent ad propria.

24 Conſiderandum eſt, Theodoſium fuiſſe à Candidiano Comite deceptum (quem ad Synodum miſerat) huic Imperatori ſignificavit decreta contra Neſtorium fuiſſe per tumultum, & contra ordinem edita, propter quod Imperator ad Synodum litteras deſtinavit, incipien. *Præclariſſimo*, quibus præceperat acta præter ordinem, ſive contra Neſtorium, alioſve eſſe irritanda, & iterùm examen inſtituendum, ut retinerentur, quæ univerſæ Synodo viderentur; qua ratione inhibuit Epiſcopis ad propria reverti, præcepitque Provinciarum Præſidibus, ut nullum permitterent ad propriam Eccleſiam redire, niſi Imperiali facultate oſtenſa. Et ſicut in Theodoſio fuit uſurpatio, detinere Epiſcopos (eſtò inculpabilis, quia ex fraude Comitis) ita in Epiſcopis fuit juſta petitio, & humiliatio ad injuſtam redimendam vexationem.

25 Ad 2. Patres Catholici, & propugnantes veram fidem, & vocem *Homouſion*, vexationem, & moleſtiam à Conſtantio eos detinente, ne ad ſuas Sedes redirent, ſubſtinebant; ſuiſque precibus ſe à violenentia, injuſtoque gravamine liberare intendebant.

26 Ad 3. Ex eadem *act. 6.* conſtat de Imperatoris reverentia erga ſacram Synodum: Alloquens enim Patres Concilii inter cætera dixit: *ſe cum uxore piiſſima Pulcheria ad Concilium veniſſe ad fidem roborandam, non ad aliquam potentiam oſtenſtendam, ſive exercendam, exemplo religioſiſſimi Principis Conſtantini, ut, veritate inventa, non ultra multitudo pravis doctrinis attracta diſcordet.* Ideò illud in objectione productum ad rogationem, vel hortamentum, non ad mandatum refertur. Quare propterea Epiſcopos monuit ad non diſcedendum, ut examinarent, atque deciderent tria capitula diſciplinam ſpectantia, quæ Concilio probanda Marcianus propoſuit.

ſuit. Hinc perſpicua eſt religioſa mens Imperatoris, qui ſanè Epiſcopos auctoritativè corporaliter detinere non voluit, cùm potiùs ipſis liberas manus, os, & judicium reliquerit. Quod ſanè noluit Spalatenſis advertere, ideò ſimilia obiecit, ut in hoc pariter Romani Pontificis primatum; & jura iniquiſſimè impeteret.

CAPUT IV.

An Romanus Pontifex ſit Conciliorum Præſes?

SUMMARIUM.

1 *Præſidentia auctoritativa in Conciliis, quæ?*
2 *Præſidentia honoraria à loco digniori appellatur.*
3 *Præſidentia alia conciliativa pacis, alia executiva, alia teſtificativa.*
4 *Solus Romanus Pontifex eſt Præſes Conciliorum.*
5 *Pontifex per ſe, vel per ſuos Legatos præſedit omnibus Conciliis generalibus.*
6 *Celebratis in Oriente præfuit per ſuos Legatos, ad 18.*
19 *Synodis generalibus in Occidente coactis præſedit Pontifex per ſe immediatè.*
20 *Excipitur Tridentinum.*
21 *Legatus gerit Vices Papæ.*
22 *Auctoritas Legati excellit illam Epiſcoporum.*
23 *Conſtantinus Imperator judicium Epiſcoporum noluit aſſumere.*
24 *Nec fuit Præſes Concilii Nicæni I.*
25 *Conſtantini officia erga Patres Nicænos.*
26 *Siniſtra apud veteres dignior habebatur.*
27 *Theodoſius per ſuos Legatos non præſedit in Concilio Epheſino I.*
28 *Quæ ſint partes Legatorum ex parte Principum in Conciliis, ad 29.*
30 *In Chalcedonenſi Præſes fuerunt Legati Romani Pontificis ad 33.*
34 *Qua ratione Magiſtratus Civiles Conciliis interſint.*
35 *In VII. Synodo non præſedit Tharaſius Epiſcopus C.P. ad 36.*
37 *Adversùs Sacras Imagines conciliabulum Conſtantinopolit. celebratum.*
38 *Legati in Conciliis operantur ſecundùm inſtructionem Pontificis.*
39 *Præſidentis munus eſt inferiores monere, &* nu. 1.
40 *Judicium Patrum in Conciliis eſt Legatis ſubiectum.*
41 *Concilia, quo titulo dicantur ab Imperatoribus confirmata ad 42.*
43 *Cur Imperator Paleologus Actis Florentini ſubſcripſerit?*

Controverſia non eſt de Conciliis particularibus; cùm omnes in hoc conſentiant, quòd Diœceſanis præſit Epiſcopus, Provincialibus Metropolitanus, Nationalibus Primas, Patriarchalibus Patriarcha: ſed difficultas examinatur de generalibus.

Lutherani, & Calviniſtæ, cæterique poſt eos Novatores contenderunt Imperatorem debere ordinariè præeſſe Conciliis generalibus, aut per ſe, aut per Legatos à ſe miſſos. Quocircà, quia Concilio Tridentino per Legatos præſedit Romanus Pontifex, non verò Imperator, ad Concilium accedere noluerunt, & nullius eſſe auctoritatis adhuc conclamant. Baſileenſes negarunt Pontifici competere præſidentiam auctoritativam, & juriſdictionalem, & non niſi honorariam, ſedendi nimirum in digniori, & eminentiori loco Baſilicæ, in qua Synodus celebrabatur, concedebant.

1 Ideò notandum, quòd præſidentia multiplex eſſe poteſt. Prima *auctoritativa*, hoc eſt, cum jure ferendi ſuffragium, & poteſtate proponendi, quæ pertractanda ſunt, atque determinandi, & decidendi, quæ expedire videntur; ac cum juriſdictione coactiva compeſcendi, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, aliave juris remedia contradictores, & rebelles, prout ex *conſtit. Dum onus XI. Martini V. in Bullar. to.* 1.

Hoc

Hoc eſt, jus, & prærogativa Papæ eidem conveniens per proprietatem, quam ſuis Legatis communicat, ut iiſdem Conciliis prȩſint; ſemper tamen cum ſubordinatione ad ipſum, ad quem ſpectat res ultimò decidere, & definire.

2 Secunda, eſt *honoraria*, dicta à loco materiali, hoc eſt, eminentiori, & digniori. Quo titulo dicitur Imperatores nonnullis Conciliis generalibus in Oriente celebratis præſediſſe.

3 Tertia, eſt *conciliativa* pacis, hac etiam ratione tribuitur Imperatoribus aliquando Conciliis præfuiſſe, quibus ſe prȩſentes ſiſtebant, ut omnia quiete contingerent; Patreſque adversùs contradictores protegebant.

Quarta, eſt *executiva*, & dogmatum defenſiva, quatenus Imperatores ſua potentia operabantur, ut decreta Conciliorum executioni mandarentur.

Quinta, eſt *teſtificativa* (quæ potiùs prȩſentia dici ſolet.) In hoc ſenſu Imperatores apud Orientales deſtinabant ad Concilia Cognitores, ut teſtes, & auditores eſſent geſtorum, eaque ad Imperatores deferrent, ut executioni mandarentur; nullatenus tamen ad Eccleſiaſticarum cauſarum deciſionem admittebantur.

Catholici omnes adversùs Etherodoxos firmant in Romano dumtaxat Pontifice jus eſſe auctoritativè præſidendi in Conciliis generalibus, vel per ſe, vel per ſuos Legatos; qui aliàs appellabantur Apocriſarii, hoc eſt, tractantes negotia Eccleſiæ; ſeù, Silentiarii, hoc eſt, Secretarii, cum quibus.

Dicendum. *Solus Romanus Pontifex jus habet auctoritativè præſidendi, vel per ſe, vel per ſuos Legatos, in Conciliis generalibus.*

4 Probatur. Ille, & quidem jure divino, jus habet præſidendi per ſe, vel per ſuos Legatos in Conciliis generalibus, qui eſt omnium Epiſcoporum Paſtor, viſibile totius Eccleſiæ Caput, & à Chriſto primatum habet in tota Eccleſia; ſed ſolus Romanus Pontifex eſt omnium Epiſcoporum Paſtor, viſibile totius Eccleſiæ caput, habetque à Chriſto primatum in tota Eccleſia: ergo Solus Romanus Pontifex jus habet auctoritativè præſidendi per ſe, vel per ſuos Legatos in Conciliis generalibus. Minor conſtat ex *contr.6.cap.2.* Major verò patet, tum ex eo, quòd caput; nedum ſitu, ſed etiam ex veritate regitiva omnium membrorum, & influxu præſidet corpori; tum etiam, quòd Paſtor oves dirigit, eique oves ſubſunt, & ab eo directionem recipiunt.

5 Confirmatur. In eo eſt jus, de quo agitur, qui per ſe, vel per ſuos Legatos præfuit omnibus Conciliis generalibus, quæ hactenus in Eccleſia celebrata ſunt: ſed iis reverà præfuit Romanus Pontifex, vel per ſe, vel per ſuos Legatos: ergo, &c. Minor certa omninò eſt, nam ſi ea prȩrogativa illi non conveniſſet, profectò jura aliena uſurpaſſet, quod dicendum minimè eſt. Tum quia, Eccleſia Romana aliena jura præſervat, non uſurpat. Tum quia, præſumi non debet, quòd aliàs, vel Principes, vel Concilia non reclamaſſent. Minor probatur: & primò quoad Concilia generalia apud Orientales habita, in quibus per ſuos Legatos Pontifices Romani præſederunt.

6 Primò. In Nicæno I. nomine Sylveſtri Papæ interfuerunt Præſides, Oſius Cordubenſis Epiſcopus, Vitus, & Vincentius Presbyteri: ut teſtantur Socrates *hiſt.lib.1.cap.5.* *Urbis verò illius* (nimirùm Romæ) *penes quam imperium eſt, Epiſcopus* (hoc eſt Romanus Pontifex) *ingraveſcente ætate præpeditus abfuit, ſed ejus Presbyteri, qui aderant, ejus locum ſupplevere*: Et Gelaſius Cizyçenus, qui vixit circa annum 480. *Ipſe ex Hiſpanis valdè celebratus Oſius obtinens locum Magnæ Romæ Epiſcopi Sylveſtri cum Presbyteris Romæ Vitone, & Vincentio cum plurimis aliis conſedebat.* Et approbat Photius Romanæ Sedi aliàs infenſiſſimus in *libr. de ſeptem Synod.* Cedrenus in *compend. hiſtoriar.* aliique, qui de hoc Concilio ſcripſere. Quidquid dixerit Euſe-

ſebius, & quot incorruptos codices Euſebii inciderunt.

In Concilio Sardicenſi ab Julio Pontifice indicto, nomine Pontificis præſedit idem Oſius cum Archidamo, & Philoxemo Presbyteris.

7 Secundò. Controverſia eſt de Præſide Concilii Conſtantinopolitani I. Bellarminus *de Concil.lib.1.cap.19.* ſcribit, Romanum Pontificem, nec per ſe, nec per Legatos interfuiſſe: nam tunc temporis Damaſus Romæ celebrabat Concilium ex Epiſcopis Occidentalibus, ad quod vocaverat, etiam Orientales, qui ob juſtas cauſas ſe excuſarunt; ac Occidentalibus ſe animo, & ſententia, non tamen præſentia corporali conjunxerunt, ut dictum eſt *cap.2.num.15.* Ubi notavimus Patres Orientis agnoviſſe Damaſum, ut *Caput*, & ideò ſine dubio Concilio præfuiſſet, ſi adfuiſſet. Verùm dicendum in eo præfuiſſe, ſi non corpore, auctoritate tamen convocans Concilium, illudque confirmans, qui voluit omne robur eidem impertiri in eis, quæ contra hæreſim Macedonii definita erant; ideò ejus auctoritas præſidentiam ſupplevit.

8 Cæterùm. Difficultatem de Præſide hujus Concilii extenuant eruditi apud Bail *ſum.to.1.tit.3.* pars in *d.Concilio*. Chifſletius *opuſc.2.in Vigilii Tapſenſis opera* ſcribit, Acholium Epiſcopum Theſſalonicenſem in Metropoli Macedoniæ Legatum fuiſſe Damaſi Papæ, qui ejus nomine intereſſet Concilio cùm in Illyrico, ac in Oriente Vicarius eſſet Summi Pontificis.

9 Neque dicatur poſſe hoc improbari per regulam, quòd ad præſidendum non ſufficit Legatos habere generale, ſed ſpeciale mandatum eſt neceſſarium. Nam mandatum ſpeciale in Acholio non fuit deſideratum. Refert enim Chriſtianus Lupus in *Schol. ad canon.16.* in Synodo Romana Pelagii II. Pontificis, duas eſſe Epiſtolas, quibus *S. Acholio Theßalonicenſi Epiſcopo ad primam Synodum Conſtantinopolitanam ſuis Illyricis profecturo, Sanctus Damaſus Pontifex dat inſtructiones varias, mandatque nullas deinceps permitti Epiſcoporum translationes*. Sanè hujuſmodi inſtructiones à Damaſo traditæ Acholio ituro ad Concilium demonſtrant illum vices Damaſi geſſiſſe, & ſpeciale mandatum ad præſidendum obtinuiſſe.

10 Tertiò. In Epheſino I. Cyrillus Alexandrinus, vir vitæ ſanctitate, & eruditione magnus, vices Cœleſtini Papæ gerebat, primumque locum obtinuit, ut in Epiſtola Cœleſtini ad Cyrillum in Synodo probata incipien. *Poſt impium*. Quod teſtatur Balſamon Pontificiæ dignitatis hoſtis in Nomocanone (hoc eſt, Canonum conciliatione) *to.8.cap.1. Viſum eſt, ut S. Cyrillo à Cæleſtino permitteretur huic Synodo præſidere*: Et conſenſit Photius ejuſdem dignitatis inimicus *libr.7. de Synod.cap.3. Cyrillus Cæleſtini Romani Pontificis implebat Sedem, atque perſonam gerebat*. Suas itaque Cœleſtinus vices commiſerat Cyrillo, qui ob id, ut, & illius quoque ſucceſſores, Papalis Mitræ prærogativam ſortiti ſunt, teſte Bail *p.1. in hoc Concil.*

11 Verùm, cùm Theodoſius fuerit à Fautoribus Neſtorii mendaciis, & fraudibus deceptus, ſignificantibus Imperatori Cyrillum ex invidia adversùs Neſtorium pacem Eccleſiæ turbaſſe, ac proinde fuerit Cyrillus Imperatori ſuſpectus, neceſſe fuit, ut Cœleſtinus novos mitteret Legatos, Archadium, & Projectum Epiſcopos, cum Philippo Presbytero, qui ſententiam depoſitionis in Neſtorium, ab eodem latam in Concilio Romano executioni mandarent. Sed non idcircò jus Legationis Cyrillo ſublatum eſt; nec ſuo tantùm, ſed & Cæleſtini in primis nomine præſedit, ejuſque auctoritate cuncta adminiſtrabat; cæteri verò Legati, certis velut formulis adſtricti, quæ in mandatis habebant, exequebantur. Hinc locis ſupracitatis eidem præſidentia tribuitur, de quo videri etiam poteſt Liberatus *in Breviario*.

12 Quartò. Ad Concilium Chalcedonenſe S. Leo ſuos Legatos miſit Paſchaſinum,

num, & Lucentium Epiſcopos, Bonifacium, & Baſilium Presbyteros cum Juliano, ut perſpicuum eſt ex Epiſtola Leonis ad Martianum Auguſtum, incipien. *Popoſceram*, in qua hęc ſunt: *Nec me quoque* (ut voluit veſtra clementia) *ab illo credatis abeſſe Concilio, cum in his Fratribus, quos direxi, ideſt Paſchaſino, &c. etiam mea ſit æſtimanda præſentia*. Et *act*.1.legitur. *In Eccleſia S. Martyris Euphemiæ congregatis, & conſedentibus Paſchaſino, & Lucentio Epiſcopis, & Bonifacio Presbytero, tenentibus locum Sanctiſſ. & Reverendiſſ. Archiepiſcopi Urbis Romæ Leonis*.

13 Ad hęc inſulſa eſt interpretatio Calvini, ſcribentis; Legatos Romanæ Eccleſiæ præſediſſe non ex jure competente Romanæ Sedi, ſed ex conceſſione, & privilegio Imperatoris. Nam, ut vidimus, Leo ſuos Legatos miſit, ut pro ſe præſiderent; cui jus præſidentiæ per ſe, vel per ſuos Legatos convenire ratione Principatus inter Epiſcopos conſenſit Imperator, qui in Epiſtola, *Ad hæc nos* Leonem alloquitur, *tuam Sanctitatem Principatum in Epiſcopatu divinæ fidei poſſidentem, ſacris litteris in principio juſtum credimus alloquendam*, ex Bail cit. *hac in Synodo*.

14 Quintò. De Præſide ſecundę Synodi Conſtantinopolitanæ in ordine quintæ, controvertitur inter Doctores. Nullibi enim legitur à Pontifice Præſides miſſos. Verùm pręfuiſſe Vigilium Pontificem teſtatur Zonaras in *vita Conſtantini*, his verbis: *Princeps fuit Vigilius Papa Romanus*. In quo Patres Concilii jus præſidentię agnoverunt. Unde eumdem, tunc Conſtantinopoli degentem, rogarunt, ut Concilio, tanquàm Præſes intereſſet, prout in Epiſtola *Scientes*, quam Vigilio ſcripſit Eutychius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, hac phraſi: *Petimus, præſidente nobis veſtra Beatitudine*. Quin etiam ſcribit Annatus *apparat. ad Theol. poſit. lib.*5. *artic.*6. Eutychium pręſediſſe Concilio nomine Vigilii. Vel, dicendum eſt, quod Vigilius pręſedit, ſi non præſentia corporali, auctoritate tamen, cùm Concilium ipſo conſentiente convocatum eſt, & eo conſentiente celebratum, ut ex Epiſtola Vigilii. *Repletum eſt ad Eutychium* apud Bail in *hoc Concilio*.

15 Sextò. In Concilio Conſtantinopolitano III. præſederunt Legati Sedis Apoſtolicæ, Theodorus, & Georgius Presbyteri, & Joannes Diaconus, qui Agathonis Romani Pontificis locum gerebant, prout habetur ex Epiſtola *Conſideranti* Agathonis apud Imperatorem Conſtantinum, & Heraclium, & Tiberium Auguſtos apud Bail *in hac Synodo*: & legitur *act*. 18. in qua omnium primi, & ante omnes Patriarchas acta ſubſcripſerunt. Præter hos autem Legatos miſſi ſunt tres alii, ita Imperatore petente, qui nomine Concilii Romæ ſub Agathone celebrati præeſſent, Joannes Portuenſis, Abundantius Paternenſis, & Joannes Regienſis Epiſcopi, ut in actis *d. Concilii Romani* apud allegat. *to.*2.

16 Reſpondet Mornæus Calviniſta *in ſuo myſterio opp.*4.*progreſ.*25. Concilio pręſediſſe Conſtantinum Pagonatum. Verùm hoc intelligendum de pręſidentia honoraria, non verò auctoritativa, & deciſiva controverſiarum fidei juxta dicta *numer.*2. & 3. ideò non ut Judex, & ſuffragator fuit Concilio pręſens, ſed ut Concilii defenſor, & protector, ac ut omnia cum pace contingerent. Indeque patet, qualiter accipiendum ſit, quoties Imperatores in Actionibus primo loco nominantur.

17 Septimò. In Synodo Nicæna II. Legati Adriani I. Pontificis fuerunt Petrus Archipresbyter, & Petrus S. Sabæ Abbas ex *Act.*1. *d. Concilii*; qui eſtò directionem Concilii permiſerint Tharaſio Epiſcopo Conſtantinopolitan. ob eminentiam doctrinę, ipſi tamen omnium primi ſententias dicebant, & ſubſcribebant.

18 Octavò. In Synodo Conſtantinopolitana IV. præfuere, ut Legati Adriani II. Pontificis Donatus Oſtienſis, Stephanus Nepeſinus Epiſcopi, & Marinus Diaconus, ut ex *Act.*1.

19 In Synodis generalibus in Occidente celebratis, Tridentina excepta, Pontifices per ſe ipſos præfuerunt. In Lateranenſi I. Caliſtus III. In II. Innocentius II. In III. Alexander III. In IV. Innocentius III. In Lugdunenſi I. Innocentius IV. In II. Gregorius X. In Viennenſi Clemens V. In Florentina Eugenius IV. In Lateranenſi V. Julius II. & ſubinde Leo X.

20 In Tridentina, Legati Pauli III. fuerunt Joannes Maria Marcellus Cervinus, & Reginaldus Polo, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales. Julii III. Marcellus Cardinalis Creſcentius, Sebaſtianus Pighinus Archiepiſcopus Sipontinus, & Aloyſius Lippomanus Veronenſis Epiſcopus. Et alii Pii IV. Hercules de Mantua, Hieronymus Seripandius, Stanislaus Hoſius, & Ludovicus Simonetta S.R.E. Cardinales. Hi decidenda proponebant, ſententiam ferebant, præſidebant; & ſubſcribebant, prout ex Actis Concilii.

21 Atque ita ex Facto etiam, pleniſſimè conſtat jus præſidendi in Conciliis generalibus, eſſe prærogativam unicè reſtrictam ad Romanum Pontificem; cùm verò ei per proprietatem conveniat, poteſt alteri committere; ut nomine ſuo, Sediſque Apoſtolicæ in illis præſit. Qui autem ex delegata facultate, ſpecialique commiſſione id agit, potiori auctoritate gaudet ſupra Epiſcopos; nam perſonam Pontificis repræſentat, cùm ejus vices gerat juxta textum in *cap. Sanè il 2. de offic. & poteſt. delegat.*

22 Et exinde Legati auctoritas eſt major, quàm ceteris Epiſcopis conveniens, & ex perſona Papæ, quem repræſentat honorari à cæteris debet. Verùm cenſetur quis munus Legati obire, & nomine Papæ præſidere, cum mentem Pontificis exequitur, & juxta inſtructiones ab eo receptas, ac ſecundùm ea, quæ habet in mandatis, procedit: Nam facultates delegatorum dependent à Litteris, cum quibus tranſmittuntur, ut ait Guazzinus *Defenſenſor reor. to. 1. defenſ. 13. nu. 3.* Et Fagnanus in 5. *ad Cap. Qui Presbyterum nu. 97. de penit. & remiſ.* ſcribit, Delegatum, non ſervata forma mandati, nulliter procedere.

Opponunt 1. In Concilio Nicæno I. præſedit Conſtantinus Magnus. Quod conſtat: primò. Nam Epiſcopi, oblatis ſupplicibus libellis Conſtantino, ab eo, ut Judice petierunt remedium injuriarum acceptarum.

Secundò. Imperator ſedens in capite ordinum ad Synodum orationem habuit; ac Patres ad pacem exhortatus eis veniam dat conſultandi de rebus, quæ decidendæ erant, regulamque, ſive normam præſcribit, qua diſputationes de fide, & religione diſcutere debeant.

Tertiò. Conſtantinus Aceſium Epiſcopum C.P. examinavit. Item litteras direxit ad Eccleſiam Alexandrinam, in qua error Arii initium accepit, & ad Univerſum Orbis populum declarans ſe unà cum Epiſcopis ſuſcepiſſe examen veritatis; certiores faciens omnes, quòd omnia diligenter examinata, & diſcuſſa fuerint; præcepitque ut omnia ſcripta Arii igni traderentur. Denique, concluſis omnibus, dedit licentiam ſingulis ad ſuas ſedes redeundi. Quæ omnia partes præſidis ſunt.

R. Hæc hæretici infarciant, ut, è gradu dejecto Romano Pontifice, primatum Regium in ſpiritualibus Principibus adſtruant. Quorum nugas rejectas dedimus *contr. 6. cap. 2.* Sed ſingulis reſpondendo dicimus, nullum ex objectis obſtare.

23 Ad 1. Rufinus *hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 10. cap. 2.* objectum removet referens, quòd videns Imperator per jurgia cauſam ſummi negotii impediri, dixit ad Epiſcopos, *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit vobis de nobis quoque judicandi, & ideò nos à vobis certè judicamur. Vos autem non poteſtis ab hominibus judicari.... Cùmque hæc dixiſſet, omnes ſimul quærimoniarum libros juſſit exuri, ne innoteſceret ulli hominum ſimulatio Sacerdotum.* Hocne eſt Judicem, & Præſidem Epiſcoporum agere, an potiùs ex ſincero Religionis affectu Epiſcopos ſu-

ſuperiores ſuos, ac Judices palam fateri?

24 Ad 2. In relatione ibi facta, præter mendacia, & umbratiles conjecturas ad fallendum, aliud non eſt. Diverſo modo rem excribit Theodoretus *Eccleſiaſt. hiſt. li. 1. cap. 6. Itaque*, ait, *cùm univerſi convenisſent, aulam illis maximam in Palatio preparavit Imperator, in eaque Sedes quam plurimas, & ſubſellia, quæ Epiſcoporum numero ſatis eſſent, locari juſſit. Ipſe quoque cum paucis poſtremus omnium ingreſſus eſt, proceritate corporis ſpectabilis: formaque egregia, & amabili, ſed pudore, qui in ejus vultu eminebat magis admirando: parvaque ſella in medio poſita cùm hoc ſibi permitti ab Epiſcopis poſtulaſſet, in ea reſedit, atque unà cum ipſo totus ille divinus cætus pariter conſedit*. Quis non videat, quàm longè Imperator fuerit à munere, & Præſidis officio? qui ne quidem ſedere voluit abſque Epiſcoporum licentia; nec in throno, ſed in humili ſede; neque in capite, aut principio ordinum, ſed in medio. In quo humilitas Imperatoris emicat, non erigitur ambitio. Ideò, ut piiſſimus Princeps Patres hortatur, ut de rebus ad fidem ſpectantibus tractent, & pax Eccleſiæ reddatur. Fortè zelus Principum erga Religionem, & commendatio, ut controverſiæ abrumpentes unitatem terminentur, in rebus Religionis auctoritatem in Principibus arguunt? Hoc dixerit, qui captiosè diſcurrit.

25 Ad 3. Non majoris ponderis ea ſunt, quàm hucuſque relata. Illud de Aceſio quid ad rem? Privatim Aceſium allocutus eſt Conſtantinus, non juridicè examinavit. Quod ipſe ſcripſit de geſtis in Concilio, negotium non faceſſit. Nam ea Scriptura judicium non fecit, ſed potiùs teſtimonium, ut magis fidem promoveret, in quo Concilium adjuvat. Quemadmodum juſſio illa de comburendis libris Arii executio fuit decretorum à Concilio; quę nec præſidentiam, neque primatum in illo probat, ſicut nec licentia abeundi Epiſcopis data: quibus viaticum miniſtrabat, cùm plerique eorum eſſent pauperes. Et magis id ejus pietatem erga Eccleſiam aperit, quod noluerit eos priùs diſcedere, quàm omnia in Concilio ritè, & planè concluſa eſſent. Quid nos urget, ſi hiſce, ſimilibuſve verbis licentiam dederit? *Patres, pro hac veſtra diligentia, & ſingulari ſtudio gratias habeo, & habiturus ſum: Redeat quiſque ad proprium gregem. Det Deus iter proſperum*. An verba humanitatis, & benignitatis pios, magnoſque Principes erga etiam Eccleſiaſticos dedecent? Inurbanus eſt, non dicam inſipientem, qui ita ſapit.

Dices. Arius Conſtantino obtulit confeſſionem ſuam, artificiosè compoſitam, ac ſi per omnia cum Nicęna fide concordaret, petens humiliter, ut eum Matri Eccleſiæ reſtitueret: ergo, quia Pręſidem eum cognoverat.

R. Confeſſio illa, teſte Theodoreto, *ubi ſupr.* non tam Conſtantino, quàm Concilio porrecta fuit à pluribus Epiſcopis faventibus Ario. Quin potiùs formulam fidei ab ipſis Concilio oblatam, ut primùm fuit lecta, ſpuriam omnes, & adulterinam clamarunt, & illicò in fruſta fuit redacta. Vel, dicendum duplicem fidei formulam ab Ario, ejuſque aſſeclis oblatam eſſe: Unam Concilio, ne damnarentur: alteram, jam ſoluto Concilio, ipſi Conſtantino, ut damnati reſtituerentur. Sed quo titulo hìc præſidentia in Conſtantino? Quod Arius id putarit, nihil eſt. Fortè ne ideò Pręſes fuit? Quod noctua dicat, Solem non lucere, ex hoc ne à Sole ſplendor excluditur? Non pręſidem, ſed ſibi protectorem Arius voluit Imperatorem.

Inſtant. Quando, etiam Imperator Præſes non fuerit, non ſequitur in Concilio pręſidentiam obtinuiſſe Legatos Sedis Apoſtolicę, ſed Euſthaſium Patriarcham Antiochenum; cùm hic primus locutus fuerit in Concilio, Imperatoris pietatem laudibus celebraverit primuſque in dextero ordine ſederit.

26 R. Negatur ſequela. Locutio, &

Imperatoris ſalutatio non arguunt in Euſthaſio præſidentiam, nec id ipſe egit ratione dignitatis, cùm in Concilio interfuerit Alexander Patriarcha Alexandrinus, Antiocheno major, & dignior. Ideò potiùs dicendum eas partes eidem ob ſpecialem elegantiam loquendi fuiſſe à Legatis commiſſas; ſicut praxis eſt, quòd in magnis Congregationibus ii eligantur ad alloquendos Magnos Principes, qui majori eloquentia, & virtute ſunt præditi. Ita Aaron, qui erat Moyſe minor, ad Pharaonem loquebatur. Quod autem Euſthaſius in illo ordine ſederit, factum eſt, ex quo Oſius, & duo alii Legati primum locum tenerent eorum, qui erant in ſiniſtro ordine, qui dignior, & nobilior habebatur apud veteres, ut notat, & exemplis oſtendit Spondanus ad *an.*325.*num.*17. referens in nonnullis Picturis B. Virginem penes Crucem videri à ſiniſtris Joannis; & ſæpè Paulus dexteram à Petro in aliis obtinet.

Opponunt 2. In Concilio Epheſino I. præſedit Imperator Theodoſius per ſuos Judices; ad Synodum enim miſit Candidianum Comitem, ut legitur in *Epiſt.Cùm Magnam* Imperatoris ad Synodum.

Accedit. In Concilio Chalcedonenſi ſententia depoſitionis contra Dioſcorũ fuit à Senatoribus, & Judicibus à Martiano miſſis prolata, prout conſtat ex *act.*1. Et in *act.*2. Judices prius acta recitarunt, ac ea, de quibus conſulendum erat, propoſuere. *Act.*4. juſſu Judicum, & Senatus lecta ſunt coram Synodo, quæ acta fuerant in præcedentibus actionibus, & Epiſcopis injunxerunt, ut docerent, ſi expoſitio fidei facta in Nicæna, & Conſtantinopolitana Synodo conſonaret cum Epiſtola Leonis Romani Pontificis: ergo ipſi Judices Præſides fuerunt.

Addo. In VII. Synodo tota Concilii directio fuit apud Tharaſium Patriarchã C.P. ut acta Synodi probant *act.*1. aliiſque ſubſecutis; cujus autem eſt Concilium dirigere, ejus eſt præſidere: ergo, &c.

27 R. Negatur antecedens, de pręſidentia auctoritativa. Theodoſius Comitem ad Synodum miſerat, non ut res fidei definiret, ſed ut impediret tumultus, & omnia pacificè contingerent, prout habetur expreſsè ex d. Epiſtola ibi. *Igitur Comitem ad ſacram veſtram Synodum abire juſſimus, ſed ea lege, & conditione, ut, cum quæſtionibus, & controverſiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat (nefas eſt enim, qui Sanctorum Epiſcoporum Cathalogo adſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negotiis, & conſultationibus ſe ſe immiſcere) verùm ut Monachos, & Sæculares, ac cæteros denique omnes ab illa Civitate modis omnibus ſubmoveat quandoquidem non licet illos, qui omninò neceſſarii non ſunt, ſacrorum dogmatum examen aliquo tumultu impedire, & iis, quæ cum tranquillitate à veſtra ſanctitate conſtitui, definirique debent, obſtaculum aliquod afferre: tum rurſum, ut diligenter proſpiciat, ne qua gravior diſſenſio ex mutuo repugnandi ſtudio coorta, Sanctiſſimæ Synodi veſtræ conſultationem, exactioremque veritatis indagationem quovis modo obturbet.*

28 Hinc conſtat I. Quænam ſint partes, & munus Legati ex parte Principum in Conciliis, Quorum præſentia non ad decreta auctoritativè formanda dirigitur, ſed ſolùm ut acta quiete, & ſine tumultu celebrentur, ac executioni mandentur, quæ communi conſenſu ſunt à Patribus determinata, ſubordinatè tamen ad directionem Legatorum Apoſtolicæ Sedis.

29 II. Negari non poteſt Imperatores maximè conſilio, & auxilio faviſſe Eccleſiæ, cujus ſunt protectores. Verùm auxilium, conſiliumque tunc Eccleſiæ præſtitum Romanos Pontifices non excludebat, nec eorum juriſdictionem minuebat. Planè Catholici Principes Carolus V. & Ferdinandus frater illius, Concilio Tridentino conſilium, & auxilium præſtiterunt; ſed Romani Pontificis auctoritatem excludere, vel minuere, ac Concilio præſidere, nec per ſomnium cogitarunt. Ideò,

cùm

cùm Theodoſius nihil in materia fidei egerit, nec per ſe, nec per Præſides, ſed tantùm circa externa Concilii, ut omnia in pace, & ordine conſervarentur, nihil aliud ritè concluditur, niſi, quòd poteſtas Imperatorum verſatur tantùm circa externam moderationem, & ordinem in modo procedendi. Circa hæc præſident Imperatores, eorumve Legati; at circa definitiones fidei, & cauſarum Eccleſiaſticarum penes Summum Pontificem, ejuſq; Legatos prima auctoritas reſidet.

Ad accedit. Juxta dicta liquet, qua intentione Martianus ſuos Senatores ad Synodum miſerit; Quorum ſententia non fuit juridica, & finalis: hujuſmodi enim rem controverſam per modum condemnationis, & abſolutionis determinat. Quod à Senatoribus minimè præſtitum eſt. Sententia enim contra Dioſcorum *act.3.* data eſt.

Ut verò magis appareat non Laicos ab Imperatore directos, ſed Legatos Leonis Papæ in Concilio præfuiſſe, non gravabor aliqua ex Stapletone exſcribere in *replic. ad Hörniſlatum lib.2.cap.14.* Indignum enim non eſt, ut alieno ſublevemur labore, repetentes illud Senecæ *epiſt.16. ad Lucillum. Quidquid ab alio benè dictum eſt, meum eſt.*

30 Quare ex *act.1.* habetur Legatos Summi Pontificis ab eodem mandatum accepiſſe, ut non ſinerent Dioſcorum inter alios Epiſcopos in Concilio ſedere, ſed juberent eum, ſicut reum ad Tribunal ſtare; quod Senatoribus ſignificabant, & monebant, ſi aliter rem fieri paterentur, excommunicationis ſententiam ſine dubio ſubituros. Quare ſedere in medio juſſus eſt à reliquis ſeparatus.

In 2.*act.* habetur præſidentia Paſchaſini, & Lucentii agentium vices S. Leonis Romani Pontificis.

31 In 3.*act.* invenitur Paſchaſinum, & cum ipſo Lucentium, & Bonifacium tenentes locum S. Leonis pronuntiaſſe ſententiam adversùs Dioſcorum, cui cæteri Epiſcopi ſubſcripſerunt. Et inde patet ſententiam, quam Senatores in cauſa Dioſcori proferebant non fuiſſe finalem, ſed animi ſui tantùm declarativam: unde Senatores non judicium dixerunt, *ſed videtur nobis juſtum*. Vide *infr.cap.8.*

32 In *act.5.* orta eſt diſſenſio inter Patres quoad formam finalis ſententiæ, quibus verbis concipi deberet: qua audita, aſſurgunt Senatores dicentes: *niſi inter ſe convenire in animum inducant, Concilium in Occidente* (Romam intelligentes) *cogendum eſſe*. Epiſcopi Illyrici continuò clamabant, qui contradicunt, Romam ambulent. Et cùm in unum omnes conſenſiſſent, rei controverſæ ultima reſolutio, & ſententia finalis recepta eſt; quæ unà cum denuntiatione depoſitionis, & excommunicationis contra eos, qui eidem contraire præſumerent, ab Epiſcopis ſolis, ſine ullo ſuffragio, aut aſſenſu Imperatoris, aut Senatorum ejus vices gerentium *act.3.* pronuntiata erat.

33 In *act.6.* interfuit Imperator cum uxore Pulcheria, hortatuſque eſt Patres, ut, rejectis omnibus hæreſibus, pura fides luce ſua reſplendeat in omnibus mentibus. Poſt allocutionem lecta eſt Imperatori definitio fidei, quæ in actione quinta fuerat prolata, cui ſententiæ ſubſcriptiones omnium Epiſcoporum annexæ erant. Primo autem loco Legatus Summi Pontificis ſubſcripſit, in hęc verba: *Ego Paſchaſinus Epiſcopus, vice Domini mei, Beatiſſimi, atque Apoſtolici univerſalis Eccleſiæ Papæ, Urbis Romæ, Leonis, Synodo Præſidens, ſtatui, conſenſi, & ſubſcripſi*. Poſt quem ſubſcribunt illius Collegæ, licèt alter eorum non eſſet Epiſcopus. Imperator vero totus fuit, ut definita executioni mandarentur, & pęnas conſtituit in eos, qui adversùs ea inſurgere, aut turbas movere præſumpſiſſent.

34 Quibus apparet, cur Oratores Principum, & Magiſtratus civiles Conciliis interſint; non enim adſunt, ut præſint, aut ut Judices auctoritativi de rebus Eccleſiaſticis ſententiam ferant, ſed solùm ut ope-

operam dent, ac in ſubſidium, ut nimirum Synodus quietè, & ordinatè procedat, & novitatum renovatores compeſcant, ac, ut definita à Seditioſis non violentur; vel etiam, ut Principes de reſolutis in Concilio doceant. In quem finem, ac ut noſcerent ea, ad quorum obſervantiam deberent contradictores impellere, Senatores petierunt de iis inſtitui, quæ in objectione ſunt allegata. De quo plura d.c.8

35 Ad additum. In d. *act*.1. non Tharaſio, ſed Legatis Adriani Papę pręſidentia tribuitur, cujus locum tenebant. Idem legitur *act*.2. In *ultim.act*. definitum eſt Sacras Imagines eſſe adorandas, & ante Tharaſium ſubſcripſerunt Legati Romanę Eccleſiæ, Petrus Archipresbyter S. Petri, & alter Petrus Abbas S.Sabæ vices gerentes Adriani Papæ, & mox ſubſcripſit Tharaſius, qui in Epiſtola *ſufficit* ad eumdem Adrianum, non ſibi, ſed eiſdem Legatis præſidentiam adſcribit, his verbis: *Miſiſti, nobis poſtulantibus, viros concordes, & dignos Apoſtolica Sede S.Petri*. Et infra. *Nos autem accipientes Comites itineris, & venerandos viros Legatos veſtros, & Vicarios quoque Orientis*: Et poſt: *Prærogativa quadam litteras Sanctitatis tuæ primo loco legi juſſimus: & eramus quidem tunc omnes veluti in regio convivio epulis Spiritus intenti, quòd tali convivio animi noſtri recrearentur, pedeſque noſtri in viam rectam veritatis per te* (nota) *ducebantur*.

36 Quapropter ex ipſius Tharaſii mente non ipſe, ſed Legati Papæ præſidentiam tenuerunt. Eidem ſolùm à Legatis, & Synodo commiſſum fuit, ut *proœmium faciat, & oſtium verbo aperiat, &, quæ congrua ſunt, vociferando pronuntiet*, ut in *d. act*. Id enim conveniens, & perutile fuit ad Synodi informationem, quòd ipſe noviſſet, quæ ſuperiori anno ab improbis in ſua Civitate contra Sacrarum Imaginum venerationem geſta erant. Ideò directio, quæ illi tribuitur non præſidentialis, ſed ſolùm informativa fuit, ac omninò à Legatis Pontificis dependens.

37 Hic advertas adversùs Sacras Imagines fuiſſe Conſtantinopoli coactum Cōciliabulum ſub Leone hæretico Imperatore, & præſidentia Photii: Quod reprobatum legimus in d. VII. Synodo *act*.6. in hæc verba: *Quòd non fuerit vera Synodus ſub Leone celebrata, quoniam non habuit cooperariū, ut hæc, quæ nunc celebratur, Romanum Papam, nec illius Sacerdotes, nec per Vicarios, nec per Provinciales litteras, quemadmodum fieri in Synodis debet*. Quare propterea hæc ipſa Synodus illud Concilium illegitimum dixit, quia in eo, nec convocato, nec præſidendo per ſe, aut ſuos Legatos, nec inſtruendo per litteras cooperatus eſt Romanus Pontifex.

Opponunt 4. Si in Conciliis præſediſſent Legati Pontificum Romanorum non fuiſſet opus, ut ea poſteà, ab ipſiſmet Pontificibus confirmarentur: fruſtrà enim confirmatio adiiceretur, cùm decreta formata eſſent à Legatis repræſentantibus Papam; ſed fuerunt reipſa Concilia à Pontificibus confirmata: ergo, quia in illis eorum Legati Præſides non fuerunt.

Deinde. Lex Tyrannica eſt, quòd Romanus Pontifex per ſe, vel per ſuos Legatos ſit Præſes Conciliorum. Nam ex eo tollitur libertas à Patribus; ſiquidem libertas expoſcit, ut quiſque liberè difficultates tractandas proponat, & examinet, propriamque ſententiam exponat, & confirmet. Hoc autem eis ex d. præſidentia non conceditur. Cùm Pręſidum partes ſint proponere, quæ decidenda ſunt, & quędam reiicere, quæ ab aliis in medium producuntur:

Denique. Illi auctoritativè quoad jus ſuffragii pręfuerunt Conciliis, quę ea confirmarunt, Eccleſia conſentiente, ſed Imperatores Eccleſia conſentiente confirmarunt Concilia: ergo, &c. Major patet. Patres Concilii Conſtantinop. I. Theodoſium Seniorem in Epiſt. incipient. Initio, rogarunt, ut decreta Concilii confirmaret. ibi. *Cupimus abs te humaniſſime, & piiſſime Imperator diplomate tuo Synodi ſenten-*

ten-

tentiam confirmari...., placita Synodi ad finem prædicta ſubſcriptione tua munias.

Secundò. In Concilio Florentino ante omnes Prçlatos tam Orientales, quàm Occidentales ſubſcripſit Joannes Paleologus Imperator! ergo, &c.

38 R. Negatur ſequela. Nam Legati in Conciliis non ita reprçſentant Papam, ut abſolutè, & independenter id faciant, quod facit Papa, ſed reprçſentant Papam, ut ejus Vicarii, per quos ipſe Papa inſtruit, & dirigit inferiores Prçlatos: regulariter enim omnes definitiones Conciliorum pendent à definitione, & inſtructione Pontificis per ſuos Legatos, vel Apoſtolicas litteras ad Patres tranſmiſſas. Ideò Legati tenentur operari juxta ſibi prçſcripta, & dubia ad Pontificem referre, omniaque acta ejus judicio probanda, confirmandaque ſupponere. Siquidem privilegium infallibilitatis eſt à Chriſto datum Pontifici, & non aliis; de quo agendum *cap. ſeq.*

39 Ad deinde. Eſt planè Prçſidentis movere ſibi ſubjecta ad finem; ita in corpore humano à capite eſt influxus, & inferiores potentię ab ipſo diriguntur. Hinc cùm Pontifex Romanus ſit Caput Eccleſię, Prçſeſque Conciliorum, ejus eſt, omnes actiones Conciliares dirigere, Patreſque, ſaltem per ſuos Legatos inſtruere de iis, quę agenda ſunt: Circa quę Patres liberè ſuas ſententias dicunt, ſed non cũ pertinacia ſenſum ſuum tuentur. Nec Tyrannis eſt à Legatis decerni, vel proponi, quę tractanda ſunt; ſed potiùs ea forma à Tyrannide liberatur Eccleſia, quę profectò ſcinderetur, & tot eſſent ſententię, quot capita. Ubi verò per Legatos proponuntur tractandę controverſię, via certa, & brevis auferens ſchyſmata aperitur. A capite enim inſtructi Legati, quę neceſſariò proponi debent, in medium proferunt, non reſtringentes judicium Patrum, ſed potiùs illuſtrando, & dirigendo, quid teneri debeat, oſtendendo Eccleſiæ Romanę doctrinam, & Pontificis definitionem, cum qua omnes particulares Eccleſię (quas Epiſcopi congregati reprçſentant) concordare debent. Neque Synodi eſt diſcutere, quę Legati habent in mandatis, & iniqua conditio eſt adverſari.

Inſtant. Judicium doctrinale non ſolùm ad Legatos ſpectat, ſed ad alios quoque Patres: ergo non Legati ſunt Prçſides, nec ipſorum eſt tractanda proponere.

40 R. Negatur conſequentia. Judicium Patrum ſemper eſt Legatis Apoſtolicis ſubjectum, ut nihil, illis inconſultis, vel renitentibus, poſſit conciliariter tractari, ſemperque Patres ſuam ſententiam ſubiiciunt Romanæ Eccleſię, & hujus auctoritati, ab ipſa confirmationem expectantes; & ſuper iis dumtaxat inquirunt, & ſententiam dicunt, quę à Legatis ſunt de commiſſione Pontificis propoſita.

41 Ad denique. Quoad vim obligandi in conſcientia, & infallibilitatem conferendam, ſoli Pontifices Concilia confirmant: Imperatores verò quoad externam executionem; hinc hi per ſuam confirmationem non auctoritatem Conciliis tribuerunt, nec Judices rerum Eccleſiaſticarum ſe exhibuerunt, ſed fuerunt executores tantùm decretorum: *convenit enim ut diſtringat legalis ultio Judicum, quod non corrigit canonica prædicatio Sacerdotum*, ajebat Guntheramnus Rex confirmans Concilium II. Matiſconenſe. Et Cardinalis Cuſanus *lib. 3. de concordant. Catholica cap. 15.* dixit. *Summus Pontifex confirmat, tanquàm auctoritatem præbens Concilio: Imperator verò tanquàm teſtis eorum, quæ geſta ſunt, & decreta, & tanquàm ea approbans, & recipiens, eiſque ſe ſubiiciens, &, quia Regis ad exemplum totus componitur Orbis, cæteri omnes Concilio obediant: nullam verò vocem Synodicam, vel deciſivam, vel concluſivam habet. Ideò, cùm deprehendimus Imperatores Concilia confirmaſſe, id factum eſt, ut manus auxiliares præberent Eccleſiæ.*

42 Ad 1. Patres Concilii Conſtantinop. ſollicitè curarunt per Imperatorem Synodum confirmari: hac quidem ratione, ne, ſicut

ſicut alii Imperatores, fidem Catholicam ejurarent cum maximo Eccleſię Chriſti detrimento, & ne illud idem in poſterum accideret. Itaque, ut Imperatores fidei Catholicę tenaciores, & propugnatorçs eſſent, hanc ab Imperatore confirmari ſatagerunt; cujus auctoritate coercendi erant, qui ei in poſterum contradicerent. Hoc enim obſequium in Regibus, & Monarchis poſtulat Deus, ut ipſi Religionem tueantur; nec Patres ignorabant, quanti ponderis eſſet vera Religio Imperatoris, ut univerſus Orbis eam amplecteretur.

43 Ad 2. Paleologus ſubſcripſit, ut teſtis ſolemnis unionis initę à Gręcis cum Latinis; & ulteriùs, ne Orientales prætextum obtenderent diſſentiendi unioni, quòd Imperator in eam non conſenſiſſet. Quin etiam ſubſcriptio fuit obſignativa, non præſidentię Imperialis, ſed prȩſentię, qua Imperator Synodum cohoneſtavit.

CAPUT V.

An Concilia à Papa confirmentur?

SUMMARIUM.

1 *Triplex eſt confirmatio, & nu.*4.
2 *Concilia à Papa non confirmata, robur non habent.*
3 *Concilia confirmationem à Pontifice poſtularunt ad* 21.
22 *Decreta dogmatica, & doctrinalia ubique gentium ſervantur.*
23 *A Papa confirmanda ſunt decreta fidei, & morum.*
24 *Papa confirmans facit ſua decreta ad* 25.
26 *Concilia Provincialia nequeunt totam Eccleſiam conſtringere.*
27 *Senſus textus*, ubi ſunt duo, vel tres, &c. *ad* 30.
31 *Concilia generalia diverſa ratione uſurpantur ad* 38.
39 *Eſt de fide Concilia à Papa confirmata, eſſe ab errandi periculo immunia.*
40 *Poſſunt decreta Conciliorum eſſe vera* in ſe, *& non* quoad nos, *& num.*47.
41 *Concilia Anathema dicunt cum ordine ad Romanum Pontificem.*
42 *Pontifices à Conciliis non ligantur.*
43 *Papa non poteſt mutare, quæ ſunt juris divini, vel naturalis.*
44 *Nec valet operari contra ſuas definitiones, quas edit in materia fidei, & morum doctrina.*
45 *Spiritus Sanctus reliquit poteſtati Pontificis, ut ſecundùm opportunitatem moderetur leges poſitivas Eccleſiaſticas.*
46 *Quo titulo Synodus Tridentina dicatur in* Spiritu Sancto legitimè congregata?
47 *Tota Eccleſia à Concilio obligari nequaquam poteſt.*
48 *Duæ regulæ vivæ infallibiles in Eccleſia non dantur.*
49 *Suffragia Epiſcoporum in Conciliis ſunt deciſiva, ſed non ultimatè.*
50 *Nomen Epiſcopi à Gentilibus, etiam uſurpatum.*
51 *Epiſcopi poteſtate, & juriſdictione ſunt donati.*
52 *Sunt Superiores ſimplicibus Presbyteris.*
53 *Scripta Patrum ſæpè ut probabilia recipiuntur ad* 57.

PRopugnatores Conciliabuli Baſileenſis aliam poteſtatem confirmandi Concilia non admiſerunt in Romano Pontifice, quàm honorariam, vel teſtificativam, quòd acta Conciliaria recto ordine proceſſerint. A Sectariis Calviniſtis, & Lutheranis facultas confirmandi Concilia tribuitur Imperatoribus, vel Regibus, quibus pariter auctoritatem illam congregandi dederunt. Ab iſtis differt Refractarius de Dominis *libr.6. de Repub.cap.*3. ubi negat, optimè quidem, ab Imperatoribus poſſe auctoritativam confirmationem conferri, ſed peſſimè, & adversùs Catholicam veritatem dicit Concilia, eſtò à Papa confirmentur, non eſſe ſolidę auctoritatis, *quia Papa*, ait, *non poteſt dare ullam confirmationem.*

Alii nonnulli ſcripſerunt Concilia ge-

neralia legitima non egere Pontificis confirmatione, ex quo antecedenter ad Papę definitionem, & independenter ab ejus inſtructione poſſint dogmata infallibiliter decernere; ſtatuunt enim Concilium generale eſſe ſupra Papam; conſequenter in decretis formandis Papam eſſe parem aliis Epiſcopis, eſtò inter pares primatum habeat, quando eſt præſens per ſe, vel per Legatos. De qua re agendum *cap.ſequen.*

1 Notetur. Triplex eſt confirmatio. Prima, laudativa, vel receptiva, aut executiva decretorum Concilii. Secunda, ſignificativa, vel teſtificativa unionis, & concordiæ in edendis decretis Synodalibus. Tertia, auctoritativa, qua decretis vis tribuitur obligandi totam Eccleſiam ad ea recipienda, ſimulque proponitur vera eſſe, habendaque ut regulas fidei, & morum, divinæque revelationi conformia.

Dicendum. *Solus Papa auctoritativè confirmat Concilia generalia, & abſque illius confirmatione decreta in illis firmitatem non habent*. Ita omnes Catholici.

2 Probatur. Concilia à Papa non confirmata firmitatem non habent, & errare poſſunt; ab ejus verò confirmatione robur obtinent, adeòut, ea ſtante, nefas ſit de illorum infallibilitate dubitare, & quilibet tenetur ipſorum decreta recipere, eiſque parere: Ergo ſolus Romanus Pontifex auctoritativè confirmat Concilia, &c. Cõſequentia ſequitur, quia auctoritativè confirmare, eſt decretis infallibilitatem, & vim obligandi omnes tribuere. Antecedens patet. Primò ex *cap.Multis, capit. Concilia* 15.*diſt.& cap.Significaſti de elect.*ibi. *Omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem, & facta ſunt, & robur acceperunt*. Gelaſius I. *conſtit.Valdè* 1.*Bullar.to.*1. dixit. §.16.*Prima Sedes* (nimirum Romana) *unamquamque Synodum ſua auctoritate confirmat*. II. Ex praxi Conciliorum, quorum Patres, ſi agnoviſſent ſine confirmatione Pontificis poſſe ſine erroris periculo definire, & proponere Fidelibus credenda, & agenda cum obligatione, ut crederent, quæ ſunt fidei, & agerent, quæ ſunt morum, fruſtrà, & inutiliter exegiſſent decreta edita in Conciliis à Papa confirmari. Atqui à Pontifice eorumdem confirmationem expoſtulaſſe certiſſimè conſtat, & ex Chronicis docemur.

3 Primò. Patres Concilii Nicæni (quod fuit norma, & regula cæterorum) per Epiſtolam Synodicam à S.Sylveſtro petierunt, ut auctoritate Apoſtolica decreta Concilii confirmaret, in hæc verba: *Nunc itaque ad veſtræ Sedis augumentum accurrimus roborare*: Et infra: *Quidquid autem conſtituimus in Concilio Nicæno precamur veſtri oris conſortio confirmetur*. Sylveſter verò petitioni annuens Concilium Nicęnum confirmavit, ut infra: *Quidquid in Nicea Bithyniæ conſtitutum eſt ad robur Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ, à Sanctis Sacerdotibus trecentis decem, & octo, noſtro ore conformiter confirmamus: omnes, qui auſi fuerint diſſolvere definitionem Sancti, & Magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum eſt, ſub præſentia piiſſimi, & venerandi Principis Conſtantini Auguſti, anathematizamus*. Ex Concilio Romano III.ſub eodem Sylveſtro celebrato an.325.apud Bail *Sum.to.*2.*Concil.ſæcul.IV.*

Dicunt cum Spalatenſi, quòd, celebrato Concilio Nicæno, confirmatio ſubſecuta eſt ex conſenſu, admiſſione, & probatione Eccleſiæ univerſalis. Unde loquens Theodoretus *lib.*4.*cap.*3. *de fide Nicæna* dixit: *huic omnes ubique Eccleſiæ aſſenſæ ſunt, ut Hiſpaniæ, Brittaniæ, Italiæ, &c.* Athanaſius *Epiſt. ad Afros. Huic Concilio Nicæno univerſus Orbis aſſenſum præbuit*.

4 Contra. Alia, ut diximus, eſt probatio auctoritativa, alia receptiva, ac ex pleniori aſſenſu cæterarum Eccleſiarum. Prima antecedit, quæ eſt complementum decretorum, à qua ultimatum actum habent. Secunda ſubſequitur. Prima eſt propria Pontificis, ſecunda cæterorum; qui cum Pontifice conſentiunt, quatenus recipiunt, quæ ipſe probaverit. Interdùm

dum Patres, & Chronicæ, omiſſa ſecunda, primam commemorant; quandoq; ſuppoſita prima, de ſecunda diſcurrunt, ut ibi Theodoretus, & Athanaſius. Tum quia, ſicut Eccleſia non poteſt per modum Judicis definire, declarare, & proponere, quæ ſunt fidei, ſed ſolùm per modum atteſtationis; ita neque poteſt Concilia confirmare, ſed ſolùm ea recipere tenetur à Papa confirmata.

5 Secundò. Patres Concilii Conſtantinopolitani I. petunt Synodum confirmari à Romano Pontifice in Epiſtola ad Damaſum directa *incipien. Dominis*, ibi. *His igitur tam legaliter, & canonicè apud nos geſtis, etiam veſtram reverentiam congaudere depoſcimus*. Fuiſſe verò Concilium à Damaſo confirmatum aſſerit Photius in *libr. de Septem Synodis*; & D. Gregorius *libr. 6. Epiſt. 31. ad Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum* dixit. *Romana Eccleſia Conſtantinopolitanos Canones, vel geſta Synodi illius hactenus non habet, neque accipit. In hoc autem eamdem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum. Reliquas verò hæreſes, quæ illic memoratæ ſunt, ab aliis jam Patribus damnatas reprobat*. Canones illius Synodi Romana Eccleſia non probavit. Nam Conſtantinopolitano Epiſcopo primum locum poſt Romanum Pontificem conſtituit, ſpreta Concilii Niceni ordinatione, à quo *Canone 6.* firmata poſt eum fuit dignitas Eccleſiarum ab Apoſtolorum Principe Petro inſtitutarum Alexandrinæ, atque Antiochenæ. Cabaſut. *notit. Eccleſiaſt. in hac Synodo*.

6 Tertiò. Patres Epheſinæ Synodi agnoſcentes Romanam Sedem primas partes tenere in Eccleſia, Celeſtino Pontifici ſcripſerunt, & pro confirmatione actorum ſupplicarunt. *Quoniam* (in Epiſtola Concilii ad Celeſtinum *incip. Sanctitatis*) *neceſſitas poſtulat, ut quæ conſecuta ſunt in hac ſancta Synodo, omnia ad ſanctitatis tuæ cognitionem referantur, neceſſariò ſcribimus*. Quibus, litteris acceptis, Cœleſtinus, teſte Cyrillo *Epiſt. 29.* ſcripſit, *conſona Synodo, & omnia illius geſta confirmavit*. Theodoſius verò Junior Imperator ad perfectionem divinitùs ſtatutorum petiit ab Apoſtolica Sede confirmationem apponi, ut ſic ea tanquàm *à Petro facta veneremur*, ut ajebat.

Dicit Spalatenſis. Alia confirmatio hìc non acceſſit, quàm conſenſus Patrum in eadem ſententia, quam Celeſtinus per Legatos ad Synodum direxerat, & Concilium præceſſerat: confirmatio autem non præcedit, ſed ſubſequitur Concilia confirmanda.

7 Contra. Summus Pontifex eſt Conciliorum, tum Prædefinitor, tum Confirmator, quà prædefinitor, Conciliis præſcribit, quid definiendum, & decidendum ſit, ac regulariter ad ea ſuas definitiones per Legatos tranſmittit, ut juxta eas definiant, & in illis conſentiant; & hęc Concilia ipſa præcedunt. Quà verò confirmator, Conciliis ultimam manum, & complementum apponit, & firmitatem tribuit, cujus generis fuit confirmatio dicti Concilii, ut ex allegata Epiſtola Cyrilli.

8 Quartò. Patres Concilii Chalcedonenſis obſequioſiſſimis verbis confirmationem geſtorum poſtularunt à S. Leone magno Epiſt. Synodica ad eundem *incip. Sancta* ibi. *Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum honora judicium, & ſicut nos Capiti in bonis adjecimus conſonantiam, ſic & ſummitas tua filiis, quod decet, adimpleat*. Leo verò Concilium quoad doctrinam, & dogma approbavit *conſtit. Omnem 2. Bullar. to. 1.* ibi. *Ut fraterna univerſitas, & omnium Fidelium corda cognoſcant, me non ſolùm per fratres, qui vicem meam executi ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum Synodalium propriam vobiſcum iniiſſe ſententiam, in ſola videlicet fidei cauſa*. Hoc ultimum addidit Leo, quia Canones non confirmavit, ſed pluribus Epiſtolis damnavit, & reprobavit Canonem vigeſimumſeptimum, utpote clandeſtinum, & ſubreptitium, quem

Pa-

Patres Orientales, abſentibus, & contradicentibus Legatis, ediderunt ad Primatum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſtatuẽdum poſt Romanum Pontificem. Tum etiam, quia in eo referebatur à Patribus Nicænis Primatum Romano Pontifici eſſe attributum, quaſi eum ante non habuerit, quod falſum eſt; quoniam ut diximus alibi, ipſa Eccleſia Romana non à Conciliis, vel Chriſtianis Imperatoribus, ſed à Chriſto Domino Primatum obtinuit.

Dicunt. A Leone Patres non auctoritativam, ſed honorariam dumtaxat confirmationem petierunt, ut probat illud, *&* *tuis decretis noſtrum honora judicium*.

9 Contra. Non tantùm honorariam, & decentem confirmationem Patres à Leone poſtularunt, ſed etiam auctoritativam, & neceſſariam, ut manifeſtum eſt ex d. Epiſtola, quæ hiſce concluditur: *Omnem vobis geſtorum vim inſinuavimus ad comprobationem noſtræ ſinceritatis, & ad eorum, quæ à nobis geſta ſunt, confirmationem, atque conſenſionem, firmitatem, & conſonantiam*.

10 Quintò. Quinta Synodus fuit confirmata à Vigilio: quouſque enim non fuerunt à Vigilio illa tria capitula damnata, Orthodoxi pro damnatis illa acceptare recuſarunt. Sicut Synodus titulum Oecumenicæ obtinere non potuit, donec à Vigilio probaretur: nullius enim efficaciæ eſt Concilium Oecumenicum, quod non ſit ſententia Romani Pontificis roboratum.

Dicit Spalatenſis. Illa tria capitula fuerunt, invito Pontifice, damnata: damnatio fuit ab Eccleſia Catholica recepta, & Vigilius pro Schiſmatico habitus.

11 Contra. De hac re diximus ſuprà, *contr. præter. cap. 2. ad 2. objectum*. Quòd autem dicat Spalatenſis Vigilium occaſione trium capitulorum habitum pro Schiſmatico, non à Catholicis id actum debuit advertere, ſed à Schiſmaticis aſſentatoribus Imperatoris. Quòd ſi ab iſta idem Vigilius in exilium ſit actus, id ad violentiam, & factum, non ad jus Imperatoris pertinet, qui jam jura Eccleſiæ ſibi uſurpabat.

12 Sextò. Sextæ quoque Synodi definitionem confirmavit Leo II. ut ex Epiſtola *Regi Regum ad Conſtantinum Auguſtum directa*: ibi. *Definitionem rectæ fidei, ut dictum eſt, pleniſſimè prædicavit* (Agatho ejus prædeceſſor) *quam, & Apoſtolica Sedes Beati Petri Apoſtoli* (*cujus licèt impares miniſterio fungimur*) *veneranter ſuſcepit, idcircò, & nos, & per noſtrum officium, hæc veneranda Sedes Apoſtolica concorditer, ac unanimiter his, quæ definita ſunt ab ea* (ſcilicet Synodo) *conſentit, & B. Petri auctoritate confirmat, ſicut ſupra ſolidatam Petram, qui Chriſtus eſt, ab ipſo Domino adeptus firmitatem*.

Dicit I. Spalatenſis. Apud Leonem hæc eſſe Synonima, *veneranter ſuſcipere, conſentire, confirmare, prædicare, & approbare*.

13 Contra. *Conſentire*, & *prædicare* inferiorum, etiam eſſe poteſt; at confirmare, & auctoritativè probare ſolius eſt Superioris: Ita non niſi Superior electionem inferioris confirmat, *cap. nimis de elect.*

Dicit II. Leo poſt datam à ſe confirmationem petiit ab aliis Epiſcopis Orientis Concilium recipi, & probari, ut ex *Epiſtola* 12.

14 Contra. Subſcriptiones, & conſenſus cæterorum Epiſcoporum in caſu non erat definitivus, & auctoritativus, ſed proteſtativus, declarativus, & conteſtativus receptionis dogmatum, ad oſtendendum cæteras Eccleſias Orbis cum Romana, omnium Principe concordare. Una enim ex notis veræ Eccleſiæ eſt concordia Eccleſiarum ad invicem, & cum Romana, quę eſt centrum unitatis, & magiſtra fidei; & inde ex conſenſu cæterarum Eccleſiarum colligitur ſolùm extenſiva approbatio, quę intenſivam, & auctoritativam Pontificis probationem, ac confirmationem ſimpliciter ſupponit; cui conſonantes cæteræ Eccleſiæ in hunc ſenſum confirmant, quatenus aſſentiuntur, & reverenter recipiunt dogmata à Pontifice confirmata.

15 Sep-

15 Septimò. Septima Synodus fuit confirmata ab Adriano Pontifice, cui Tharaſius rerum geſtarum in Synodo rationem reddidit, & confirmationem petiit; ipſe verò Adrianus Synodum Apoſtolica auctoritate communivit, ac approbavit, ut ſcribit Cabaſutius *cit. in hac Synodo*.

Dicunt. Synodus ſeptima reprobata fuit in Concilio Francofordienſi celebrato an. 794. præſentibus Legatis Adriani: ergo ab Adriano probata non fuit.

16 Contra. Planè aliqui, etiam ex Catholicis, inter quos Annatus in *apparat. ad Theol. lib. 5. art. 13.* & traditur à Baronio, ac Bellarmino, aſſeverant in ipſo Concilio damnatam Nicęnam II. legitimam Synodum; verùm in eo hallucinantur, quòd non diſtinguant, Conſtantinopoli ſub Conſtantio Copronymo celebratam fuiſſe Synodum in cauſa adorationis Imaginum, ſeù contra Sacrarum Imaginum uſum; quæ ſeptima, & univerſalis, ſed falsò, appellabatur. Hæc pſeudo-ſeptima Copronymiana, non verò Nicæna II. quæ verè eſt ſeptima univerſalis, in Francofordienſi proſcripta intelligitur, ut in Canone 2. ex Bail *Sum. tom. 2. ſæcul. 9. in hoc Concilio*, & Spondano *Epiſt. tom. 2. ad ann. 794. nu. 3.*

17 Octavò. Synodi octavæ confirmationem poſtulant Patres ab Adriano II. Patrum votis annuiſſe Adrianum, & Acta Concilii confirmaſſe conſtat ex ejuſdem Adriani ad Baſilium Imperatorem Epiſtola, ut ſcribit allegatus Annatus ubi *ſupr. art. 9.* Legendi etiam ſunt Bzovius *in ſuo Romano Pontif. cap. 11.* & Spondanus *ad an. 869. nu. 10.* ac Gravina *Cathol. præſcript. to. 4. p. 2. diſput. 1. art. 5.*

Dicunt. Octava Synodus inter Oecumenicas ab Eccleſia receptas non commemoratur, quia potiùs abrogata legitur in Concilio Oecumenico Conſtantinopolitano celebrato *an.* 879. quod ſuppoſuit Julianus Cardinalis Cęſarinus, cùm *ſeſs. 6.* Ferrariæ celebrata, octavam Synodum à Marco Epheſino impetitam, aſſeverante expungendam eſſe è Synodorum Cathalogo non defendit: ergo, vel octava Synodus confirmata non fuit, vel eam Adrianus confirmans erravit.

18 Contra. Hic objecta ex infecta radice deſcendunt. Utique Gręci ſchiſmatici pro octava contra Photium Synodo ab Adriano approbata, illud Concilium Catholicis obtrudunt; prorsùs tamen à veritate alieni, cùm re ipſa Conciliabolum fuerit: in eo enim ex Actis conſtat Photium pręſediſſe, & non Legatos Sedis Apoſtolicæ, in quo ſecundùm aliarum Synodorum legitimarum morem pręſidere debuiſſent. Ulteriùs illegitimitas apparet, quòd cùm Photius à Legatis accepiſſet commonitorium eis à Joanne VIII. traditum, illud Græco ſermone reddens priuſquam in Synodo legeretur, falſavit, alia addens, alia minuens, alia mutans. Fuerat planè ab Joanne Synodus indicta, procurante Baſilio Imperatore ad Photii reſtitutionem dumtaxat, non verò ad octavæ Synodi abrogationem, & reprobationem eorum, quæ juſtiſſimè in illa acta fuerant contra Photium, neque ad impugandam proceſſionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio, (primus enim, à quo mota fuerit quæſtio de proceſſione Spiritus Sancti à ſolo Patre, non à Filio, fuit Photius teſte Bail *ſum. to. 1. in Concilio Conſtantienſ. IV. tit. Photii malitia*) nec ad lædenda jura Sedis Apoſtolicæ; quæ tamen omnia fuerant contra jus, & voluntatem Pontificis reſoluta. Proinde Synodus hæc Photiana, à Græcis octava dicta, & generalis, fuit ab eodem Joanne reprobata: habetur ex ejuſdem Pontificis *Epiſt. 251. ad Baſilium*, in qua ad finem cautè ſubjungit: *Sic ſe probare, quæ in Synodo de reſtitutione Photii dumtaxat egiſſent, ut ſi quid illi, vel hac, vel alia in parte præter voluntatem Sedis Apoſtolicæ, & mandata accepti commonitorii operati fuiſſent, id nullius planè auctoritatis eſſet*, ut ex eodem *tom. 2. Conc. ſæcul. 9. in d. Conciliabulo*.

19 Ideò verò Cęſarinus ea in re ſe adver-

verſùs Epheſinum abſtinuit, ne à præcipua quæſtione diverteret. Cæterùm *ſeſſ. ſept.* Andreas Coloſſenſis defectum Cæſarini reſtituit, firmans *neque verum, rationique conſonum eſſe octavum illud Concilium antiquatum fuiſſe*. Lege ibi.

20 Poſtremò. Patres Concilii Tridentini Concilium à Pio IV. confirmari poſtularunt, ut ad finem Concilii, ibi: *placet ne vobis, ut omnium, & ſingulorum, quæ tam ſub fel. record. Paulo III. & Julio III. quàm ſub Sanctiſſimo D. N. Pio IV. Romanis Pontificibus in Synodo decreta, & definita ſunt, confirmatio nomine Sanctæ hujus Synodi per Apoſtolicæ Sedis Legatos, & Præſidentes, à Beatiſſimo Romano Pontifice petatur?* Patres reſponderunt. *Placet*. Confirmationem verò ab ipſo Pontifice in executionem decreti petierunt, Cardinalis Moronus, & Simonetta, qui tunc Legati, & Præſidentes erant; quibus Pontifex annuit, & *conſtitutione, Benedictus Deus 73. inter illas ejuſdem Pontificis in Bullar. to. 2.* Concilium confirmavit, omnibuſque fidelibus obſervantiam præcepit. Ergo ex non interrupta praxi Conciliorum generalium (in quibus Legati Sedis Apoſtolicæ præſederunt) petendi à Romano Pontifice confirmationem, nefas eſt de veritate concluſionis dubitare.

21 Dictum eſt, in quibus Legati Sedis Apoſtolicæ præſederunt, quia ea, in quibus Pontifices per ſe immediatè præſides fuerunt, nulla confirmatione egent, cùm tunc immediatè ipſi definiant.

Dicunt. Falſum eſt decreta Tridentini ubique gentium eſſe recepta: ergo confirmatio Pontificia non inducit obligationem ad decreta Conciliorum obſervanda.

22 Contra. In Conciliis duplicis generis decreta reperiuntur. Alia dicuntur Dogmatica, & doctrinalia, ſeù definitiones in materia fidei, & morum; & alia decreta juris poſitivi Eccleſiaſtici ſpectantia ad morum diſciplinam, & reformationem. Illa primi ordinis, poſita Pontificis confirmatione, ubique, & ab omnibus fidelibus executioni dantur, & tenenda omninò ab eis ſunt, niſi velint ab Eccleſia recedere. Poſteriora verò, non ſic omnia ubique recepta ſunt, ut in Gallia, ſed hoc, non niſi ſciente; & permittente Pontifice, propter certas circumſtantias eidem ſuadentes tolerantiam. Sicut enim Pontifex poteſt, mutatis rerum, & temporum circumſtantiis, in bonum Eccleſiæ leges Eccleſiaſticas à ſe, vel in Conciliis editas mutare, & alias ſubnectere, ſic propter ſimiles rationes poteſt tolerare, ne jam conſtitutæ obſerventur.

Probatur 2. rationibus. Quidquid in Conciliis definitur, & ſtatuitur, regulariter fit ex inſtructione Legatorum, & præſcriptione Romani Pontificis: ergo ad eumdem Pontificem ſpectat examinare, & cum Apoſtolicæ Sedis doctrina decreta conferre, ut illi conſona confirmet, & diſſona reiiciat: ergo, &c.

Dicunt. Saltem fidei decreta à Concilio edita ſecundùm inſtructionem Legatorum confirmare opus non eſt, cùm ſint irreformabilia, & ante confirmationem Papæ certiſſimæ veritatis; nam à confirmatione non fiunt decreta vera, ſi ſint non vera, ſicut nec ex Pontificis probatione Scriptura Sacra, Sacra fit.

23 Contra. Nedum decreta pertinentia ad diſciplinam, & reformationem probanda ſunt à Romano Pontifice, ſed etiam illa fidei, & morum; nam cùm poteſtas definiendi ſit juriſdictionis per Pontificem ad Epiſcopos tranſmiſſa, ad Pontificem, cujus eſt cuſtodire depoſitum fidei, & Fratres confirmare, ſpectat examinare, an Patres, pluſquam par eſt, ſibi arrogaverint, & in ea, quæ vetita ſunt tractare, manus immiſerint? an non ſancienda ſancierint? an decreta edita ſint conformia divinæ revelationi? an proceſſerint ſecundùm inſtructionem Legatis commiſſam? An Legati ab inſtructione receſſerint? Poſſunt enim, tam Patres, quàm Legati ab inſtructione deviare; ſiquidem Pa-

Papa in Legatos non transfert, nec transferre poteſt fidei ſoliditatem ſibi propriam, ſpecialemque prærogativam indefectibilitatis. Et inde donec Pontifex decreta confirmet, Eccleſiæ non conſtat, an decreta illa vera ſint.

24 Profectò Papa non facit decreta fidei, ut de non veris, in ſe vera ſint, ſed approbans conciliariter edita, & in ſe vera, facit vera quoad nos, oſtenditque illa ad regulam fidei pertinere, & res decretis expreſſas non poſſe in dubium revocari, mandatque ab omnibus eſſe recipienda; quinimò propter confirmationem Pontifex ſua facit decreta juxta axioma Juris *L.1.C.de veter.jur.enucl.Omnia noſtra facimus, quibus noſtram auctoritatem impertimur.*

25 Propterquam auctoritativam Pontificis confirmationem, nonnulla etiam Concilia Provincialia, in quibus plures hæretici damnati ſunt, & dogmata fidei reſoluta, inconcuſſam auctoritatem obtinuerunt, ut conſtat de Milevitano II. ab Innocentio I. probato, in quo hęreſis Pelagiana fuit proſcripta, & Arauſicano II. à Bonifacio II. confirmato, in quo Semipelagiani, ſeù Maſſilienſes fuerunt jugulati, cæteriſque de aliis.

Opponunt I. Decreta in Conciliis edita antecedenter ad confirmationem Pontificis ſunt veritatis, & auctoritatis infallibilis: ergo Pontificis approbatione non egent; ac proinde Pontificem illa confirmare aliud non importat, quàm illa laudare, vel recipere, illiſque ſe ſubiicere. Probatur antecedens. Patribus in Concilio à Papa convocato definientibus aſſiſtit Chriſtus juxta illud *Matth.18. Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum:* hoc eſt, inter eos, ab intus in eis operans, à foris illis aſſiſtens, cooperans, & dirigens, ut id cujus gratia convenerunt, infallibiliter conſequantur: ergo, &c. Conſequentia ſequitur. Nam de Patribus legitimè congregatis optimè dicitur congregatos in Spiritu Sancto, & in nomine Chriſti, modo nimirum à Chriſto inſtituto. Quis ergo de infallibili auctoritate pleni, & legitimi Concilii poterit dubitare? Eo enim textu PP.& Romani Pontifices utuntur ad probandam aſſiſtentiam Spiritus Sancti in Conciliis generalibus. Id expreſsè habet Cęleſtinus Papa *Epiſt.incip. Sacerdotum ad Concilium Epheſinum. Certum eſt illud (neque enim veritas ipſa mentiri poteſt) ubi ſunt duo, &c. Quod ſi numero tam exiguo Spiritus Sanctus non deeſt, quantò magis par eſt credere, ibi illum minimè defuturum, ubi tanta Sanctorum multitudo convenerit?* Addunt etiam illud ejuſdem Matth.ibi. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo.*

26 R. Argumentum ex locis allegatis nimis probat. Illis enim quiſque uti poſſet in favorem cujuslibet Provincialis, immò & Synodalis Concilii. Conſtat autem iſtis promiſſam non eſſe infallibilitatem, adeout decreta in ipſis edita ſint irreformabilia, & auctoritatem habeant ad obligandos fideles, ſed ut firma ſint, opus eſt, ut à Pontifice confirmentur, cui totius Eccleſiæ cura à Chriſto commiſſa eſt. Hinc Auguſtinus contra hæreſim Pelagianam, eſtò in pluribus Conciliis Provincialibus Africanis damnatam, non utitur eo medio, tanquàm omnium fortiſſimo, ſed in *lib.2.retr.cap.50.* affirmat hęreſim eſſe, quia ab Innocentio, & Zozimo Romanis Pontificibus convicta, & damnata eſt. Et hæc fuit praxis, ut quoties doctrina aliqua fuerit in Synodis Provincialibus proſcripta (cujus oppoſita expreſsè non habeatur in Scriptura, vel traditionibus) ſemper recurſum habuerint ad Romanam Cathedram pro decreti confirmatione.

27 Quinimò Sectarii prædicta teſtimonia ad particulares cætus, ſuaque conventicula applicant, quòd infallibiliter definiant; quos retundit Cyprianus *lib.de unit.* dicens: *Quando ergo in præceptis ſuis ponit, & dicit: ubi fuerint duo, vel tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum, non homines ab Eccleſia dividit, qui inſtituit, & fecit Eccleſiam,*

ſiam, ſed exprobans diſcordiam perfidis, & fidelibus pacem ſuam voce commendans, oſtendit magis ſe eſſe cum duobus, aut tribus unanimiter orantibus, quàm cum diſſidentibus pluribus.

28 Quare, quando Patres ea loca adducunt pro adſtruendis Conciliis ſolent arguere à minori ad majus; nam ſi duobus, vel tribus petentibus, quæ eorum ſaluti, & ſtatui neceſſaria ſunt, conferuntur, quæ poſtulant, quanto magis obtinebunt Spiritus Sancti directionem Epiſcopi in Conciliis, quando faciunt, quod in ſe eſt, debitaque procedunt cum ſubordinatione ad ſuum ſupremum Caput, ut verum intelligant, & vera, licèt non ultimatè reſolvant?

29 Cęterùm non ſemper duo, vel tres congregati, & in concordia petentes à Deo ſtatim accipiunt; vel quia non perſeveranter petunt, vel, quia non expedit eos accipere; vel, accipiunt, quando debent, ut ſcripſit Auguſtinus *tr.102.in Joan.* ad illa verba. *Siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, dicens. *Accipit autem, quando debet accipere. Quadam enim non negantur, ſed, ut congruo dentur tempore, differuntur:* Et infra. *Iſto enim bono* (nimirum vita æterna) *in petendo perſeverantes, Sanctos ſuos* (hoc eſt juſtos) *nequaquam miſericordia divina fraudabit.* Ita nec Patres in Conciliis uniti ſemper illuminantur, & diriguntur ad verum definiendum, ſed ſolùm cùm ex zelo Dei veritatem cum ſimplicitate inquirunt, & ſe conformare intendunt ſententiæ Pontificis, ut ait Lauræa *de fide diſp.5.art.2.§.unic.num.82.* Quia verò non ſic ſemper de veritate ſunt ſolliciti, ideò nec ſemper illuminantur, ut accidit. I. in Synodo Epheſina II. (dicta prædatoria, quia in ea omnia fuerunt per vim, & metum, nec quidquam ſecundùm ordinem Sacrorum Canonum geſtũ fuit) à Leone reprobata in Concilio Romano an.450. II. in Ariminenſi à Liberio, & Damaſo proſcripta III. in Conſtantinopolitana, falsò Oecumenica nuncupata, celebrata ann.861. in qua ipſimet Legati Sedis Apoſtolicæ terroribus victi impulſi ſunt Photio conſentire, quæ proinde fuit à Nicolao I. dicta Latrocinalis, & ab eodem rejecta, apud Spondanum ad *d.an. nu.2.& 3.*

30 Ideò, quia Patres in Conciliis, etiam legitimis poſſunt habere, & non habere illuminationem, & directionem Spiritus Sancti, quatenus malo, vel recto fine moveri poſſunt ad veritatem inquirendam, eorum judicium, etiam quando recta intentione, & cum ſubordinatione ad Papam ad definiendum procedunt, non eſt certò, & neceſſariò infallibile, cùm poſſint errare, & ſine ea intentione, & ſubordinatione decidere. Poſſunt quidem decreta à Patribus efformata in ſe, & apud Deum eſſe vera, à Spiritu Sancto directa, ſed ut vera ſint quoad Eccleſiam, eamque obligent ad illa amplectenda, neceſſe eſt, quòd à Romano Pontifice confirmentur; & ex tunc conſtat Patres in Concilio non erraſſe, nec deceptos eſſe.

Ad uberiorem intelligentiam eſt adnotatione dignum, ſæpè Concilia generalia diverſimodè uſurpari.

31 I. Accipi ſolent pro cętu Epiſcoporum ab habente auctoritatem congregatorum, ſed non ſub eadem auctoritate, & præſentibus Legatis proſequentium actiones Conciliares uſque ad finem.

32 II. Pro cœtu Patrum, qui, vel ſoli, vel cum Legatis diſcedunt ab inſtructione Pontificis.

33 III. Pro cętu Patrum, qui auctoritate Pontificis ſunt congregati, & cum Legatis inſtructionem Pontificis ſequuntur, & conformiter ad illas definiunt.

34 IV. Pro cœtu Patrum, qui ſub legitima auctoritate Concilium terminant, & decidunt, ac deciſa ſunt à Romano Pontifice confirmata.

V. Pro cętu Patrum, in quo Papa per ſe ipſum præſidet.

35 Concilia primo modo accepta, nullus dubitat errare, ipſorumque definitio-

nes nullius eſſe ponderis, ſcribente Julio I. ad Orientales Epiſcopos in hæc verba: *Regula veſtra nullas habet vires, quando Romanæ Eccleſiæ Legatus non adfuit*.

36 Pariter in ſecundo ſenſu, ſeù cùm adſunt Legati Sedis Apoſtolicæ, & Concilium non ſequitur Pontificis inſtructiones per Legatos promulgatas, certum eſt, Concilium poſſe in errorem labi, quia Cōcilii ſententia poteſt cum Capitis ſententia pugnare. Ita erravit d. Epheſina (primò legitimè convocata) quia Patres Dioſcoro adhæſerunt repugnantibus Legatis Papæ. Similiter, cùm præſentes ſunt Sedis Apoſtolicæ Legati, ſed ipſi etiam diſcedunt ab inſtructione Papæ, ſiquidem tunc non facientes juxta mandata non cenſentur agere ex poteſtate delegata; atque ita non legitimè Concilium celebratur, & irritum eſt; ſic Rodoaldus, & Zaccharias Legati Apoſtolici in allegata Synodo Conſtantinopolitana operantes contra inſtructionem à Nicolao I. acceptam, veræ Synodi rationem ab illa abſtulerunt.

37 Neque eſt impoſſibile, vel repugnans, quòd Legati Apoſtolici ſubvertantur, & non ſequantur Pontificis inſtructionem, ac à traditis regulis devient juxta dicta *nu.* 23. Quod factum legimus in Concilio quoque Baſileenſi, in quo Cardinalis Cæſarinus Sedis Apoſtolicæ Legatus primò à directione Eugenii deflexit, & in errores conſenſit, licèt ſubinde ſe correxerit.

38 Accepto Concilio in tertio ſenſu, aſſiſtit Spiritus Sanctus Patribus congregatis cum hac ſubordinatione, ad vocem nimirùm Pontificis audiendam, eos dirigendo, ut veritatem intelligant, & recipiant, ac ut juxta Papæ intructionem definiant. Verùm quia poſſunt audire, & non audire, & ab inſtructione recedere, opus eſt, ut, etiam quando Pontificis ſententiam ſequuntur, à Pontifice decreta confirmentur, ut hinc de veritate conſtet Eccleſiæ, & hæc obligetur ad ea acceptanda. Propter quod Patres Concilii Chalcedonenſis petierunt à Sancto Leone Acta confirmari, quamvis juxta ejus Epiſtolam definiiſſent.

Neque ſatis eſſe cenſetur; quòd Papa convocaverit Concilium, vel adſit præſentia, conſenſus, vel confirmatio Legatorum. Nam non ex eo decreta, eſtò in ſe vera, habent firmitatem quoad nos, neque auctenticè conſtat Legatos decreviſſe conformiter ad regulam inſtructionis Papæ, niſi poſtquam Papa confirmavit. Etenim omne requiſitum ad aliquid, ſufficiens etiam non judicatur, ut patet de animalitate reſpectu hominis. Ideò eſtò Legati conſentiant, & ſubſcribant Concilio à Papa convocato, adhuc neceſſaria eſt confirmatio Pontificia. Tum quia, privilegium infallibilitatis ſoli Papæ convenit, à quo nulla alteri poteſt communicari. Tum quia, tam Legati, quàm Patres non judicant, nec definiunt, aut ſubſcribunt, niſi dependenter à Papa, & in ordine ad finale ultimumque judicium ſupremi Capitis Eccleſiæ.

39 Si Concilia conſiderentur quarto modo, eſt de fide, quòd, ubi intervenit conſenſus, approbatio, ultimumque judicium Pontificis circa definitiones in illis editas, nullo modo poſſunt errare; ratio eſt, quia decreta illa tunc ſunt facta Papæ, in quo eſt pleniſſima fidei infallibilitas, & firmitas, propterquam nedum cæteros fratres confirmat, verùm & auctoritatem decretis Conciliaribus tribuit, & ipſa vera eſſe auctenticè ſignificat, ac ad ea tenenda conſtringit.

Propter quod maxima catholica eſt, nulla Concilia valida eſſe, niſi Romani Pontificis auctoritate confirmentur, eaque eſſe infallibilia, & ab omni erroris periculo immunia, quæ ab eodem ſunt confirmata; & de iſtis accipitur illud Gregorii *cap. Sicut Sancti* 15. *diſt.*

De infallibilitate Conciliorum in quinto ſenſu nullus dubitat.

Fagnanus *in* 3. *cap. Majores de Baptiſmo* dixit decreta Conciliorum infallibilia non

eſſe,

eſſe, niſi, vel Papa ſit præſens in Conciliis: vel, Patres definiant juxta inſtructionem Pontificis; vel, Papa confirmet Concilia. In primo, & tertio membro, & nos convenimus; ſed circa ſecundùm dicimus non poſſe Eccleſiæ innoteſcere, ſi Patres juxta definitionem proceſſerint, ideò hìc etiam eſt opus confirmatione Papæ, ut diximus *num.37.* Ubi verò Seſſa *Scrutin.doctrin.cap.2.art.12.nu.38.* dixit, in Concilio Generali aliam non eſſe agnoſcendam infallibilitatem, niſi, quæ dependeat à confirmatione Romani Pontificis, uſurpandum eſt de Conciliis, in quibus per ſe ipſum Papa non præſidet.

Opponunt II. Non ſemel contigit, quòd Patres in Conciliis abſque Pontificis inſtructione non definierint, & per eos definita à Pontifice fuerint confirmata: ergo tunc independenter à Pontificis confirmatione illa erant vera, & infallibilia. Antecedens conſtat; I. ex Concilio Nicæno I. in quo quidem fuerunt præſentes Legati Sedis Apoſtolicæ, ſed abſque Pontificis inſtructione. II. In Concilio Conſtantienſi non fuerunt præſentes Sedis Apoſtolicæ Legati, & tamen in eo fuerunt proſcripti errores Vvicleff, & Hutz, quæ proſcriptio, fuit ſubinde à Martino V. confirmata. III. In Concilio Tridentino completam inſtructionem tractandorum Legati non habuerunt; quoniam praxis inſtructionis concedendæ, fuit eam tradere, dum duò, vel tria, aut paulò majora negotia dogmatica debebant in Conciliis tractari. In Tridentino autem plura, & quidem plura decreta dogmatica fuerunt reſoluta; quæ vera, infallibilia, & de fide ſunt: ergo independenter à Papæ confirmatione doctrinalia Conciliorum decreta ſunt infallibilia, & fidei objecta.

Confirmatur. Concilia ante confirmationem Papæ damnarunt hæreſes, & anathema dixerunt auctoribus eorum; ac mandarunt ſub interminatione anathematis, quòd decreta dogmatica crederentur, & reciperentur; ergo ante confirmationem ſunt infallibilia; aliàs ab Eccleſia non proſcriberent homines, qui decreta illa non crederent. De antecedenti nullum eſt dubium, & conſtat Acta Conciliorum conſideranti. In Nicęno I. damnatus eſt Arius cum ſequacibus. In Conſtantinopolitano I. Macedonius cum ſuis. In Epheſino Neſtorius, & fautores. In Chalcedonenſi Eutyches: & ut cætera omittamus, in Tridentino, definitis doctrinis, fuerunt damnati Auctores contrarii, eſtò ipſorum nomina non exprimantur.

40 R. Non eſt negandum, quandoque Concilia generalia legitima abſque Papæ inſtructione, piè, & religiosè cum omni diligentia, zelove veritatis dogmata diſcuſſiſſe; & ex aſſiſtentia Spiritus Sancti verum infallibile, vel ex Scriptura, vel ex Traditionibus collegiſſe, illudque decreto confirmaſſe, ut dixit Lauræa *cit.nu.* 108. Verùm illud judicium, licèt ſit in ſe verum, & apud Deum, & definita ab illis ſint excipienda cum veneratione, & obſequio, eaque negare ſit prorſus temerarium, in fide periculoſum, & fortaſſe ſuſpicionem inferat hæreſis, non adhuc tamen habent infallibilitatem *quoad nos*, & obligantem Eccleſiam. Ratio eſt I. Quia illud judicium non eſt ultimum, cùm factum ſit abſque Capite, quod eſt Paſtor, Judex, & Confirmator in fide omnium ovium, etiam Patrum in Conciliis congregatorum. II. Quia Patres definiunt cum ſubordinatione ad Pontificem. Ideò, cùm Papa committeret Legatis, ut puncta controverſa ipſi cum Concilio definirent, ſemper ſubintelligeretur conditio, hoc eſt, quòd definitio ad Romanum Pontificem pro confirmatione tranſmitteretur. III. Quia apud Eccleſiam illud judicium non eſt certò, ac neceſſariò infallibile, cùm ei non conſtet, quòd Patres, piè, ac religiosè in eo ferendo ſe geſſerint, ut mererentur Spiritus Sancti aſſiſtentiam, ſciens, quod in aliis Conciliis erraverint. Et hinc neceſſaria eſt confirmatio Romanæ Ca-

thedræ, qua poſita, Eccleſia cognoſcit judicium eſſe neceſſariò infallibilis veritatis; & tunc, cùm ejus Paſtor loquatur, obligatur Eccleſia ad fide divina credenda dogmata definita, ſi definitio rem ad fidem pertinentia contineat; ſi verò decreta ad morum doctrinam ſpectent, ea debet omninò executioni mandare, & nunquam de infallibilitate definitionis dubitare.

41 Ad confirmationem dicimus, damnationem hæreſum, & anathemata ſingulis definitionibus à Conciliis adjecta in pertinaces, & diverſa ſentientes, non eſſe ultimata, ſed pronuntiari cum reſpectu, & ſubordinatione ad Romanum Pontificem, à cujus confirmatione completam firmitatem, integrumque robur deſumunt. A capite enim membra confirmari debent; & Judex inferior ſemper judicat cum ſubordinatione ad Judicem ſuperiorem.

Dices. Sed antecedenter ad Pontificis confirmationem decreta dogmatica Conciliorum ſunt ultimò à Patribus definita. Probatur 1. Ad ea recipienda tenentur, & ipſi Pontifices, ut ſcripſit Gelaſius Papa, ubi ſupr. ibi. *Confidimus, quòd nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret uniuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam.* Secundò. Quia iidem Pontifices non poſſunt Conciliorum decreta mutare, dicente Zozimo *in cap. Contra ſtatuta 25. q. 1. Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis* (Romanæ) *poteſt auctoritas*: ergo, &c.

42 R. Negatur ſubſumptum. Ad primam probationem. Tenentur quidem Pontifices recipere decreta dogmatica, non tamen, quia ſunt, utcumque à Conciliis edita, ſed quatenùs ſunt à Romana Cathedra confirmata; & ſecundùm ea, quæ ſpectant ad jus divinum, & naturale, vel fidem, doctrinamque morum reſpiciunt. Etenim, etiam ipſi adſtringuntur ad ea, quæ Deus revelavit, & ad exequenda, quæ ſunt per ſe bona, vel per ſe mala.

Gelaſius loquitur de Conciliis à Papa confirmatis. Cæterùm, quantum ad Canones, legeſque poſitivas concernentes diſciplinam, ritus, & morum reformationem non ligantur, niſi ſecundùm vim directivam. Quemadmodum, & Apoſtoli tenebantur ad ea, quæ ipſis fuerunt à Chriſto, & Spiritu Sancto revelata, & ab ipſis, ut præconibus Chriſti promulgabantur. Ad leges verò, quas ipſi, ut legiſlatores dederunt Eccleſiæ vi tantùm directiva; quas non tantùm poterant declarare, ſed juxta exigentiam tollere, & abrogare, ut dicam *cap. ſeq.*

43 Ad 1. probationem. Ea, quæ ſunt juris divini, vel naturalis nequit Papa tollere, vel mutare, quia utrumque jus eſt immutabile. Circa quæ alia poteſtas in Pontifice non eſt, quàm definitiva, & declarativa.

44 Neque eſt pariter in Papa poteſtas mutandi ſua decreta, & definitiones, quibus Scriptura, Traditiones, & morum doctrinas explicat, definit, & proponit Eccleſiæ. Tum, ex quo non valeat deſtruere fidei dogma, & negare verbum Dei in æternum manere. Tum etiam, quia principalis conditor definitionum eſt Spiritus Sanctus, qui per Pontificem, tanquam per ſui præconem definit, & cujus miniſterio ipſe Spiritus Sanctus ad definiendum utitur, prout S. Leo de definitis in Concilio Chalcedonenſi ſcripſit Theodoro Epiſcopo Cypri: ibi. *Nullum nos in noſtris Fratribus detrimentum ſuſtinere, permiſit Deus, ſed quæ noſtro, priùs definierat miniſterio.* Quoniam verò Papa eſt in definiendo præco, & inſtrumentum Dei, definitioni, & ipſe ſtare debet; cùm per eam expoſita ſit voluntas Dei, cui omnes obtemperare debent. Sic in humanis præco promulgans leges Principis, legibus ſubiicitur: Verùm Papa poteſt moderari, abrogare, & diſpenſare ſupra decreta juris poſitivi humani,

ni, novaſque leges condere ſecundùm opportunitatem temporum, prout antiqua, & continuata conſuetudo docet. Quibus aptatur, quod de lege temporali, & non perpetua dixit Auguſtinus *lib.1. de libr. arbitr.cap.6. Quamquam*, ait, *juſta ſit, commutari tamen per tempora juſtè poteſt*. Et S.Leo in *cap.Sicut 14.diſt.* ſcripſit. *Sicut quædam ſunt, quæ nulla ratione convelli poſſunt* (ut ſunt quæ jus divinum, aut fidem, vel jus naturale, & morum doctrinam reſpiciunt) *ita multa ſunt, quæ, aut pro neceſſitate temporum, aut pro conditione ætatum oporteat temperari*.

Dices. Decreta, etiam juris poſitivi, quæ ad morum reformationem pertinent, fiunt ex directione Spiritus Sancti: ergo & ea, ubi ſemel ſunt conſtituta, mutari non poſſunt.

45 R. Negatur conſequentia. Planè & illa decreta habent directorem Spiritum Sanctum aſſiſtentem Pontifici, ne erret circa leges, quas Eccleſiæ obſervandas proponit; verùm quia quantum ad iſtas eſt purus legislator, ipſæque pertinent ad res utilitati fidelium juxta temporum circumſtantias accommodatas, eſt poteſtati Papæ à Spiritu Sancto in ædificationem Eccleſiæ relictum, ut, illis circumſtantiis mutatis, poſſit eas leges tollere, aliaſque conſtituere: Papæ enim commiſſum eſt, ut paſcat oves: ergo, ubi videt aliquas leges ampliùs non eſſe ovibus utiles, revocare tenetur, & aliis utilitati illarum conſulere.

Quare hujuſmodi leges dicuntur humanæ non ex parte poteſtatis, quæ eſt à Deo, nec quòd Spiritus Sancti aſſiſtentia non adſit, ſed quia ab hominibus tolli poſſunt: etenim cùm materia mutabilis ſit, poſſunt aliæ Eccleſiaſticæ leges à legitimo legislatore ſubrogari ad differentiam juris divini, & naturalis; Circa quæ Papa ſeipſum etiam ligat, dum circa ipſa quidquam definit, ut dictum eſt.

Opponunt 3. Patres Concilii Tridentini ſignificarunt ſibi competere auctoritatem immunem ab omni erroris periculo: *Seſſ.* enim 13. (quod cæteris ſeſſionibus præmittitur) dixerunt. *SacroSancta Oecumenica, & generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata:* & proſequuntur, *quod non abſque peculiari Spiritus Sancti ductu, & gubernatione convenerit, ut veram, & antiquam de fide, & Sacramentis doctrinam exponeret, & ut hæreſibus omnibus remedium afferret:* Et infra, *quod Catholica Eccleſia à Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies ſuggerente edocetur*, adeòut potuerint hac forma decreta formare, ut *Actor. 15 Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*: ergo independenter à Papa habent Concilia infallibilitatem, & vim obligandi omnes.

Addunt. Suffragia Epiſcoporum in Conciliis ſunt deciſiva, & non merè conſultiva; nam Epiſcopi in Conciliis ſunt non tantùm conſiliarii, ſed etiam Judices: quod omnes concedunt: ergo decreta in illis edita ante Pontificis confirmationem ſunt infallibilis veritatis, & obligationem toti Eccleſiæ inducunt. Alias ſolo nomine Judices eſſent, & reverà eſſent puri Conſultores, ſi, præciſa Pontificia confirmatione, ſubditos ſuis deciſionibus, & decretis non obligarent.

46 R. Eo titulo Tridentina Synodus dixit. *In Spiritu Sancto legitimè* (vel nomine Chriſti) *congregata*, quatenus coacta fuit auctoritate Romani Pontificis, & ſub præſidentia Legatorum Sedis Apoſtolicæ, ac capiti unita procedebat ad exponendam veram de fide doctrinam juxta Pontificis inſtructionem. Non expoſitione, quæ ultimata infallibilitate, ſeù *quoad nos* potiretur, & quæ Eccleſiam auctoritativè obligaret, donec à Romano Pontifice confirmaretur. Patres enim in Conciliis ſuam ſententiam dicunt in ordine ad ſententiam Pontificis, à cujus confirmatione Concilia robur habent ad obligandos fideles, ut forment judicium omninò certum de infallibilitate rerum definitarum, & obſervantia decretorum.

Cùm verò Concilium dixit, *Eccleſiam à*

Spiritu Sancto ſuggerente omnem veritatem edoceri, eſt ſenſus, quòd Eccleſia (quæ eſt corpus capite, & membris conſtans) doceatur per ſuum Caput, cui Spiritus Sanctus ſuggerit, & in memoriam reducit omnem veritatem ab ipſo proponendam. Pontifici enim, qui eſt Caput Eccleſiæ, & non Concilio, commiſſa eſt totius Eccleſiæ cura. Sic pariter, quando uſa eſſet formula illa, *viſum, &c.* Eccleſiæ certò non conſtaret, quòd Patres fuerint directi à Spiritu Sancto, niſi præſtita à Pontifice confirmatione.

Dices. Sed quid, ſi tam decreta Tridentini, quàm aliorum Conciliorum non fuiſſent à Papa confirmata? fortè non erant infallibilia, & obligantia? Porrò id dicendum non eſſet, cùm verba Spiritus Sancti ante confirmationem eſſent.

47 R. Si decreta ſive fidei, ſive morum edita ſunt præcedente inſtructione, & definitione Papæ, fuerunt in ſe infallibilia, ſed unde conſtaret Eccleſiæ quòd Patres proceſſiſſent ſecundùm Pontificis inſtructionem? Patribus, qui noverant ſe definiiſſe juxta illam, notum erat eſſe omninò infallibilia, & ideò tenebantur credere, & tenere, quod per illa determinatum fuiſſet, ſed ut obligaretur tota Eccleſia, opus eſſet confirmatione Pontificia, ut dictum eſt.

Dices. Ad quid igitur Concilia celebrantur?

R. Ad effectum, de quo diximus *contr. præter.cap.5.num.25.* Addentes nunc, ideò ex univerſo Orbe Epiſcopos in Concilio generali congregari, ut intelligi poſſit, quæ ſit circa articulum controverſum ſingularum Orbis Eccleſiarum ſententia. Unde quilibet Epiſcopus in Concilio fidem facit, Eccleſiam, cui præeſt, articulum, de quo agitur, vel tenere, vel reiicere, teſtaturque ſe eum ab anteceſſoribus accepiſſe. Hincque ſequitur Concilium generale nihil quoad ſubſtantiam novi definire, ſed declarare tantùm, quòd Eccleſiæ per totum Orbem diſperſæ ſaltem implicitè crederent. *Quid Eccleſia* (ait) Lirinenſis *commonit.2.cap.32. unquam aliud Conciliorum decretis enixa eſt, niſi ut, quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſteà diligentiùs crederetur?*

48 Neque inde ſequitur dari in Eccleſia duas regulas vivas infallibiles: una enim tantùm datur, eſtque Summus Pontifex, qui poteſt variis modis uti ſua poteſtate ad definiendum, prout opportunitas tulerit, & Eccleſiæ fuerit expediens. Unus verò modus eſt definire cum Concilio generali, quo ipſe interdum, utitur, quia expedit ad Eccleſiæ pacem; vel, ut inde magis de communi conſenſu conſtet, aut magis hæretici, cæterique contradictores confundantur. Tunc duæ regulæ infallibiles in Eccleſia ponerentur, quando Concilium independenter à Papa errare non poſſet, ſicut Papa eſt independenter à Concilio ab errore immunis.

49 Ad additum. Sunt quidem ſuffragia Epiſcoporum deciſiva, at non ultimatè, ſed in ordine ad ultimum complementum, & robur Pontificiæ confirmationis. Ipſique Epiſcopi in Conciliis legitimè congregatis ſunt Judices, non quidem independentes à Pontifice, ſed huic ſubordinati, adeòut licèt eorum judicium non poſſit ab ullo inferiori examinari, & retractari, poteſt tamen à Pontifice.

Hinc eſt, quod eorum decreta in ordine ad Pontificem obtinent ſolùm vim conſultivam, in ordine verò ad alios, habent etiam deciſivam, & coactivam, obligantque univerſalem Eccleſiam habito reſpectu, & ſubordinatione ad finalem Papæ deciſionem, qua poſita, nedum radicalem, ſed etiam actualem, & in exercitio habent vim obligandi. Ideò non ſolo nomine, ſed realiter ſunt Judices; nam ex illo tunc, quo à Pontifice Concilia probantur, omnes fideles ſub anathemate actualiter adſtringuntur ad decreta

Con-

Conciliaria ſuſcipienda; ubi antecedenter ad illam, Concilia eſtò à Papa convocata, ipſique unita, Eccleſiam obligabant ſolùm radicaliter, & veluti in actu primo.

50 Quocirca puto neminem ignorare poſſe Epiſcopos in Conciliis legitimis Judices controverſiarum eſſe (licèt non ultimos) & non tantùm Conſiliarios. Quod maximè cenſeo, ſi etiam notetur, unde ab Antiquis Epiſcopi dicerentur. In antiquitate itaque Epiſcopi vocabantur inſpectores, Curatores, & Cuſtodes, quos Athenienſes in ſuæ Ditionis Urbibus ad inſpiciendum, ordinandumque rerum ſtatum cum poteſtate, & juriſdictione conſtituebant, ut plures obſervarunt apud Petavium *lib.2. de Eccleſiaſt.Hierarch.cap.5. num.3. Enarrantes eos, qui ab Athenienſibus ad Civitates mittebantur imperio ſuo ſubjectas, ut rerum ibi ſtatum inſpicerent, Epiſcopos, & Cuſtodes eſſe dictos: quos Lacedemonii Harmoſtas vocabant*. Quia igitur Gentilitas Prætores, vel cauſarum Præſidentes in ſuis negotiis politicis Epiſcopos vocabat, ac Regionibus præficiebat, ut ad illos multitudo recurreret; non fuit abſurdum, ut, tranſeunte Gentilitate ad Eccleſiam, tranſiret pariter ethymologia, ut Eccleſiarum Præſidentes, vel, qui præficiebantur ad cauſas Eccleſiaſticas pertractandas, Epiſcopi vocarentur. Ideò cùm ad Epiſcopos in Conciliis congregatos ſumma negotia deferuntur, ut terminentur, omninò dicendum eſt, eos in Synodis judicium (licèt non ultimum) exercere, quoties canones, & decreta formant, atque definiunt, quod non eſt, niſi Prætorum, & Judicum ſpiritualium.

51 Proinde contra Catharum dicendum Epiſcopos ex vi nominis, ac muneris non habere ſolam curationem, & adminiſtrationem ſine poteſtate, & juriſdictione: illis enim *Actor.20.* dictum eſt: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos* (ſub Romano Pontifice) *Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*. Regere autem juriſdictionem importat ad cuſtodiendum gregem à lupis, ad reſiſtendum contradictoribus, ad docendum, & contradicentes corripiendos.

52 Quod pariter eſt certum, conſiderando in Epiſcopali nomine, & dignitate duo eſſe: alterum eſt ordo ipſe, ſive character, quo ad certos effectus poteſtatem ipſi accipiunt præſertim ad ordinandos Epiſcopos, Præsbyteros, &c. Alterum eſt, poteſtas, & juriſdictio regendi myſticum Chriſti Corpus (hoc eſt, populos eis à Pontifice aſſignatos) tam in iis, quę ad diſciplinam, legeſque pertinent, quibus fideles continentur, quàm in adminiſtrando bona ſuarum reſpectivè Eccleſiarum. Ut optimè ſcripſit Petavius *loc.cit.* quo, & *lib.diſſertat.Eccleſiaſt.* agit de dignitate, & Epiſcopali juriſdictione; ac ratione, auctoritateque manifeſtum reddit adversùs Catharum, & Salmaſium Epiſcopatum ex Chriſti inſtitutione, & Apoſtolica traditione ſuperiorem eſſe ſimplici Presbyteratu, prout definitum eſt à Tridentino *ſeſſ.23. canon.7. de ordin.*

Opponunt ult. Confirmatio Pontificia infallibilitatem non confert decretis Conciliorum: ergo ſuperflua eſt, nullumque habet effectum. Antecedens patet. Nam Gelaſius in *cap. Sancta Romana* 15. *diſt.* plurium Patrum libros approbavit, qui tamen infallibiles non ſunt, varioſque errores continent.

Item. Sæpè Pontifices approbarunt duo contradictoria, quod per ſpecialem Bullam factum reperitur à Sixto IV. circa celebrem controverſiam, *de adventu Chriſti, Adamo non peccante*: aſſeriturque utraque ſententia eſſe pietati, fidei, auctoritatibus, & rationibus conſona apud Sauram *de exam. propoſit. capit.12.* ergo infallibilitate carent: nam inter contradictoria unum de neceſſitate debet eſſe falſum: ergo nihil præſtant ſua confirmatione Conciliis.

53. R. Negatur antecedens. Circa cujus probationem alibi alia diximus; & in præſenti addimus, illam Gelaſii non fuiſſe approbationem, aut definitionem, qua eorumdem libri proponerentur, ut infallibiles Eccleſiæ, & cum obligatione ſequendi; ſed fuit tantùm permiſſio, qua legi permiſſi fuerunt, ut utiles, pii, vel probabiles. Immò aptiùs ſecundùm litteram textus fuit allegatio diſcriminis, quòd ideò illa opuſcula ibi commemorata §. *jam nunc* in Eccleſia legebantur, quia eorum Auctores noti erant; aliqua verò non admittebantur, ex quo incognita erant nomina eorum, qui ea conſcripſerunt.

Scripta Patrum, vel doctrinam ſanam continent, vel probabilem, vel errorem. Si primum Eccleſia ea recipit. Si ſecundum, ea ſolùm recipit, & permittit, ut probabilia. Si tertium, ea nec approbat, neque permittit, ſed explicitè reprobat; aut, ſi non ita reprobat, ideò eſt, quia nondum ſatis conſtat id, quod continent eſſe contra fidem, & aliunde aliquid probabilitatis habet. Inde eſt, quòd eſtò SS. PP. interdum pugnantia loquantur, & neget unus, quod ab alio affirmatur, & utriuſque ſcripta Eccleſia permittat, non ſequitur quòd pugnantia, & contradictoria approbet, quia utriuſque ſcripta permittit, ut ſolùm probabilia; duo autem probabilia, ut probabilia, nec contradictoria ſunt, nec oppoſita; quia diverſas pro ſe habent rationes.

54 Ad Item. Sixtus probavit ſolùm utramque ſententiam eſſe probabilem, hoc eſt, pro utraque eſſe rationes, & motiva gravis ponderis, ac utramque defendi ſine pietatis, & fidei præjudicio; prout defenduntur à Schola Scotiſtica, & Thomiſtica reſpectivè.

Hinc advertas, quòd, dum Pontifex definit aliquam propoſitionem eſſe probabilem, definit ſolùm illam gravi niti fundamento: adeòque ex vi motivorum non apparere eſſe falſam; non verò illam approbat abſolutè, & prout in ſe: quo ſenſu poſſet eſſe falſa. Ita, dum Clemens V. in Concilio Vienneſi ut in *Clementina de Sum. Trinit. & fide Catholica*, approbavit eſſe probabiliorem ſententiam aſſerentium per baptiſmum conferri baptizatis (quoad habitum) gratiam informantem, & virtutes, approbavit eſſe magis conformem, & conſonam dictis Sanctorum Patrum, & Theologię modernorum Doctorum; ut expreſsè ibi §. *Ad hoc*.

55 Conſidera pariter duplici modo poſſe Pontificem ſe gerere circa duas propoſitiones probabiles de eadem re. Primo modo, approbando abſolutè, & deciſivè. Secundo modo, ſe habendo purè permiſſivè, & tolerativè, præſcindendo ab approbatione, vel reprobatione alterutrius. Ubi priori modo procederet, utramque approbando abſolutè, & deciſivè, non poſſet poſteà in diverſo tempore unam declarare improbabilem: aliàs erraret, quod eſt impoſſibile. Ubi verò ſecundo modo proceſſiſſet, poſteà poſſet unam declarare improbabilem; nec ullum interveniret periculum erroris: neque extrema eſſent contradictoria, ut patet.

Dices. Propoſitio à Sede Apoſtolica definita, ut probabilis, poſteà eſt ab eadem reddita improbabilis. Nam ſententia non favens præſervationi B.M. Virginis à peccato originali pro primo inſtanti poterat defendi, ut ex *Extravag. Grave nimis Sixti IV. inter com.* Et S. Pius V. *conſtit. Super ſpeculam* 114. *in Bullar. tom.* 1. reliquit cuique liberam facultatem opinandi quālibet partem controverſiæ, & diſſerendi de Conceptione in diſputationibus, ceſſante ſcandalo. Subinde Paulus V. *conſtit. Sanctiſſimus* 105. *ibi to.* 3. prohibuit in publicis actibus aſſerere B. Virginem eſſe cōceptam cum peccato originali. Quod deinde Gregorius XV. *conſtit. Sanctiſſimus* 29. ibi, extendit, etiam ad privata colloquia, & Scripta: Uterque tamen Pontifex ſe aperuit, quòd per eam prohibitionem non intendebat *illam opinionem reprobare*,

bare, nec ei ullum præjudicium inferre, eam *relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus reperiebatur*. Et hoc quid eſt aliud, quàm dictam opinionem approbare, ut probabilem? Quæ poſteà improbabilis reddita eſt ab Alexandro VII. *Conſtit.Solicitudo* 117. *ibi tom.*5. ubi ſub pœnis, & cenſuris prohibet quovis modo, & occaſione loqui, tractare, & diſputare, vel contra ſententiam piam, Feſtum, & cultum directè, vel indirectè agere. Quo ſignificatur contrariam ſententiam eſſe improbabilem.

56 Reſp. Neque Sixtus, Pius, Paulus, & Gregorius definierunt abſolutè utramque ſententiam eſſe probabilem; ſed circa utramque ſe habuerunt merè permiſſivè, & tolerativè, prout eſt ſenſus clauſularum: *donec altera pars, vel articulus à Sancta Sede fuerit definitus, vel aliter ordinatum*.

Dices. *Error, cui non reſiſtitur, approbatur*. *Cap.Error 63.diſt.* Ergo, ſi Pontifices propoſitionem, quæ erat in ſe falſa, non reprobarunt, approbarunt falſitatem: ait enim Cæleſtinus Papa: *injuſto ſilentio foventur errores*.

57 Reſp. Aliud eſt approbare, & docere, aliud ſuſtinere, permittere, & juſta cauſa tolerare; ut dixit Auguſtinus *libr.* 20. *contra Fauſtum cap.*21. *Aliud eſt, quod docemus, aliud, quod ſuſtinemus. Epiſt.*55. *ad Januarium cap.*19. *Eccleſia Dei*, ait, *inter multam paleam, multaque Zizania conſtituta, multa tolerat, & tamen, quæ ſunt contra fidem, & bonam vitam, non approbat. Serm.*294. *in natal.martyr.Guddentis* (aliàs 19. *de verb.Apoſtoli*) *cap.*21. *Ferendus eſt diſputator errans in aliis quæſtionibus non diligenter digeſtis, nondum plena Eccleſiæ* (in ſuo Capite) *auctoritate firmatis.... Adhuc fortè noſtra non eſt reprehendenda patientia: ſed debemus timere, ne culpetur, etiam negligentia*. Ergo juxta Auguſtinum non eſt idem tolerare, ſeù aliquo juſto motivo permittere aliquam propoſitionem, & eam poſitivè, & abſolutè approbare. Plurima tolerant Pontifices defendi ad evitanda majora mala, quæ tamen non approbant abſolutè, & juſto ſilentio ſilent, non tamen conceſſivo, ſed pure tolerativo ad tempus. Vide *contr.*7.*cap.*3.*nu.*31.

CAPUT VI.

An Concilium ſit ſupra Romanum Pontificem?

SUMMARIUM.

1 *Auctores pro ſuperioritate Concilii ad* 3.
4 *Pontifex eſt Concilio generali Superior.*
5 *Papa eſt Princeps Eccleſiæ.*
6 *Et fundamentum omnium Fidelium collectivè.*
7 *Et ſupra omnes Epiſcopos, etiam in Concilio congregatos ad* 10.*&* n.20.*&* 24.
11 *Paſtor poteſtatem non recipit ab ovibus.*
12 *Concilia teſtantur ſe inferiora Pontifice, ad* 19.
20 *Id affirmat Conſtantienſe.*
21 *Concordat etiam Baſileenſe.*
22 *Propoſitiones ab Alexandro VIII. proſcriptæ Concilio tribuentes ſuperioritatem.*
23 *A Papa ad Concilium nulla eſt appellatio.*
24 *Adæquata Diœceſis Papæ eſt tota Eccleſia.*
25 *Juriſdictio Epiſcopis in Concilio adunatis traditur à Papa.*
26 *Status Parochorum eſt de jure divino ad* 29.
30 *Objectio ex Concilio Piſano facta à Maymburgo.*
31 *Cauſa, cur tunc temporis fuerint in Eccleſia duo Pontifices?*
32 *Et ad quem effectum Concilium Piſanum fuerit congregatum? ad* 34.
35 *An d.Concilium fuerit legitimum? ad* 42.
43 *Gregorius XII. ponitur in recta ſerie Romanorum Pontificum, ita Alexander V. & Joannes XXIII. ad* 44.
45 *In caſu ſchiſmatis non judicatur Papa, ſed factum eligentium.*

46 *Con-*

46 *Conciliabulum Piſanum reprobatum à Leone X. aliud à Concilio Piſano adversùs ſchiſma coactum.*

47 *Objectio ex Concilio Conſtantienſi refricata à Maymburgo, & Dupino.*

48 *Ratio, cur Conſtantienſe fuerit coactum ad 50.*

51 *Tria tempora habuit.*

52 *Decretum Conſtantienſis Concilii ad tempus ſchiſmatis reſtringitur, ad 64.*

65 *Ad Concilium generale ſufficit, quod generaliter vocentur omnes Epiſcopi, ad 66.*

67 *Quæ decreta Conſtantienſis Martinus confirmaverit?*

68 *Tribus modis ſolent Concilia à Pontifice approbari.*

69 *Objectio ex Concilio Baſileenſi iterùm recocta.*

70 *Concilium Baſileenſe convocatione fuit Oecumenicum, non verò progreſſu ad 73.*

74 *Eugenius IV. non probavit decreta Baſileenſis, & 76.*

75 *Eugenius transfert Concilium Ferrariam.*

76 *Baſileenſes Eugenium deponunt.*

77 *Eugenius abſolvit à cenſuris adhærentes Concilio Baſileenſi.*

78 *Nicolaus V. dictum approbavit Concilium in negotiis Beneficiorum, collatorum tempore ſchiſmatis.*

79 *Reprobatur Annatus contendens pro confirmatione Baſileenſis à 1. ad 16. ſeſſ.*

80 *Objectioni ex doctrina Auguſtini adductæ reſpondetur.*

81 *Duo tempora adversùs Donatiſtas conſiderantur.*

82 *Nicænum I. eſt Concilium ab Auguſtino plenarium nuncupatum.*

83 *Concilium Arelatenſe non eſt illud plenarium, de quo agit Auguſtinus.*

84 *In Concilio Nicæno decretum eſt, baptiſma Hæreticorum non eſſe repetendum, excepto adminiſtrato à Paulianiſtis.*

85 *Cur Chriſtus fuerit Matri, & Joſepho obediens?*

86 *Papa diverſo titulo eſt Filius, & Pater Eccleſiæ ad 88.*

89 *Claves juriſdictionis ſunt formaliter à Chriſto datæ Petro ad 91.*

92 *Privilegia Eccleſiæ conveniunt ratione Capitis.*

93 *Papa eſt pars Eccleſiæ: quo ſenſu ſit verum, quo autem falſum?*

94 *Papa eſt Caput Eccleſiæ, ſed ſub Chriſto.*

95 *Error Petri Suavis circa Epiſtolam Leonis lectam in Chalcedonenſi ad 97.*

98 *Cur cauſa Dioſcori in eodem recognita? ad 99.*

100 *Semel determinata à Papa poſſunt de novo confirmari.*

101 *Photii damnatio repetitur in VIII. Synodo ad 102.*

103 *Vis coactiva ponit inferioritatem in obſtricto parère.*

104 *Cur à Republica Princeps malus deponi poſſit, non Papa ab Eccleſia ad 105.*

106 *Modus correptionis duplex.*

107 *Papa non eſt purè Frater, ſed Fratrum Princeps.*

108 *Erga Papam poteſt correctio fraterna adhiberi.*

109 *Inferior poteſt ſuperiorem charitativè corrigere.*

110 *Decreta Conciliorum, etiam nomine Concilii edita, non inferunt ſuperioritatem Concilii ſupra Papam.*

111 *Senſus dicti Hieronymi:* Si auctoritas quæritur, Orbis major eſt Urbe.

112 *Ex Innocentio III. ad Regem Galliæ non probatur ſuperioritas Concilii ad Papam.*

113 *Antiqui ſteterunt pro prærogativa Pontificis ſupra Concilium ad 115.*

SAnè nulla potuit controverſia occurrere, quæ majori cum moleſtia fuerit ab Auctoribus tractata, quàm præſens. Aliis enim arriſit affirmativa ſententia, atque, ut Pontificem ſubderent legibus, & correctioni Concilii Generalis ſupponerent, hujus auctoritatem, majorem dixerunt, quàm ſit illa Papæ Conciliumque ſta-

ſtatuerunt Judicem ſuperiorem Romano Pontifice; quæ proinde eſt operoſiùs examinanda ob Apoſtolicæ Sedis dignitatem.

1 Verùm alio ſyſtemate rem defendunt Hæretici, alio quotquot Catholici illius ſunt opinionis. Novatores tollentes à Pontifice omnimodè auctoritatem Capitis totius Eccleſiæ, & ſuſtinentes eſſe tantùm Epiſcopum Eccleſiæ particularis, vel, ad ſummum Occidentis Patriarcham, tradunt ipſum non eſſe ſupra Concilium generale. Catholici verò (ut Almainus in *lib.de auctorit.Eccleſ.* Joannes Major *opuſ.de auctorit.Concil.ſupr.Pontif.* Petrus de Aliaco Card.Cameracenſis *lib.de Eccleſ.* & Cardinal. *auctor.cap.2.3.& 4.tert.part.* Gerſon *de poteſt.Eccleſ.* Card. Cuſanus *de concord. canon.libr.2.cap.ult.* Panormitanus *cap.Significaſti de elect.* Richerius, Vigorius, & recentius, Dupinus, & Maymburgus, aliique adhærentes Concilio Baſileenſi) ſentiunt contra hæreticos Papam eſſe Caput totius Eccleſiæ, non cathegorematicè, & collectivè, ſeù totius Eccleſiæ congregatæ in Concilio; in quo Eccleſia formam corporis induit, & tota poteſtas ſimul unitur, quæ anteà erat in ſingulis partibus diſperſa; & hoc titulo majorem poteſtatem agnoſcunt in tota collectione, quàm in una ſolùm parte, Romano Pontifice, ac proinde ſubinferunt Concilium eſſe majus Papa, non ſecùs, ac totum eſt majus ſua parte; ſed faciunt Papam Caput Eccleſiæ ſyncathegorematicè, & diviſivè, quatenus, ſi comparetur Papa cum quolibet Chriſtiano ſeorſim, ipſe ſit major, cùm hoc ſit comparare membrum nobiliſſimum cum membro minus nobili.

2 Ipſam Pontificis maximi ſuperioritatem ad Concilium generale latiſſimè defendunt Cardinalis Alexandrinus in *Sum. 15.diſt.* Cardinalis Jacobatius *lib.10.art. 70.à num.72.* Cardinalis Albanus de *poteſt. Papæ, & Concil.* D.Thomas *opuſc. contra err.Græcor.* S.Bonaventura *in 4.* S.Antoninus *in 2.p.ſum.tit.2.cap.11.* Turrecremata *de poteſt.Eccleſ.lib.2.* Cajetanus, Belarminus, Baronius, Echius, Pighius, Gravina *tom.4.p.2.diſput.1.art.ult.* Leytam *clip. Pontif. dignit.* Guarnieri *de cap. Eccleſ.li.2. cap.26.* Seſſa *Scrutin.doctrinar.cap.2.artic.12.* Bail *ſum.Concil.to.1.in Concil.Conſtantien.tit. auctoritas Concil.& Papæ, & in Concil. Baſileenſi tit.de auctorit.Concil.& Papæ*, aliique plures. De quo amplius dubitare nullus poteſt, niſi qui per hæreſim, & ſchiſma velit ab Eccleſia ſecedere, ac judicio proprio ſit condemnatus, ut loquitur Paulus ad *Titum cap.3.*

3 Difficultas non eſt de Concilio generali cum Papa; nam tunc, tam eſt certum Concilium non eſſe ſupra Papam, quàm, quòd corpus cum capite non eſt ſupra Caput, & domus cum turri non eſt ſupra turrim; ſed examinanda eſt de Concilio ſeorſim ſumpto, vel, Pontifice non congregante, vel, non præſidente per ſe, aut ſuos Legatos, ſeù ipſo contradicente; in hoc ſenſu quæritur, an Concilium ſit ſupra Papam, ſeù an Conciliaris definitio ſit ſuperior judicio definitivo Pontificis, adeòut Pontifex auctoritati Concilii ſubiiciatur, ligeturque legibus à Concilio editis.

4 Dicendum. *Pontifex eſt Concilio generali ſuperior, nulloque modo ſub Concilii auctoritate.* Eſt de fide contra aſſertores primæ opinionis.

Probatur. Primatus Papæ ſupra Concilium generale probatur. *Matth.16.* ubi Chriſtus in præſentia omnium Apoſtolorum ſoli Petro curam ſupremam, & abſolutam ſupra univerſam Eccleſiam promiſit, dicens: *Et ego dico tibi* (non vobis, non veſtro collegio, ſive Concilio) *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam .... & tibi* (non vobis, non Concilio) *dabo claves* (quæ ſupremam poteſtatem denotant) *regni Cœlorum*: ergo Patres in Concilio congregati Petro innituntur, & totius Eccleſiaſtici Ædificii altitudo ſuper eum, ejuſque ſucceſſores conſurgit; ea enim verba non Petro, ut perſonæ

pri-

privatæ dicta ſunt, ſed ipſi ut perſonæ publicæ, vel, ejus officio perpetuò in ſuis ſucceſſoribus duraturo; cùm tale officium ſit capitis, cujus eſt influere in corpus, ex quo præeminentia illius ſuper corpus Eccleſiæ colligitur.

Dicunt 1. A Chriſto conſultò dictum eſt, *ædificabo Eccleſiam meam*, non tuam, ut oſtenderetur Papa non eſſe Princeps, & Dominus Eccleſiæ, ſed miniſter, & Eccleſia in Concilio congregata Domina.

II. Papa eſt ſupra omnes Epiſcopos diviſim, non verò in Concilio unitos, ſicut Dux Venetorum eſt ſupra ſingulos Senatores, non verò ſupra totum Senatum collectivè; & Generales Ordinum ſunt ſupra Religioſos diviſim, non ſupra Capitulum generale.

III. Cæteris Apoſtolis claves etiam datæ ſunt, *Matth.* 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c.* Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.*

5 Contra. Quamvis Eccleſia quoad inſtitutionem, fundationem, dotationem, & regimen per internum influxum gratiæ ſit Chriſti (propter quod Eccleſia Dei vivi appellatur) & Papa dicatur Miniſter in ſenſu à nobis dato *contr.* 4. *cap.* 1. *nu.* 12. tamen, quia cum ejus miniſterio eſt conjuncta præfectura cum plena juriſdictione, eſt Papa Princeps, ac Dominus Eccleſiæ. *Cap. Nolite errare XI. diſt.* & Romana Eccleſia Domina appellatur, ex *cap. Oportebat* 79. *diſt.* Verùm Papa eſt Dominus, ſed ſub Chriſto. Cujus, & Pontificis idem eſt tribunal juxta *caput. Non putamus de conſuetud. in* 6. Propterea à ſententia Papæ ad Chriſtum appellari non poteſt, ut ſcripſit Fagnanus *in* 1. *ad cap. Significaſti de elect. nu.* 61. Non enim valet appellatio ab eodem ad ſe ipſum.

6 Ad 2. Papa eſt fundamentum, non tantùm ſingulorum, ſed etiam omnium Chriſtianorum collectivè; ſicut non Syncathegorematicè, & diviſim, ſed & cathegorematicè, & unitim fundamentum domus materialis omnes lapides ſuſtentat.

7 Hinc à diviſis ad collecta illatio tenet, quando ratio, quæ militat in diviſis, currit pariter in collectis. Ita Deo non minus quælibet creatura diviſim ſubiicitur, quàm tota creaturarum collectio; quia tam quælibet creatura ſeorſim, quàm tota ipſarum collectio à Deo dependet. Eadem autem ratio eſt de Epiſcopis ſeorſim, ac in Concilio congregatis; nam tam in Concilio quàm extra ſunt oves Chriſti.

8 Adducta exempla nihil concludunt; etenim manifeſtum diſcrimen eſt inter Ducem, & Generales, ac Pontificem. Siquidem Dux Venetus accipit poteſtatem à Republica cum limitatione, ut non extendatur ad Senatum ſimul collectum, ſed ſolùm ad ſingulos Cives diviſim; ſicut Generales juriſdictionem habent à Capitulo reſtrictè, ut ſupra Vocales in Capitulo congregatos eam non exerceant. Pontifex autem poteſtatem non accipit ab Eccleſia, ſed illam unicè habet à Chriſto ſupra Eccleſiam univerſalem, ut diximus *contr.* 6. *cap.* 2. *nu.* 14.

9 Ad 3. Conſtat ex dictis de regimine Eccleſiæ, ac Petri Primatu. Petro itaque data eſt ſumma poteſtas regendi Eccleſiam univerſalem nulli ſubordinata; qui & Apoſtolorum erat Caput, & Princeps, in quos poteſtatem habuit, cæteris verò Apoſtolis nulla fuit tradita poteſtas in ſe mutuò, multò minus in Petrum. De qua re legendus S. Leo *Serm.* 2. *de nativit. Apoſtolor. Petri, & Pauli, & Epiſt.* 87. *ad Epiſcop. Viennen.* & habetur *cap. Ita Dominus.* 19. *diſt.* Et facit illud *Joan. ult.* ubi promiſſio à Chriſto facta Petro *Matth.* 16. impleta eſt: cui, præſentibus aliis Apoſtolis, dixit: *paſce agnos*, non tantùm, ſed *& oves*, hoc eſt, Epiſcopos: & non dixit *paſcite*. Atque adeò Petro curam commiſit paſcendi totam Eccleſiam.

10 Confirmatur. *Joan.* 10. Chriſtus dixit: *alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: & fiet unum ovile, & unus Paſtor.* Alias oves vocat Gentiles, qui non erant

ex

ex ovili Judæorum, qui poſteà per Apoſtolos inducti ſunt in ovile Chriſti, & totum ovile paſcendum commiſſum abſolutè eſt Petro, non reſtrictè ad oves diviſim, ideò dictum eſt, *paſce oves meas*. Tum ſic: vel, Concilium diſtinctum contra Papam eſt ovis, ovile, vel Paſtor: non Paſtor, cùm in Eccleſia unus dumtaxat ſit Supremus Paſtor, & hic eſt Romanus Pontifex; ut optimè explicat Eccleſia à Spiritu Sancto illuminata, legens in oratione pro Romano Pontifice: *Deus omnium Fidelium Paſtor, & Rector, qui famulum tuum N. Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, &c.* ergo Patres in Concilio uniti ſunt oves, & ipſum Concilium eſt ovile: non quidem nullius, ergo Papæ, qui eſt Rector univerſalis Eccleſiæ, & gregis Dominici director, ut habetur in *cap. Ubi periculum §. Cæterùm de elect. in 6.* Edito in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. Ideò, quia Papa eſt Rector univerſalis Eccleſię, eſt pariter ſupremus Paſtor Concilii. Nam, vel Concilium congregatum propriè eſt Eccleſia, vel non: ſecundùm ab adverſariis non cōceditur, docentibus eſſe Eccleſiam repręſentativè; ergo primum; ergo Pontifex eſt Caput, ſupremuſque Paſtor Concilii. Cùm de fide ſit Pontificem Caput, ſupremumque Paſtorem eſſe univerſalis Eccleſiæ.

Dicunt. Concilium repræſentans Eccleſiam eſt ovile, & Patres oves non Petri, & Pontificis, ſed Chriſti: nam Petro dictum eſt: *paſce oves meas, non tuas*. Cui ovili data eſt poteſtas coercitiva, quam, cùm exercere commodè non poſſet, uni ſuppoſito ejus vices communicavit, quo ſenſu Papa poteſt Paſtor dici totius corporis Eccleſiæ.

11 Contra. Vis inſtantiæ, quæ primò Baſileæ fuit objecta adversùs ſuperioritatem Pontificis ſupra Concilium, tollitur per dicta *contr. 4. cit. cap. 2. & cap. 3. & contr. 6. cap. 1. num. 5. & cap. 2. num. 7.* ubi refertur Definitio Florentini, qua definitum eſt: *Pontifici Romano in B. Petro plenam poteſtatem regendi, paſcendi, & gubernandi Eccleſiam univerſalem à Chriſto Domino traditam eſſe*: ergo non ab Eccleſia illi fuit communicata. Quæ major inſania, quàm aſſerere Paſtorem ab ovibus poteſtatem accipere, & ab eis judicari poſſe? Quare Pontifex illis verbis conſtitutus eſt ſupremus Paſtor, & Rector, non ita, ut oves ſint ejus, tanquàm Domini principalis, & primarii Paſtoris: ita enim ſunt Chriſti; ſed Pontificis ſunt, tanquàm Vicarii Chriſti, à quo curam eas paſcendi accepit, & in quo vices Chriſti gerit, ut *cap. Quanto de tranſlat.*

12 Probatur 2. Concilia ipſa agnoverunt ſe eſſe inferiora Romano Pontifice. Primò, Patres in Concilio Chalcedonenſi congregati fatentur Leonem Pontificem fuiſſe ſe ipſis ſuperiorem, ac Concilio pręfuiſſe, ſicut Caput præeſt membris: ut legitur in relatione Concilii ad Leonem incipien. *Repletum eſt*, ibi. *Quibus* (hoc eſt Patribus) *tu quidem ſicut membris, Caput præeras in his, qui tuas vices gerebant*, & infra: *Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum honora judicium, & ſicut nos Capiti in bonis adjecimus conſonantiam, ſic & Summitas tua* (nota) *Filiis, quod decet, adimpleat*.

13 Secundò. In ſtatutis Conciliorum apertè excipitur auctoritas Pontificis, ut expreſsè habetur in *d. ca. Significaſti de elect. verſ. cùm omnia*. Ita Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 21. de ref.* decrevit. *Poſtremò Sancta Synodus omnia, & ſingula ſub quibuſcumque clauſulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Eccleſiaſtica diſciplina..... in hoc ſacro Concilio ſtatuta ſunt, declarat: ita decreta fuiſſe, ut in his ſalva ſemper auctoritas Sedis Apoſtolicæ, & ſit, & eſſe intelligatur*. Reſtringitur autem Concilium ad ſtatuta de morum reformatione, & Eccleſiaſtica diſciplina; quia decreta dogmatica, nec Pontifices poſſunt mutare; non quia à Conciliis edita, ſed quia ea concernunt, quæ ſunt juris divini, vel naturalis, fidem, & doctrinam morum, quæ ſunt invariabilia. Auctoritas autem non ex-

excipitur, niſi Superioris, *cap. Venientes de jur. jurand.* Et quatenus ea expreſsè non excipiatur, ut in nonnullis factum eſt, implicitè ſemper excepta præſumitur, cùm membra capiti imperare non poſſint.

14 Tertiò. Patres conſueverunt petere, & obtinere à Pontifice Concilii confirmationem, ut probatum eſt *cap. præter.* Confirmatio autem ſpectat ad Superiorē, ut ſcribit Turrecremata in *cap. Sancta Romana* 15 *diſt. Approbatio*, inquit, *& confirmatio auctorizationis*, *ſcilicet*, *quæ tribuit auctoritatem*, *& robur rebus approbatis*, *prout eſt approbatio Conciliorum univerſalium*, *ſemper eſt ſuperioris*. Et Cardinalis Albanus *tr. de poteſt. Papæ p.* 1. *num.* 88. deducit ipſamet Concilia per petitam confirmationem ſe Romano Pontifice inferiora declaraſſe. Et conſtat ex eo, quod tribuens alteri auctoritatem, & robur eſt illo ſuperius; cauſa enim eſt potiori effectu. Inſuper, Papa Conciliis formam, & modum præſcribit, eadem congregat, transfert, diſſolvit, & quæ ſine Papæ auctoritate facta ſunt, reprobata leguntur per dicta *cap.* 1. Quæ ſuperioritatem omnimodam ponunt in Pontifice ad Concilia.

15 Illud, *approbatio auctorizationis* non convenit Concilio; ſic enim Concilia approbare non poſſunt decreta Pontificum, nam Pontificiæ conſtitutiones firmæ ſunt, & robur habent, quin à Concilis approbentur, quando Concilia per Romanæ Eccleſiæ Pontifices facta ſunt, & robur accipiunt, ut *in d. cap. Significaſti*. Ideò, cùm Pontifices aliquando utuntur hac forma, *Sacro approbante Concilio*, approbatio non eſt neceſſitatis, ſed intelligitur id fieri ad cautelam, & ſolemnitatem, ut nimirum definitio plauſibilior ſit, & contradictoribus prætextus magis adimatur refragandi. Propterea approbatio tunc aliud non importat, quàm, quòd decretum à Pontifice fuerit editum, vel, *de conſilio Concilii*, vel, *cauſa examinata in Concilio*: vel, *præſente Concilio*, aut, *cum Concilio, deliberatione præhabita*, ut dixi *contr.* 6. *c.* 6. *nu.* 23. Et hic eſt notabilis doctrina Joannis Monachi apud Fagnan. cit. in *cap. Antigonus de pactis num.* 57. ibi. *Nota*, *quòd Papa ſententiam ſuam non ſupponit correctioni*, *vel emendationi Concilii*: *& requiſitio Concilii non eſt neceſſitatis*, *ſed ſolemnitatis tantùm*: *quia Papa ſine Concilio poſſet procedere ad ſententiam*, *cùm habeat plenitudinem poteſtatis*.

16 Quartò. In Litteris unionis editis in Concilio Florentino Eugenius IV. definivit, ut infra: *Diffinimus Sanctam Apoſtolicam Sedem*, *& Romanum Pontificem in univerſum Orbem tenere primatum*, cum cęteris, quæ ſequuntur. Definitioni autem ſubſcripſerunt, etiam Imperator Græcorum, & Patres, tam Gręci, quàm Latini.

17 Item. In Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. XI. definitum eſt, *ſolùm Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem*, *tanquàm auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem*, Conciliorum indicendorum, *transferendorum*, *ac diſſolvendorum plenum jus*, *& poteſtatem habere*.

18 Nec regit reſponſio dicentium hujuſmodi Concilium non fuiſſe generale cū pauci ſupra centum Epiſcopi in eo interfuerint, vel non fuiſſe ab Eccleſia receptum. Utrumque enim falſum prorſus eſt. Primum quidem, nam Concilium omnibus patebat, & omnes vocati fuerant, & in eo Summus Pontifex verus, & indubitatus præſidebat, quod ſatis eſt, ut Concilium fuerit auctoritativè generale. Secundum etiam, ſiquidem decreta Conciliorum à Papa confirmatorum non egent approbatione populi, nec ab eo accipiunt auctoritatem. Verum quidem eſt decreta de morum reformatione, ſi non recipiantur, & Pontifex conniveat, & toleret, cenſeri conſuetudine abrogari; quia cùm videat ea longo tempore non obſervari, & taceat, cenſetur ipſe abrogare. At decreta de fide, prout eſt allegatum, & alia de morum doctrina, immutabilia ſunt, nec poſſunt ullo modo abrogari, poſtquàm ſemel ſtatuta ſunt. Quod diſcrimen eſt valdè notandum.

19 Item.

19 Item Concilium Tridentinum *Seſ. 24. cap. 1. de ref.* Statuit. *Romanum Pontificem ſolicitudinem univerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio habere.*

20 Quinimò: Concilia Conſtantienſe, & Baſileenſe, quæ ſibi adverſarii in ſubſidium vocant, primatum Pontificis ſupra Concilia generalia apertiſſimè oſtendunt. De Conſtantienſi conſtat ex Bulla Martini V. *Inter cunctas la 1. Bullar. to. 1.* edita, *Sacro approbante Concilio*, in qua articulus ſeptimus inter alios Joannis Huz proſcriptus eſt: *Petrus non eſt, nec fuit Caput Eccleſiæ Catholicæ*. Et ibi Martinus mandat Prælatis, & Inquiſitoribus fidei, ut interrogent ſuſpectos de erroribus ejuſdem, & Vvicleff. *Utrum credant, quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine propriè expreſſo, ſit ſucceſſor B. Petri habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei.* Notiſſimum autem eſt hos duos articulos: *Papa eſt caput Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ*, hoc eſt; univerſalis: *& Papa habet ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei*, eſſe à Martino præfinitos, *approbante Concilio*. Quod quidem non compatitur cum hoc, quod Concilium habeat poteſtatem ſupra ipſum. Etenim fieri non poteſt, quòd Papa habeat ſupremam, hoc eſt, ſupra quam non eſt, alia in Eccleſia Dei, poteſtatem, ſi in ipſa Eccleſia Dei in Concilio congregata, alia ſit longè major poteſtas. Quo probatur poteſtas Pontificis non ſolùm ſupra ſingulos fideles, & Eccleſias particulares toto Orbe diſperſas, ſed etiam ſupra Paſtores in Concilio generali congregatos, ut dictum eſt *nu. 7. & 10.*

21 Ex Baſileenſi pariter perſpicuum eſt. Nam cùm Eugenius IV. Concilium poſt primam ſeſſionem Baſileæ diſſolviſſet, & tranſtuliſſet Bononiam, Patres Baſileenſes ſoliciti fuerunt, ut ab Eugenio diſſolutio revocaretur: & Eugenio per duas litteras ſe ſe remiſſuros, & pedes ejus tanquàm B. Petri exoſculaturos promiſerant, ſi revocata diſſolutione, Concilio progredi permitteret, atque illi cohæreret, ut inquit Pius II. *conſtit. In minoribus X. §. 4. in Bullar.* Ut quid tanta ſolicitudine, Patres illi revocationem diſſolutionis ab Eugenio poſtulabant, niſi quia notum ipſis erat, Concilia ſine auctoritate Papæ celebrata illegitima, & nullius roboris eſſe? Si præeminentiam Concilio ſupra Papam cenſuiſſent convenire, nihili diſſolutionem feciſſent, eamque utpotè factam ab incompetente auctoritate ſpreviſſent: Ergo, quia Primatus in Pontifice ad Concilia ſibi notiſſimus erat, ad Pontificem tanquàm ad Eccleſiæ Principem recurſum habuerant, ut Concilio curſum concederet.

Quoniam verò noluerunt Eugenio parere pſeudo-Concilium celebrarunt, & Schiſmatici ſunt effecti: Quippe, ut ait Cyprianus *Epiſt. 3. ad S. Cornelium Romanum Pontificem*: *Non aliunde hereſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei* (Pontifici) *non obtemperatur: nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur.*

22 Probatur 3. Auctoritas Romani Pontificis ſupra Concilium eſt ad præſens expreſsè definita. Alexander VIII. 7. *Decembr.* 1690. hanc in ordine 29. propoſitionem exſufflavit: *Futilis, & toties convulſa eſt aſsertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, ac in fidei quæſtionibus decidendis infallibilitate.* Et priùs eodem anno 4. *Auguſti conſtit. Inter multiplices* proſcripſerat quatuor propoſitiones editas in Comitiis Gallicanis de anno 1682. quibus Auctores præeminentiam Romanæ Sedis ſupprimere intenderant; quarum ſecunda auctoritatem Concilii ſupra Papam elevabat, in hæc verba: *Sic autem ineſſe Apoſtolicæ Sedi, ac Petri Succeſſoribus Chriſti Vicariis rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant, atque immota conſiſtant Sanctæ Oecumenicæ Synodi Conſtantienſis à Sede Apoſtolica comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum, ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetua religione cuſtodita, decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quæ*

Seſs.4. & 5. continentur; nec probari, qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus, Concilii dicta detorqueant. Quam refero *Offic. Cur.Eccleſiaſt.cap.29.nu.17.*

23 Comprobatur auctoritas Pontificis ſupra Concilium, ex eo, quòd à Papa ad Concilium eſt appellatio interdicta ſub pœna excommunicationis in canone 2. *Bullæ Cœnæ*. A Concilio verò ad Papam appellare omnibus licet, ut ex *conſtit. Valdè* Gelaſii *in Bullar.* in qua §.11.Epiſcopis Dardaniæ ſcripſit. *Ad illam* (Sedem Apoſtolicam) *de qualibet mundi parte, canones appellari voluerunt: ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus*. Appellatio autem eſt de minori ad majorem Judicem provocatio *L.1.§.Si quis à Judice, ff. de appellat.* In univerſali verò *de qualibet Mundi parte* comprehenduntur, etiam appellationes à Concilio generali ad Pontificem. Quod intelligitur de Concilio, in quo Papa per ſe non præſideat. Quoniam ubi ſic præſidet, nec à Concilio ad Papam licitum eſt appellare, quia tunc ſunt unum, & idem tribunal, & Judex; ab eodem autem ad eumdem non fit appellatio per *cap.Non putamus de conſuetud.in 6.*

Nota, quòd cùm à Concilio illegitimo appellatur ad Papam, appellatio non eſt à Concilio, tanquàm ab habente juriſdictionem, ſed tanquàm ab eo, qui de facto proceſſit; ſeù potiùs eſt reclamatio ad Papam, ut declaret nulla eſſe geſta per tale Conciliabulum, & illud diſſolvat, ut *in cap.Multis 17. diſt.*

Dicunt. Omnia præjacta jura ſunt ſtatuta à Pontificibus, qui ſibi tribuunt, quod Conciliorum eſt proprium.

Contra. Pondus inſtantiæ ex eo poteſt deduci, quod eorum ſit, qui ſunt Romanæ Cathedræ hoſtes, & jura Sedis Apoſtolicæ tentant evertere. Nullius juriſdictionem Pontifices uſurpant, ſed ſibi à Chriſto privilegia conceſſa conſtantiſſimè defendunt, ut diximus *contr.1.cap.*

24 Probatur 4. Epiſcopus V.G.Eccleſiæ Lucanæ eſt ſupra totam Diœceſim Lucanam, nedum diſtributivè, ſed etiam collectivè; ergo Romanus Pontifex eſt ſupra univerſam Eccleſiam, etiam collectivè acceptam. Conſequentia ſequitur. Nam adæquata Romani Pontificis Diœceſis eſt tota Eccleſia, ut ex *d.conſtitut.&* §. Gelaſii: *De omni etiam Eccleſia Sedes B.Petri fas habet judicandi*, Sicut Lucani Præſulis Diœceſis eſt Eccleſia Lucana.

Dicunt. Eſt captioſum argumentum ita diſcurrere: Pontifex eſt ſupra hanc Eccleſiam, & illam: ergo ſupra omnes: arguitur enim à diſtributivo ad collectivum: ita non valet: *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim: Petrus, & Paulus ſunt Apoſtoli*: ergo *Petrus, & Paulus ſunt duodecim*.

Contra. Ideò, cùm dicitur, *omnes Apoſtoli ſunt duodecim*, non tenet illa conſequentia, quia *ly omnes*, nullo modo poteſt cum ſingulis perſonis componi, & facit ſenſum non diviſum, ſed compoſitum; propter quod non poſſumus arguendo à copulato, & collectivo ad diviſum, & diſtributivum deſcendere. Cęterùm repugnantia nulla eſt dicere: Papa eſt ſuper hanc Eccleſiam, ſupra illam, & ſic de ſingulis: ergo ſuper omnes; ergo ſuper omnem Eccleſiam copulatè, & collectivè, ſicut quia Petrus erat ſupra Paulum, Andream, & cæteros ſingulatim, erat ſupra omnes Apoſtolos collectivè.

25 Probatur 5. Conferens alteri poteſtatem, & ut jus poſſit dicere, eſt iſto major; ſed Pontifex confert poteſtatem, & juriſdictionem Patribus in Concilio congregatis: ergo major eſt auctoritas Papæ, quàm Patrum in Concilio congregatorũ. Major eſt certa. Minor probata eſt *contr. 4.cap.3.* ubi diximus regimen Eccleſię eſſe Monarchicum: Et *contr.6.cap.8.* quo reſolutum eſt juriſdictionem Epiſcopis à Papa communicari. Quod apertiſſimè legitur in *conſtit.Pii II. §.3.* ibi. *In Eccleſia militanti, quæ inſtar triumphantis ſe habet, unus eſt omnium moderator, & arbiter Jeſu Chriſti Vi-*

Vicarius, à quo tanquàm capite, omnis in ſubjecta membra poteſtas, & auctoritas derivatur, quæ à Chriſto Domino Deo noſtro ſine medio in ipſum fluit. Et *§. ult. ad finem* præmiſſo nullum Concilium fuiſſe ratum, quod, ſtante Romano indubitato Præſule, abſque ipſius auctoritate convenerit, ſubdit: *quia non eſt corpus Eccleſiæ ſine capite, & omnis ex capite defluit in membra poteſtas*.

Dicunt. Parochi, ſeù Curati (à cura animarum ſic dicti) juriſdictionem percipiunt à Chriſto, ſunt enim de jure divino à Chriſto Domino inſtituti; ergo potiori ratione Epiſcopis juriſdictio traditur à Chriſto Domino independenter à Pontifice.

26 R. Hìc notamus nos ultrò concedere Curatos, ſeù Parochos eſſe ex divina inſtitutione, ſecundùm illud Pauli ad *Titum cap.* 1. *Reliqui te Cretæ* (Archiepiſcopum, & toti Inſulæ Præpoſitum) *ut conſtituas per Civitates Presbyteros*: in majoribus ſcilicet, Epiſcopos, in minoribus, ſeù Oppidis Sacerdotes Parochos. Item, traditione docemur Parochos ſeptuaginta duobus diſcipulis ſucceſſiſſe, ſicut Epiſcopi ſucceſſerunt Apoſtolis, ut ſcripſit Beda in Lucam *lib. 3. cap.* 10. & legitur *§. Decretis* 21. *diſt.* Eſtque communis ſenſus Doctorum, quos refert Gonzalez *in* 3. *tit.* 28. *cap.* 2. *n.* 10. & videri poteſt. Tum Hallier de *Hierarch. lib. 4. cap. 6.* Tum Petavius *lib. 3. cap. 5. nu. 8. & lib. 1. Diſſert. Eccleſ. cap. 1.*

27 Verùm, licèt ſtatus Curatorum ſit de jure divino, nec poſſit in totum deſtrui, quia ſemper neceſſe erit eſſe aliquos in Eccleſia Presbyteros, qui ſub Epiſcopis ſalutem curent animarum; tamen non ſequitur eos à Chriſto immediatè immediatione ſuppoſiti, ſed tantùm virtutis, juriſdictionem accipere. Poteſtatem enim ſuam in plebem habent per aliquod ſuppoſitum medium, quod eſt Papa, vel Epiſcopus, Chriſto id inſtituente.

28 Aliqua verò ſunt in illo ſtatu, quæ ſunt de jure humano; & inter cætera, ſingularitas, & perpetuitas Curati, ac extenſio juriſdictionis ad hos, aut illos populos. Nam poſſent poni duo Curati in una Parochia, & fortè in nonnullis eſt uſus. Poſſent poni ad determinatum tempus, triennium, vel ſexennium; etenim quòd ſint perpetui, & ad vitam, eſt ex lege canonica, *cap. Præcipimus* 21. *q.* 2. Poteſt quoque eorum poteſtas modò dilatari, modò reſtringi, & in totum juſta cauſa poſſunt ea privari ex Tridentino *Seſſ.* 21. *cap. 6. de ref.* Quæ præſtantur abſque violatione divini juris.

29 Quapropter eſt diſcrimen inter Papam, & Epiſcopos, ac Curatos, quòd Papa immediatè immediatione, etiam ſuppoſiti recipit à Chriſto juriſdictionem ſine limitatione locorum, perſonarum, aut caſuum, ſed habet plenitudinem poteſtatis: alii verò in partem ſolicitudinis, ſervato ordine, ſunt vocati, juriſdictionem recipiunt à Papa cum limitatione ad talem locum, perſonas, & caſus. Porrò Papa concedendo tales limites juriſdictionis, non ſe propterea privat jure ſuo ſuper univerſos, & ſingulos fideles; Sicut Rex, qui conſtituit Judices ad exercenda judicia, non privat ſe jure ad judicandum per ſe, vel per alios, ſi expedire judicaverit; & qui ita judicatus eſt, non tenetur iterùm ſubire judicium aliorum Judicum. Et inde patet, quid dicendum ſit ad antecedens, & conſequentiam inſtantiæ.

Objectum I.

30 Concilium Piſanum depoſuit Gregorium XII. (aliàs Angelum Coriarium) Romæ electum. Et Benedictum XIII. (aliàs Petrum de Luna) Avenione ad Pontificiam dignitatem evectum. Sed Gregorius erat verus Pontifex, alioquin nec ipſe in recta Pontificum ſerie collocaretur, nec Gregorius XIII. aliàs ſe tertium decimum appellaſſet: ergo Concilium auctoritate gaudet in verum Pontificem. De-

ponens enim auctoritatem exercet in depoſitum, & ſuperioritatem in eum retinet.

31 Inſtantia eſt Maymburgi *tract. hiſtor. de magno ſchiſmat. §. vident lib.* 5. qua putat ad evidentiam probaſſe primatum Concilii ſupra Pontificem; verùm id minimè aſſequitur. Et intereà ſolutioni prǽmittimus,

Quod Concilium fuit celebratum *anno* 1409. occaſione ſchiſmatis, quo Eccleſia tunc premebatur, toto Orbe Chriſtiano in factiones diviſo. Italia cum ſuis Inſulis, Germania, Ungaria, Polonia, Angliaque Gregorio adhærebant. Scotia verò, Gallia, Navarra, Caſtella, Aragonia, Luſitania, Sardinia, aliæque Provinciæ Benedicto. Cùm enim Reges, & Provinciæ non intelligerent, uter verus eſſet Pontifex, alii hunc, alii illum, variis rationibus permoti ſequebantur.

Altiùs autem eſt repetenda cauſa, cur in Eccleſia tunc duo eſſent electi Pontifices. Sciendum eſt, Gregorium XI. ann. 1376. Avenionem reliquiſſe (ubi annis 71. Romani Pontifices ſederunt) & Romam rediiſſe. Hìc moritur an. 1378. cui à Cardinalibus dum Romani Italum, Romanumve, & Galli, præcipuè Lemonicenſium factio Gallum, Pontificem expeterent) ſuffectus eſt Barenſium Archiepiſcopus, vocatuſque Urbanus ſextus. Poſteà verò, cùm Urbanus vitia temporum tollere conaretur, nec purpuratis paveret (ut ait Spondanus *tom. 2. Epit. in Auctar. ad Annales Baronii*) poſt tertium menſem ab ejus electione, octo Cardinales (ut ſcribit Coriolanus in *Breviar. ad d. an.*) cùm Urbani reformationem ſuſtinere non poſſent, Anagnium diſſimulanter, indeque Fundos ſe contulerunt, cauſantes vim in electione Urbani ſibi illatam; elegeruntque in Septembr. Antipapam, Robertum Cardinalem Gebennenſem; qui dici voluit Clemens VII. & Avenionem ſe recepit; indeque ſchiſma obortum eſt, quod annis 40. duravit.

Verùm, coloratus quidem, non verus titulus fuit, quem de violentia ſibi facta in electione Urbani præjactabant. Nam Urbanus tribus, quatuorve menſibus jam pacificè regnaverat, & cum ipſis Cardinalibus plura negotia expedierat; quo facto, ſe jam ab Eccleſia receptum oſtenderat, validamque fuiſſe electionem, plenaque libertate factam.

32 Urbano ſucceſſit Bonifacius IX. Bonifacio Innocentius VII. & huic Gregorius XII. Romæ creati. In locum verò Antipapæ Clementis Benedictus XIII. à Schiſmaticis Cardinalibus Avenione eſt intruſus.

Cùm verò Gregorius juramento in ſua electione promiſiſſet pro bono unitatis Eccleſiæ ſe ceſſurum Papatui, idemque ſpopondiſſet Benedictus, utpotè via idonea tollendi ſchiſmatis; & neuter promiſſis ſtetiſſet, Cardinales de obedientia Gregorii, tunc Lucæ commorantis, videntes ſchiſma non minui, ſed augeri, ab ipſo receſſere, & Piſas petierunt. Quibus daturis tanto incommodo Eccleſiæ remedium, ſe ſe adjunxerunt plerique Purpurati adhærentes Benedicto. Ibique indixerunt Concilium, cui ex utraque factione interfuerunt 26. Cardinales (alii volunt 23.) tres Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, & Jeroſolymitanus, Archiepiſcopi, & Epiſcopi centum octoginta, Abbatum, Theologorum ingens numerus. Fuerunt pariter Oratores Regum Franciæ, Boemiæ, Angliæ Jeruſalem, Cypri, Siciliæ, Poloniæ, & aliorum Principum.

33 In eo duo de Papatu contendentes accuſati ſunt, quòd concordiam contra jusjurandum, & fidem datam ad pacem Eccleſiæ dandam inire recuſarent. Hinc fuerunt juridicè, & peremptoriè citati; & ſubinde non comparentes, probataque priùs eorum notoria in ſchiſmate contumacia, fuit in eos tanquàm ſchiſmaticos, perjuros, & Schiſmaticorum fautores pronuntiata ſuo è prætenſo Pontificatu ſen-

ſententia depoſitionis, & declaratum Eccleſiam Romanam vacare; abſolutique ſunt omnes ab eorum obedientia. Poſtremò à Cardinalibus Conclave ingreſſis, electus fuit Petrus Philargi (vel Philareto) ex Ordine Minorum, Archiepiſcopus Mediolanenſis, magnæ vir ſanctitatis, & doctrinæ: qui appellari voluit Alexander V.

34 Facta hinc electione, Alexander teſte Bail *tom.2. ſum. in hoc Concilio*. Legatos recepit plurium Europæ Principum publicè gratulantium Eccleſiæ paci; & Galli, qui pro Benedicto uſque in id tempus fuerant, ab eo receſſerunt. Videnſque ipſe ſuam imminutam auctoritatem, Avenione relicta, in Hiſpaniam, unde profectus fuerat, ſe recepit, ubi multis annis in obduratione perſtitit à Rege Aragoniæ protectus, in qua mortuus eſt ann. 1424. poſtquam inſignia Pontificatus per annos 30. geſtaſſet, & 90. vixiſſet. Tunc ſoli duo, qui eum ſequebantur, Cardinales ſucceſſorem ei dicunt Egidium Munionē, Canonicum Barcinonenſem, qui nomen Clementis VIII. ſibi uſurpavit, ſed poſt annos quatuor, reconciliato Alfonſo Rege Aragoniæ cum Martino V. (cui erat infenſus) electo Pontifice à Cardinalibus in Concilio Conſtantienſi per dicenda ad ſequens objectum, coactus eſt Clemens umbratilis Papa ſe abdicare.

Hucuſque dicta indubię fidei ſunt apud Hiſtoricos, tum allegatos, tum Petavium, quamvis reſtricto calamo rem enarret, *rationar. tempor. p.1. lib.4. cap.8.* & Cabaſutium *not. Eccleſ. Hiſt. Synop. ſæculi 15. n.6.*

35 Cæterùm in dubium venit, an Concilium Piſanum fuerit legitimum? Utrinque ſunt Doctores de hac re certantes.

36 Concilium illegitimum dixit S. Antoninus *3. p. Chron. tit. 22. c.5. §.2. & 6. §.2.* ubi Concilium Piſanum appellat Conciliabulum; ex quo eo non ſublatum, ſed auctum fuit ſchiſma in Eccleſia: *Piſano Concilio*, inquit, vel *Conciliabulo, cùm non eſſet alicuius eorum, qui ſe pro Pontifice gerebant, auctoritate congregatum, non erat ablatum ipſum ſchiſma, ſed augmentatum, ex duobus tribuſvè ſe pro Papa gerentibus*. Adhuc enim, Concilio celebrato, & electo Alexandro, Gregorio adhærebant Regna Neapolitanum, & Siciliæ, Romandiola, Duceſque Bavariæ, aliique Germaniæ Principes. Benedicto verò parebant Hiſpania, Scotia, Inſulæ Baleares, Corſica, & Sardinia, aliæque Nationes. Et inde evidens fit Concilium non fuiſſe pro vero, & Occumenico reputatum, novamque Alexandri electionem nullam, Gregoriique depoſitionem de facto, non de jure factam eſſe. Aliàs dicendum foret eos, qui in illorum obedientia permanſerunt, fuiſſe extra ſtatum ſalutis, mortaliter peccaſſe, & pro ſchiſmaticis cenſendos; quod eſt à veritate alienum; cùm potiùs viri ſanctitate, & doctrina celebres, ac Deum timentes, non Alexandro, ſed illis eſſent uniti. Siquidem Benedicto per novem annos poſt Concilium Piſanum adhęſit S. Vincentius Ferrerius, à quo, audita electione Martini V. ſe ſubtraxit, plurimumque laboravit, ut populum ab illius obedientia revocaret, & ad legitimum Pontificem Martinum reduceret. In qua ſententia eſt Cajetanus *opuſc. apolog. de auctor. Papæ, & Concil. cap.11.* quam noviſſimè ſequutus eſt Schelſtrates *tr. de auctor. Conſtantien. Concilii ſeſſ.4. & 5. diſſert.2. c.1. art.1.* & Leytam *Clyp. dignit. Pontif. diſcept.5. ſect.1.*

37 Legitimum verò appellant Binius *in notis*. Blondus *lib.10. deciſ.2.* Gerſon, qui Concilio interfuit *lib. de auferibil. Papę*. Bail *Sum. to.2. in hoc Concilio*. Annatus *apparat. ad Theol. poſit. lib.5. art.17.* & quotquot Alexandrum V. in numero Romanorum Pontificum reponunt. Hac quidem ratione, quòd in caſu, in quo plures ſunt dubii, & incerti Romani Pontifices de Papatu contendentes, poteſt auctoritate Cardinalium Concilium generale convocari, & hujus poteſtate omnes è prætenſo Pontificatu amoveri valent, facto cunctis Fidelibus præcepto, ne eos ullo modo pro Pontificibus agnoſcant, & habeant. Quod pla-

planè jus per neceſſariam, evidentemque conſequentiam ex inſtitutione Chriſti deducitur, ut diximus *ſupr.c.2.nu.*50. Hinc cùm diù Florentiæ diſputatum eſſet à Laurentio Rodulpho, tandem concluſum fuit, licitè, & canonicè Concilium in caſu fieri potuiſſe. Quæ fuit quoque ſententia Univerſitatum Pariſienſis, & Bononienſis, à quibus hęc fuerunt Concilio directa: *Stante dubio inextricabilis Papatus propter dubium facti, & juris, ne in ſubverſionem fidei Eccleſia ſic maneat perpetuò diviſa cum tanto ſcandalo, & animarum perditione, proviſio ſpectat ad Concilium, ut utrumque, eis non cedentibus, poſſet à Papatu eiicere.*

38 Quanquàm verò ſaluberrimum Concilii effectum, extinctionemq; Schiſmatis duo de Papatu contendentes ab initio ſua reſiſtentia impedierint, & adhuc ſchiſma perduraverit; tamen, quantum in ſe fuit, Synodus ipſa ſchiſma ſuſtulit; nam viam aperuit Concilio Conſtantienſi, poſteà ſequuto (quo tandem res feliciùs peracta eſt, & ſchiſma extinctum) per conſenſum unius è tribus contendentibus, Joannis videlicet, qui Alexandro ſucceſſerat: qualis conſenſus non fuerat ab aliis duobus vetuſtioribus contendentibus veriſimiliter expectandus; quin potiùs ex eorum colluſione ſpes pacis, & unionis prorſus tollebatur, prout eventus probaverat.

39 Quocirca hoc titulo, quòd ſtatim ſchiſma non ceſſaverit, illegitimitas Concilii non deducitur. Fortè dicendum eſt, Concilium Florentinum fuiſſe illegitimũ, quia per ipſum non fuit ſublatum ſchiſma Baſileenſium? Quinimò & illud Græcorum, ad quod tollendum fuerat convocatum, ſtatim revixit? Concilium Tridentinum coactum fuit ad damnandas hæreſes Lutheri, & Calvini, nec deſinit eſſe Oecumenicum, ac legitimum, quamvis illo peracto, damnatæ perſeverent, & graſſentur hæreſes. Quantùm enim in ſe fuit, eas ſuſtulit, etſi ſua malitia, & pertinacia hæretici ei parere nullatenùs velint. Ita ſervata proportione, diſcurritur in caſu de Synodo Piſana.

40 Neque illegitimitas infertur, quòd, peracta Synodo, electoque Alexandro, nonnulli viri ſanctitate, & doctrina conſpicui Gregorio, & Benedicto adhuc adhæſerint. Nam, quòd non peccaverint, potuerunt excuſari, quòd eis non adeò claruit Piſanum fuiſſe legitimum; idcircò inculpabiliter perſeverabant in probabilitate, quod ſibi liceret ſub illorum obedientia manere. Videtur enim non poſſe negari illud pro tunc alicui incertitudini ſubeſſe, ſecundùm id, quod dixit Petrus de Aliaco (qui librum ſcripſit, durante Concilio Conſtantienſi) *licèt Concilium Piſanum fuerit legitimè, & canonicè celebratum, & duo olim de Papatu contendentes, juſtè, & canonicè condemnati, & electio Alexandri V. fuerit ritè, & canonicè facta, prout hæc omnia tenet obedientia Domini noſtri Papæ Joannis XXIII. tamen duæ obedientiæ duorum contendentium prabiliter tenent contrarium; in qua opinionum diverſa, & adverſa varietate non ſunt minores difficultates juris, & facti, quàm ante Concilium Piſanum erat de juſtitia duorum contendentium.* Hinc eſtò certò non conſtet fuiſſe legitimum, certè eſſe probabile videtur inficiari nullatenùs poſſe.

41 Quapropter hoc dilemma ponitur adversùs Maymburgum, ejuſque perpetuum ſectatorem Dupinum *tr.de antiq. Eccleſ.diſciplin.diſſert.6.* Vel Concilium Piſanum non fuit legitimum, ſed Conciliabulum? ut placet primæ ſententiæ Auctoribus: vel legitimum? prout alii rectius ſentiunt. Si illegitimum, nihil opponi ex eo poteſt adversùs ſupremam indubitati Romani Pontificis auctoritatem; cùm ex principio falſo, verum ſequi ſit impoſſibile. Ideò ſi Concilium illius generis fuit, depoſitio Gregorii, & Benedicti ab eodem facta legitima eſſe non potuit: ex facto enim injuſto pſeudo-Synodi contra Pontificem, jus legitimum ipſius in Pontificem ineptè concluditur. Si ſubditus, uſur-

uſurpata ſibi juriſdictione, ſuum Regem damnaret, major ne ſubditi auctoritas ſupra Regem re ipſa foret? Nonne jura clamant, ſententiam à non ſuo Judice latam nullam eſſe, *cap. Ad noſtram de conſuetudin.*

42 Si verò legitimum dicitur. Jam certum eſt non poſſe ad Pontificem certum, indubitatum, & in tota Eccleſia receptum applicari, quę Piſanum egit, decrevitq; in caſu, quo duo incerti, & dubii Pontifices de Papatu contenderent. Ac proinde ex Piſano probari tantùm poteſt Conciliū eſſe ſupra Papam dubium, ab aliqua parte Eccleſiæ dumtaxat acceptatum, ab alia verò alterum recognoſcente non admiſſum; adeòque in caſu ſchiſmatis; quod plena manu damus; non verò ſupra Papam certum, & indubitatum, quæ eſt noſtra quæſtio. In qua conſtantiſſimè tuemur auctoritatem Concilii legitimi minimè eſſe ſupra Pontificem.

43 Unde ad argumentum conceditur major. Ad minorem dicimus dubium fuiſſe, an Gregorius eſſet verus Pontifex, tamen, quia probabilius erat, quod eſſet verus, utpotè deſcendens ex linea Urbani VI. legitimi, certique Pontificis, quando Benedictus erat ex linea Antipapę Clementis; propterea in recta Pontificum ſerie ponitur. Et Gregorius XIII. ritè tertius decimus dictus eſt. In numero enim Romanorum Pontificum in caſu dubii Pontificis, etiam is collocatur, & de quo probabilius eſt, quòd ſit legitimus Pontifex. Qua ratione, Gregorio à Concilio depoſito, in ea ponitur Alexander V. poſt iſtum Joannes XXIII. poſt quem Martinus V. certus, & indubitatus omninò Pontifex.

44 Advertendum hìc eſt, quòd ſtantes pro illegitimitate Concilii Piſani aſſignāt Gregorio XII. octo annos, menſes ſeptem, dies quinque uſque ad ſpontaneam dimiſſionem factam in Concilio Conſtantienſi, quod celebratum eſt *ann.* 1414. & ipſe fuit electus *pridie Kalen. Decembr.* 1406. Aſſerentes verò fuiſſe legitimum eidem dant duos annos, ſex menſes, & ſex dies uſque ad depoſitionem in Concilio Piſano factam, ſubrogato Alexandro V. Et inde conſtat in utraque ſententia ſeriem Pontificum nunquam eſſe interruptam.

45 Notatu dignum eſt, quòd ubi plures certant de Pontificatu, cùm certò non appareat, quis legitimus ſit Pontifex, non Pontifex maximus, ſed factum potiùs eligentium judicatur, qui duos ad Pontificatum aſſumpſerunt, ut ex Cardinali Albano *de poteſtate Papæ, & Concil. p. 1. nu. 12.* dixi *loco citat. Offic. Cur. §. 2. num. 11.* Ideò, cùm tunc electio Pontificis tanquàm irrita reprobatur, Concilium non judicat verum Pontificem, quia non datur, qui ſit canonicè electus, ut apud Fagnan. *in 1. ad cap. Significaſti num. 65, de elect.* Ac proinde neque in caſu Pontifex ſubiicitur Concilio.

46 Cùm ab Julio II. *Conſtit. Cùm inchoatam 31.* & Leone X. *conſtit. Conſtituti 17. §. 6. in Bullar.* Damnatur Concilium, & veriùs Conciliabulum Piſanum, damnatio non percutit illud, de quo hucuſque egimus, ſed alterum à nonnullis Cardinalibus congregatum Piſis an. 1511. Criminabantur iſti Julium, quod non ſtetiſſet juramento, quo promiſerat infra biennium ſuæ aſſumptionis Concilium generale convocare; quod juſtis de cauſis impeditus præſtare non potuit, ut latè in *conſtit. Sacroſanctæ 27. ejuſdem Julii.* Et inde ad horrendum ſchiſma in Eccleſia excitandum temerè Concilium indixerunt. Quos Julius, datis ad eos litteris, perbenignè monuit, ut ad pacem, & Eccleſiæ unitatem redirent. Quorum tres de facili aures Patri invitanti dederunt. In cæteros pertinaces gravi ſententia ipſe animadvertit. Quos ſubinde veniam deprecantes, Leo X. in Concilio Lateranenſi *ſeſſ. 4.* impoſita ſalutari pænitentia, à cenſuris liberavit, ac ad priores dignitates admiſit. Legantur Conſtitutiones allegatæ.

Objectum II.

47 In Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.*4. deſinita eſt præeminentia Concilii ſupra Papam, in hæc verba: *Sancta Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet: cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ in capite, & in membris*. Quod fuit repetitum *ſeſſ.*5. ſed Concilium fuit à Martino V. confirmatum, ut expreſſè habetur ex *ſeſſ.*25. quæ fuit ultima, habita 22. Aprilis 1418. ergo nefas eſt dubitare de ſuperioritate Concilii ſupra Papam.

Ita Maymburgus, Dupinus, & quotquot Concilio Pontificem ſubdi vocitant, cenſent ſententiam ſuam certam, firmamque ex dicto Concilio redditam. Qui planè, vel mentem Concilii noluerunt, ut oportet, accipere; vel, nonnulla confingunt, quæ ſunt à Concilio aliena.

48 Sciendum itaque eſt, quòd, abſoluto Concilio Piſano, ſchiſma adhuc ſublatum non fuit, continuantibus in contentione Papatus, Joanne XXIII. electo Bononiæ in locum Alexandri V. demortui (non ſine ſuſpicione veneni in Cliſterio) Gregorio XII. & Benedicto XIII. Quilibet ab illis de ſua obedientia legitimus dicebatur. Joannes quidem utpotè ſuffectus in locum Alexandri in Concilio Piſano electi, Gregorius verò tanquàm ex linea Urbani VI. Et tandem Benedictus, ut Succeſſor Clementis VII. qui legitimis ſuffragiis à Cardinalibus promotus afferebatur, cùm primùm ſui juris fuerunt, & extra metum, quo perculſi proteſtabantur (ſed non omnes) ſe Urbanum elegiſſe. Vide *ſupra numer.*31.

49 In hoc vario opinionum conflictu, ne diù plaga diviſionis incurata maneret, Joannes ad pacem Eccleſiæ dandam, unà conſentientibus, tum ſuis, tum pleriſque aliarum partium Cardinalibus, urgentibus etiam, & ſuadentibus Chriſtianis Regibus (quos inter omni dignus laude celebratur Sigiſmundus Rex Romanorum, qui plurimùm laboravit, nullis pro publica pace parcens incommodis) Concilium generale Conſtantiæ indixit *ann.* 1413. inchoatum *die* 5. *Novembr.* 1414. ac curſu quatuor annorum, & ſex menſium *ann.* 1418. 22. *Aprilis*, quadraginta quinque ſeſſionibus feliciter concluſum.

50 Celebratur prima ſeſſio, in qua monitus eſt Joannes de reſignando Papatui, qui *ſeſſ.*2. jurato promiſit ſe propter bonum pacis promptiſſimè ceſſurum, ſi Gregorius XII. & Benedictus XIII. idem pariter præſtarent; de quo Imperator eidem gratias maximas egit. Verùm videns ſequentibus diebus Synodum agere de ejus abdicatione, veritus ne cedere conaretur, priuſquàm alii contendentes reſignarent, ante tertiam ſeſſionem Schafhuſam occulta fuga, ſe alta nocte, recepit: quem poſteà ſecuti ſunt à Concilio Legati, qui reditum ſuaderent.

51 Ut autem manifeſtum ſit cujus ponderis ſit objectio, & quàm de facili enodari poſſit: conſiderandum eſt, quatuor fuiſſe tempora, ſub quibus fuit Concilium. Primum, ſub quo ad Concilium convenerant ſolùm ii, qui erant de obedientia Joannis XXIII. quod duravit uſque ad *ſeſſionem* 12. Secundum, in quo ſe illis conjunxerunt alii de obedientia Gregorii XII. qui ſua Bulla Concilium iterùm per ſuos Oratores convocavit, convocatumque auctorizavit ex Turrecremata *Sum. de Eccleſ. libr.*1. *cap.*49. & duravit uſque ad *ſeſ.*19. Tertium, in quo, juxta concordata facta Narbonæ inter Sigiſmundum, Legatoſque tum Concilii, tum Benedicti pro ſchiſmatis extinctione, nova facta

cta per Benedictum convocatione, obedientia ejuſdem ad cæteros acceſſit, duravitque uſque ad *ſeſſ.*41. In qua quartum initium habuit, cùm in ea fuerit à Cardinalibus electus Martinus V. verus, & legitimus Pontifex.

52 Ad argumentum, obvia reſponſio, quæ ſolet dari, eſt, allegatum decretum intelligi pro tempore Schiſmatis, in quo plures ſunt in Eccleſia dubii Pontifices, prout tunc erant. Ad quod tollendum ipſa Synodus fuerat congregata. Non verò diſpoſitio extenditur ad tempus, pro quo unus eſt indubitatus Paſtor. Et ita diſtinguenda ſunt turbulenta ſchiſmatis tempora à ſtatu pacifico Eccleſiæ.

53 Cæterùm. Turrecremata teſtatur editum non fuiſſe, etiam ab illis de obedientia Joannis, decretum ſub ea forma adeò generali, qua proponitur, ſed ſolùm ſub hac forma ſingulari. *Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis generalis Concilium faciens pro extirpatione præſentis ſchiſmatis:* Et cum clauſulis: *Pontificem cogi poſſe: & de reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris fuiſſe ſeſſ.4. formatum*, refert ex legitimis manuſcriptis Schelſtrates *diſſertat. 1. caput 2. de ſenſu Concil. Conſtan.*

54 Fuerat quidem à nonnullis diverſarum Nationum deliberatum, ut in d. ſeſſ. decretum cum illis clauſulis Romano Pontifici injurioſis formaretur. Sed cùm omnia ea, & Nationi Italiæ diſplicerent: & *Sacro Cardinalium collegio ad deliberandum non eſſent oblata*, *renuerunt Cardinales, Gallicique Oratores*, ſeſſionem adire, niſi ſecundum capitulum, quo dicebatur: *Pontificem cogi poſſe*, omitteretur cum illis verbis, *de reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris*. Quod communi omnium ſuffragio à Patribus ſequenti die eſt quoque probatum. Hinc cùm Zabarella, Cardinalis Florentinus, ad quem pertinebat decreta publicè legere, verba prædicta ope Nationum non deleta vidiſſet, ſicut delenda eſſe Patres deliberaverant, decretum noluit recitare. Propterea clauſula *de reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris* in ea 4. *ſeſſ.* eſt omiſſa. Immò & Cardinales monuerunt Nationes, ut ſuſpenderent ad tempus materias illas, quæ magnas habent difficultates, & maturam exigunt deliberationem: erat enim res magni ponderis decidere, quæ auctoritatem concernebant Concilii ſupra Pontificem.

55 Maximè decretum cum prærjacta clauſula illegitimum eſſe cenſetur, ex quo non concordet, tum cum concordatis Narbonæ, inter quæ ſecundo loco ſtatutum eſt: *In Concilio agendum tantùm eſſe de ſchiſmate extirpando, paceque Eccleſiæ ineunda. Tum etiam, cum decretis* Seſſ.40. *In qua Synodus ſtatuit, quod futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de primo aſſumendus cum hoc Sacro Concilio, vel deputandis per ſingulas Nationes debeat reformare Eccleſiam in capite, & in membris, & Curiam Romanam:* quamvis neque à præſenti decreto potuerit Pontifex ligari. Tum pariter cum hoc, quod Concilium Martinum rogavit pro confirmatione, & roboratione omnium, quæ fecerat. Cùm verò confirmare ſit ſuperioris auctoritatis, planiſſimum eſt ſenſum Synodi ex tribus obedientiis conſtitutæ non fuiſſe, Concilium univerſale habere auctoritatem à Chriſto ſupra Papam certum, & indubitatum, facultateque gaudere reformandi Eccleſiam in capite, & in membris. Ideò cautè legendum manuſcriptum à Gabelino officiali Paderbonenſi relictum, in quo hanc poſuit clauſulam: *etiamſi Papa is exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*. Auctor enim eſt ſuſpectæ fidei.

Dices.

Dices. Quid intereſt, quod in 4.*ſeſſione* clauſula non ſit, quando *in quinta* reperitur? Cùm Concilium non minoris auctoritatis ſit in una, quàm in alia?

II. Illa legitur in ferè omnibus editionibus Concilii Conſtantienſis, editis poſt Concilium Baſileenſe, quibus non poſſunt præjudicare manuſcripta à Schelſtrate producta; tanta enim antiquitatis poſſeſſione præſcripſerunt.

56 Contra. Multum intereſt, quòd clauſula illa non ſit *in 4. ſeſſione*, aliàs cenſeretur à Martino V. approbata, à quo approbata ſunt decreta in materia fidei conciliariter facta, qua ratione non fuit, ſed furtim, & tumultuanter celebrata *ſeſſio quinta*. In quarta enim de ſubiiciendo Pontifice auctoritati Concilii magna utrinque contentione decertatum eſt, articuloque examinato, rationes Patres non invenerunt, cur clauſula illa Summo Pontifici adverſa poneretur in decreto; immò plures allegatæ fuerunt, propter quas omitti deberet; atque ita omiſſa eſt; & hoc titulo ſeſſio illa dicitur conciliariter facta. Quod dictum non eſt de quinta, quæ præcipitanter, &, nullo antiquorum Conciliorum ritu obſervato, celebrata fuit; ut aptiſſimè probat idem Schelſtrates quatuor manuſcriptis in forma auctentica, in quibus narratur, Cardinalium reſiſtentia, & proteſtatio non conſentiendi: quibus fuerunt negata, ac Laicis conceſſa ſuffragia, & non publicè, ſed privatim recepta à Nationibus vota, contemptis præſtantiſſimis Patribus, & Doctoribus, ut ex eodem ſcripſit Leytam *citat. ſect. 3. nu. 33. & ſequen.*

Quod item habetur ex Turrecremata *loc. cit.* ubi ſcripſit. *Apertiſſimè patet ex geſtis illius congregationis* (ita appellat Concilium ſub primo tempore) *quod decreta illa, ſi ita ſint appellanda, facta ſunt ſolùm à Patribus aliquibus* (non dicit omnibus) *Obedientiâ Joannis XXIII.* Ideò nihil intereſt, quòd clauſula illa tribuens majorem Conciliis, quàm Pontifici poteſtatem, in *quinta ſeſſione* poſita fuerit.

Inſtat Maymburgus. Declarationes, & proteſtationes Patrum non poſſunt decreto nocere; aliàs decreta Tridentini, & aliorum Conciliorum corruerent; nam in illis plures Patres reclamaverunt.

57 Contra. Putamus Maymburgum inficiari non poſſe, quin aliqua ſeſſio alicujus Concilii poſſit eſſe illegitima, & non conciliariter, & ſine omnium Patrum deliberatione, ac ſolùm privatis votis celebrari. Quæ itaque illegitima erit, ſi illa *quinta*, propter prætactas rationes ejus generis non fuit? Exemplum de Tridentino, cæteriſque Conciliis ad rem non eſt. Quoniam in Conciliis, antequàm formentur decreta, examinantur planè articuli, matureque inquiſitio præmittitur, juxta illud *Actor. 15. Cùm magna inquiſitio fieret*, circa controverſiam de legalibus. Verùm, decretis poſteà editis, omnes acquieſcunt, ut tunc factum eſt poſt editam à Petro definitionem, ut ibi textus: *Tacuit autem omnis multitudo*. Quare, vel, qui in Conciliis reclamaverunt, poſteà definitis à Concilio conſenſere, vel non, ſed pertinaces reſtiterunt, prout fecit Arius, Lutherus, aliique in Eccleſiam refractarii? Si primum ſua illa reclamatio revocata eſt, & ita jam non nocet. Si ſecundum, jam habentur, ut hæretici, & in ſeſſionibus non admittuntur. Quod quidem in caſu noſtro, conſentientibus etiam adverſariis, factum non eſt; ſiquidem Patres illi, qui contra quintæ ſeſſionis decreta jure reclamarunt; & inde gravior, ſaniorque pars Concilii nulla facta reclamationis revocatione, ad ſequentes Concilii ſeſſiones uſque ad finem admiſſa eſt. Quod planè non fuiſſet permiſſum, ſi ſeſſio quinta conciliariter fuiſſet celebrata, & in ea rebelles fuiſſent.

58 Ad 2. Ex infecta radice factum eſt, quòd editiones illæ in lucem cum clauſula exprimente ſuperioritatem Concilii ſupra Papam prodirent. Noverant Baſileenſes, qua animoſitate proceſſiſſent adversùs Eugenium

genium IV. legitimum Pontificem eum deponendo. Et inde à toto Orbe Chriſtiano ipſorum tantæ temeritatis factum damnabatur; ut ſe id juſta cauſa, juriſque præſidio feciſſe oſtenderent, Concilii Conſtantienſis auctoritatem allegabant. At, cùm viderent in quinta ejuſdem Concilii ſeſſione de primatu Concilii minus Conciliariter, & fraudibus actum eſſe, atque adeò nihil ex ea concludi poſſe, ſolliciti fuerunt, ut per quoſdam ſuæ factionis Doctores fieret compilatio Concilii Conſtantienſis, hoc obſervato ſyſtemate, quòd clauſula illa de ſuperioritate Concilii ad Papam in quarta ſeſſione omiſſa, in ea compilatione magis conciliariter facta poneretur. Et hac arte, doloque typis eam novam, vitiatamque compilationem dari mandarunt, Bullaque confirmarunt data Baſileæ *prid.non.Februarii* 1442. Cujus compilationis auctenticum exemplar teſtatur idem Schelſtrates fuiſſe in Germania aſſervatum uſque ad an. 1490. Traditque antiquiores editiones ante eam Baſileenſium compilationem non habere in 4. ſeſſ. clauſulam, *ad reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*, aliaſque auctoritatis Pontificiæ læſivas. Quæ nec legitur, tum in editione Pariſienſi facta an. 1535. opera Jacobi Merlini Doctoris Sorbonici, tum in Colonienſi typis Quentilianis an. 1530. aliiſque, quæ ipſo teſte, concordant cum antiquis manuſcriptis non habentibus dictam clauſulam.

59 Quid intereſt, ſi jam pluſquàm ducenti anni ſint elapſi, ex quo compilatio Conſtantienſis Concilii per Baſileenſes edita fuit, ſi, veritate detecta, conſtat eam fuiſſe vitioſam? Fortè adversùs veritatem eſt alleganda præſcriptio? Neutiquam. *Occultari enim poteſt ad tempus, vinci non poteſt* ex Auguſtino in *pſal.61.nu.6.* Ideò cùm per Auctores minimè ſuſpectos ex legitimis manuſcriptis compertum ſit clauſulam illam in 4. *ſeſſ.* non reperiri, nihili faciendum eſt, quod ipſa incorrupta Baſileenſium compilatione reportetur.

60 Cui ſanè tribuendum eſt, quòd adversùs Joannem Synodus Conſtantienſis proceſſum criminalem inſtruxerit, ac damnaverit, propter adeò nefaria crimina Simoniæ, rapinarum, peculatus, dilapidationis bonorum Eccleſiaſticorum, oppreſſionis pauperum, immanium vectigalium: propter inceſtus, adulteria, & ſtupra apud Cabaſutium *notit. Eccleſiaſt. in hoc Concilio num.2.* Commentitia enim quis prudens hæc non advertit, & plena mendaciis, eaque ex bili in contemptum Romanæ Cathedræ procedere? Siquidem tot, tantiſque exceſſibus Paſtor Eccleſiæ oneratur, quòd quemque puderet ea perditiſſimis, etiam hominibus impingere.

61 Hæc pariter clauſula: *Sancta Synodus generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans*, ſive decretum ſit *in* 4. ſive *in* 5. ſeſſione editum, conſtat, quod vim nullam habeat adversùs Pontificem, etiam dubium: ſola enim Eccleſia univerſalis poteſtate gaudet judicandi in caſu ſchiſmatis Pontificem dubium: aliàs id concedi deberet cuilibet particulari Concilio Provinciali; quod nec adverſariis placet. Pro primo autem tempore congregatio Conſtantienſis Concilium generale non erat, nec repræſentabat Eccleſiam Dei; quoniam tunc erat congregata obedientia dumtaxat Joannis XXIII. aliæ verò duæ Gregorii, & Benedicti noluerunt eam Joannis obedientiam pro univerſali Concilio reputare; ut ait idem Turrecremata *loc. cit.* his verbis: *Nullus dubitat, quin aſſerere, quòd ſola obedientia Joannis faceret Concilium, univerſalem Eccleſiam repræſentans, eſſet temerarium, & ſcandaloſum aliis duabus obedientiis.* Ideò pro ſolo tempore, in quo convenerant omnes ſimul tres obedientiæ, *fuit certum dicere, quod univerſalis Eccleſia repræſentativè congregata eſſet Conſtantiæ.*

Dices. Si tunc obedientia Joannis non faciebat Concilium univerſale, hæc inferuntur abſurda. Primò, quod legitimè ibi Joannes, & Gregorius (Benedictus enim

enim depoſitus fuit *ſeſſ.*37. in qua tres obedientiæ erant unitæ) ſint depoſiti; hoc verò admiſſo, neque Martinus V. fuit verè electus, nec validus Pontifex; adeòque non legitimi ejus in poſterum ſucceſſores. Secundò, quod ritè damnati non ſint 45. errores Vvicleff. & 31. articuli Huſſii, iſti proſcripti *ſeſſ.* 15. illi verò *ſeſſ.*8.

Item. Sequitur, Concilium Tridentinum non fuiſſe Oecumenicum, nec repręſentaſſe univerſam Eccleſiam, cùm in illo non fuerit notabilis pars Eccleſiæ, Germania nimirùm, Anglia, & Eccleſia Orientalis. Illud autem dicendum non eſt: ergo, &c.

62 R. Ea abſurda minimè inferuntur. Quantum ad primum poſſet colligi Joannem à Concilio depoſitum fuiſſe de facto, non de jure; poſteà verò, quando tres illæ obedientiæ fuerunt unitæ præſertim, Joanne qualicumque ſuo juri cedente, fuit illa depoſitio de jure valida; adeòque Sedes Apoſtolica, accedente poſteà voluntaria ceſſione Papatus à Gregorio præſtita, & depoſitione Benedicti à tribus obedientiis pronuntiata *ſeſſ.*37. vacavit, & Martinus ritè, & canonicè fuit electus.

63 Hìc conſideratur, quod illi pręobedientia Joannis dubitantes de validitate ſententiæ depoſitionis in eum latæ, aliud medium ſecurius aſſumpſerunt, hoc eſt, ut per Legatos Joannes rogaretur, vel ſententiæ à Cõcilio latæ conſentiret, eam confirmando, vel ſponte Papatum remitteret, ut ex 4. *codicibus manuſcriptis* 14. *Maii* 1415. apud dictum Schelſtratem, ibi: *Concilium miſit ad Papam, & Papa ſententię acquievit, & ex abundanti renuntiavit*. De cujus voluntaria ceſſione loquitur, etiam inſtrumentum factum Narbonæ, in quo hæc ſunt: *Dominus, qui Gregorius XII. in ſua obedientia dicebatur, ſua ſponte ceſſit*. Sic *& Dominus, qui Joannes XXIII. dicebatur, facere voluit*, & fecit. Ideò, quando etiam ab Eccleſia non fuiſſet dubitatum de legitima electione Joannis, adhuc Sedes vacaſſet; nam ſponte ipſe ad dandam pacem Eccleſiæ Pontificatum dimiſit.

64 Neque ſecundum ſuboritur abſurdùm. Nam quamvis ſola obedientia Joannis Concilium univerſale non conſtitueret, nec poſſet, tunc verè dici Eccleſia univerſalis congregata (quod ſolùm verificatum eſt, quando tres illæ obedientiæ ſimul ſunt congregatæ) tamen negari haud poteſt formam habuiſſe Concilii particularis, & ſub hac ratione aliquid potuiſſe decidere; quod ſi poſteà approbaretur tanquàm de fide à Romano Pontifice, jam de fide apud omnes fideles maneret.

65 Ad Item, negatur ſequela. Concilium Tridentinum fuit indictum à Romano indubitato Pontifice; ad quod generali convocatione vocavit omnes omnibus ex locis, tam *Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates, quàm alios, quibus jure, aut privilegio in Conciliis generalibus reſidendi, & ſententias in eis dicendi permiſſa poteſtas eſt*: Et hortatus eſt: *Principes curent, ut ex ſuis cujuſque Regnis, ac Provinciis, Epiſcopi, & Prælati ſine tergiverſatione, & mora ad Concilium proficiſcantur*; ut ex Bulla indictionis Concilio præfixa. In quo Pontifex per ſuos Legatos præſedit: atque ita fuit propriè generale, & Eccleſiam Dei completè repræſentavit. Sua enim convocatione Pontifex Tridenti univerſã Eccleſiam (in Prælatis ex dicendis *cap.*8. repræſentatam) convocavit. Quòd verò nonnulli venire noluerint, non à Pontifice ſunt excluſi, ideò præjudicium nullum Concilio potuerunt generare. Quis ignorat validum eſſe capitulum, quando, qui adeſſe debent, ſua culpa non interſunt?

66 De Concilio verò Conſtantienſi, etiam pro illo tertio tempore dici minimè poterat, quòd Eccleſiam Dei adæquatè repræſentaret; nam cùm tunc nullus eſſet certus legitimus Pontifex, ſolùm corpus, & membra, non caput Eccleſiæ repręſentabat. Vel, dici poterat repræſentare perfectè, prout tunc Eccleſia reperiebatur, ipſam nimirum indubitato ſupremo capi-

te

te viduatam. Quocirca interrogatorium faciendum mandante Martino V. in *conſtit. Inter cunctas*, ſuſpectis de erroribus Vvicleffi, & Huz. *Utrum credat, teneat, & aſſerat, quod quodlibet Concilium generale, & etiam Conſtantienſe univerſalem Eccleſiam repræſentet*; quoad Conſtantienſe accipitur de eo ſub quarto tempore.

67 Ad minorem argumenti ſub *nn.*47. Negatur à Martino confirmata eſſe decreta *ſeſſ.*4. & 5. Rogato enim de confirmandis decretis Concilii, conſtat ex actis hujus per quatuor Prothonotarios conſcriptis reſpondiſſe: *Quod omnia, & ſingula decreta Conſtantienſis Concilii approbabat, & ratificabat, quæ in materia fidei conciliariter ſtatuta ſunt, non autem alia, neque alio modo*. Quod item patet ex 6. *interrogatorio à præfatis exigendo. Utrum credant, quòd illud, quod Sacrum Concilium Conſtantienſe univerſalem Eccleſiam repræſentans, approbavit, & approbat in favorem fidei, & ad ſalutem animarum, quod hoc eſt ab univerſis Chriſti fidelibus approbandum, & tenendum, aut pro condemnato credendum, & aſſerendum?* Fortè decreta de auctoritate Concilii ſupra Papam indubitatum ad fidem ſpectant? Abſit hoc à mente Catholica. Cùm fides potiùs doceat in legitimo Pontifice primatum ſupra Eccleſiam tum diſperſim, tum in unum collectam; nam eſt Paſtor univerſalis juxta Concilium Chalcedonenſe, univerſalitate tum capitis, tum poteſtatis ſine reſtrictione ad loca, caſus, & perſonas. Item, interrogatio facienda loquitur ſolùm de illis decretis, quę Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans edidit. Supra autem dictum eſt, quando illa decreta *in* 4. & 5. *ſeſſione* conſtituta ſunt, Concilium non repræſentaſse Eccleſiam univerſalem; cùm tunc eſſet ſolùm congregata obedientia Joannis XXIII. Quare non priùs, quàm ſub quarto tempore, poſitaque canonica electione Martini, Concilium adæquatè repræſentabat corpus Eccleſiæ ſuo capite unitum.

Manifeſtum item eſt decreta de ſuperioritate Concilii ſupra verum, indubitatumque Pontificem, à Martino approbatione non fuiſſe firmata ex ejus Bulla *incip. In eminenti*; quam ex regeſto manuſcripto, adhuc non typis mandatam de antiquitatis umbris Schelſtrates *diſſert.*3. *cap.*4. luci reddidit.

68 Circa quod hìc ſupponatur Pontificem juxta Sacrorum Canonum inſtituta, & Theologorum principia tribus modis poſſe, & ſolere Concilia, & eorum decreta approbare, & confirmare.

Primo modo, decretis à Concilio editis ſubſcribendo, adeòut in hoc non ſe habet æquè, ut cæteri Epiſcopi, quorum ſubſcriptio eſt ſolùm de ſolemnitate; illa verò Pontificis eſt auctoritativa tribuens Conciliis firmitatem.

Secundo modo, interpretativè, implicitè, aut ut dicitur, virtualiter, ut cùm Pontifex præcipit, ut decreta Conciliorum obſerventur; vel ipſe declarat ſe ea velle obſervare. Quod ſi præcipiat, ut tanquàm dogma fidei credantur, illa, ut definita de fide confirmat, &, qui ea negat, eſt hęreticus. Si præcipit, ut obſerventur, tanquàm morum doctrinam pręſcribentia, ut talia tenenda ſunt: ſi verò mandet, ut executioni dentur tanquàm leges gubernativæ, ea tanquàm leges Synodales approbat, & confirmat. Sed tunc ex vi confirmationis fiunt Pontificiæ.

Tertio modo, per expreſſam Bullam, & tunc modus approbandi, & confirmandi ex tenore Bullæ colligendus eſt. Modò in dicta Bulla Martinus (recenſitis in narrativa, quæ à Concilio decreta fuerunt contra errores Vvicleff. & Huſſii, Hieronymi de Praga, & illum Boemorum, contendentium communionem ſub utraque ſpecie eſſe de neceſſitate ſalutis; illiſque omnibus de verbo ad verbum in ea relatis) confirmat, & approbat à Concilio diſpoſita, ut infra. *Nos igitur declarationes, decreta, definitiones, reprobationes, condemnationes, & ſententias ſupra ſcriptas ratas habentes, & gratas, illaſque auctoritate*

Apo-

Apoſtolica, & ex certa ſcientia tenore præſentium confirmantes, & præſentes ſcripti patrocinio communientes, ſupplentes quoque omnes defectus, ſi qui forſan propter ſolemnitates juris in procedendo non ſervatas intervenerint in eiſdem. Volumus etiam, & eadem auctoritate decernimus, quòd declarationes, definitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, ſtatuta, nec non condemnationes, & ſententiæ præinſertæ plenam vim, plenumque robur, & vigorem per omnia habeant, & ad ea ubilibet probanda, hæ noſtræ litteræ planè ſufficiant, &c. Nulli ergo, &c. Noſtræ approbationis, ratificationis, communitionis, ſuppletionis, voluntatis, & conſtitutionis infringere, &c. Datum octavo Kal. Martii (ſeù 22. Februarii) Pontificatus noſtri anno 1.

Itaque Conſtitutio ea tantùm decreta Concilii reſpicit, quæ ipſe præmiſerat. Ideò qui illam ad alia decreta Concilii præter prænominata extendit, Bullam ultrà ſignificatum, intentumque finem detorquet. Ideò, cùm ſolùm decreta Concilii in cauſa fidei Martinus V. confirmaverit; decreta verò quartæ, & quintæ ſeſſionis de ſuperioritate Concilii ſupra Papam certum, ad fidem non ſpectent, ut diximus, ſequitur evidenter hæc à Martino V. non fuiſſe confirmata.

Fuit hæc Bulla confirmatoria à Martino edita die, de quo ſupra, adeòque eadem die, qua fuit edita *d. conſtit. Inter cunctas*, quæ fuit ad Inquiſitores tranſmiſſa. In confirmatoria non fuit appoſita clauſula, *ſacro approbante Concilio*; & quando fuiſſet inſerta, nihil noceret Primatui Pontificis, ut alibi probavimus, ſed abſolutè independenter à Concilio Martinus dixit: *Auctoritate Apoſtolica*, non Concilii, *ex certa ſcientia*, hoc eſt, ex poteſtate infallibili nobis à Chriſto tradita.

Deinde. In Bulla confirmatoria Martinus affirmat ſe *confirmare, & communire decreta, ſupplereque defectus Concilii*. Si Concilium firmius eſt, & Pontifex infirmior, quomodo eſſe poteſt, quod Pontifex Concilium confirmet? Infirmitas ne vires habet ad robur addendum firmitati? Fortè Pontifex poterit alteri conferre, quod ipſe non habet? Concilio audito tenore Bullæ, non reclamavit, ſed per optimè conſenſit Pontificem eſſe Concilio ſuperiorem, quia id ſibi notiſſimum eſt.

Quod hoc item concluditur, quòd cùm Poloni, ex quo damnatus eſſet à Concilio liber Joannis à Falchemberg, appellaverint ad futurum Concilium, Martinus appellationes à Romano indubitato Pontifice ad futurum Concilium reprobavit, edita conſtitutione per Gregorium in *Apologetico dialogo pro Concil. Conſtantien.* & decrevit: *Nulli fas eſt à Summo Judice, videlicet Apoſtolica Sede, ſeù Romano Pontifice, Jeſu Chriſti Vicario in terris appellare, aut illius judicium in cauſis fidei* (quæ tanquàm majores ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam deferendæ ſunt) *declinare*. Cur Concilium hæc audiens non ſe oppoſuit? Nonne hæc appellationis damnatio non fuiſſet Concilio injurioſa, quando ipſum ſupra Papam indubitatum, auctoritatem obtineret? Ideò verò ſilvit, & damnationi conſenſit, quia de ſuperioritate certi Pontificis ſupra Concilia nefas erat dubitare. Propterea decreta *ſeſſ. 4. & 5.* de majoritate Concilii ſupra Papam, de Papa dubio, & in caſu ſchiſmatis intelliguntur.

At quæres. Cur Martinus V. in Bulla, in qua memoratos errores Vvicleff. & aliorum damnaverat, errorem etiam non proſcripſit Joannis à Falchemberg, ex quo nota erat occaſio attentandi appellationem ad futurum Concilium?

R. Prudentiſſimè id egit, ut nimirum impediretur tumultus, quem imminere vidit pro libelli damnatione publicè denuntianda. Tamen quia prædictus libellus, matura examinatione à Concilio facta, adeòque conciliariter, fuerat tanquàm hæreticus decretus, à Martino quoque damnatus eſt. Nam Martinus requiſitus de confirmatione apud cit. Bail ſeſſ. 45. & ult. dixit. *Quod omnia, & ſingula de-*

determinata, concluſa, & decreta in materia fidei per præſens Concilium conciliariter tenere, & inviolabiliter obſervare volebat. Clauſula illa *in materia fidei* oſtendit quænam decreta à Martino fuerint confirmata, & quæ approbata.

Objectum III.

69 In Concilio Baſileenſi *ſeſſ.2.* declaratum eſt Concilium eſſe ritè, & legitimè Baſileæ congregatum. Poſteà confirmantur decreta Concilii Conſtantienſis de auctoritate Concilii Oecumenici, ejuſque poteſtate, & juriſdictione ſuper Romano Pontifice, quòd repetitum eſt *ſeſſ.3.& ſeſſ.33.* At hoc Concilium fuit ab Eugenio IV. confirmatum; nam, cùm Concilium per ſuos Oratores Eugenium rogaſſet, ut à Concilii diſſolutione deſiſteret; diſſolutionemque revocaret, Eugenius per ſuas litteras poſtulatis Concilii ſatisfecit, & diſſolutionem, treſque Bullas, quas ad diſſolvendum Concilium dederat, revocavit, pronuntiavitque Concilium Baſileæ ab initio continuatum fuiſſe, & proſequi debere. Poſteà approbatum legitur à Nicolao V. *conſtit.Ut pacis* apud Bail *Sum.tom.1. in hoc Concilio:* ergo dubitari minimè debet de poteſtate Concilii ſupra Pontificem.

70 Quantum ad præſens Concilium notetur, nullum inficiari ipſum indictione, & convocatione fuiſſe Oecumenicum. Etenim fuit de an.1431. indictum à Martino V. commiſſaque præſidentia, tanquā Sedes Apoſtolicæ Legato, Juliano Cardinali Cæſarino, ut in ejus *conſtit. Dum onus 14.Bullar.to.1.* In quo munere eodem anno, cedente fatis Martino, confirmatus eſt ab Eugenio *conſtit. Certificati*, ut in *2.tom. Concil.gen. edit. Galioti ad Concilium Baſileæ in 1.ſeſſ.*

71 Verùm, quòd octo penè menſibus poſt terminum præfixum, nec Doctores ulli, paucique Prælati, cum tribus tantùm Epiſcopis adfuiſſent, allegantes Baſilæam locum tutum non eſſe propter ſuborta bella inter Burgundiæ, & Auſtriæ Duces, quodque ineunda Græcorum cum Latinis unione à Græcis electa, commodior videretur Bononia, quàm Baſilea: Eugenius Baſileam cum Bononia commutavit, diſſolvens Baſileæ Concilium, Bononiæ poſt annum cum dimidio celebrandum indixit, prout ex conſtitut. Eugenii *Deus novit*, quæ emanavit an.1433.& lecta eſt in *ſeſſ.16. loc.cit.* cujus fragmentum refert *Off.Cur.Eccleſ.cap.29.§.2.nu.16.*

72 Audita à Cardinali Cæſarino diſſolutione Concilii per Eugenium facta, præſidentiam dimiſit. Quam ſubinde, cùm ad Concilium multi ex diverſis Regionibus Epiſcopi, & Regum Legati adventarent, Cardinales quoque ex Romana Curia profugi in dies nonnulli concurrerent, reſumpſit, & auctoritatem Concilii mirum in modum extollens, eminentiam primæ Sedis ſupprimere cæpit. Rem deſcribit Pius II. *conſtitut.In minoribus X.*in Bullar. in qua ipſe, veritate detecta, retractavit, quæ adhærens Baſileenſibus juvenis ſcripſerat adversùs ſupremam Romani Pontificis auctoritatem.

73 Interim Baſileenſes Eugenium rogant de diſſolutionis revocatione. Adlaborantibus verò per Legatos Sigiſmundo Imperatore, Carolo VII. Francorum Rege, & aliis, Eugenius Concilii, nedum poſtulata admiſit, latumque de diſſolutione decretum revocavit, ut in objectione aſſeritur, ſed ulteriùs caſſavit, annullavit, & irritavit omnia, & ſingula ſtatuta, & per Concilium decreta contra jura, & Sedis Apoſtolicæ libertatem, ac dignitatem Romani Pontificis, ut ex ejuſdem litteris incipien. *Inſcrutabilis*, *editis an.1433.* & aliis incipien. *In arcano ſub eod.an. in ſeſſ.16.* apud *cit.tom.*

74 Et quanquàm Concilii progreſſum approbaverit, non tamen approbavit illius decreta, ut ſcripſit Turrecremata *Sum.lib.2.cap.100.* in hæc verba. *Quis enim, niſi imprudentiſſimus univerſa approbaret decre-*

creta, quæ non vidiſſet, aut priùs non examinaſſet? Quinimò continuatio Concilii ab Eugenio probata minimè fuit, niſi ea lege, quòd Patres revocarent omnia, & ſingula adversùs Sedem Apoſtolicam attentata, ut expreſsè in d. *conſtit. Deus novit*, ibi erga finem: *Ad oſtendendam noſtram ſinceram, & puriſſimam intentionem, quam habemus, ut Concilium fiat, & quòd omnia ad finem debitum perducantur: contenti ſumus, & volumus purè, & ſimpliciter continuè fuiſſe Concilium. Ita tamen, quòd omnia geſta, & attentata contra Nos, ſive Sedis Apoſtolicæ libertatem, vel privilegia, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ac Nobis adherentes, prout de facto fecerunt, ſic de facto ante omnia revocent, noſtroſque Legatos, juxta juris regulas præſidentes admittant*. Baſileenſes verò *ſeſſ.* 17. Legatos Eugenii cum juriſdictione coactiva eis data à Martino in d. *conſtit. Dum onus*, & confirmata ab Eugenio alleg. conſtit. *Certificati* non admiſerunt. Et tantùm abeſt, quòd attentata illa reſciderint, ut potiùs *ſeſſ.* 18. renovaverint decreta *ſeſſ.* 4. & 5. Concilii Conſtantienſis. Quapropter, conditionibus non purificatis, revocatio diſſolutionis pro non facta habenda eſt.

75 Intereà novæ inter Eugenium, & Baſileenſes interceſſere diſcordiæ, & potiſſimè ſuper tranſlatione Concilii in aliū locum pro ineunda Græcorum cum Latinis unione. Iſti Baſileam, Avenionem, vel Sabaudiam *ſeſſ.* 25. elegerant: Eugenius verò Concilium non abſque cauſa Ferrariam tranſtulit, ut in ipſius *conſtit. Magnas XI. in d. Bullar.* utpotè à Græcis præelectam, tanquàm ſibi commodiorem. Quod ſubinde ob peſtem Ferrariæ ſubortam, Florentiæ abſolutum eſt, ex alia ejuſdem *conſtit. Lætentur* 17. ibi.

76 Non omnes Baſileæ congregati Eugenio paruerunt, ſed qui remanſerunt (licèt, Pio teſte, pauciſſimi) ad extrema rebellionis ſcelera in Sedem Apoſtolicam, & legitimum Petri ſucceſſorem refractarii devenerant; Eugenium, quantum in ipſis fuit *ſeſſ.* 34. deponendo, intruſo in ejus locum *ſeſſ.* 39. Antipapa Amadæo, Sabaudiæ Duce, Felice V. nuncupato, ſub quo ſeſſiones continuarunt uſque ad 45. In qua decretum eſt, Concilium, ſi aliquid obſtaret, ne Baſileæ continuari poſſet, Lauſanam transferri; prout reipſa deinceps translatum eſt, & hìc nonnullæ habitæ ſeſſiones.

Itaque ad argumentum: quanti ponderis ſit major liquidiſſimè conſtat, tum ex modò dictis, tum ex aliis in reſponſione ad 2. objectum.

77 Ad minorem. Falſum eſt Concilio ab Eugenio adjectam fuiſſe confirmationem; ſive poſtquam, prima ſeſ. celebrata, fuit Baſileæ diſſolutum, & Bononiæ indictum, ſive pro tempore, quo fuit Ferrariam translatum; etenim ex tunc maximè Conciliabulum, ſeù potiùs conventicula aptiſſimè dicebatur, ut ex *conſtit. Paſtor* 20. *Leonis X.* edita in Concilio Lateranenſi *Bullar. cit.* Hinc Eugenius ipſe *conſt. Inter cæteras* 29. ibi, abſolvit à pænis, aliiſque eos, qui poſt diſſolutionem, ſive translationem Concilii Cōgregationi Baſileenſi adhæſerunt, & ad Summi Pontificis obedientiam redierunt; vel, poſt ſex menſes reverſi fuiſſent. Quod quidem actum non eſſet, ſi Concilium fuiſſet legitimum, & ab Eugenio confirmatum; cùm cenſuris non ligentur, neque beneficiis priventur, qui legitimis Conciliis adhærent.

78 Falſum pariter eſt à Nicolao V. Concilium fuiſſe approbatum. In allegata conſtitutione (præmiſſa ab Amadæo ceſſione juris, quod in Papatu aſſerebat ſe habere, ac per eum ſoluta congregatione Lauſanæ congregata, & facta publicatione, & ordinatione, eſſe Nicolao tanquàm unico, & indubitato Pontifici à cunctis Fidelibus obediendum) approbat ſolùm, quæ ſchiſmatis tempore, ſcilicet ab intruſione Felicis geſta erant in negotiis beneficiorum, & diſpenſationum, abſolutiones concedit, & privilegia reſtituit, ut expreſſiùs in conſtitut. data 14. *Kal. Julii* 1449.

79 Qua-

79 Quapropter non pro veritate, ſed ut ſuis faveret, Annatus *in apparat. ad Theol.poſit.lib.5.art.19.* Scripſit Concilium Baſileenſe fuiſſe ab Eugenio à prima ad 16. uſque ſeſſionem approbatum. Quod repetitum eſt ab Juvenin *to.1.inſtit.Theolog. cap.2.art.17.§.2.* contendente dictum Concilium debere pro Oecumenico haberi quoad ſeſſiones, quibus Eugenius adhæſit, illiſque tradit adhæſiſſe, quæ revocationem diſſolutionis Concilii præceſſerunt. Quibus alios Gallos oppono. Petavius *lib.1.rationar.tempor.cap.8.* dixit, *iſtam Synodum auctoritate caruiſſe*. Cabaſutius *notit. Eccleſiaſt. in hoc Concilio*, nobis hęc reliquit: *Nec ulli dubium Synodum fuiſſe initio legitimam, ſed ex quo ſibi ſupra Pontificem Romanum auctoritatem indebitam* (ſeſſ.2. & 3. 18.aliiſque) *arrogavit, deſiit eſſe legitima, ſibique grande vituperium, ſedamque maculam accerſivit*. Bail ubi ſupra *tit. de auctor. Concil.& Papæ*, hæc habet: *Cùm decretum iſtud* (ſcilicet, de auctoritate Concilii ſupra Papam) *contra Papam editum eſt, legitimum non erat tunc Concilium generale, nulluſque præſidebat nomine Pontificis Romani; ſed tam Cæſarinus poſt primam ſeſſionem, quàm Cardinalis Arelatenſis* (poſtquam Cæſarinus ad Eugenium Ferrariam ſe contulit) *ſeſſ. 32. & ſequentibus ſibi auctoritatem præſidendi uſurpaverat*.

Objectum IV.

Ex doctrina Auguſtini major eſt poteſtas Concilii, quàm Papæ. Quippe Sanctus Doctor *Epiſt.43.ad Glor.& Eleuſium c.7.* tradit cauſam Cæciliani, quam judicaverat Melchiades Papa potuiſſe iterùm examinari in Concilio generali: *Ecce putemus*, ait, *illos Epiſcopos qui Romæ judicarunt, non bonos Judices fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium, ubi etiam cum ipſis Judicibus cauſa poſſet agitari*.

Secundò. Auguſtinus in articulo de non repetendo baptiſmate ab hæreticis collato, ad urgendos Donatiſtas illud iterantes, non ad Papam, ſed ad Concilium generale provocavit *lib.2.de baptiſ.contra Donatiſtas cap.7.num.12. Sed ſicut diligentiùs inquiſita veritas docuit, quæ poſt magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta eſt. Cap.9.num.14. Poſteà verò, dum inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur, non ſolùm inventa eſt, ſed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta, poſt Cypriani quidem paſſionem, ſed antequam nos nati eſſemus.* Et *lib.6. cap.39.* aſſerenti Eugenio Epiſcopo Afro, *ego cenſeo hæreticos baptizandos eſſe*: reſpōdit, *ſed non hoc cenſet Eccleſia, cui Deus jam plenario etiam Concilio revelavit*. Cui Auguſtinus non decretum Stephani Papæ, ſed Concilium oppoſuit: ergo, &c.

80 R. Negatur antecedens. Ad primam auctoritatem jam diximus *contr.6.cap.5.n. 15.* Inſaniſſima itaque Donatiſtarum animoſitas eò pervenit, ut apud Conſtantinum accuſaverint Melchiadem, tanquàm malè in cauſa Cæciliani judicaſſet: quòd adeò Auguſtino horrorem incuſſit, ut factum improbans zelo extimulatus dixit, ad occurrendum graviſſimo crimini (quando probaſſent, quod nunquam erant facturi, infirmum Melchiadis judicium) potuiſſent potiùs provocare ad Concilium generale, in quo ipſe Melchiades ſupremus Judex eſſet, quàm ad laicum, eſtò tantæ dignitatis recurrere. Hinc conſtat non neceſſariam Concilii convocationem Auguſtinum putaſſe, cùm ſententia à Melchiade prolata, ipſo teſte loco citato *cap.5.nu.10.* fuerit *ultima*. Et ex Optato *lib.1.contr. Parmen.Melchiadis ſententia clauſum judicium eſt*. Sed Concilium S.Doctor ut minus malum permiſit, ut hinc etiam, ipſi faciliùs plenè multorum Patrum aſſenſu convicti cederent veritati, pro qua plenarium expetebant Conciliū. Videatur textus, & *l.cit.*

81 Aliæ auctoritates pro nobis ſunt. Sed diſtinguenda ſunt tempora. Qui dicebant contra Cyprianum, baptizatos ab hęreticis non eſſe rebaptizandos, ut nos dicimus: Alii vixerunt tempore Cypriani:

& hi adversùs Donatiſtas nolentes novitatem rebaptizandi inducere, opponebant in teſtimonium veritatis ſolam conſuetudinem, vel atteſtationem Eccleſiæ. Et alii vixerunt poſt Cypriani paſſionem, & iſti non ſolùm ad conſuetudinem Eccleſię provocabant, ſed etiam ad Concilium generale, in quo illa conſuetudo firmata erat, & definita, ut ex eodem S. Doctore *d.c.9.* Cujus auctoritati, cùm Auguſtinus monet, hortaturque Donatiſtas, ut ſe ſubiiciant, etiam ad auctoritatem Pontificis eos remittit, ejuſque Primatum ſupra Concilium commendat. Quod conſtat; nam non eis quodcumque Concilium proponebat, ſed Nicænum I. à Sylveſtro Papa, vel de ejus conſenſu coactum, & ab eo confirmatum. Idemque confirmat dum ait veritatem non rebaptizandi fuiſſe à Deo Concilio revelatam; cùm Deus non Concilio Schiſmatico, & Acephalo contra caput pugnanti ſuggerat veritatem, ſed Concilio capiti unito, & definienti dependenter à Romani Pontificis confirmatione, ultimoque judicio.

82 Dictum Concilium Nicęnum coactum eſt *an.325.* adeòque antequàm Auguſtinus naſceretur (qui natus eſt an.350.) & vixit an.76. Ipſumque eſſe illud plenarium, quo baptiſma ab hęreticis traditum probat, patet ex elogiis, quibus ipſe exornat Concilium plenarium, de quo agit: *lib.1.loc.cit.cap.7.* ipſum vocat *plenarium totius Orbis Concilium: libr.2.cap.3.* Plenaria Concilia appellat, quæ *fiunt ex univerſo Orbe Chriſtiano. Cap.9.* dicit. *Illud eſſe univerſæ Eccleſiæ Concilium. Lib.6.cap.13.* appellat *Concilium Catholicum orbis terrarum.* Quę elogia Nicæno I. utpote (fatentibus omnibus) Oecumenico convenire, nemo eſt, qui diffiteri poſſit.

83 Quæquidem plures eruditi negant ea aptari Concilio Arelatenſi I. coacto an. 314. Quod profectò Oecumenicum, & generale à nullo ex antiquis dicitur, prout appellatur à Sirmundo *tom.1.Concilior.Gall.* & poſt eum à Launojo contra Bellarminum. Licèt enim propriè loquendo Nationale ex una ſola Natione non fuerit, ſed ad ipſum convenerint ex Gallia, Hiſpania, Brittannia, Italia, Sicilia, & Africa Epiſcopi, collectumque fuerit ex pluribus Nationibus Occidentis, quæ Patriarchalem Romani Pontificis conſtituunt dignitatem, diſtinctam ab illa ſupremi Capitis, quam eidem Chriſtus contulit in univerſalem Eccleſiam toto Orbe diffuſam; fuerintque præſentes Legati Apoſtolici, & Conſtantinus; adhuc tamen inter generalia Concilia non accenſetur ex defectu generalis convocationis omnium Orbis Epiſcoporum, quæ Concilium generale, à Romano Pontifice, vel, ipſo conſentiente, facta, debet præcedere. Et conſtat quoque, quòd Auguſtinus loquens de Arelatenſi Concilio *Epiſt.93. ad Vincentium Rogatiſtam nu.3.* ait. *Rurſus ab alio Epiſcopalii judicio ad eumdem Imperatorem appellaverant.* Ubi non vocat illud plenarium; cùm tamen inde magis arguiſſet Donatiſtarum inſolentiam, ſi etiam à plenario appellaſſent, ut obſervat Bail *ſum.to.2.in d. Concil.* Idcircò notum eſt Nicænum primum, illud ipſum eſſe Concilium, quod Auguſtinus nomine plenarii vocat.

84 Ex illo enim Nicæno per neceſſariam illationem colligitur, definitum eſſe, valere quodcumque hæreticorum baptiſma (adeòque à Donatiſtis adminiſtratum) modò in forma à Chriſto præſcripta collatum fuerit. Nam *canone 8. Catharos* (hoc eſt *Puros, & Mundos*) per Novatianos baptizatos redeuntes ad Catholicam Eccleſiam ſola manuum impoſitione admitti jubetur: Canone *verò 19.* Paulianiſtas, ſi redeant, rebaptizari decernitur. Nulla autem alia ratio diſcriminis videtur afferri, quàm, quòd baptiſma à Paulianiſtis (ſic dictis à Paulo Samoſateno) collatum ab initio nullum fuerit: ideò, quia eadem forma, qua utitur Eccleſia per expreſſam Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem in nomine *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* non baptizarent, ut

ex Auguſtino de hęreſib. hæreſ.44. *Iſtos ſanè Paulianos*, ait, *baptizandos in Eccleſia Catholica Niceno Concilio conſtitutum eſt. Unde credendum eſt eos regulam baptiſmatis non tenere, quam ſecum multi hæretici, cùm de Catholica diſcederent, abſtulerunt, eamque cuſtodiunt*. Cujus generis planè fuerunt Novatiani, propter quod eorum baptiſma fuit à Patribus Nicænis admiſſum.

Hæc duximus eſſe notanda, ut ex Auguſtino perſpicuum ſit, Papam eſſe ſupra Concilium generale. Siquidem Concilium ab ipſo coactum eſt, & ſine ejus confirmatione robur non habuiſſet. Ideò Auguſtinus remittens Donatiſtas ad Conciliũ plenarium eis proponit auctoritatem Pontificis, illa Concilii majorem, validioremque.

Objectum V.

Romanus Pontifex non eſt Chriſto Domino major. At qui Chriſtus Dominus erat ſubditus Matri, & Joſepho, juxta illud Lucæ 2. *Erat ſubditus illis:* ergo Romanus Pontifex eſt ſubditus Sanctæ Eccleſiæ, quæ eſt omnium Fidelium Mater; ergo in eum poteſtatem habet Concilium generale, à quo Eccleſia univerſalis repręſentatur. Quilibet enim naturali jure Matri ſubditur.

85 R. Conceſſa majori, diſtinguitur minor. Erat ſubditus, hoc eſt, obediens illis, quia ultro, & ſua ſponte voluit, conceditur. Erat ſubditus, hoc eſt, illis inferior, negatur. Quis prudens, Catholicuſque dixerit Chriſtum eſſe inferiorem Matre, & Joſepho, hoſque in eum tanquàm ſibi ſubditum poteſtatem habuiſſe? Ipſorum fuit (& eſt) Dominus, ac Deus. Propter quod ab eorum obedientia, & poteſtate erat exemptus. Verùm, ut ſummæ erga Parentes relinqueret obedientiæ, exemplum, per omnia eis obedivit in iis, quæ domi agenda, & facienda erant. Ita, eſtò liber eſſet à lege pendendi tributum, tamen ad ſcandalum evitandum juſſit Petro, Matth.17. *Da eis pro me, & pro te*. A Pilato Chriſtus judicatus, & Cruci damnatus fuit, fortè in eum Pilatus jus aliquod habuit, aut ipſe fuit Pilato inferior? Abſit. Ei aſſerenti ſe poteſtatem ſuper eum habere, Chriſtus reſpondit. *Joan.19. Non haberes in me poteſtatem adversùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper*: quaſi diceret: Neque à Cæſare, neque à te ipſo, neque ex merito cauſæ meæ, neque ex hoſtium meorum malitia, neque ab alio quopiam mortalium quidquam juris, aut poteſtatis in me haberes, ſi non ſpeciali decreto divinò tibi permiſſum eſſet. Sum enim Superior omnibus hominibus, omnibus creaturis, omnium Dominus, ac Deus.

86 Hinc negatur conſequentia. Papa diverſo titulo eſt Filius, & Eccleſiæ Princeps, ut etiam dixi *contr.6.cap.1.nu.*18. Filius eſt ratione baptiſmi, quo eum Eccleſia genuit (ſicut & omnes Fideles, propter quod etiam Fratres dicuntur, *c. Ad menſam 2.qu.3.*) & reſpectu omnium Mater eſt Eccleſia, Princeps verò, & caput ratione Papalis dignitatis, ut unus prę cæteris exaltatus. Quare, ſicut Auguſtinus de Epiſcopis exponens in *pſal.44.n.32.* dictum eſt: *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filii*, ſubdit: *Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi*: Et infra. *Filios genuit Eccleſia, conſtituit eos pro Patribus ſuis Principes ſuper omnem terram, ut iidem, & filii ſint, & Principes*: Sic potiori ratione verificatur de Summo Pontifice, qui Filius, & Princeps eſt Eccleſiæ.

Ideò, ut tollatur contrarietas, quę videtur occurrere, quod in eadem perſona conjungatur ratio Filii, & Patris Eccleſię, attendenda eſt, & ad caſum aptanda regula, quam tradit Auguſtinus *lib.83. qq.q.69.* ibi. *Regula Catholicæ fidei, ſic ſe habet, ut, cùm aliqua in Scriptura dicuntur de Filio, quòd ſit minor Patre, ſecundùm ſuſceptionem hominis intelliguntur, cùm verò ea dicuntur, quibus demonſtratur æqualis, ſecundùm id, quod Deus eſt, accipiantur*. Ita, cùm de Papa dicitur, quòd ſit Filius Eccleſiæ ratione

regenerationis per baptiſmum accipiendum eſt; cùm verò, quòd ſit Pater, & Princeps ratione dignitatis Pontificiæ ſumitur.

88 Vi cujus dignitatis emancipatus eſt, & à poteſtate, ac juriſdictione Eccleſię liberatus. Ideò ipſa juriſdictionem coactivam, & coercitivam in eum exercere minimè valet. Atque ita à poteſtate Concilii eximitur, in quem huic poteſtas data non eſt. Neque de eo Papæ non unito verificatur, quod Eccleſiam repræſentet, ut dictum eſt. Lege *contr.4.cap.1.nu.17.& contr.5.cap.1.nu.19.*

Dices. Ergo plenitudo poteſtatis non reſidet perpetuò in Eccleſia contra promiſſiones Chriſti; quod *Eccleſia ſit manſura uſque ad conſummationem ſæculi.* Quod eſſe non poteſt, ſi non Eccleſiæ, & Concilio ſumma poteſtas tradita ſit, ſed Pontifici, qui, cùm ſit mortalis, perpetuus eſſe non poteſt.

89 R. Negatur conſequentia. *Contr.4. cap.1.2.& 3.* diximus claves juriſdictionis formaliter ſubjectivè, & diſpenſativè fuiſſe datas Petro, & in Petro Romanis Pontificibus, quas ipſi inferioribus Prælatis, proportionatè communicant. Quæ dicuntur datæ Eccleſiæ in ſuo capite; quod enim facit Papa, dicitur Eccleſia facere per *cap.Pia de except. in 6.* Vel, quatenus in bonum Eccleſiæ ſunt datæ. Hoc modo dicuntur Sacramenta Eccleſiæ; & claves dicuntur domus, quia ad ejus ingreſſum ſunt datæ. Tamen, etſi claves dicantur Caſtri, vel Civitatis, tamen poteſtas aperiendi illis non tribuitur, ſed Oſtiario.

90 Unde Auguſtinus nunquàm negavit Petro datas claves, ſed ſæpiùs id repetit; De agone Chriſtiano *cap.30.* dixit. *Eccleſiæ claves regni Cælorum datæ ſunt, cùm Petro datæ ſunt. Serm.149.nu.7.Sed quoniam in ſignificatione perſonam Petrus geſtabat Eccleſiæ, quod illi uni datum eſt, Eccleſiæ datum eſt.* Videatur dicta *contr.4.cit.*

91 Uſus verò eſt Auguſtinus variis loquendi formulis ad deſtruendum duplicem errorem. Unum Novatianorum, negantium in Eccleſia eſſe poteſtatem clavium; alterum Donatiſtarum Schiſmaticorum dicentium, ſeparatos ab Eccleſia poſſe ſolvere, & ligare. Ad excludendum primum dixit, quòd Petrus accipiendo claves geſſit figuram Eccleſiæ: *repræſentavit enim univerſitatem Prælatorum* (in quos ab eo juriſdictio debebat derivare) *repræſentantium ſuas Eccleſias.* Eccleſia enim, Cypriano teſte eſt in Epiſcopis. Ad Schiſmaticos confutandos dixit Petrum, ut principium unitatis Eccleſiæ claves accepiſſe; cum quo uno, qui non communicat, juriſdictione caret.

92 Hinc notiſſimum eſt, I. Plenitudinem poteſtatis reſidere in Eccleſia non contradiſtincta à Papa, ſed ratione Papæ, in quo formaliter ſubjectivè eſt, & à quo omnis juriſdictio dimanat.

II. Privilegia durationis uſque ad futurum ſæculi competere Eccleſiæ, ut includenti caput, ſine quo Eccleſia permanere non poſſet, & ratione cujus portæ Inferi adversùs Eccleſiam non prævalebunt. Ejus enim eſt fundamentum, & baſis. Idcircò officium eſt perpetuum, nec, moriente Papa, Sedes Romana moritur, vel dignitas Papalis extinguitur, *cap.Si gratioſè de reſcript. in 6.* Sicut, morientibus Epiſcopis Eccleſiarum particularium, Eccleſiæ ipſæ, & eorum dignitates non pereunt, ſed hæ, aliis ſubrogatis in locum defunctorum, eædem permanere dicuntur. Eadem eſt arbor, quæ folia non habet, antiquis decidentibus. Idem flumen, in quo una alteri unda ſuccedit: idem exercitus, ubi, aliis morientibus, alii milites accedunt: eadem Civitas, eſtò ſucceſſivè omnes moriantur, dum illis novi cives ſubrogantur. Ita eadem remanet Eccleſia univerſalis, veluti caſtrorum acies ordinata: & eamdem identitatem habet Eccleſia Romana, quæ eſt Mater, & caput aliarum Eccleſiarum; in qua pro tempore Sedens Romanus Pontifex habet plenitudinem poteſtatis, cu-

jus

jus uſus, Papa mortuo, ad tempus quieſcit donec alius eligatur.

Objectum VI.

Papa eſt intrà Eccleſiam, aliàs ſalvari non poſſet; quia extra Eccleſiam non eſt ſalus: ergo eſt membrum, & Eccleſiæ pars: ergo non eſt Eccleſia major: Evidens enim eſt, partem majorem toto non eſſe, nec corpus à membro exceditur.

Secundò. Praxi docemur de exercita jurisdictione à Conciliis erga Pontifices. Antecedens patet. Nam Concilium Sinveſſanum depoſuit Marcellinum. In Concilio Chalcedonenſi *act*.4. examinata eſt Epiſtola Leonis ad Flavianum, & *act*.1.& 3. adjudicata ſententia depoſitionis Dioſcori à Leone pronuntiata. In 8. Synodo in examen vocatum eſt judicium contra Photium, factum à Nicolao, & Adriano Pontificibus. Repetitio autem examinis, vel probatio non fiunt, niſi à Superiore Judice.

Tertiò. Teneri alteri obtemperare, inferioritatem importat in conſtricto parere; ſed Pontifices tenentur obſervantiæ Canonum, Conciliorum, ut ſcribit Zozimus Papa 25.*qu*.1. *Contra ſtatuta Patrum condere, vel immutare, ne hujus quidem Sedis valet auctoritas*: ergo, &c.

93 R.Non dicimus Papam, ut eſt pars una totius numeri Fidelium, toto illo Fidelium numero eſſe majorem numerum. Neque aſſerimus ipſum eſſe intrà Eccleſiam, ut partem, prout pars dicit habere partialitatem jurisdictionis. Neque eſt membrum Eccleſiæ, intelligendo per membrum partem aliquam habentem dependentiam ab influxu cæterarum partium. Sed vocatur membrum, non quodcumque, ſed principale, & caput incæteris membris influens: in eo enim eſt plenitudo poteſtatis, à quo cæteri Prælati ſibi propriam participant, omnibuſque Fidelibus veram fidei, & morum doctrinam proponit. Quinimò falſum eſt Eccleſiam, ut contradiſtinctam à Papa eſſe totum; nam Eccleſia eſt corpus; corpus autem membris conſtat, & capite. Vide *contr.6. cap.1.nu.20.*

Dices. Ergo, ſi Papa eſt major Eccleſia, eſt major Chriſto, qui eſt Caput Eccleſiæ, & *Epheſ.5.& 1. ad Coloſſen.* Abſurdum, ac hæreticum eſt ponere Papam Chriſto majorem.

94 R.Negatur ſequela. Ad ſolutionem Sophiſmatis advertitur, Eccleſiam duobus modis ſumi poſſe. Primo modo, ut complectitur Chriſtum, tanquàm caput inviſibile totius corporis Eccleſiaſtici, intrò quod etiam eſt Pontifex. Secundo modo, prout eſt congregatio Fidelium, qui Pontifici capiti ſuo viſibili uniuntur, & ſubiiciuntur. In primo ſenſu, Pontifex Chriſto, ut ſupremo Capiti recta ordinatione ſubiicitur. In ſecundo verò, omnes Fideles Pontifici, ut ipſorum viſibili capiti ſubduntur. Qua itaque ratione deducitur, Pontificem eſſe Chriſto majorem? Nos aſſerimus Romanum Pontificem ſuper omnes Chriſti Fideles, & non ſupra Chriſtum jurisdictionem habere: ergo inferre ipſum in jurisdictione excedere, tum omnes Fideles, tum Chriſtum, eſt extra quæſtionem abire, & controverſiam de majoritate Pontificis ſupra Concilium in ſenſu, quo examinanda eſt, non intelligere.

95 Ad 2. negatur praxis ex Conciliis inducta. Ad caſum de Marcellino dictum *contr.6.cap.5.nu.2.ad 6.*

Ad illud de Chalcedonenſi, Petrus Suavis ſtolidè affirmavit examen Epiſtolæ Leonis fuiſſe inſtitutum in d. Concilio, quaſi Synodus de illius veritate dubitaſſet: etenim otioſum, ait, fuiſſet, ſi Epiſtolam ab omni erroris ſuſpicione remotam, & abſque dubio integram Patres exiſtimaſſent; & inde putat, incerta fuiſſe Concilia de Pontificis infallibilitate.

96 Cæterùm, quòd Patres minimè dubitaverint de infallibilitate Romani Pontificis, & Leonem errare non potuiſſe in

Epiſtola (quam cùm juſſiſſet legi in publica Synodo, profitebatur ſe per illam Eccleſiam edocere) notiſſimum eſt ex *act.2.* In qua, cùm primùm fuit Epiſtola recitata, exclamarunt. *Hæc Patrum fides. Hæc Apoſtolorum fides. Omnes ita credimus. Anathema, qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus eſt.* Quomodo autem potuiſſent hæreticos dicere, qui Leoni per Epiſtolam loquenti non crederent, ſi de veritate Epiſtolæ dubitaſſent?

97 Recognitio itaque Epiſtolę non propter Catholicos evincendos permiſſa eſt, ſed, vel propter hæreticos, qui magno ubique ſtrepitu, fremituque jactaverant doctrinam Leonis in illa Epiſtola expreſſam cum Niceni, aliorumque veterum Conciliorum doctrina apertè pugnare; vel, ad ignaros, & imperitos erudiendos. Quidam enim Illyricani, & Palęſtini Epiſcopi Epiſtolæ Leonis nolebant ſubſcribere, putantes contraria referre doctrinę Cyrilli (cujus ſe jactabant contra Neſtorium defenſores; & quæ comprobata fuerat in Concilio Epheſino, ab Apoſtolica Sede directo, & confirmato) ut illos in viam veritatis Patres Chalcedonenſes revocarent, contulerunt Epiſtolam Leonis cum illa Cyrilli in Epheſino probata (& ita unum ſcriptum infallibile cum alio pariter infallibili) eo pacto, quo Evangelium Lucæ cum Marci narratione confertur. Sicut ergo Evangeliorum collatores non proinde negant eorum infallibilitatem, ita, qui Epiſtolam Leonis cum illa Cyrilli comparaverunt, non cenſuerunt Pontificiam auctoritatem aliena atteſtatione fulciendam eſſe. Neque negarunt Leonis infallibilitatem, aliàs à ſe frequentiſſimè aſſertam.

98 Ad id, quòd urgetur de ſententia Dioſcori, notatur; quòd non fuit in Concilio illius cognitio reiterata, ut examinaretur, & corrigeretur, ſed ut omnibus Patribus nota fieret ſententia à Leone in Dioſcorum pronuntiata, ac ut Dioſcori cauſa ſingulis innoteſceret. Hinc, cùm Paſchaſinus Apoſtolicę Sedis Legatus *act.1.* dixiſſet: *Beatiſſimi, atque Apoſtolici viri Papæ Urbis Romæ (quæ eſt caput omnium Eccleſiarum) præcepta habemus præmanibus, quibus præcipere dignatus eſt, ut Dioſcorus Alexandrinorum Archiepiſcopus non ſedeat in Concilio, ſed audiendus intromittatur; quod nos ſervare neceſſe eſt.* Patres non rem in diſceptationem vocant, ſed obedientes præcepto (cujus nec nomen quidem ſuſtinuiſſent, ſi Concilium ſupra Papam exiſtimaſſent) Dioſcorum è loco pulſarunt; ne inter Patres, ut Judex ſederet, ſed in medio, ut reus judicandus eſt conſtitutus. Adversùs quem productum eſt. Quòd *ipſe auſus ſit facere Synodum abſque auctoritate Romani Pontificis.* Quòd *non permiſit Epiſtolas Leonis legi in Synodo Epheſina* (poſteà reprobata) *ad Synodum directas.* Quòd *Flavianum ad necem uſque ſit perſecutus.* Quòd *violentia coegerit Epiſcopos ad ſubſcribendum in d. Epheſina hæreſi Eutychianę.* Quòd *per ſummum ſcelus in Sanctum Leonem excommunicationem dixerit.* Quibus convictus eſt: & à Legatis Sedis Apoſtolicę pronuntiatum à Leone eſſe nudatum, tam Epiſcopatus dignitate, quàm etiam ab omni Sacerdotali miniſterio alienatum. Et Patres ſententiæ Legatorum conſenſerunt: ut ex *act.3.*

99 Conſenſerat Leo, ut novum fieret examen, novaque Conciliaris damnatio (vel à ſe lata in Concilio promulgaretur) ut Dioſcoro omnis tergiverſandi prætextus tolleretur, & pax Eccleſiæ Orientali redderetur.

100 Hinc nota. Quòd ſemel per Papam determinatum, iterùm in Concilio cum Papa poteſt determinari, & confirmari; ſæpiùs enim bona benè innovata placent, *cap. Innovamus de tregua, & pace.* Iteratio autem examinis Conciliaris non probat Concilium eſſe majus Papa. Tunc quia, iterata inquiſitio oritur ex nova, vel iterata hæreticorum fidei impugnatione, ipſorumque pertinacia. Tum quia, Papa convocat Concilium, ipſumque con-

confirmat, & inſtruit, quid agere debeat.

101 Ad aliud de Photio. Fuerat hic à Nicolao I. ob uſurpatam Sedem Ignatio Conſtantinopolitano Epiſcopo, ipſa Sede, & Fidelium communione privatus; in quem iterùm anathema dixit Adrianus II. Et tertiò damnatio manifeſtior effecta eſt in VIII. Synodo. In cujus *act.*5. Photius requiſitus à Legatis Apoſtolicæ Sedis, ſi ſuſciperet judicia Romanorum Pontificũ, & anathematizaret, quæ geſſit adversùs Ignatium, tacuit: tunc Legati ad Concilium: Vult per ſilentium effugere condemnationem, quam Sancta Romana Eccleſia adversùs eum promulgavit: & inde monitus, quòd ad cor, & pęnitentiam rediret, eſt dimiſſus: ad quam inſtantiſſimè tota Synodus *act.*7. eum provocavit. Sed cùm obfirmatus in malo monita non reciperet, recitatæ ſunt damnationes ſæpiùs adversùs eum promulgatæ à Romanis Pontificibus; eiſdemque additi Anathematiſmi in eumdem præſentem, ac ſtantem conclamati, ut patet ex geſtis Synodi *act.*7.

102 Propter hęc autem Sedes Romana permiſit, ut Photius, jam ab ea, ſervato juris ordine, judicatus, in Synodo audiretur. Primò, ut obturaretur os, tum ipſi, tum ſociis, qui, quaſi, cauſa non examinata, ipſiſque non auditis, fuiſſet judicatum, de judicio conquerebantur. Ideò, ut palàm fieret injuſtitia querimoniæ, & ne Patres notam temeritatis, & animoſitatis ſubirent, nova inquiſitio facta eſt. Sed, nonniſi conſentientibus, & non contradicentibus Legatis Apoſtolicis, ipſoque Papa convocante, & roborante Concilium; quo Papæ auctoritas ſupereminens probatur, non verò Concilio ipſe ſupponitur.

Secundò. Ut juſtitia judicii Romani Pontificis illuſtrior redderetur. Tertiò, ut manifeſtior, & plauſibilior eſſet damnationis ſententia.

Quartò. Ut hinc Photio, cæteriſque ſuæ factionis viris, perſpicua eſſet Romanæ Eccleſiæ pietas; dum nullum vult perire; atque ut nihil intentatum relinqueret, quo Photium lucraretur, voluit Synodum illam celebrari, ut conſilio, & ſolicitudini tot Patrum pęnitentiam ſuadentium Photius cederet.

103 Ad 3. Major eſt vera de eo, qui tenetur alteri parere ex vi coactiva, pęniſque poteſt cogi ad legum obſervantiam. Quo titulo Pontifex, nec ſuis, nec legibus Conciliorum ligatur. Non ſuis, quia nullus propriè à ſe ipſo cogitur; cùm coactio ab extrinſeco procedat. Non Conciliorum, quia inferior nequit Superiori legem imponere. Eſtque alienum à ratione, ut quis coactus illis legibus alligetur, qui ipſis vim, & robur impartitur, prout à Pontifice illis præſtatur. Ita Doctores communiter tradunt quemlibet Principem vi coactiva ſuis legibus non adſtringi.

Verùm Pontifex leges à ſe, vel à Conciliis approbatis latas tenetur obſervare vi directiva, ne aliis ſcandalum præbeat, ſed exemplum obſervantiæ, & ut caput cum ſuo corpore conformetur. Qua ratione, & Principes propriis legibus ſubiiciuntur, juxta textum in *cap. Cùm omnes de conſtitut.* De qua vi directiva accipitur illud *contra ſtatuta Patrum condere, vel immutare non poſſe*. Simileſque locutiones intelligendæ ſunt. Vel, exponitur de honeſtate, ſicut neceſſitate non adſtringitur; id enim non poſſe interdum dicimus, quod non honeſtè poſſumus.

Procedunt à Conciliis pariter decreta, jus divinum, & naturale, vel fidem, & doctrinam morum reſpicientia: his quidem Papa ligatur, ſed non quia à Concilio edita ſunt, ut dictum eſt *cap. præter. nu.* 42. *ad* 45. De quibus accipitur illud: *Salus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenus deviare*.

Ideò advertas. Quòd in iis, quæ ex pręcepto Chriſti Apoſtoli, ut ipſius Pręcones promulgarunt, prout ſunt ea, quæ ipſis fuerunt revelata, non poteſt eſſe diſpenſa-

tio, abrogatio, vel mutatio: cùm divinum præceptum ſit immutabile. Itemque dicitur de definitis à Pontifice in materia fidei, & morum doctrina; cùm fides ſemper una ſit, & doctrina, quæ eſt per ſe bona, in ſe mala eſſe non poſſit: nec bona eſſe valet, quæ eſt per ſe mala. In iis verò, quæ ad ritus, & diſciplinam ſpectant, quæ tam ipſi Pontifices, & Epiſcopi in Conciliis approbatis, ad utilitatem Eccleſiæ ſtatuerunt, poteſt diſpenſatio, & mutatio, prout Eccleſiæ expediens erit, intervenire. Non quidem ab unoquoque Paſtore, privato id fieri poteſt, ſed, vel ab ipſo Romano Pontifice univerſalis Eccleſiæ Paſtore, vel à Concilio univerſali ſub eodem legitimè congregato, ab eoque approbato. In eo enim poteſtas ſucceſſorum Pontificum æqualis eſt, atque ita ſicut prædeceſſores potuerunt hac, vel illa lege Eccleſiæ utilitati providere, ita ſucceſſores, data neceſſitate, poſſunt eas abrogare.

Objectum VII.

Si Princeps Rempublicam deſtruat, puniri, etiam per depoſitionem ab illis poteſt, quibus præeſt; ergo & Papa, ſi incorrigibilis ſit, & Eccleſiam ſcandalizet, à Concilio repræſentante Eccleſiam corrigi poteſt, & deponi. Conſequentia ſequitur, aliàs melius fuiſſet proviſum Politiæ civili, quàm Eccleſiæ.

104 Si dicatur diſcrimen eſſe, quia Rex à Regno recipit auctoritatem, Papa verò immediatè eam habet à Deo. Contra eſt. Quia in hoc Rex, & Papa parificantur, quod Dominus abſque ulla exceptione poteſtatem dederit corrigendi Fratrem; Matth.18. *Si peccaverit in te Frater tuus vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolùm. Quòd ſi te non audierit, dic Eccleſiæ. Et ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus, & Publicanus:* hoc eſt à communione Eccleſiæ remotus.

Confirmatur. Si contingat, quòd Caput in corpore humano langueſcat cauterizatur, ne cætera membra corrumpantur: ergo ſimiliter, ſi Papa laboret ad deſtructionem ſui, & Eccleſiæ, poteſt eum Concilium cauterizare, hoc eſt, à Papatu, monitione præmiſſa, deponere.

Addo. In Conciliis generalibus decreta tum Fidei, tum Canonum non Papæ, ſed Concilii nomine eduntur, & publicantur; ut manifeſtum eſt etiam in illis Concilii Tridentini; ergo, quia Concilium majoris auctoritatis eſt, quàm Papa. Ad quod facit illud Hieronymi in *cap. Legimus 93 diſt. Si auctoritas quæritur Orbis, major eſt Urbe.*

105 R. Solutio ibi data optima eſt. Nam cùm poteſtas Regis ſit à Republica, præſumitur hæc poteſtatem contuliſſe, hac implicita conditione, quòd poſſit ad depoſitionem procedere, ſi Rex ſit in Regni perniciem. Nec ideò de remediis Eccleſia eſt deſtituta, nam inter remedia à Chriſto ſponſo relicta eſt filialis monitio, quia Filius poteſt admonere Patrem ſuum, ut Paulus ad *Galatas* 2. monuit Petrum, & ſuper omnia eſt efficacia orationis, ut diximus *cap.2.nu.47.*

106 Ad inſtantiam negatur antecedens. In eo textu præcipitur à Chriſto, Petro, & omnibus correctio fraterna, quando aliquis peccaverit, & ſi illa ſatis non ſit injungitur, ut dicatur Eccleſiæ, hoc eſt, Prælato, qui juridicè procedat. Si verò delinquens adhuc contumax, & incorrigibilis fuerit, ſtatuitur ut extra Eccleſiam ſit, nimirùm excommunicetur. Secundum correctionis modum vult Chriſtus fieri per Judicem competentem: Romani verò Pontificis in terris Judex nullus competens eſt, ut diximus *contr.6.capit.5.* Propterea defectu Judicis ſupra Papam ceſſat ſecundus modus procedendi contra peccantem. Etenim ſicut perſona carens dignitate Eccleſiaſtica eſt capax dumtaxat corrigendi fraternè fratrem ſuum, non autem excommunicandi; quia juriſdictione, & ſubditis in foro Eccleſiaſtico caret,

quo-

quorum ſit Judex. Ita perſona in terris ſuprema, Romanus nimirùm Pontifex, non eſt capax, ut ſecundo illo modo judicialiter ab ullo in terris corrigatur.

107 Ideò nomine *Fratris* puri, ut in auctoritate ponitur, non venit Summus Pontifex, qui Princeps quoque Fratrum eſt. Alia circa intellectum textus ſunt, *contr.5.cap.1.nu.41.*

108 Ad confirmationem. Non leve cauterium eſt Papam non rectè ambulantem cum debito moderamine, & reſpectu filiali admonere, ut ad cor redeat, nunquam tamen poteſt ad depoſitionem procedi; ſed Domino noſtro Jeſu Chriſto relinquendus eſt, ut judicetur. Nonnulli excipiunt caſum hæreſis, affirmantque ob cætera crimina non eſſe per depoſitionem cauterizandum, benè verò, ſi in hæreſim labatur. Quod nos minimè probamus, nec caſum admittimus, ut diximus *contr. 7.cap.1.*

Dices. Paulus ubi ſupra *in faciem reſtitit Petro*, quod plus importat, quàm ſimpliciter monere; ergo Pontifex Romanus, nedum monere poteſt, verùm & à Concilio puniri, ſi incorrigibilis eſſet.

109 R. Negatur conſequentia. Illud *reſtitit* à Paulo adhibitum nullam ſuperioritatem in Paulo concludit ſupra Petrum. Reſtitit quidem in faciem Petri, hoc eſt, videns, quod Petrus metu offendendi Judæos (converſos) ſubtrahebat ſe à convictu gentium Fidelium, & ab eſu ciborum lege Moſaica prohibitorum, coram aliis ſe illis oppoſuit, ipſum reprehendendo, non tanquàm ſuperior, vel ex auctoritate, ſed ſolùm ex charitate, tanquàm Petro inferior, quia bonum publicum ſic poſtulabat, ut ex *cap. Paulus 2. qu.7.*

110 Ad additum. Non ſemper eodem modo decreta Conciliorum promulgantur. Quando Papa eſt præſens, ejus nomine fit promulgatio, & ab ipſo eduntur, ut conſtat ex quinque Lateranenſibus, duobus Lugdunenſibus, Viennenſi, Conſtantienſi, & Florentino. In his videmus decreta edita eſſe nomine Papæ, *decernimus, definimus, ſancimus, &c.* Cùm verò Papa in ſe eſt abſens, & per Legatos præſens, decreta fiunt nomine Concilii, ſed in ordine ad Pontificis approbationem; atque ita ſemper ſuperioritas Papæ demonſtratur.

111 Auctoritas Hieronymi ineptiſſimè adducitur, ut evincatur ſuperioritas Concilii ſupra Papam. Sanctus Doctor loquebatur reſpectivè, quantum ad aliquas particulares conſuetudines; & quantum ad iſtas dixit; conſuetudo communior prævalet particulari, & illa Orbis particulari Urbis. Aliàs enim habebat Romana, aliàs cæteræ Eccleſiæ. Romæ die Sabbati jejunium ſervabatur, non verò Mediolani ex Auguſtino *Epiſt.54.ad Januarium nu.3.* Cæterùm omnes Traditiones univerſales per univerſum mundum publicandas ipſa Romana Eccleſia à Beato Petro accepit. Item, ex quo Orbis ſit major Urbe, major colligitur auctoritas Papæ, quàm Concilii, cùm Papa præſit Orbi, & Urbi: illi generaliter, huic ſpecialiter. Vel dicendum, quòd Orbis in auctoritate extenſivè eſt major Urbe, non intenſivè; Auctoritas intenſiva appellatur, quæ ab aliis non dependet, & ſufficiens, & efficax eſt ex ſe ad ponendum effectum: extenſiva, quæ ab alio dependet, ſed eſt ad plura ſubjecta extenſa. Ita in Papa eſt plenitudo poteſtatis, qua potens eſt dubia fidei reſolvere, & decreta condere, nec opus ad hoc habet congregatione Concilii ex dictis *contr.7.cap.7.* A Papa verò proportionata poteſtas ad Epiſcopos derivatur, ſive congregatos in Concilio, ſive in ſuis ſedibus exiſtentes. Et hinc dicitur, quòd Concilium cum Papa non eſt intenſivè majus, quàm Papa ſolus. Nullam enim virtutem addit Papæ.

Objectum VIII.

Ipſi Pontifices propria confeſſione ſe dicunt ſubeſſe Concilio generali. Innocentius

tius III. *lib.15.epiſt.106.* requiſitus à Philippo Galliarum Rege pro ſeparatione à Regina Ingelberga, reſpondit: *verùm ſi ſuper hoc abſque generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam, & mundanam infamiam, quam ex hoc poſſemus incurrere, forſan, ordinis, & Officii noſtri periculum immineret, cùm contra præmiſſam veritatis ſententiam noſtra non poſſit auctoritas diſpenſare.* Periculum verò non alio titulo imminens fuiſſet, quàm ſi in matrimonio diſpenſaſſet, contra jus divinum egiſſet: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, potuiſſet à Concilio corripi.

112 Reſp. Negatur antecedens. Nec Papa, nec Concilium poſſunt in jure divino diſpenſare; ideò nec in matrimonio conſummato, cujus generis erat allegatum. Papa, non convocato Concilio, Regem cum ſuis ſubditis ob divortium interdicto punivit: profectò Regnum ſub interdicto non ſtetiſſet, ſi Concilium crediddiſſet Superius Pontifice. Rex ad priorem rediit uxorem admonitionibus novorum Legatorum, Concilio non vocato; ergo, quia cenſuit eſſe obediendum Papę, ſupremo Eccleſiæ, & Concilii Paſtori. Ideò cauſa, cur Innocentius Concilium nominaverit, fuit œconomia, intendens dilatione fatigare Regem (quem ex corde diligebat) ut intereà amorem iterum erga Reginam conciperet, libidine in alteram diminuta.

Dices. Sententia ſuperioritatis Concilii ad Pontificem eſt antiqua: ita Pius II. in d.conſt.In minoribus §. 5. ſcripſit: *Sæpè eum* (Cardinali Cæſarino) *Sermonem pro veteri conſuetudine, miſcuimus, ſæpè de rebus Baſileenſibus diſputavimus, tuebamur antiquam ſententiam, ille novam defendebat.*

113 Reſp. Negatur antecedens. A tempore ſolùm Concilii Conſtantienſis, & Baſileenſis revocata eſt in controverſiam inter Catholicos ſuperioritas Pontificis ad Concilium; Omnes enim anteriores unanimes fuerunt in veritate, & tenenda prærogativa Papæ ſupra Concilium generale; ac docuerunt definitiones Pontificis, etiam abſque Concilio generali editas, eſſe irreformabiles.

114 Hinc Pius per *antiquam ſententiam* intendit priorem, ſeù primam, quam pro Concilio defendebat contra Papam. Quam poſteà depoſuit; &, cognita veritate, cæcitatem Baſileenſem reliquit, rediens ad obedientiam Eugenii: quo facto, in Auſtria minores Ordines, Subdiaconatum, & Diaconatum recepit, in Urbe ad Presbyteratum pervenit, ut ibi textus.

Quibus præoccupatur inſtantia, qua dicitur, Pium cum dignitate mutaſſe ſententiam. Nam à priori illa Baſileenſium opinione receſſerat ſub Eugenio, & Papa electus fuit poſt Nicolaum V. & Calliſtum III. anno nimirum 1458.

Sententiam, verò Cardinalis *novam*, dixerat; quia, etiam Cardinalis Cæſarinus per aliquod tempus Baſileenſibus adhæſit. Sed poſteà Eugenio ſe ſubmiſit; à quo eſt miſericordiam conſecutus: & ab eo tempore in Florentino laboravit pro unione Græcorum cum Latinis; ſubindeque Legationem adversùs Turcas ab Eugenio ipſo recepit; in qua colloquia non ſemel cum Pio (tunc Ænea) de primatu Papæ inſtituit, & de Ænea triumphavit.

Inſtant. Julius II. majoris auctoritatis agnovit eſſe decreta Pontificum à Concilio generali approbata, quàm ſi confirmata non fuerint. Ita, cùm ipſe edidiſſet *conſtit.Cùm tam, 3.in Bullar.* in qua decrevit, & definivit electionem Romani Pontificis labe ſimoniaca factam nullam eſſe, electumque nullatenus eſſe canonicè; ut verò firmiora eſſent, quæ ipſe decreverat, voluit confirmari in Concilio Lateranenſi ſub eodem celebrato, ut in *Conſtitutione ſi ſumma*, poſt allegat. ergo. Concilium, &c.

115 Reſp. Negatur antecedens. Julius itaque iterùm in d.Concilio conſtitutionem editam approbavit, & innovavit, non

nòn quòd convocatio Concilii fuerit neceſſaria, ad validitatem ipſius, ſed ad ſolemnitatem illud egit, ut nimirùm tolleretur quævis occaſio tergiverſandi. Hæc ſunt in ſecunda conſtitutione. *Volentes Sathanæ dolis, & inſidiis obviare, ut litteræ præfatæ eò magis obſerventur, quò clariùs conſliterit eas matura, & ſalubri deliberatione d.Sacri Concilii approbatas, & innovatas, qua ſtatutæ, & ordinatæ fuerunt, licèt ad ſui ſubſiſtentiam, & validitatem alia approbatione non indigerent, ſed ad abundantiorem cautelam, & ad tollendam omnem doli, ac malitiæ cauſam malè cogitantibus, & tam ſaluberrimæ Conſtitutioni contravenire ſatagentibus, ut eò tenaciùs obſerventur, & difficiliùs tollantur, quò tantorum Patrum fuerint approbatione munitæ, litteras prædictas, &c. Sacro hoc Lateranen.Concilio approbante, auctoritate, & poteſtatis plenitudine approbamus, & innovamus*. Unde Julius non verò Concilium approbatione auctoritativa ſuas litteras approbavit: Proinde approbatio Concilii aliud non ſonat, quàm conſenſum Patrum, & rem fuiſſe in Concilio diſcuſſam, ut omnis adimeretur prætextus contradictoribus impugnandi Conſtitutionem.

Concluditur noſtra reſolutio doctrina D.Bernardini Senenſis *in Mariali p.3.ſerm. 3.* ubi affirmat Pontificem eſſe Concilio generali ſuperiorem, & majorem auctoritatem eſſe in Pontifice, quàm in Concilio: ibi: *Cùm Papa ſit Chriſti Vicarius, & gerat vicem Dei in terris: ex quo ſequitur, quòd habeat plenitudinem poteſtatis: & illud, quod facit, præſumitur facere auctoritate Dei: ideò, ipſo approbante aliquid, & nos debemus approbare: immò ipſius ſententiæ eſt magis ſtandum, quàm ſententiæ totius Mundi*. Quid expreſſiùs ad rem noſtram; & ut ex adverſo ſtantes cæcitatem, vel potius pertinaciam deponant? Tribuant Patri jura à Chriſto Domino collata; cujus ſententiæ eſt magis ſtandum, quàm totius Mundi, quia ejus auctoritas major, & ſuperior eſt quacumque alia in Mundo exiſtente: ut ex ſuprà ſatis.

CAPUT VII.

An ſtandum ſit ſententiæ Papæ, vel judicio Patrum, ſi contingat controverſia de definitione Fidei, cultus, & diſciplinæ inter Pontificem, & Patres?

SUMMARIUM.

1 *Deciſiones dubiorum circa fidem in lege veteri procedebant à Pontifice.*
2 *Sinagogæ fuit ad tempus promiſſa infallibilitas ad 3.& 4.*
5 *Romani Pontificis poteſtas ſuprema in Eccleſia.*
6 *Unitas fidei unitate Paſtoris conſervatur.*
7 *Patres Concilii à Papa confirmantur ad 13.*
14 *In Eccleſia neceſſaria diverſitas miniſtrorum.*
15 *A capite ſpiritus vitales in membra deſcendunt, & 27.*
16 *Infallibilitas non errandi in corpore Eccleſiæ eſt ex infallibilitate capiti data.*
17 *Paſtoribus obtemperandum eſt.*
18 *Paſtores à Deo dati in ædificationem Eccleſiæ.*
19 *Exceſſus in ſapientia non infert illum in juriſdictione.*
20 *Conſultationes neceſſariæ, ne Papa temerè definiat ad 21.*
22 *Sententia unius prævalet deciſioni à multis præſtitæ.*
23 *An prævaleat ſententia Capituli judicio Epiſcopi? ad 24.*
25 *Petrus decidit controverſiam de legalibus, ad 26.*
27 *Virtus ſenſitiva inſervit ad exercitium intellectivæ.*
28 *Primatus Pontificis eſt independens ab Epiſcopis.*
29 *Spiritus Sanctus dirigit Papam in definiendo, ad 30.*

31 Pa-

31 *Papa de errore monet Epiſcopos in Cõciliis.*
32 *Aſſiſtentia Spiritus Sancti Epiſcopis in Conciliis & quando?*
33 *SS. Patres teſtes ſunt divinarum Traditionum.*
34 *Patres per modum atteſtationis, non judicii definitivi declarant, quæ ſunt fidei.*
35 *Conſenſus Sanctorum Patrum non eſt mathematicè ſumendus.*
36 *De veritate Traditionis conſtat ex definitione Sedis Apoſtolicæ ad 38.*
39 *Regulæ, quibus legendi ſunt SS. Patres ad 45.*

AFfirmant cum Norneo Calviniſta in ſuo *myſterio iniquitatis oppoſit.61.* quotquot auctoritatem Concilii elevant ſupra Papam; quos ſequuntur alii, reſtringentes propriam ſententiam ad caſum, in quo Papa ſit abſens; tunc, juquiunt, præferenda eſt ſententia Papę judicio Concilii: ſequendam tamen affirmant illam Concilii, ſi ſit Pontifex præſens Concilio, à Concilio diſſentiat.

Dicendum. *Judicio Pontificis, non verò ſententiæ Concilii ſtandum abſolutè eſt, quando contingeret, quod inter ſe Patres, & Papa diſſentirent in definitione fidei, morum, aut diſciplinæ.* Eſt omnium Catholicorum adversùs elevantes Concilium ſupra Papam.

1 Probatur 1. In lege veteri, quando oriebatur aliqua controverſia circa fidem, & legem, in cujus deciſione inferiores Judices, vel diſſentiebant, vel veritatem aſſequi non poterant, Deus præcepit, ut, deciſio dubii tranſmitteretur ad Pontificem in ſupremo Concilio præſidentem; quod conſtabat Summo Pontifice, tanquã Capite, & Præſide, & 70. Senioribus, tanquàm Aſſeſſoribus; & appellabatur Sanedrion. Et quamvis conſultatio, & diſcuſſio in eo ageretur, finalis tamen deciſio procedebat à Pontifice: Cui tantus honor deferri præcipiebatur, ut, nulla Seniorum mentione facta, inobedientibus Sacerdoti pęna mortis imponeretur: *qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, & decreto Judicis, moriatur homo ille. Deuteron. cap.17.* Et Paralip. *cap. 19. Ananias autem Sacerdos, & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit:* hoc eſt, in controverſiis Religionis judicabit. Quid enim eſt præſidere in controverſiis, niſi Judicem agere, & Concilium dirigere? ergo potiori jure dicendum eſt in lege nova. Non enim melioris conditionis fuit Lex vetus, quàm nova. Nec fallibiles eſſe poſſunt promiſſiones Chriſti de Eccleſia nunquàm defectura, & de privilegio conceſſo Pontifici confirmandi Fratres, dum de fide dubitant.

Dicunt. Caiphas, qui tunc erat Judæorum Pontifex. *Joan.17.* erravit morti adjudicans Chriſtum; ergo ſi attendenda eſt ſimilitudo, poterit & Romanus Pontifex errare, in quo caſu ſtandum eſt ſententiæ Concilii.

2 Contra. Caiphas cum Concilio erravit. *Matth.26. v.57.* ergo, ſi paritas tenenda ſit, tam Pontifex Romanus, quàm Patres in Concilio erunt errori obnoxii, quòd nec ab adverſariis concedendum eſt.

Ideò notandum. Quòd aſſiſtentia divina, nato Chriſto, paulatim Synagogæ ſubtracta eſt. Quod facilè oſtendi poteſt ex iis Conciliis, quæ poſt Chriſti Nativitatem à Pontificibus, & Sacerdotibus celebrata ſunt. Ex quibus tria commemorabimus.

3 Primum convocatum eſt, Herode poſtulante à Principibus Sacerdotum, ubi Chriſtus juxta Prophetarum vaticinia eſſet naſciturus, *Matth.2.* & reſponſum eſt: *In Bethlehem Judæ.* Quæ deciſio fuit vera, & infallibilis: atque ita ex vera, & infallibili aſſiſtentia Dei profecta.

Secundum celebratum fuit ex occaſione miraculi, quo Chriſtus Lazarum reſuſcitavit, *Joan.XI. Collegerunt Pontifices, & Phariſæi Concilium: & dicebant, quid facimus.... Unus autem ex ipſis Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit. Vos neſcitis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo*

homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius prophetavit, quòd Jeſus erat moriturus pro gente. Hìc Caiphas ex una parte erravit, ex alia verò non. Et partim ex odio more humano, & partim ex aſſiſtentia Spiritus Sancti locutus eſt. In eo erravit, quòd Chriſtum innocentem morti adjudicaret, & hoc ex invidia, & æmulatione, *Matth.27.v.18*. In eo non errabat, quòd prædiceret Chriſtum moriturum pro ſalute, non tam populi Judaici, quàm totius mundi. Et hoc non ex ſemetipſo, hoc eſt, ex propria intentione, ſed ex Divino inſtinctu: Spiritus enim Sanctus eo, quamvis nequiſſimo inſtrumento, uti voluit in illius prophetiæ prolatione, cui propter Pontificiam dignitatem fides ab omnibus habeatur.

Tertium. Congregatum eſt, inſtante Chriſti paſſione, *Matth.26.v.57*. Et adversùs Jeſum tandem lata eſt ſententia, *Reus eſt mortis*. Quæ ſententia fuit abſq; dubio iniqua, nec ullo modo à Deo inſpirata, ſed potiùs à Diabolo, ut jam antea *Joan.8.* dictum erat à Chriſto: *Vos ex Patre diabolo eſtis; & deſideria patris veſtri vultis facere: ille homicida erat ab initio*. In eo Caiphas cum Concilio erravit; nec in Concilio illo geſtum quidquam eſt, ex quo conſtare poſſit divinam aſſiſtentiam illi adfuiſſe. Quod Caiphæ judicium locum dedit adagiis: *Judicium Caiphæ: Concilium Caiphæ: ex aula Caiphæ*, in eos pronuntiatis, qui in judicando non jura, non merita cauſarum, ſed privata commoda, & munera reſpiciunt.

4 Quare ad tempus fuit aſſiſtentia Pontifici veteris Legis promiſſa; & tunc ſubtracta eſt, quando Synagoga ferè expirabat, & locum dabat Eccleſiæ Chriſtianæ. Eò vel maximè, quòd, ut agnoſceretur Chriſtus eſſe Meſſias in lege promiſſus, illa non erat neceſſaria; cùm id clariſſimè demonſtrarent miracula, quæ Chriſtus in ſuæ miſſionis confirmationem operabatur. Unde Chriſtus increpans incredulitatem Judæorum eis dixit *Joan.10. Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis*. Et *cap.5. Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me*. Vide *contr.4. cap.3. ſub nu.29*.

Pontifici verò Romano non ad tempus, ſed in perpetuum promiſſa eſt Spiritus Sancti aſſiſtentia: Sicut de Eccleſia Chriſtiana, & Petri Cathedra, *Matth.16.* pronuntiatum *portas inferorum nihil valituras adverſùm eam; cap.ult. Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. De Synagoga verò Iſajæ prædictum eſt, eſſe divino afflatu derelinquendam, ipſamque veritatem derelicturam. Idcircò inſtantia non urget. Quidquid hæretici mendaciter muſſitent.

Quæ eſt aptior reſponſio, quàm dicentium, quæſtionem fuiſſe de Facto, non de Jure, quam Caiphas cum Concilio judicavit: num, ſcilicet, Jeſus necandus eſſet? In hujuſmodi autem judiciis poſſe Pontificem, & Concilia errare, non dubium eſt, ita illi. Verùm quæſtio illa, etiam ſi de facto eſſet, tamen involvebat quæſtionem de fide graviſſimam; num ſcilicet, Jeſus eſſet verus Meſſias, & Dei Filius, atque adeò Deus verus? Quocirca Caiphas cum Concilio erravit pernicioſiſſimè, circa fidem cùm judicavit Jeſum blaſphemaſſe, qui ſe Dei Filium appellaverat, Marci 14. *Summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti?* Jeſus dixit illi, *ego ſum.... Summus Sacerdos ſcindens veſtimenta ſua, ait, quid adhuc deſideramus teſtes? Audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum eſſe reum mortis*.

Probatur 2. Sententia Concilii ſumit robur à Papa: ipſaque Concilia nunquàm legitima extitere, niſi conſenſu Papæ coacta, & ubi quidquam, contradicente Papa, decreverunt, irritum ab eodem declaratum eſt ex dictis *cap.5.* ergo ſunt Concilia Pontifici ſubordinata, ipſorumque ſententiæ recipiendæ non ſunt, ubi Papa contradicit, neque vim obligandi Eccleſiam

ſiam obtinent, niſi à Papa confirmentur: & ſine quo non ſunt infallibilia decreta ut dictum eſt *cap.cit.*

Dicunt. Hæc procedere de Conciliis, cùm Papa eſt abſens, non verò cùm ipſe præſens illis ſit: tunc enim majori parti ſtandum eſt.

5 Contra. Eſt in Romano Pontifice ſuprema in Eccleſia poteſtas ab omni regula inferiorum coarctativa, & coactiva independens. Verba enim illa Matth.16. *Quodcumque ligaveris*, ſunt univerſaliſſima, & reſpiciunt omnem univerſalitatem temporum, locorum, & perſonarum, *nihil excipiens*, qui dixit: *quodcumque*: ut in *cap.Solitæ de major. & obed.* ergo tam in Concilio, ubi per Legatos, quàm ubi per ſe ipſum Papa præeſt, præferendum eſt ejus judicium Concilio, & Patres tam in uno, quàm in altero Concilio debent illius ſententiæ obtemperare.

6 Contra 2. Ex auctoritate D.Thomæ 2.2.*q.*1.*art.*10. ubi unius Summi Paſtoris neceſſitas in Eccleſia ex eo potiſſimùm capite demonſtratur, ut una ſit fides totius Eccleſiæ: *quod ſervari non poſſet, niſi quæſtio de fidè exorta determinetur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt*. Nam ex diverſitate ſententiarum, ut idem docet in 4.*contra Gentes cap.*76. divideretur Eccleſia, niſi in unitate per unius ſententiam conſervaretur. Nunquam autem poſſet talis unitas conſervari, & talis diverſitas impediri, niſi adſtringerentur oppoſitæ ſententiæ defenſores unius præſidentis judicio parere. Hinc concludit: *Exigitur ad unitatem Eccleſiæ ſervandam, quòd ſit unus, qui toti Eccleſiæ præſit*: ergo in utroque Concilio eſt ejus ſententia præferenda.

7 Contra 3. Petro, & non Patribus Concilii dictum eſt à Chriſto Joan.ult. *Paſce oves meas*, hoc eſt, *loco mei, non diſtinguens inter has oves, & alias*, ut in *d.capit. Solitæ*. Et Lucæ 22. *Confirma Fratres tuos*: &, ut ait Chryſoſtomus: *Præpoſitus, & Caput eſto Fratrum, ut ipſi te in loco meo aſſumentes, ubique terrarum te in throno tuo ſedentem prædicent*. Confirmare autem aliquem in aliquo aſſenſu certo, & non opinativo, non aliter fit, quàm rationibus evidentibus, vel auctoritate evincere; ut non fluctuet ejus intellectus: ergo confirmandi ſunt Patres fluctuantes auctoritate Papæ; non Papa auctoritate Patrum; aliàs Papa confirmaretur à Fratribus, non ipſe Fratres confirmaret; atque ideò judicio confirmatoris Fratrum ſtandum eſt, non Fratrum confirmandorum in quocumque ſint Concilio.

8 Probatur 3. Reſidet in Romano Pontifice plenitudo poteſtatis, ubi alii in partem ſolicitudinis ab ipſo aſſumuntur, ut ex Bernardo ad Eugenium habet Pius II. in *conſtit.In minoribus* 10. *Bullar.tom.*1.*§.*10. *Tu es, cui claves traditæ, vel oves creditæ ſunt. Sunt & alii quidem Cœli Janitores, & gregum Paſtores. Habent illi aſſignatos ſibi greges, ſingula ſingulos, tibi univerſi crediti uni ſumus; nec modò ovium, ſed & Paſtorum, tu unus omnium Paſtor*. Ergo quemadmodum omnes greges paſcuntur à Papa doctrina Catholica, ita & univerſorum gregum univerſi Paſtores ab eo dirigi, & paſci debent; ideò ejus vocem grex totius Eccleſiæ, non Paſtor illam ovium audire, & ſequi debet.

9 Item. Unum, & idem tribunal eſt Chriſti, & Romani Pontificis ejus Vicarii, qui vicem illius tenet, *cap. Quanto de translat. Epiſt.* ſed ſententiæ, & decreto Chriſti Domini abſque dubio eſt parendum, non verò (ubi contradicerent) omnium Epiſcoporum judicio: ergo pariter eſt parendum Chriſti Vicario, non Prælatis Concilii, ubi Papæ ab iis contradiceretur.

10 Item. Patres omnem poteſtatem ſuffragandi in Conciliis participant à Papa; nam ut ibi inquit Pius II. *Omnis ex eapite defluit in membra poteſtas*; ergo nullatenus poteſt eam Pontifex ab eis emendicare; quod neceſſariò deberet, ſi ipſe teneretur ſtare judicio, & ſententiæ Concilii, non è contra.

11 Vel

11 Vel ſaltem æqualis decidendi poteſtas tribueretur Concilio, & Pontifici, quod omninò repugnat. Hoc enim ſpoliaret Pontificem regimine Monarchico Eccleſiæ. Nec regimen Eccleſiæ eſſet optimè ordinatum, nam, ut inquit ubi ſupra contra Gentes Angelicus. *Optimum regimen multitudinis eſt, quòd regatur per unum, quod patet ex fine regiminis, qui eſt pax. Pax enim, & unitas ſubditorum eſt fides regentis, unitatis autem cauſa congruentior, eſt unus, quàm multi. Manifeſtum eſt igitur regimen Eccleſiæ ſic eſſe diſpoſitum, ut unus toti Eccleſiæ præſit.* Ergo nullus in Eccleſia eſt æqualis poteſtatis cum Romano Pontifice, aliàs diſſidiorum nullus eſſet finis, & lites conſtituerentur æternæ, ſemperque eſſet locus tergiverſandi, & reſiſtentię decretis Romanæ Cathedræ: quod abſq; hæreſi eſſe minimè poteſt, ut ex *cap. Omnes* 22. *diſt.* ibi. *Qui autem Romanę Eccleſiæ privilegium* (Primatus) *ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum auferre conatur: hic proculdubio in hæreſim labitur.* Quod confirmat D.Thomas *lib. contr. impugnant. religionem. Quicumque dicit non eſſe obediendum in his, quæ per Papam ſtatuuntur, in hæreſim labitur.* Aſſerentes verò ſtandum eſſe ſententiæ Concilii, non Papæ, quando in illis eſſet contrarietas, privilegium Primatus à Pontifice excludunt, eique non eſſe obediendum (ſaltem eo in caſu) affirmant.

12 Tandem. Redditur reſolutio manifeſta ex partibus, quæ conveniunt Romano Pontifici circa Concilia generalia. Ipſe illa convocat; in eis per ſe, vel per ſuos Legatos præſidet: ea dirigit proponendo, quæ tractanda, & definienda ſunt: & demùm eadem definita (ſi ſit abſens) confirmat: quando enim eſt per ſe præſens, confirmatione non eſt opus, nam tunc, ipſe definit. Hæc quidem ab eo pendere debent, quem Chriſtus Vicarium ſuum generalem ſupra univerſam Eccleſiam conſtituit: ideò omnes Eccleſiæ Prçlati, etiam in Conciliis Romanum Pontificem maximè colere debent, & revereri, ac ipſi uniri, ne, ſi deprimatur, vel ab eo recedant, inanes, & ſine effectu ſint eorum definitiones, ejus auctoritate deſtitutæ, à quo robur mutuant, & illegitima habeantur Concilia, prout ſæpè factum eſt. Unde dixit Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus *lib.2. theſauror. Et membra maneamus in capite noſtro, Apoſtolico Throno Romanorum Pontificum, à quo noſtrum eſt quærere; quid credere, quid tenere debeamus, ipſum venerantes, ipſum rogantes pro omnibus.... cui omnes jure divino caput inclinant, & Primates mundi, tanquàm ipſi Domino Jeſu obediunt.* Cui planè non obediunt, qui ſtandum eſſe ſententiæ non ejus, ſed Concilii clamant.

13 Denique. Poteſt Papa decreta Conciliorum facta contra inſtructionem Legatorum abrogare, & non confirmare, ut alibi diximus de Concilio Chalcedonenſi, quod in ſola fidei cauſa confirmatum eſt, ex *Conſtit. Onus* 2. *S. Leonis in d. Bullar.* ergo præſtare item poteſt, ne ubi Patres contradicunt, ab eis juxta eorum vota controverſia decidatur. Conſequentia ſequitur. Cùm difficiliùs ſit conſtituta convellere, quàm, ne conſtituantur, impedire *L. patre furioſo, ff. de his, qui ſunt ſui, vel alieni juris.* Ergo ſemper cedendum eſt ſententiæ Romanæ Cathedræ, ſive Patres, Pontifice prohibente, judicent; ſive illi contraria decidant; aut Papa abſens, aut ſit in Concilio præſens per ſe ipſum.

Opponunt 1. Chriſtus ad Epheſ.4. *dedit Eccleſiæ ſuæ quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ne circumferantur omni verbo doctrinæ:* ergo Epiſcopi, qui ſunt Eccleſiarum Paſtores in doctrina fidei docenda errare non poſſunt; aliàs finis, ad quem ſunt in Eccleſia conſtituti, non obtineretur, ſed populi adhuc fluctuarent in diverſas opiniones; ergo, ubi Epiſcopi in Concilio, vel omnes, vel major pars à Pontifice diſſentiret, eorum ſententia eſſet præferenda judicio Papæ.

14 R. Textus Apoſtoli ad rem non eſt; aliàs cenſeri deberet privilegium infallibilitatis eſſe communicatum, non tantùm omnibus Epiſcopis collectivè, & in Conciliis congregatis, ſed etiam ſingulis, quemadmodum illo non ſolùm omnes Apoſtoli, & canonici Scriptores collectivè gaudebant, ſed etiam ſinguli. Mens itaque Apoſtoli fuit affirmare de corpore myſtico Eccleſiæ, quod 1. *ad Corinth.* 12. de corpore naturali dixit, neceſſariam nimirum eſſe membrorum, & miniſtrorum diverſitatem, ut laborarent, & operarentur, & commune Eccleſiæ bonum promoverent. Si enim omnes eſſent Apoſtoli, ubi diſcipuli? Si omnes Paſtores, ubi oves? Si omnes Doctores, ubi auditores? Si in corpore omnis pars, pes, ubi caput? ubi manus?

15 Quocircà nequeunt Epiſcopi, non tam omnes collectivè in Concilio, quàm eorum ſinguli in docenda doctrina fidei, errare, quam diù manent conjuncti cum capite Romano Pontifice, ſed ſi ab eo diſſentiant, & à capite diſcedant (prout poſſunt) errant. Sicut membra, quæ in corpore naturali ſunt, habent in ſe ſpiritus vitales, & ſenſitivos, quibus vita conſervatur; ſed dependenter à capite, à quo hujuſmodi Spiritus in cætera membra derivantur: Verùm ſi, vel à capite ſeparentur, vel occludantur illi meatus, ſive canales, per quos fit illa ſpirituum derivatio, neceſſe eſt reliqua membra illis deſtitui, & officium ſuum exercere non poſſe.

Dices. Ergo, facta hypoteſi, quòd omnes à capite diſcederent, poſſent falſam doctrinam docere; & ex hoc duplex haberetur abſurdum. Primum, quòd poſſet tota Eccleſia errare, ipſa enim tenetur ſuos Paſtores audire, juxta illud Matth. 23. *Omnia, quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite*. Et Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.*

Secundum. Quòd tunc ampliùs dici deberent, à Deo dati, non in ædificationem, ſed in deſtructionem corporis Eccleſiæ; quippe ipſi potiùs eſſent cauſa, cur populi à recta fide aberrarent.

16 R. Neutrum, etiam illa hypoteſi admiſſa, concluditur. Non primum. Nam adhuc Romanus Pontifex, in quo eſt privilegium infallibilitatis, tum paſſivæ in credendo, tum activæ in docendo, & judicando, vera doctrina Eccleſiam paſceret, & adversùs iniqua docentes, ultimata definitione decideret. Habet Eccleſia prærogativam paſſivæ infallibilitatis in credendo, quatenus ipſa tota non poteſt in fide errare, ut diximus *contr.* 1. *cap.* 4. ſed dependenter à Romano Pontifice: *portæ enim inferi* (hæreſum, & errorum) *adversùs eam* (ratione capitis) *non prævalebunt.* Nam, ne corpus Eccleſiæ erraret, data eſt infallibilitas capiti, & tota ſecuritas non errandi in corpore Eccleſiæ eſt ex ſecuritate conceſſa magiſtro.

Dictum eſt. *Etiam illa hypoteſi admiſſa*, nam hanc poſſibilem moraliter non putamus, divina providentia non permittente, quod omnes Epiſcopi Eccleſiæ, errorem doceant contra fidem. At exinde non ſequitur eſſe eorum ſententiam in Conciliis præferendam judicio Romani Pontificis. Nam, ut omnes falſum non doceant, ſatis eſt, ut debeant populis proponere doctrinam in Eccleſia receptam, & à Romana Cathedra jam definitam; nec eſt neceſſe, ut infallibiles ſint in ferenda ſententia de doctrina fidei. Hoc enim eſt de reſervatis Romano Pontifici, cui in Petro *Lucæ* 22. dictum eſt. *Confirma Fratres tuos.*

17 Ideò ſuis Paſtoribus debent Fideles obtemperare. Verùm duo ſunt conſideranda. Unum, quòd tam præcipitur eſſe parendum omnibus Epiſcopis collectivè, quàm diſtributivè cuilibet ipſorum reſpectivè. Alterum, quòd, qui illud præcepit, per Apoſtolum ad *Roman.* 16. dixit etiam. *Rogo autem vos Fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter* do-

doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. Ad *Hebr.* 13. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci*. Idcircò præceptum illud ad docentes doctrinas fidei contrarias non extenditur. Determinare autem, an doctrina ſit prava, nec ne? non eſt cujuslibet privati, ſed cùm dubium exoritur, vel contraria hucuſque creditæ obſervatur, conſulendi ſunt viri docti, & cordati; potiſſimùmque eſt res ad Sedem Apoſtolicam referenda.

18 Neque ſequitur ſecundum abſurdum. Fortè quia hic, vel ille Paſtor, aut Doctor populum in aliquem errorem inducit, à Deo dici debet datus non in ædificationem, ſed in deſtructionem Eccleſiæ? Abſit. Nam non Deo, nec fini à divina providentia intento, ſed Paſtoris malitiæ eſt error imputandus. Ita, ſervata proportione, diſcurrendum in caſu, ubi omnes Paſtores, & Doctores concordes ſupponerentur in errore aliquo evulgando.

Opponunt 2. In Conciliis ad controverſiarum definitiones non proceditur, niſi facta prius diſcuſſione, & inquiſitione, quid ſit conforme Sacræ Scripturæ, & Traditionibus, quidve ex Patrum concordi conſenſione, & teſtificatione habeatur. Atqui hujuſmodi diſcuſſio, & inquiſitio melius fit ab Epiſcopis, quàm ſolo Papa: in quorum numero plures docti ſunt, & ſapientes: quos, & non Papam veriſimilius eſt legiſſe Scripta antiquitatis, & Patrum: ergo judicio diſcretionis magis certò Patres cognoſcunt, quid tenendum ſit: ergo ipſorum potiùs, quàm ſententiæ Papæ adhærendum eſt: ſecundum etiam illud Ariſtotelis in *politicis*, *melius Politia aliqua regitur, ubi plures ſunt virtute præditi, quàm unus*.

19 R. Argumentum reſtringitur ad probandum poſſe Epiſcopos excedere in ſcientia Pontificem; at hinc non habetur exceſſus poteſtatis in judicando. Fortè, quia Rex eget Conſiliariis, qui ſunt ipſo ſapientiores, vel eorum poteſtas eſt regia major? vel ipſi regitivæ poteſtati Regis non ſubduntur? Interdum unus Doctor poteſt majori cognitione eſſe præditus, quàm Papa, quis autem dixerit illum in juriſdictione Papam ſuperare? Unde ab exceſſu ſcientiæ ad illum poteſtatis illatio non tenet. Neque ex majori judicantium numero, ſed ex auctoritate judicantis penſanda eſt ſententia, ut contra Donatiſtas dixit Auguſtinus, quem allegavimus *contr. præter. cap. 7. nu.* 31.

20 Obſerva, ad Concilium vocari nędum Patres, ſeù Epiſcopos, verùm & Theologos non Epiſcopos, qui ſeparatim dubia diſcutiunt, & examinant: An Scriptura de illis explicitè, vel implicitè loquatur? Quid de illis antiqui Doctores Eccleſiæ docuerunt? Quid univerſitates Theologicæ ſentiant? Quid Concilia, & Sedes Apoſtolica definierint? Unde, ſuppoſito, quòd Epiſcopi à Pontifice diſcederent, aliudque judicarent, non deeſſent Theologi: non deeſſent Cardinales, qui ne diceretur Papa temerè, & præcipitanter definiiſſe (prout non poteſt) conſulerent, quid ex Scriptura, Traditionibus, & aliàs definitis ab Eccleſia, ſtatuendum eſſet. Nunquàm tamen infallibilitas definitionis conſultationi Peritorum, ſed aſſiſtentiæ Spiritus Sancti tribuenda, qui impediret, ne Papa definiret, quandò illi erraſſent, vel operaretur, ut Papa eos corrigeret.

21 Hinc obſervandum, quòd ubi conſtat à Papa aliquam in materia fidei, & morum definitionem prodiiſſe non eſt ulteriùs examinandum: An iſti definitioni præmiſſa fuerint omnia pręmittenda; quoniam ipſa definitio ſecum affert certitudinem, omnia hæc præmiſſa fuiſſe per docta *contr. præter. cap. 7. num.* 12. Currit enim in caſu diſcurſus de revelatione, qua Deus revelat aliquod Myſterium, quæ reflectitur ſupra ſe ipſam; nec tantùm revelat ſuum objectum, quàm ſe ipſam; adeò ut cùm Deus aliquid revelat, hoc ipſo revelet ſe hoc revelare; ita definitio Pontificis

quaſi reflectitur ſupra ſeipſam; & hoc ipſo, ut aliquid definit, definit etiam definitionem eſſe legitimam, hoc eſt, adhibita omnia ad legitimam definitionem neceſſaria, ut per optimè ſcripſit Michael Paludanus Auguſtinianus in *Apologia conſtitut. Urbani VIII. In eminenti cap. XI.* quo probandum aſſumit: *Infallibilitas Pontificis eſt abſoluta; non pendens à conditione, quam ipſe, cùm definit, poſſit omittere*. Promiſſio enim infallibilitatis facta Pontifici involvit promiſſionem applicandorum mediorum, diligentis examinis, & invocationis auxilii divini. Ideò imprudentiſſimè nonnulli opponunt non conſtare, ſi debita media adhibita fuerint, ac de iis ineptiſſimè dubitant. Acquieſcendum eſt ſimpliciter divinæ promiſſioni, quòd Eccleſia per Spiritum Sanctum in omnem veritatem inducetur, &, quòd qui finem promiſit, in mediis neceſſariis non deſit.

Ea auctoritate Philoſophus loquitur de Ariſtocratia, in qua cùm finis regiminis ſit pax, & unitas, melius conſervatur per unius ſententiam, juxta dicta *controver.* 4. *cap.* 3.

Dices. Melior, & probatior eſt ſententia, quæ à pluribus procedit, quàm quæ ab uno eſt; ſicut à pluribus faciliùs veritas invenitur, quàm à paucioribus; ergo ſententia Concilii prævalet judicio Pontificis.

22 R. Antecedens verificari non poteſt, facta comparatione inter multos, & unum electum ſupra multos, cui commiſſum ſit cæteros inſtruere, & docere; prout eſt Papa à Chriſto conſtitutus, ut Fratres confirmet in fide; propter quod eſt cæteris omnibus ejus judicium præferendum. Quin etiam, & in comparatione multorum, & paucorum non ſemper major pars minore prævalet, ut inde huic magis, quàm illi ſit deferendum; nam & populus Civitatis major eſt paucis prudentibus, & doctis: iſtorum tamen judicium, etſi paucorum magis exiſtimandum eſt. Ideò antecedens intelligi ſolùm poteſt, ſi cætera ſint paria inter paucos, vel unum, & multos. Quod in caſu non contingit: & vide *numero* 28.

Urgent. Sententia Epiſcopi non eſt major ſententia Capituli, etiamſi ſecum ſint aliqui de Capitulo, dummodò non faciant majorem partem, juxta. *Cap. Novit de his, quæ fiunt à Prælat. ſine conſen. cap.* Ergo nec illa Papæ illà Concilii, ſed, diſcordante Concilio, hujus ſententia eſt præferenda; etenim ſic ſe habet Pontifex reſpectu Concilii, ſicut Epiſcopus comparatus ad Capitulum.

23 R. Negatur conſequentia. Alia eſt ratio de Capitulo reſpectu Epiſcopi, & de Concilio reſpectu Papæ. Capitulum enim habet auctoritatem à jure communi, non ab Epiſcopo. Concilium verò omne robur obtinet à Papa. Item, ex ipſo jure communi poteſtas Epiſcopi reſtricta eſt, ut eam non exerceat, niſi ad præſcriptum dicti juris; præſcriptum autem eſt, ne ſolus decernat, ut in *cit. tit.* Papalis verò poteſtas limitata non eſt, adeò ut ſive in Concilio, ſive extra definiat, validè ſemper exercetur.

24 De veritate antecedentis, item dubitatur. Doctores enim examinant, an Capitulum ſine conſenſu Epiſcopi poſſit nova ſtatuta facere? & diſtinguentes, affirmant, ſi tractetur de rebus, quæ ſpectant tantùm ad Capitulum, ſecùs ſi agatur de re utrique communi, ut tradit Gonzalez in 1. *decretal. tit. 4. cap. 9. nu.* 10. Et Piaſecus *praxis Epiſ. p. 2. capit. 3. art. 2. numer.* 17. Quinimò *cap. Cùm conſuetudinis de conſuet.* prohibitum eſt Capitulo ſine conſenſu Epiſcopi nova ſtatuta edere, vel antiqua abrogare. Conſiderandum eſt Epiſcopum, & Canonicos efficere unum corpus, cujus caput eſt Epiſcopus, Canonici verò membra. Hinc cùm gubernatio Eccleſiæ Diœceſanæ ſpectet ad caput ipſius, hoc eſt, Epiſcopum, non poſſent Canonici ſine ejus conſenſu novas Conſtitutiones inducere; vel priores obliterare, cùm membra non debeant recedere à capite, & ſibi aſſume-

re officium illius. Atque ita, quæ conſequentia eſſe poteſt ex antecedenti falſo?

Opponunt 3. In Concilio Apoſtolorum *Actor.*15. facta inquiſitione, & pronuntiata ſententia ſuper controverſia Legalium, poſteà non ſub nomine Petri, ſed ſub nomine Concilii editum eſt decretum, juxta illud, *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*, hoc eſt, nobis inſpiratis à Spiritu Sancto. Non alio titulo, niſi quia Concilium prævalet. Et pręſertim in hoc apparet, quòd tota Synodus, relicta ſententia Petri, ſequuta ſit pronuntiatam ab Jacobo: Petrus enim decrevit converſos ex gentibus ad fidem non debere cogi ad Legalia. Jacobus verò dixit debere eos abſtineri à ſuffocato, & ſanguine. A quibus Judæi extremè abhorrebant. *Gen.*9. Ergo, ſi potuit unius ſententia prævalere adversùs Petrum, potiori ratione dicendum de ſententia Concilii adversùs illam Pontificis.

Item. In corpore naturali ſi membra infirmentur, vel nullæ, vel debiliſſimę, ſunt operationes; ergo pariter in corpore myſtico nullum ſortiuntur officium functiones capitis, ſi membra, hoc eſt, Patres in Conciliis contradicant.

Addunt. In omni Republica ſemper ſervatum eſt, ut cum Sapientium conſilio ſtatuatur; ergo & in Eccleſia ſervandum eſt, & tenendum, quòd Patres in Conciliis decernunt, eſtò Papæ oppoſitum ſit.

25 R. Sententia circa controverſiam de Legalibus à Petro lata fuit ultima, & finalis, ideò *tacuit omnis multitudo*, ut ait textus; decretum autem fuit non ſolius Petri, ſed totius Concilii nomine editum, non ad neceſſitatem, ſed id Petrus permiſit ad Oeconomiam: ſciens iis libentiùs, & ſuaviùs obtemperari, quæ communi conſenſu ſtabilita eſſent, ut diximus *contr.* 4.*cap.*3.*num.*23.

Ubi verò dicitur Concilium ſequutum eſſe judicium Jacobi. Advertendum eſt Primò Belvacenſem erraſſe, qui *lib.*8.*ſpeculi hiſtorialis cap.*11. hæc ſcripſit. *Poſt hæc Jacobus auctoritate Pontificali protulit definitivam ſententiam, quia quæſtio iſta mota eſt in Eccleſia Jeroſolymitana, cujus Epiſcopus erat, nec poterat ad alium transferri, niſi per appellationem. Petrus enim nondum erat conſtitutus in Cathedra Pontificali.*

Verùm hæc ſententia ſtare non poteſt. Etenim Chriſtus poſt Reſurrectionem *Joan. ult.* D. Petro Primatum Eccleſiæ contulit. Et illicò D. Petrus, veluti poſſeſſione adepta, munus ſuum executus eſt: prout liber Actuum Apoſtolorum non obſcurè declarat. I. In electione Mathiæ *Actor.*1. congregata enim Eccleſia, cæteris tacentibus, ſurgens Petrus tanquàm Caput, verba fecit de ſupplendo Proditoris Judæ Apoſtolatu. II. Cùm Judæi ibi *cap.*2. Apoſtolos ebrios judicarent, quòd variis linguis loquerentur, Petrus tanquàm Dux adversùs irridentes vocem levavit. III. Cùm Apoſtoli ibi *cap.*4. traherentur ad Tribunal Sacerdotum Judæorum, ut rationem redderent de ſanato claudo, Petrus tanquàm omnium Caput, cauſam illam impavidus tractavit. IV. Delictum Ananiæ, & Saphiræ, ibi *cap.*5. tanquàm Eccleſiæ Judex ipſe pæna graviſſima punivit. Hæc omnia Jeroſolymis à Petro geſta fuerunt; ergo ſine fundamento ullo negatur eum in dictæ quæſtionis deciſione ſui primatus auctoritatem non exercuiſſe. Neque neceſſe erat, ut Romæ poſſeſſionem Cathedræ adeptus eſſet. Nam Primatus Petri perſonam ipſius ſequebatur, ſive eſſet Jeroſolymis, ſive Antiochiæ, ſive Romę, vel alibi, & ex ejus perſona in ipſius ſucceſſores tranſivit.

Secundò. Error Toſtati in *cap.*17. *Matt. q.*13. (quem ſecutus eſt Calvinus) eſt, quòd putarit Jacobum definitivam protuliſſe ſententiam, velut totius Eccleſiæ organum, & majorem quolibet de aſſiſtentibus, eamque auctoritatem habuiſſe, non

in quantum erat Apoſtolus, ſed quatenus erat Epiſcopus Jeruſalem, cui omnes Apoſtoli in regione illa erant, quodammodò ſubjecti: & Apoſtoli, ut ait Salmaſius, Presbyterium Jeroſolymitanæ Eccleſiæ conſtituebant, ipſeque Jacobus Apoſtolorum Epiſcopus dictus eſt à Rufino.

26 Hic pariter Toſtatus hallucinatus eſt; nam Romanus Pontifex in quacumque Diœceſi ſit, in ea præſidet, & ſubditum habet Epiſcopum loci; cùm reſpectu illius, qui Paſtores ſunt aliorum, oves ſint, quarum paſcendarum regimen à Chriſto accepit. Ideò ſententia definitiva de exemptione Fidelium ab jugo Legis antiquæ, fuit à Petro lata; quam Jacobus, ut Jeroſolymitarum Epiſcopus ſuis promulgavit, eamque conformem Scripturæ eis comprobavit. Quare præceptum illud, vel à Petro, vel, nonniſi, eo probante, proceſſit. In quem verò finem fuerit conſtitutum, diximus *contr.3.cap.5.num.41.& 42.* Quibus hìc addimus, quòd manducatio ſuffocati ſpeciem quamdam habebat Ethnicæ ſuperſtitionis, cùm animalia ſuffocata tanquàm pretioſum ſacrificium Gentiles falſis diis dedicarent, ut notavit D.Thomas 1.2.*q.102.art.6.* Prohibitio itaque facta eſt Fidelibus ex gentilibus exiſtentibus Antiochiæ, Syriæ, & Liciæ, ut abſtinerent à contaminationibus ſimulacrorum, hoc eſt, à cibis Idolis immolatis: nam talibus veſci ſymbolum videbantur cultus Idolorum.

Fictum eſt illud Salmaſii. Nam D.Petrus ſuperior, cæteri verò Apoſtoli pares erant cum Jacobo. Ideò mendoſa eſt lectio Rufini, & ex Greço ſubſtituendum eſt, *Jeroſolymorum* ex Petavio *lib.1.de Eccleſ. Hierarc.cap.8.nu.9.*

27 Ad Item. Diſcrimen eſt, quia in corpore naturali virtus ſenſitiva famulatur intellectivæ, & membra hujus imperium exequuntur; ideò indiſpoſitio organorum, membrorumque infirmitas in illius impedimentum redundat. In corpore verò miſtico Eccleſiæ aliter evenit; exercitium enim Pontificiæ poteſtatis à Concilio non dependet; immò quantumcumque ſit debilitatio in membris, illęſa manet functio Capitis; adeòut ex illa prejudicium non patiatur ſententia Papæ. Quod ad oculum liquet, attenta adducta paritate de corpore humano, in quo non proptereà, quod ſit claudicatio in membris, vel aliqua è corpore ſeparentur, ceſſat capitis influxus in cætera membra unita, ſic & in propoſito. Unde Caliſtus I. omnibus Epiſcopis in *Epiſtola ad Benedictum Epiſc.* ſcripſit, ut in *cap.Non decet. 12.diſt.Non decet membra à capite diſcedere, ſed juxta Sacræ Scripturæ teſtimonium omnia membra caput ſequuntur. Nulli verò dubium eſt, quòd Apoſtolica Eccleſia mater eſt omnium Eccleſiarum; & ſicut Dei Filius venit facere voluntatem Patris, ſic & vos voluntatem veſtræ impleatis Matris, quæ eſt Eccleſia, cujus caput, ut prædictum eſt, Romana extitit Eccleſia. Quidquid ergo ſine diſcretione juſtitiæ contra diſciplinam actum fuerit, ratum haberi, ratio nulla permittit.*

Dices. Ergo cum diſcretione licitum eſt contra illam agere.

R. Negatur conſequentia cum Gloſſa ſcribente ibi, quòd hic vacat argumentum à contrario ſenſu; negari enim poteſt ſuppoſitum, quod definitiones Pontificis de injuſtitia argui poſſint, ut ex §. *qui autem* 17.*qu.4.* quo ſtatuitur: *de judicio Romani Pontificis alicui diſputare non licet.*

28 Ad additum. In judiciis terrenis, quia à Communitate, vel Principe Comitia auctoritate donantur, nulla planè eſt ſententia, niſi fiat ad præſcriptum, quòd decretum edatur, concordantibus Præſide, & aliis conjudicibus. At propterea quid ad caſum? Primatus Pontificis eſt à Chriſto inſtitutus, independens ab Epiſcopis, eorumque judicio, in quos poteſtas decernendi à Pontifice deſcendit; ideò ubi Papa contradicit, ipſorum ſententia prævalere nullatenus poteſt, ſed Pontificis definitio tenenda eſt, cui plenior in decidendo cognitio divinitùs mini-

ni-

niſtratur, quàm quod humano ſtudio, & ratione quis aſſequi poſſit.

29 Hinc judicium illud practicum, quod definitionem præcedit: *Sic, & non aliter eſſe definiendum: hunc V.G. non illum librum pro Canonico eſſe recipiendum: hanc doctrinam eſſe hæreticam, &c.* Pontifici à divina aſſiſtentia, & inſtinctu inſpiratur, & cæterorum judicia excedit: poſt quod ſequitur definitio Pontificis illis verbis *auctoritate Apoſtolica decernimus, &c.*

30 Hoc totum Lauræa *de fide diſp.6.art.7.num.317.* dixit eſſe commune in omnibus deductionibus doctrinalibus, adeòut quotiès Theologi ex commiſſione Papæ diſcutiunt: an *hæc doctrina ſana*, vel *prava ſit?* & ex Scriptura, Traditionibus, ac Patribus diſcurrunt, & inferunt, quòd Catholica ſit, Deus ita aſtitit Papæ, vel Concilio legitimo, non quidem per novam revelationem, ſed per inſtinctum, illuminando intellectum Epiſcoporum, & Papæ ad cognoſcendum, & formandam rectam rationem, quod ita ſit. Quemadmodum, conſtito per teſtes legitimos, de virtutibus, & miraculis alicujus Servi Dei, auditiſque à Pontifice probationibus ex Dei illuminatione, & inſtinctu agnoſcit eum unum ex illis eſſe à Deo in generali revelatione revelatis, ut dictum eſt *contr.præced.cap.5.* & inde eum Sanctum eſſe definit. Quomodo Deus teſte Lauræa cit. Eccleſiam ſuam regit in ſanis à falſis doctrinis cognoſcendis. Unde huc ſpectat illud Ambroſii in *cap. Non turbatur 24. q.1. Etſi aliis imperatur, ut laxent retia ſua, ſoli tamen Petro dicitur, duc in altum,* hoc eſt, *in profundum diſputationum. Quid enim tam altum, quàm altitudinem divitiarum videre, ſcire Dei Filium, & profeſſionem divinæ generationis aſumere? Quam licèt mens nequeat humana plenè rationis inveſtigatione comprehendere: fidei tamen plenitudo complectitur.*

Opponunt 4. In Concilio generali inveſtigatur, quinam ſit ſenſus univerſalis Eccleſiæ. At hujuſmodi inveſtigatio meliori modo fit ab Epiſcopis in Concilio, quàm à Papa. Illi enim teſtantur de praxi ſuæ Eccleſiæ, hic verò de praxi ſolius Romanæ Eccleſiæ: ergo in illius ſenſus inveſtigatione magis ſtandum eſt atteſtationi omnium Epiſcoporum, quàm ſolius Romani Pontificis; ergo illorum judicium fortius eſt, quàm illud Papæ, ideò magis illi ſtandum eſt.

Deinde. Unanimis Sanctorum Patrum ſententia in materia fidei eſt infallibilis; poſſibile enim non eſt, quòd omnes ſimul ſumpti errent, ſunt enim Eccleſiæ dati, ut eam ab errore præſervent, juxta textum Apoſtoli ad *Epheſ.4. Ipſe dedit..... alios autem Paſtores, & Doctores in ædificationem Corporis Chriſti, ne circumferamur omni vento doctrinæ.* Unde controverſiæ, quæ in materia fidei oriuntur, dirimuntur ex Sacra Scriptura, & Traditionibus, de quibus Patres unanimiter teſtantur. Ita cùm Eccleſia in Conciliis congregata aliquid de fide credendum proponit, ac definit, profitetur Sanctorum Patrum mentem, & concordem ſententiam ſequi, ut conſtat ex Chalcedonenſi act.2. in qua lecta Epiſtola S.Leonis, Patres clamarunt. *Hæc eſt Fides Patrum.* Tridentinum *ſeſſ.4. in decret. de edit. ſacr. libr.* vetat, *ne quis contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, aut etiam contra unanimem Sanctorum Patrum conſenſum interpretari audeat.* Lirinenſis in *commonitor. de Synodo Epheſina,* ſic loquitur. *In Concilio Epheſino divinitùs placuit nihil aliud poſteris credendum decernere, niſi, quod ſacra conſentiens Sanctorum Patrum tenuiſſet antiquitas.* Sed Epiſcopi in Conciliis referunt communem Patrum ſenſum: Ergo Epiſcoporum judicium eſt præferendum ſententiæ Papæ in caſu, in quo cum illo convenirent.

31 R. Negatur minor. Profectò in Conciliis examinatur, & diſcutitur, num res definienda probari poſſit ex Scripturis, vel ſenſu Eccleſiæ? at circa hujuſmodi inveſtigationem poſſunt Epiſcopi errare. Multoties enim Patres in Conciliis puta-

runt, vel teſtes fuerunt aliquod dogma communi Eccleſiæ conſenſu probari, & Papa illos inſtruxit rem aliter ſe habere,ac, nolentibus acquieſcere, anathema fuit illis indictum. Exemplum aptum eſt in cōtroverſia de anabaptiſmo, ſeù repetendo baptiſmo ab hæreticis miniſtrato. Cenſebant Patres Afrorum Conciliorum anabaptiſmum probari ex conſenſu Eccleſiarum quem judicabant de Apoſtolica Traditione deſcendere, prout ſignificat Auguſtinus *lib.2.de baptiſ.contr. Donatiſt.cap.7.& 8.* Quibus Stephanus Papa oppoſitam conſuetudinem aſſerebat ex Apoſtolicâ Traditione manare. Stephanus vicit, edito decreto, *nihil innovandum*, niſi quod traditum eſt. Eos enim auctoritate ſuperabat, eratque teſtis omni exceptione major Traditionis Romanæ Eccleſiæ; quæ cæteris formam, & normam dat, ac eamdem ſemper fidei, & morum doctrinam cum cæteris Eccleſiis tenet, ut dixit Auguſtinus *lib.1.contr.Julianum cap.4.num.13. Quid enim potuit ille vir Sanctus* (Innocentius Papa) *Africanis reſpondere Conciliis, niſi, quod antiquitùs Apoſtolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perſeveranter Eccleſiis?* Unde S.Ignatius *Epiſt. ad Philadelphienſes* ſcripſit. *Boni ſunt Sacerdotes, & ſermonis Magiſtri* (hoc eſt Epiſcopi:) *melior eſt Pontifex, cui credita ſunt Sancta Sanctorum, cui ſoli commiſſa ſunt ſecreta Dei.* Ita controverſia, etiam de celebratione Paſchatis deciſa eſt à Romano Pontifice, Victore, qui adversùs Patres Aſiaticos cenſentes Paſcha ex ſenſu Eccleſiæ eſſe celebrandum more Judaico, eis oppoſuit Romanæ, & univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem. Vide *controv.3.caput 3. numer.31. ad 34.*

Ita quoque poſſet accidere, ut Patres in Conciliis dicerent aliquod dogma probari ex ſenſu Eccleſiæ exponentes tanquàm teſtes ſuarum Eccleſiarum conſuetudinem, quæ tamen oppoſita eſſet conſuetudini Romanæ Eccleſiæ, quam Papa proponeret; eamque ſequendam definiens, ubi eam Patres amplecti nollent, hæreſis crimen incurrerent.

Dices. Africana, & Aſiatica illa Concilia non fuerunt generalia; ergo ad hæc ex illis nulla eſt illatio.

Contra. Quid intereſt, quod Concilia eſſent generalia, ſi à capite recederent? Diximus *cap.5.* Concilia, etiam generalia à Papa non confirmata errare poſſe, & reverà erravit Epheſinum II. Latrocinale appellatum convocatione ſolùm generale, quod inter Conciliabula reponitur, ut alibi dictum eſt.

Aſſiſtit quidem Spiritus Sanctus Epiſcopis in Conciliis legitimis, ſi zelo, ac juxta inſtructionem Pontificis veritatem inquirant, & cum ſubordinatione ad illius judicium definiant; tunc enim Spiritus Sanctus eorum intellectus illuminat, ut cognoſcant, quod res definienda ex Scriptura, vel Traditionibus deducitur, & voluntati inſpirat, ut imperet intellectui, ut rei cognitæ firmiter adhæreat. Qui inſpirandi modus à Tridentino *ſeſſ.13.* appellatur *Suggeſtio* Spiritus Sancti: & *inſtinctus* dicitur à Lizano in *cap.ult. Matth.* Qua illuminatione, & inſtinctu deſtituti eſſent Patres, qui à Pontifice diſcordarent, & abſque ſubordinatione ad illius confirmationem rem controverſam deciderent.

Dices. Ergo à veritate alienum non cenſetur, quod ſcripſit Petrus Suavis de Concilio Tridentino, nimirum, quod Spiritus Sanctus per Curſorem Romà ferebatur Tridentum.

32 R.Negatur conſequentia. Omnia, quæ idem temerè nimis de dicto Concilio ſcripſit (quæ hìc omittimus) ſunt horrore plena, & ridicula, ac mendaciis referta. Pontifex inſtructiones Legatis mittebat, juxta quas definiendum erat, ad quorum præſcriptum, ſi Patres non definiiſſent, Spiritus Sancti directione privati fuiſſent; nec fuiſſent congregati in nomine Chriſti, modo nimirum à Chriſto inſtituto: à quo eſt Pontifex caput Eccleſiæ conſtitutus, ut membris imperet, &

hæc

hæc capitis influxum recipiant, & vocem audiant.

33 Ad Deinde. Teſtes quidem divinarum Traditionum ſunt Sancti Patres. Chriſtus enim tanquàm ſe accommodans noſtræ infirmitati, factis, dictiſque ſuis teſtes adhibuit Apoſtolos, & diſcipulos, ut de illis, cùm res poſtularet, teſtimonium reddere poſſent, etiam Spiritu Sancto teſtimonium perhibente, juxta illud *Actor.*1. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, uſque ad ultimum terræ*. Et *cap.*10.*v.*41. Apoſtoli teſtimonia ſua partim ſcripto, partim non ſcripto tradiderunt; eaque Paſtoribus, & Doctoribus Eccleſiæ præ cæteris commendarunt, ne populus fidelis circumferretur omni vento doctrinæ. Idemque mandarunt, ut Paſtores, & Doctores Eccleſiæ, acceptam doctrinam traderent fidelibus hominibus, qui idonei eſſent, & alios docerent. Ita enim futurum erat, ut teſtimonia ad æternam rerum memoriam, præcipiente Chriſto, publicata, à teſtibus accepta, coram teſtibus ad ſucceſſores deducta, dirigente Spiritu Sancto, ad finem uſque ſæculi permanerent. Hoc advertentes Sancti Patres, tanquàm in Scriptura fundatum, tanquàm à Prædeceſſoribus obſervatum, fidem Chriſti per teſtes probandam eſſe cenſuerunt.

Hinc Auguſtinus *l.*2.*contr.Julianum cap.* 10.*num.*34. productis Sanctorum Patrum ſententiis adversùs Pelagianos oppugnantes peccatum originale, ſcripſit. *Quod invenerunt Patres in Eccleſia, tenuerunt. Quod didicerunt, docuerunt. Quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.*

34 Quapropter unanimis Sanctorum Patrum conſenſus in aliqua veritate fidei, certum utique morali certitudine eſt divinæ revelationis teſtimonium, & dogma aliquod fuiſſe Apoſtolis revelatum, & ab Apoſtolis aliis traditum; cùm non ſit moraliter poſſibile eos ſimul ſumptos in falſitate convenire. Ideò temerarius planè foret, qui aliud ſentiret; ſed non inde judicandus ex eo præcisè formaliter hęreticus. Nam Patres non per modum Judicii definitivi, ſed ſolùm per modum atteſtationis declarant, quæ ſunt fidei. Eſſet tamen de fide credenda, ſi à Romano Pontifice, vel Concilio ab eodem confirmato fuiſſet definita, ad credendum propoſita, adeòut obluctantes credere eſſent formaliter hæretici.

Unde major accipitur de infallibilitate, & impoſſibilitate morali. Et admiſſa minori, negatur conſequentia, juxta dicta *num.*32.

35 Quinimò ad illam certitudinem moralem pariendam, ut notat Gamachæus, ille unanimis Sanctorum Patrum conſenſus non eſt mathematicè ſumendus, adeòut, ne quidem unus ex omnibus omnium temporum Patribus diſſentiat, ſed moraliter uſurpandus eſt, ita ut ſit conſenſus omnium circiter, vel ferè omnium; eo modo, quo res morales ſummi debent: moralia enim moraliter ſunt intelligenda, ut dixit Cardinalis Perronius in reſponſione ad Regem majoris Britanniæ: *tunc*, ait, *unanimis Patrum conſenſus cumulatè probatus æſtimari debet, cùm ſingularum Nationum eminentiſſimi in alicujus rei aſſertione conſentiunt, ita ut inter illos nemo, qui ſemper Orthodoxus, ſemper Orthodoxis adhæſit, diſſentiat.*

Sed quomodo, dicet aliquis poſterioris temporis Eccleſia potuit eſſe certa de veritate Traditionis, cùm prioris temporis Eccleſia diverſas inter domeſticos fidei toleravit ſententias; à qua tamen priori Eccleſia Traditio illa ad poſteriorem debuerat pervenire?

36 R. Facilè poteſt contingere, ut circa rem à Chriſto Domino revelatam, & ab Apoſtolis traditam, ac necdum ab Eccleſia definitam, variæ ſint domeſticorum fidei ſententiæ; prout temporibus D. Cypriani evenit circa controverſiam, an baptiſmus ab hæreticis collatus valeret, ut apud Auguſtinum contr. Creſconium *lib.* 1.*cap.*32.*&* 33. & quid ſimile obſervatum

fuit in alia de obſervatione Paſchatis ante tempora Victoris Papæ. Quouſque itaque non ſufficienter conſtat de univerſalitate conſuetudinis, vel veritate Traditionis variæ tollerantur inter Domeſticos fidei, ſalva unitate, ſententiæ, ut ibi Auguſtinus *cap.33.*

37 Sufficienter verò de Traditionis veritate conſtat, cùm, vel Sedes Apoſtolica, vel Concilia per eam confirmata quęſtionem dirimunt, & pro exiſtentia veræ Traditionis expreſsè definiunt. Ita Nicephorus *lib.12.cap.34.* de obſervatione Paſchatis dixit. Nicæna Synodus eam operam navavit, ut populus, qui *antea à parte majore diſſentiebat, ad unanimem concordiam pertraheretur.*

38 Diximus, vel per *Concilia à Sede Apoſtolica confirmata*, quia prout reſolutum eſt *cap.5.* Concilia ab ejus confirmatione robur aſſequuntur. Siquidem Romanus Pontifex per dicta *contr.6.cap.2.* Primatum in tota Eccleſia divinitùs habet, jus proinde obtinet docendi eos omnes, quibus à Chriſto præpoſitus fuit, ſeù ſolvendi dubia, quæ circa Scripturarum ſenſum oriri poſſunt: proponendi veras Traditiones per Patres recenſitas: congregandi, confirmandique Concilia: præcipiendi, ut ubique Terrarum Canones obſerventur: immò & per excommunicationis cenſuram compellendi ſingulos Fideles, ipſoſq; quoque præcipuarum Sedium Epiſcopos, ut ſanam fidem profiteantur, & ad Evangelii, & Canonum normam mores ſuos componant. Ideò cùm viva regula fidei ipſe ſit, ad eum ſpectat definire, quę nam Traditio ſit vera; ac ab apocryphis legitimas, & ſinceras diſtinguere, ut ita Doctorum certamina ceſſent. Quoniam verò aliqua de Patrum auctoritate locus dicendi occurrit, hic etiam obſervatione dignum cenſemus, aliquas regulas, & cautiones adnotare, ut quis cum fructu, & debito cum obſequio Sanctos Eccleſiæ Patres legat, alleget, & intelligat. Quare inter cæteras cautiones ſunt ſequentes ſervandæ in illis legendis.

39 I. Attendendum eſt, quo anno, quo imperante, quo Romano Pontifice, Sanctus Pater ſcripſerit: his enim diligenter inſpectis, conſtabit, non in hęreſim lapſum, quem interdum lapſum fabulantur, & calumniantur hæretici. Sic Sanctum Cyprianum hæreticum non dixeris, licèt pro rebaptizatione baptizatorum ab hæreticis ſteterit, ſi conſideres eo tempore nondum, ut de fide oppoſitum definitum.

40 II. Obſervandum eſt, qua ætate ſcripſit, hoc eſt, an eſſet juvenis, dum ſcriberet, an matura ætate: experientia docemur, etiam nos plura ſentire, & probare juvenes, quæ grandiores facti, & maturiùs aſſecuti revocamus. Teſtes omni exceptione majores, ſunt duo Retractationum libri à D. Auguſtino jam ſene conſcripti, in quibus retractat, quæ junior protulit. Unde de Auguſtino dixit Bellarminus: *quàm aliter ſapiat Auguſtinus ſenex, quàm Auguſtinus juvenis.*

41 III. Advertendum eſt, contra quos, & qua intentione ſcripſerit, ita enim germanus habebitur ſenſus. Sæpè enim Sancti Patres in impugnandis hæreticis, uſi ſunt terminis, qui videbantur erroribus oppoſitis favere, ſed reipſa, & ſecundùm ſenſum ab eis intentum omninò differebant. Sic, cùm Sanctus Hilarius *de Trinit.* dixit, *Chriſtum Dominum fuiſſe omnis doloris ſenſus expertem, ac proinde nullum ſenſiſſe dolorem*; videbitur non erraſſe, quia tunc ſcribebat adversùs Arianos, negantes Chriſtum Dominum eſſe Deum ex hoc titulo, quòd fuerit multis doloribus, & paſſionibus ſubjectus. Propterea intelligetur S. Hilarii ſententia fuiſſe non de Chriſto Domino ratione paſſibilis, & mortalis humanitatis, ſed ratione Divinitatis immortalis, & impaſſibilis conſiderato.

42 IV. Ex apertis, & certis SS. Patrum dictis exponenda ea ſunt, quæ alibi repeririuntur obſcura, & ambigua. Et ſic textus

tus cum textibus ſunt conferendi, ne contradictoria aſſeveraſſe dicantur.

43 V. Cavendum eſt, ne quis quempiam de Sanctis Patribus temerè erroris inſimulet. Unde ubi aliquæ Sanctorum Patrum locutiones reperiuntur, quæ ampliùs in uſu Eccleſiæ acceptæ non ſunt, benignè, & reverenter exponendæ, non corrigendæ, aut mutandæ, quia hoc eſſet Patres docere, non interrogare, ut doceant. Ita cùm S. Baſilius aliique cum Tertulliano tradunt in Sacramento Euchariſtiæ, *panem eſſe figuram Corporis Chriſti*, eſt hoc benignè exponendum, dicendo, quòd quamvis Corpus Chriſti verè, & realiter ſit in hoc Sacramento ſine ſubſtantia panis, ut tota Eccleſia de fide credit; tamen quia hìc non apparet in propria, & naturali ſpecie, ac figura, ſed ſub ſpecie, & figura panis, ideò à Baſilio, & aliis Patribus dicitur eſſe ibi in figura, ſeù ſub figura, ſive ſub ſpecie panis. Et ita & in hoc ſolo ſenſu panis aſſeritur ab illis figura Corporis Chriſti, Hodie tamen ab eo loquendi modo temperandum eſt, nam ipſum Eccleſia non uſurpat, ſed potiùs damnat in Calviniſtis, aſſerentibus Chriſtum Dominum ſolùm figuratè, & non verè, & realiter contineri in Sacramento Euchariſtiæ, panemque ſecundùm ſubſtantiam remanentem, eſſe figuram Corporis Chriſti, cum excluſione veræ, & realis hujus præſentiæ.

44 VI. Tenendum eſt monitum Lirinenſis, docentis verba à SS. Patribus concionando prolata non eſſe in rigore ſemper intelligenda; ſed interdum tanquàm ex zelo pronuntiata. Ita accipiendus Chryſoſtomus ſuum concionando hortans populum ad aſſiduam Sacræ Scripturæ lectionem; intendebat multitudinem Græcorum intentam fabulis, Theatris, & Scænis, ab his avertere, cæteriſque malorum periculis, non tamen voluit (ut perperàm cenſent noſtri temporis hæretici) quòd indiſtinctè, etiam indocti, rudes, & mulierculæ lectioni divinæ Scripturæ vacarent. Quare omnes ad divinam Scripturam hortatur, ſed, ordine ſervato, legendam ſcilicet à ſapientibus, & peritis, audiendam verò ab aliis rudibus, & indoctis: & ab omnibus agendum, quod ipſa præſcribit.

45 VII. Tandem, ubi in non adhuc definitis invenit quis duos, vel plures SS. Patres interdum contraria ſentire, adeò ut unus neget, quod alter affirmat, non eos damnet, ſed ſingulorum Catholicæ mentis intentionem excuſet; & Dei providentiam adoret, quæ ſic eos inter ſe opponi fortè permittit, ut hac forma ex contrariarum opinionum conflictu veritas appareat, ſicut ex colliſione duorum lapidum ignis elicitur. Quæ de hac re ſatis ſint.

CAPUT VIII.

An Laici habeant in Conciliis jus ſuffragii deciſivi?

SUMMARIUM.

1 *Epiſcopi Titulares habent quoad ſuas Eccleſias jurisdictionem in actu primo.*

2 *Eminentiſſimi Cardinales gaudent juriſdictione in Conciliis.*

3 *Theologi in Conciliis admittuntur cum ſuffragio conſultivo.*

4 *Laicis, ſive doctis, ſive dignitate ſublimibus non convenit in Conciliis jus ſuffragii deciſivi.*

5 *In lege veteri Laici non fuerunt Judices in rebus religionis ad 7.*

8 *In Concilio Apoſtolorum* Actor. 15. *deciſio non fuit à Laicis facta ad 10.*

11 *Functio regendi Eccleſiam non eſt data Laicis ad 13.*

14 *Diverſa in Conciliis ſunt operantium genera.*

15 *Jus ſuffragii in Conciliis nunquàm fuit in Principibus.*

16 *In Laicis non eſt juriſdictio ſpiritualis.*

17 *Laici eſſe poſſunt teſtes bonæ vitæ eligendorum ad dignitates Eccleſiaſticas.*

18 *Hie-*

18 *Hierarchia Eccleſiaſtica fœminas non complectitur.*

19 *B. Maria Virgo non fuit Præſes Conciliorum.*

20 *Omnes Chriſtiani ſunt Cives, & Domeſtici Dei.*

21 *Laici, qui Conciliis interfuerunt, non ut Judices conſederunt ad 22.*

23 *Imperatores in formandis decretis in Conciliis non ſe auctoritativè immiſcuerunt ad 26.*

27 *Qua ratione Concilia Eccleſiam univerſalem repræſentent.*

28 *Agitur de numero Epiſcoporum, qui ad Concilium generale requiruntur ad 31.*

32 *Ad defenſionem fidei omnes concurrere debent, ſed non eodem titulo.*

INter Catholicos nulli dubium eſt Epiſcopis jure, & ex officio competere in Conciliis generalibus jus ſuffragii deciſivi; cùm enim ſub Romano Pontifice ſint Paſtores Eccleſiarum, ad eos pertinet ex officio ſub eodem cauſas fidei decernere, & negotia Eccleſiaſtica in Concilio Oecumenico legitimè congregato tractare.

1 Docent pariter eodem ſuffragii jure gaudere Epiſcopos Titulares; quos Marcus Antonius de Dominis *libr.2. de repub. cap.7.nu.28.* *Nullatenſes* vocat. Ipſi enim ex vi conſecrationis characterem, & dignitatem habent Epiſcopalem, etiamſi careant juriſdictione in actu ſecundo, quatenùs Epiſcopatum, territoriumque nullum habent, in quo ſubditis jus dicere poſſint; juriſdictionem tamen in actu primo retinent quoad Eccleſias, in quarum titulum ſunt ordinati. Licèt enim à Tyrannis infidelibus ſint occupatæ, & de præſenti in ſenſu formali non ſint, perſeverant tamen in ſenſu radicali, quatenus poteſt ibidem iterùm Fides prædicari, poſſunt ſubditi acquiri, & Sedes Epiſcopalis de tyrannide infidelium liberari. Ideò ipſarum Eccleſiarum mariti optimè appellantur in actu primo. Neque juriſdictione in Conciliis in actu ſecundo ſunt deſtituti, ſed eam à Pontifice accipiunt quoad agenda in illis, quando ad ea ab eodem advocantur; quemadmodum ea in aliena Diœceſi donantur; dum de licentia ordinarii munia Epiſcopalia exercent juxta Tridentinum *ſeſſ.14.cap.2.de ref.*

2 Addunt, idem jus ex privilegio, ſeù Sedis Apoſtolicæ conceſſione convenire S.R.E. Cardinalibus, etiam non Epiſcopis, Abbatibus, & Ordinum Regularium Generalibus prout ex Bulla Pauli III. *Initio 33.indictionis Concilii Tridentini in Bullar.to. 2.* in hæc verba §.11. *Omnes omnibus ex locis, tam venerabiles Fratres noſtros Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, quàm alios quoſcumque, quibus jure, aut privilegio in Conciliis generalibus reſidendi, & ſententias in eis dicendi permiſſa poteſtas eſt, requirentes.*

Prædicti verò omnes Judices quidem ſunt, ſed non ultimi: ſententiam enim dicunt cum ſubordinatione ad ultimum judicium, confirmationemque Romani Pontificis: in ordine ad quem Conſiliarii dicendi ſunt, quamvis circa cæteros ſint conjudices aſſumpti cum expreſſa ſubordinatione ad Caput Eccleſiæ.

3 Alii quoque, ut inſignes Theologi, Sacrorumque Canonum Doctores in Conciliis generalibus admittuntur, non cum voce, vel ſuffragio deciſivo, ſed conſultivo dumtaxat, ut ex eorum regeſto, qui ſacro Concilio Tridentino interfuerunt.

Contendentes formam Eccleſiæ eſſe Ariſtocraticam, vel Democraticam, dixerunt non ad ſolos Epiſcopos poteſtatem definiendi pertinere; cum hoc tamen diſcrimine; quod fautores formæ Ariſtocraticæ Regibus, Principibus, Magiſtratibus æquale cum Epiſcopis in Concilio jus dicendi concedunt; vel ſaltem doctos Laicos excludi non debere affirmant, ut cæteris Proteſtantibus ſubſcribit citatus de Dominis *lib.1.de repub.cap.12.nu.4.* Promotores verò Democratiæ, docuerunt quemquam fidelem, ſive ſit Clericus, ſive Laicus vocari debere ad Concilium, ac habere

bere jus ferendi ſuffragii, ſeù judicii definitivi. Ita Lutherus in ſuo de Conciliis libro. Madeburgenſes *contr.1.lib.2.cap.2.* Molinæus *in impio ſuo conſilio de non recipiendo Concilio Tridentino*, aliique hujus farinæ viri.

4 Dicendum. *Laicis non competit in Conciliis generalibus ſuffragium deciſivum, etiamſi doctrina pollerent, vel ſunt dignitate ſublimes*. Ita Catholici adversùs Lutheranos, & Calviniſtas.

5 Probatur 1. Dubia religionis decidere, etiam in Lege veteri non ad Laicos, ſed ad Sacerdotes pertinebat, ut ex 2. *Paralip.cap.19.In Jeruſalem quoque conſtituit Joſaphat Rex Levitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael, ut judicium, & cauſam Domini judicarent habitatoribus ejus. Amaſias autem Sacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porrò Zabadias filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent*. Ubi cauſæ Eccleſiaſticæ à negotiis politicis ſecernuntur, & in his judicium Laico committitur, in illis verò deciſio ad Sacerdotes pertinere pronuntiatur. De quo teſtatur Joſephus *lib.2.contr. Apionem* in hæc verba. *Pontifex ante alios Sacerdotes Deo ſacrificat, leges cuſtodit, dijudicat controverſias, convictos delicti punit, cui, qui non obedit, is pœnas luit, tanquàm in Deum impius:* ergo Laici cauſas Eccleſiaſticas non judicant: ergo in Conciliis jus ſuffragii deciſivi non habent.

Dicunt. Rex Joſaphat conſtituit Sacerdotes, & Levitas judices in negotiis Eccleſiaſticis; ergo & ipſe potuit in illis judicare.

Item, Cum illis deputavit etiam Principes, hoc eſt, primogenitos Familiarum, ut eſſent Judices: at illi erant Laici: ergo ruit concluſio.

6 Contra. Ubi notandum eſt tria ſpectari poſſe in Miniſtris veteris Teſtamenti. I. Electionem, ſeù deſignationem perſonæ. II. Conſecrationem. III. Applicationem ad certum uſum, ſeù miniſterium. Electio, ſeù deſignatio non fiebat à Rege, ſed à Deo, qui ſolam Tribum Levi ad ſacrum miniſterium deputaverat. Conſecratio commiſſa erat Aaroni tanquã Summo Sacerdoti, & ejus ſucceſſoribus. Applicatio verò ad certum officium, ſeù miniſterium poterat fieri à Rege. Hoc tertium præſtitit Rex Joſaphat: videns enim, quòd progreſſu temporis collapſum eſſet Tribunal inſtitutum ad judicandum, *Deuteron.19.* ipſum zelo religionis ductus reſtituit, & renovavit, deſignans pro negotiis Eccleſiaſticis Judices Sacerdotes, utpote anteà à Deo in hunc finem electos: Unde Joſaphat non conſtituit, tribuens eis auctoritatem, ſed fuit executor dumtaxat legis; ex hoc autem conſequentia non ſequitur.

7 Ad 2. Eſt pariter obſervandum. Duplex apud Judæos fuiſſe Tribunal pro cauſis tum Eccleſiaſticis, tum prophanis; unum majus, alterum minus. Inter quæ hoc fuit diſcrimen, quod majus erat tantùm in Jeruſalem; minus verò in ſingulis Civitatibus. In majori judicabantur majores controverſiæ, in minori faciliores. A minori licebat appellari ad majus, non verò à majori ad minus. In majori pro cauſis Eccleſiaſticis præſidebat Pontifex; in minori pro cauſis prophanis Laicus. Quare capita Familiarum non erant Judices in negotiis Religionis, ſed ſolùm in civilibus. Ideò negatur in quæſtionibus Religionis fuiſſe à Joſaphat Laicos cum Eccleſiaſticis Judices deputatos.

8 Probatur 2. In Concilio Apoſtolorum *Actor.15.* Laici non habuerunt jus ſuffragii deciſivi, ſed, facta tum per Apoſtolos, tum per Seniores diſquiſitione ſuper quæſtione de Moſaicæ Legis ritibus, utrum neceſſarius eſſet illorum uſus, Petrus ſententiam definitivam pronuntiavit: *Convenerunt Apoſtoli, & Seniores*, ait textus, *videre de verbo hoc*, ideſt, conſultare. *Cùm autem magna conqueſtio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: viri fratres:* & contro-

ver-

verſiam decidit: *quo facto tacuit omnis multitudo*, etiam aliter ſentientium, ſuo ſilentio ſententiam Petri amplectens; quam Paulus, & Barnabas, etiam miraculis à Deo antea confirmatam fuiſſe enarrabant: Jacobus verò, ut Jeroſolymorum Epiſcopus, ut faciliùs ſuis ovibus perſuaderet, eamdem variis Scripturæ teſtimoniis conformem eſſe oſtendit: ergo jus ſuffragii deciſivi in Conciliis Laicis non competit. Conſequentia ſequitur. Nam hoc Concilio forma, & ordo in cogendis Conciliis divinitus præſcribitur, cùm exorta eſt aliqua controverſia, quæ aliter non adeò facilè componi nequit.

Dicunt. Diſquiſitio quæſtionis non tam Apoſtolis, quàm Senioribus à Luca tribuitur.: At Seniores erant viri Laici. Lucas enim non ſcripſit, quòd Clero eſſent aſcripti.

II. Non minus Apoſtolis, quàm Senioribus adſcribitur decretum definitivum. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis;* ergo non tam Epiſcopis, quàm Laicis vox deciſiva convenit.

9 R. Fieri quidem potuit, ut honoris cauſa coram plebe habita fuerit diſputatio, ſed, ne ad tractandam cauſam vulgus promiſcuè fuiſſe admiſſum quiſpiam putaret, Lucas diſertè *Apoſtolos*, & *Presbyteros ver.*2. nominat: *Presbyteros*, hoc eſt, Epiſcopos, qui ex officio ſunt Judices in Conciliis, & quibus juriſdictio in genere jure divino debetur, quam in ſpecie non à Deo, ſed à Summo Pontifice, in quo reſidet plenitudo juriſdictionis, & poteſtatis habent: Licèt enim certum omninò ſit, Presbyteros ſecundi ordinis, ſeù ſimplices Sacerdotes divino jure ex *canone 6. Tridentini ſeſſ.*23. ab Epiſcopis eſſe diſtinctos, & eſſe iſtis inferiores, tamen Apoſtolorum ęvo appellatio Presbyteri fuit Epiſcopis etiam attributa; ita Paulus *c.*1. *ad Titum* dixit: *reliqui te Cretæ, ut conſtituas per Civitates Presbyteros:* hoc eſt, in majoribus Epiſcopos, in Oppidis Sacerdotes Parochos. Ideò in textu appellatione Seniorum veniunt Epiſcopi, ſeù Presbyteri primi ordinis, qui in dignitate, & juriſdictione Simplices Sacerdotes, vel ſecundi ordinis Presbyteros excedunt. *Seniores* enim vox ob ætatis prærogativam ad honoris, & dignitatis appellationem tranſit. Ita Joannes *Epiſt.*2. *&* 3. ſalutans Electam, & Cajum, *Seniorem* ſe nominat, non tam ratione ætatis (agebat tunc ætatis annum 97.) quàm honoris, & dignitatis. Erat enim Apoſtolus, & Epiſcopus. Et apud Latinos *Senior*, idem eſt, ac Dominus ex Amalthea Onomaſtico. Unde ſenior non tam ab ætate, quàm ab honore, & dignitate dicitur. Hinc vox illa apud Italos tranſlata ſonat. *Signore:* ut apud Petavium *lib.*1. *de Hierarc. cap.*12. *num.* 16. Quare dicendum alios præter Apoſtolos in Concilio fuiſſe admiſſos, non ut ſuffragium ferrent, ſed, vel ad honorandum conſeſſum, vel, ad conſultandum, & diſputandum (ſi Seniorum nomine ſimplices Presbyteri intelligantur) vel ad audiendum, ſi plebei erant alii præſentes.

Dices. Legatio Antiochena non ab Apoſtolis tantùm, & Senioribus, ſed ab Eccleſia ſuſcepta eſt, ut ex *ver.*4. *& ver.* 22. *Tunc placuit Apoſtolis, & Senioribus cum omni Eccleſia eligere viros*, qui definitionem Antiochenis referant; ergo à Laicis etiam, tam ſuſcepta eſt Legatio, quàm viri illi electi: illud enim *Eccleſia* appoſitum, ut contradiſtinctum ab Apoſtolis, & Senioribus, nonniſi plebem, Laicos, & mulieres poterat comprehendere.

10 R. Negatur conſequentia. Legatio illa ad Apoſtolos, & Presbyteros directa eſt, ut loquitur textus. Legati autem cauſa urbanitatis, non verò ad demonſtrandum eſſe in tota multitudine juriſdictionem Conciliarem, ſuſcepti ſunt ab univerſa Eccleſia. *Ita placuit Apoſtolis, & Senioribus cum omni Eccleſia*, hoc eſt, plebe, eligere viros, eoſque Antiochiam dirigere: admiſſaque eſt plebs titulo honoris, ut partem aliquam haberet in miſſione eorum, quos à Concilio mitti oportebat ad de-

deciſionem promulgandam, non verò ut ſe immiſceret in tractatibus Conciliaribus. Unde non plebis nomine, ſed Apoſtolorum, & Seniorum ſcripta eſt Epiſtola Synodica, ut patet ex ſalutatione Epiſtolari his verbis. *Apoſtoli, & Seniores Fratres, his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus ſalutem*. In executionem verò decretorum Apoſtolorum, Paulus, & Barnabas pertranſibant Civitates tradentes eis cuſtodire dogmata, quæ decreta erant non à plebe, ſed ab Apoſtolis, & Senioribus, qui erant Jeroſolymis, ut ex *cap.16.v.4.*

Ad 2. Quod decretum editum ſit ab Apoſtolis cum Senioribus non infert Laicos ea in re partem habuiſſe: cùm appellatione Seniorum non veniant Laici, ſed Epiſcopi, ut dictum eſt ſupra.

11 Probatur 3. Miniſterium auctoritativæ doctrinæ, & functio regendi Eccleſiam non Laicis, ſed ſolis Epiſcopis data eſt, ut ex *cap.20.Actor. Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, Et ad Epheſ.4. *Dedit* (Deus) *quoſdam, Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores in opus miniſterii*; ergo non Laici, ſed Epiſcopi ſub uno Summo Epiſcoporum Epiſcopo, Romano Pontifice ſuas Eccleſias gubernant, & in Conciliis leges ferunt, & controverſias decidunt.

Dices. Apoſtolus non tam Paſtores, quàm Doctores ſcribit eſſe à Deo conſtitutos, *ne omni vento doctrinæ circumferamur*; ergo regimen Eccleſiæ non tam Epiſcopis, quàm Laicis doctis creditum eſt: Sæpè enim Laici ſunt Epiſcopis doctiores, adeòque aptiores ad rectam Scripturarum intelligentiam, & inquirendum, quid Apoſtoli, & Apoſtolici viri in primitiva Eccleſia docuerint.

12 Contra. Ibi Paulus non addit ſicut ſupra, & *alios Doctores*, ſed copulativè procedit *alios Paſtores, & Doctores*, ſignificans, quod idem debet eſſe Paſtor, & Doctor; cùm proprium Paſtoris officium ſit docere: paſcere enim verbo, idem eſt ac docere, & vice verſa docere, eſt paſcere: Quæ eſt expoſitio Auguſtini *Epiſt.149. ad Paulinum cap.2. Paſtores autem, & Doctores eoſdem puto eſſe, ſicut & tibi viſum eſt, ut non alios Paſtores, alios Doctores intelligamus; ſed ideò cùm prædixiſſet Paſtores, ſubjunxiſſe Doctores, ut intelligerent Paſtores ad officium ſuum pertinere doctrinam. Ideò enim non ait: Quoſdam autem Paſtores, quoſdam verò Doctores; cùm ſuperiora ipſo locutionis genere diſtingueret, dicendo: quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, quoſdam verò Evangeliſtas: ſed hoc tanquàm unum aliquid duobus nominibus amplexus eſt, quoſdam autem Paſtores, & Doctores.*

13 Solis ergo Epiſcopis ſub Epiſcoporum Epiſcopo miniſterium paſtorale, & munus paſcendi populos auctoritativè doctrina, & operatio Conciliaris deciſionis competit. Epiſcoporum enim eſt de Eccleſiaſticis cauſis judicare juxta Auguſtinum *Epiſt.43.ad Glorium, & Eleuſium cap.7.nu.20.* Cæteri verò Laici, quamvis docti, & ſublimitate excellentes, velut inferiores miniſtri deſerviunt, protegendo, & in executionem decretorum collaborando, ſemper tamen ſunt ab Eccleſiaſticis negotiis, ut Judices excludendi, *cap. Maſſana de elect. cap. Debent de Offic.Jud. ordin. int.com.* Ut enim quis ferat ſuffragium deciſivum, non ſufficit doctrina.

14 Ideò notabis. Diverſum in Conciliis eſſe genus operationum, quod à miniſtrantibus exhiberi poteſt. Quidam enim ſunt, qui materiam præparant examinando difficultates: qui omnes dicuntur habere votum ſolùm conſultivum: in quorum numero ſunt Theologi, & poſſent eſſe, etiam aliqui Laici docti, & graves, ſi id Pontifici videretur expediens.

Quidam verò, qui materiæ jam præparatæ, atque diſcuſſæ formam ſuperinducunt definitionis, & determinationis

re-

rerum controverſarum; & hi ſunt Epiſcopi. Ad quos Laici in Chalcedonenſi miſſi ab Imperatore dixerunt *act.1. Convenit vos ſpecialiter, quid erraverit* (Dioſcorus) *exponere. Act.4. Judices, & Senatus dixerunt. Singuli Reverendiſſimi Epiſcopi, qui hic convenerunt, doceant, ſi expoſitio* 318. *Patrum, qui olim in Nicæa collecti ſunt: Et poſt hæc* 150. *qui Conſtantinopoli congregati ſunt, conſonet Epiſtolæ Papæ Leonis.*

Quidam ad audiendum, & ut teſtes ſint eorum, quæ dicuntur, admittuntur, ac ut conſeſſum protegant, ne tumultus contingant, auxiliumque præſtent in propulſandis turbatoribus, ut Epiſcoporum perſonæ in tuto ſint. In quem finem Comes Candidianus à Theodoſio miſſus eſt Epheſino, ut diximus *cap.4.nu.27.* Et in eumdem effectum in aliis Conciliis, ſicut & in Tridentino, adfuerunt Principum Oratores.

Tandem Summus Eccleſiæ Paſtor, cui in Petro dictum eſt. *Duc in altum* ad ſtabiliendam fidem, decreta à Patribus edita confirmat, illiſque robur confert.

15 Probatur 4. Chriſtiani Principes nullum jus definiendi in Conciliis, vel tractandi Eccleſiaſtica negotia ſibi convenire apertiſſimè dixerunt. Conſtantinus apud Rufinum 1. *hiſt.cap.2.* in Nicæno requiſitus, ut, auditis quorumdam Epiſcoporum querimoniis, Judex eſſet, illud dignum tanto Principe protulit: *Vos à Deo nobis dati eſtis Dii, & conveniens non eſt, ut homo judicet Deos.* Unde D. Ambroſius *Epiſt.37.* De eo dixit: *Nullas leges premiſit, ſed liberum iiſdem dedit judicium.* Legantur dicta *cap.2. nu.38.*

Eſt obſervatione dignum illud Theodoſii in Synodo Epheſina: *Nefas eſt eum, qui Sanctorum Epiſcoporum Cathalogo adſcriptus non eſt, Eccleſiaſticis negotiis, & conſultationibus ſe immiſcere*, ut ex adnotatis *cap.4. num.27.*

Martianus in Chalcedonenſi non ut definiens adfuit, ſed Patres monuit, ut, *rejectis omnibus hereſibus, pura fides luce ſua reſplendeat in omnibus mentibus, & action.6.* & ferè idem *cap. Nos 96. diſt.*

In 8. Synodo Baſilius Imperator in *Epiſt. ad Synodum* hortatur Epiſcopos, ut ad Synodum, conveniant, affirmatque, *eos judicii Synodici poteſtatem divinitùs accepiſſe:* non ſibi, ſed Epiſcopis eam attribuit poteſtatem. Et in *act.4.* ex Gravina *tomo 4. part.2. Cathol. præſcript. diſp.2. art.8. §. Confutatio nu.30.* legitur. *Imperatores noſtri miſerunt ſervos ſuos, qui Senatus vocantur, ut ſimus diſcretivi eorum, quæ geruntur Auditores.* Quibus Senatores illi fatentur ſe eſſe teſtes dumtaxat diſcretivos, hoc eſt, diſtinctè cognoſcentes ea, quæ per Patres gerebantur. Ubi jus deciſivi ſuffragii, & ſententiam ferendi? ergo Laicis ſive doctis, ſive in dignitate conſtitutis tale jus nullatenus in Conciliis convenit.

16 Probatur ult. ratione. Poteſtas decidendi controverſias, & ferendi leges in Conciliis eſt actus juriſdictionis ſpiritualis: At in rebus Eccleſiaſticis nullam Laici, ſive ſint Sancti, docti, graves, excelſi, & ſublimes, habent ſpiritualem juriſdictionem: ergo nec in Conciliis habent jus ſuffragii deciſivi, quo valeant actus Eccleſiaſticos exercere. Opus non eſt circa præmiſſas adlaborare; conſequentia verò ex legitima illatione habetur.

Opponunt I. Praxis Apoſtolorum fuit admittere in Conciliis, etiam Laicos, ut conſtat ex Actibus Apoſtolorum non ſemel factum. Nam I. ex *cap.1. congregati ſunt Jeroſolymis ſimul ferè centum viginti*, ut aliquem eligerent in locum Judæ proditoris: quorum aliqui erant Laici, & quædam etiam mulieres interfuerunt.

II. Ex *cap.6.* Multitudo diſcipulorum convocata eſt ad eligendos ſeptem Diaconos; neque veriſimile eſt in ea multitudine nullum fuiſſe Laicum.

17 R. Diſtinguitur antecedens: admittere etiam Laicos cum ſuffragio auctoritativo, electivo, & deciſivo, negatur. Ut eſſent teſtes bonæ converſationis eligendorum, conceditur. Quare in utraque

con-

congregatione Laici quoad poſteriorem effectum admiſſi ſunt; ex quo mos manavit, inquit Cyprianus *libr.1. Epiſt.4. Ut Sacerdos, plebe præſente, ſub ejus oculis eligatur, & dignus, atque idoneus publico judicio, ac teſtimonio comprobetur*. Ideò, cùm idem *lib.3.Epiſt.10.* ſcripſit, *ſe nihil feciſſe ſine aſſenſu plebis*, non intelligitur, quantum ad dirimendas cauſas Eccleſiaſticas, ſed quantum ad ordinationem miniſtrorum, ut eos liberiùs initiaret, quos ſuæ plebis teſtimonio probatos experiretur. Aſſumpti itaque Laici fuerunt, etiam ad exercitium orationis juxta textum *d.cap.1. Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jeſu, & fratribus ejus*.

18 Ex hoc duo proponenda veniunt. Primum, quòd cùm Mulieres ibi congregatæ loquuntur, non eſt hoc accipiendum, quòd ad eas pertinerent operationes ad hierarchica miniſteria ordinatæ. Hierarchia enim Eccleſiaſtica, cùm ſit *gubernandorum ſacrorum poteſtas, & functio*; & juxta Dionyſium, *ſacram quamdam univerſi ordinationem ſignificet*, non fœminas, ſed Epiſcopos, Presbyteros, & Miniſtros ſub ſupremo Hierarcha Romano Pontifice ex Trid. *ſeſſ.23. can.6.* complectitur. Ideò mulieres ad orationem ſolùm ſunt in ea congregatione admiſſæ.

19 Secundum. Quòd B.Maria Virgo in Concilio perſonam præſidentis non geſſit, ſed Petrus, dicente textu, *Exurgens Petrus*, ut Præſes, *in medio Fratrum dixit*. Neque enim hac prærogativa, à fœmineo ſexu aliena, Chriſtus Matrem ſuam decoravit. Quamvis negandum non ſit plura Apoſtolos ex directione, & conſilio Deiparæ egiſſe: cùm eſſet magiſtrorum magiſtra; ſed nunquàm eam in Conciliis præſidem fuiſſe ſacro textu docemur.

Dices. Eccleſia Civitas appellatur: Civitas non ſolùm Optimates, ſed & plebejos includit.

20 R. Et Laici ſunt in Eccleſia, non quidem, ut Judices, ſed ut judicata exequantur: hoc exigente ordinatiſſimo Eccleſiæ ſyſtemate, ut non omnes Fideles ad judicium ſedeant, ſed illi dumtaxat, ut dixit Epiphanius, qui ſunt in gradu Pontificali conſtituti. Dicuntur quoque omnes Chriſtiani *Cives*, & *Domeſtici Dei*: aliter tamen Cives hujuſmodi diverſificantur. Inquit enim Ariſt.3. *Polit.cap.3.* aliquem dupliciter Civem eſſe poſſe: uno modo ſimpliciter, altero ſecundùm quid. Simpliciter Civis eſt, qui poteſt ea agere, quæ ſunt Civium; ut dare conſilium, vel in populo judicare; ſecundùm quid Civis dici poteſt, qui Civitatem inhabitat, & ſic etiam viles perſonæ, mulieres, & pueri, qui poteſtatem non habent in iis, quæ ad Communitatem pertinent, Cives dici poſſunt. Idcircò, licèt omnes Chriſtiani Cives ſint, & domeſtici Dei, ſimpliciter tamen principaliter, & poteſtativè eſſe Civem Eccleſiæ ſpectat ad Epiſcopos.

Opponunt 2. In Concilio Chalcedonenſi Laici miſſi ab Imperatoribus Valentiniano, & Martiano fuerunt Judices, & auctoritatem exercuerunt. Nam *action.4.* narratur: *primò Judicum, & Senatus juſſu lecta ſunt coram Synodo, quæ in præcedentibus actionibus acta fuerant*: jubere autem, exercitium auctoritatis importat: ergo.

Secundò. Marcellinus Tribunus ab Honorio Imperatore fuit deputatus, ut præſideret Collationi factæ cum Catholicis Epiſcopis, & illis partis Donati; Marcellinus, abſoluta Collatione, ſententiam pronuntiavit, ut dixit Auguſtinus in *breviculo collationis cap.25. in collatione tertiæ diei*, & cùm Donatiſtæ obiicerent, quòd ejus judicium de nocte prolatum eſſet ex Auguſtino *lib.poſt collationem cap.19.* Sanctus Doctor ibi *cap.35.* adversùs eos dixit. *Nocte cauſa finita eſt, ſed ut nox finiretur erroris. Nocte dicta ſententia eſt, ſed fulgens lumine veritatis*; ergo Laicis in rebus Eccleſiaſticis votum deciſivum convenit.

21 R. Ad alium finem Laici illi non fuerant ab Imperatoribus miſſi, niſi ut curarent, quæ pacem reſpiciebant, pacificum-

que

que congreſſum, ne per tumultus confuſio, & turbatio ſequeretur, prout aliàs à Theodoſio, & Valentiniano fuerat Concilio Epheſino deſtinatus Candidianus Comes, ut in Epiſtola eorumdem ad Synodum ibi: *Miſſus fuit, ut, quæ geſta ſunt, cognoſcat, &, quæ ſunt inconvenientia, prohibeat*. Quòd ſi in Chalcedonenſi Judices vocantur, ſuppoſitio eſt materialis, non formalis: non enim eſt ſenſus, quòd ut Judices cauſarum Eccleſiaſticarum interfuerint, ſed, quòd qui erant Judices in cauſis Laicis, interveniebant tractatibus, & diſcuſſionibus audiendo, dirigendo, & protegendo. Juſſio verò illa ſolùm indicabat illos auxiliarem operam præſtare: & eſt idem, ac petierunt legi acta priùs, ut ad ea ſervanda compellerent inquietos.

22 Ad 2. Marcellinus non Judex, ſed Cognitor appellatur, teſte Auguſtino ubi ſupra *cap.1.in collat.primæ diei*. Qui deputatus fuit, non ut auctoritativè præſideret, vel circa dogmata definiret, ſed, ut apud ipſum Orthodoxi, & Donatiſtæ diſputarent, ipſeque tumultus impediret, ac pronuntiaret hæreticos victos, Catholicos verò victores. Neque enim Donatiſtę aliter poterant commodè reprimi, niſi Collatione extraordinaria habita apud Cognitorem, qui teſtis honorarius foret de geſtis inde ſecutis. Super quibùs Auguſtinus *d.cap.25.* narrat: *Sententiam* (Marcellinus) *ſcripſit, quam rursùs, intromiſſis partibus, recitavit, qua complexus eſt omnia, quæ de prolixa trium dierum actione potuit recordari. In quibus quædam non eo ordine, quo geſta ſunt, commemoravit; omnia tamen veraciter poſuit, confutatos* (nota) *à Catholicis Donatiſtas omnium documentorum manifeſtatione pronuntians*. Extat ſententia in *appendice tom.9.oper. Auguſtini incipien. Flavius Marcellinus*. Vide dicta *contr.3.cap.4. num.41*. De natura Cognitoris agit Macri *in ſacro dictionario*, ubi ſcribit ab Eccleſiaſticis negotiis fuiſſe excluſum, ejuſque directionem reſpexiſſe ſolùm, quæ ad pacem, & concordiam inter adunatos ſpectabant.

23 Quapropter dicendum, quòd cùm legitur I. Imperatores dediſſe in Conciliis licentiam loquendi, non intelligitur eos id feciſſe per modum auctoritatis in formandis definitionibus, ſed ſolùm, ut auctoritatem oſtenderent protegendi executionem eorum, quæ à Concilio, præſidentibus Legatis, determinanda erant, ut ea ab omnibus ſervarentur.

24 II. Pariter cùm ipſos præcepiſſe refertur, ut omnes Epiſcopi ſubſcriberent decretis (ut Euſebius apud Theodoret. 1. *hiſt.cap.2.* tradit à Conſtantino actum eſſe in Concilio Niceno I.) accipiendum eſt, quòd præceptio fuerit ad opem auxiliarem impertiendam, & obſecutivè ad Patrum definientium auctoritatem, implorantium Imperatoris auxilium: detrectabant enim Primates factionis Arianæ manum apponere, ut hac ratione decretis Conciliaribus contrairent. Ita ſimiliter, cùm narratur ab eodem præceptum fuiſſe, ubi libri Arianorum comburerentur, non eſt ſenſus, eum in ſpiritualibus poteſtatem ſibi uſurpaſſe, ſed indicatur ſolùm, quòd defenſor fuerit Actorum Synodalium in combuſtione librorum hæreticorum, & in perſonis etiam mulctandis. Quo titulo, & niſi ad unitatem redirent, & in publicę pacis bonum, Honorius Imperator in pertinaces Donatiſtas Leges tulit, prout *Theod. lib.52.l.55. de hæret.* Et apud Auguſtinum in *d.append.ad finem*.

25 III. Regibus, & Imperatoribus commiſſa eſt cura Eccleſiæ, non per modum gubernationis, regiminis, & directionis, ſed per modum protectionis, & operis auxiliaris, ut nimirum gladium materialem, Eccleſia petente, adversùs contradictores exacuent. In quo ſenſu loquitur Auguſtinus *libr.1.contr. Parmenien. cap.9. An fortè de religione fas non eſt, ut dicat Imperator, vel, quos miſerit Imperator?*

26 Falſum eſt, quòd ubi Imperatores Con-

Conciliis ſubſcripſerunt, ſit id de neceſſitate factum, vel ad robur ſuperaddendum: eorum ſubſcritio fuit dumtaxat honoraria, & obſignativa, tam geſtorum per Patres, quàm præſentiæ, qua Synodos honorabant. Quapropter non regit axioma: *quod nullus ſubſcribit Synodo niſi ſubſcriptione decretis robur adiiciat*. Hoc ſolùm procedit de ſubſcriptione Pontificis, quæ eſt auctoritativa, & ideò ab Epiſcopis in Conciliis requiſita; ubi illa Epiſcoporum eſt tantùm adhæſiva, & de ſolemnitate ex alibi dictis.

Opponunt 3. Concilia generalia Eccleſiam univerſalem repræſentant; ergo, ut vera, & non ficta ſit repræſentatio, ex omni ordine, & ſtatu admitti in illis debent cum ſuffragio deciſivo.

Item. Cùm tractatur de articulis fidei, nulla ratio ſuadet, quòd debeant excludi Laici: cauſa enim eſt communis; ergo nullus Fidelium, qui ſuffragium ſuum ferre voluerit, excludi debet: & commune debet eſſe judicium, ubi de communi omnium præjudicio tractatur.

Addunt. Omnes Fideles ſunt filii Eccleſiæ: ergo quilibet tenetur ſuæ matri in neceſſitate conſtitutæ auxilium præſtare; atque ita, cùm ipſa hæreſibus laceſſitur, ad omnes Fideles ſpectat, ei ſuo deciſivo ſuffragio in Conciliis ſuppetias ferre.

27 R. Optimè dicitur Concilia generalia Eccleſiam univerſalem repræſentare; at non exemplariter, ſed virtualiter dumtaxat, & poteſtativè eam repræſentant, quatenùs in Conciliis ſunt Paſtores omnium populorum; qui eſtò per diverſa loca diviſi, per Paſtores, vel in Paſtoribus ſuis, ut in ſuis capitibus, in Conciliis virtualiter congregantur; quæ adunatio dicitur Eccleſia univerſalis repræſentativè: nam, ut inquit Cyprianus *Epiſt. 59. Eccleſia eſt plebs Sacerdoti unita; & Paſtori ſuo grex adhærens. Unde ſcire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo: &, ſi quis cum Epiſcopo non ſit, cum Eccleſia non eſſe*. Quilibet itaque Epiſcopus ſuam particularem Eccleſiam repræſentat: & in unum legitimè congregati, Eccleſiam univerſalem. Ideò ab Euſebio *lib. 3. de vit. Conſtantini* Nicæna Synodus appellata eſt, *Conventus totius Orbis*: & ab Auguſtino *lib. 2. de baptiſ. contr. Donatiſtas cap. 9.* dicitur *univerſæ Eccleſiæ Concilium*: Et *lib. 5. cap. 4. plenarium Concilium*. Proinde quidquid ipſi Patres in Conciliis faciunt, tota Eccleſia feciſſe dicitur; & ſecundùm hanc formam, *cap. Confidimus 25. qu. 1.* ſtatuta in Conciliis edita univerſali conſenſu Eccleſiæ conſtituta affirmantur, utpote à Patribus facta, & à Papa confirmata.

Dices. Hæc non videntur poſſe ſuſtineri; facilè enim poſſent Concilia Oecumenica impugnari; etenim, ſi unus, vel alter Epiſcopus deeſſet de illis non verificaretur, quòd Eccleſiam univerſalem repræſentarent; ergo, vel Concilia non repræſentant Eccleſiam, vel, ſi repræſentant, in eis debent eſſe etiam Laici.

28 R. Hæc difficultas non videtur eſſe præſentis quæſtionis, ſed ſpectare ad articulum de numero Epiſcoporum, qui requirantur ad Concilium generale. Propter quod nonnulli ex Campegio de *Concil. p. 2.* negarunt Tridentinum repræſentaſſe Eccleſiam univerſalem, quia in eo non interfuerunt Omnes Orbis Epiſcopi. Quos revincit Concilium Nicænum, quod in definitione Symboli, eos, qui ita non credunt, dicit: *Anathematizat Catholica, vel Apoſtolica Eccleſia*; & tamen in eo non fuerunt totius Orbis Epiſcopi.

29 Ideò ad Concilium generale requiritur, ut à Papa fiat indictio, & convocatio generalis; ut nimirùm indictio innoteſcat majoribus omnibus Chriſtiani Orbis Provinciis, & ſaltem ex illis, ut Europa, Africa, Aſia, & modò ex America, aliqui adveniant, & advenientium nullus excludatur; neque enim neceſſe eſt, ut ſinguli Epiſcopi corporaliter ſint præſentes; nullus tamen advenientium excludendus eſt, niſi ſit excommunicatus. Ita obſervatum eſt, quòd, quoties Concilium

lium generale celebratum eſt in Oriente, major pars fuerit ex omnibus Provinciis Orientalibus, minor verò, & pauci ex Occidente, miſſi à Pontifice, qui aliorum locum ſupplebant, & Occidentalis Eccleſiæ ſuffragium ad ea deferebant. Ubi verò in Occidente Concilia fuerunt celebrata, frequentior fuit numerus Occidentalium, paucior Orientalium, ut ex geſtis Conciliorum docemur. Verùm, qui impediti accedere non poſſunt, eſtò corporaliter præſentes non ſint, aliis tamen conjunguntur ſententia, & aſſenſu circa definita. Cùm autem omnes generaliter vocati ſunt, ſi non omnes accedant, Concilium eſt generale formaliter tantùm; ſi verò omnes omninò interveniunt, eſt generale formaliter, & materialiter.

30 Hìc obſervare opus eſt, quòd eſtò in Concilio aliquo Nationali plures Epiſcopi fuerint, quàm in quibuſdam generalibus, adhuc ſemper eſt per ſe differentia inter Nationalia, & generalia; quoniam Nationalia convocantur à Metropolitano ex ſolius Provinciæ Epiſcopis, generalia verò à Papa coguntur, advocatis convocatione generali omnibus Orbis Epiſcopis; & per accidens eſt, quod pauciores accedant.

31 Item notabis, quòd Concilia Provincialia à Papa confirmata, eſtò convocatione, generalia appellari nequeant, auctoritativè, & ratione confirmationis, quantum ad vim obligandi omnes fideles poſſunt generalia nominari.

32 Ad item. Defenſio fidei eſt cauſa communis, & omnium eſt occurrere hoſtibus fidei, atque Eccleſiam defenſare. Verùm non omnes eodem modo concurrere debent: quidam ſunt Conſiliarii; quidam Judices, quidam Protectores; quidam verò adminiſtri Conſiliarii lingua, & doctrina auxilium præſtant. Judices poteſtate definiunt. Protectores manu, & factis, jam conſiliata, & definita defendunt. Adminiſtri executione, vel oratione concurrunt. Primum ſpectare poteſt, etiam ad Laicos doctos, ſi Pontifex eos ad Concilium vocet. Secundum pertinet ad Paſtores, qui ductores ſunt populorum. Tertium, convenit Principibus, qui tanquàm fidei defenſores debent fidem tueri. Quartum, omnes Fideles reſpicit, qui tanquàm diſcipuli debent definita exequi, & pro Eccleſiæ pace Deum exorare. Conſtat hoc in bello materiali, in quo cauſa communis agitur, ſed non omnes milites præcipiunt; ad Conſilium non gregarii milites, ſed Duces ſolùm vocantur; iſti ad communem defenſionem Patriæ conſilio, & directione auxilium præbent, illi verò pugnando. Ita in Eccleſia, *quæ ut caſtrorum acies ordinata* dicitur *Canticorum cap.6.* non omnes eumdem actum habent, ſed ſinguli fideles modo ſibi convenienti ad communem defenſionem concurrunt, & matri ſuccurrere ſtudent, juxta dicta. Ex quibus conſtat ad Additum.

CAPUT IX.

An definitiones in materia fidei, ſive à Pontifice Romano extra Concilia, ſive à Concilio generali legitimo ab eodem confirmato, ſint objecta fidei divinæ?

SUMMARIUM.

1 *Definitio activa, & paſſiva.*
2 *Eccleſia per Pontificem, & Concilia decidit dubia fidei.*
3 *Definitiones Pontificis, & Concilii legitimi in materia fidei, ſunt fide divina credendæ.*
4 *Eccleſiæ data eſt auctoritas definiendi res fidei, ad 5.*
6 *Quid ſit neceſſarium, ut aliquid ſit objectum fidei? ad 7.*
8 *Decreta Pontificis in materia credendorum ſunt fidei objectum, ad 12.*
13 *Pontifex eſt Epiſcoporum Pater, & Frater.*
14 *Hæretici tenuerunt Pontifices Romanos*

nos firmam fidem proponere.
15 *Scripturæ ex Auguſtino credendum auctoritate Eccleſiæ ad* 17.
18 *Decreta Conciliorum legitimorum ſunt fidei objecta, ad* 30.
31 *Id probat Auguſtinus.*
32 *Spiritus Sanctus aſſiſtit Pontifici, & Conciliis, ne errent, &* 34.
33 *Fideles accipiunt à Deo, quæ petunt, quando eorum ſaluti expedit.*
34 *Concilia definiunt cum ſubordinatione ad Papam.*
35 *Apoſtolis omnia fuerunt revelata regimini Eccleſiæ neceſſaria.*
36 *Verus Scripturæ ſenſus à Pontifice definitur.*
37 *Propoſitio Eccleſiæ ſumitur, & ut applicatio divinæ revelationis, & ut locutio Dei.*
38 *Motivum credendi duplex extrinſecum, & intrinſecum.*
39 *Eccleſia teſtimonium perhibet de ſeipſa, & aliis revelatis.*
40 *Multa nunc ſunt expreſsè in Eccleſia, quæ ſub tali expreſſione non fuerunt tradita ab Apoſtolis.*
41 *Tranſubſtantiationis nomen adverſus Sectarios eſt appoſitum, ad* 46.
47 *Quamplyrima credenda continentur in Traditionibus.*
48 *In quæſtionibus difficillimis ad Eccleſiam pro deciſione recurritur.*
49 *Unde conſtat Concilia eſſe legitima?*
50 *Significatum decretorum in Concilii editorum eſt à Deo revelatum.*
51 *Concilia à Papa confirmata errare non poſſunt.*
52 *Decreta, & Canones Tridentini ad fidem ſpectantia, ubique in Eccleſia ſunt recepta.*
53 *Concilia Provincialia cedunt generalibus.*
54 *Leges Eccleſiaſticæ in Conciliis generalibus editæ poſſunt per poſteriora Concilia Oecumenica abrogari.*
55 *De diſcrimine, & convenientia inter Scripturam, & definitiones Eccleſiæ, ad* 68.
69 *An Eccleſia ex Scriptura, vel hæc ex Eccleſia probanda ſit, ad* 72.
73 *Agitur de regulis ſervandis in legendis decretis Conciliorum, ad* 81.
82 *Agitur de identitate Eccleſiæ, ad* 99.
100 *Proteſtatio Auctoris.*

1 DEfinitio activè accepta importat actiones definientis, paſſivè verò uſurpata, eſt res illa, circa quam actio illa exercetur, ſeù, quæ eſt illius actionis objectum. V.G. definit Pontifex, vel Concilium has Scripturas eſſe canonicas, illas non: res definita fide divina credenda eſt, quòd hæ Scripturæ ſint canonicæ, illæ non. Ideò, cum hìc quæritur, an definitiones Eccleſiæ circa fidem ſint objecta fidei? quęſtio eſt, an res in materia credendorum ab Eccleſia definitæ ſint fide divina credendæ? Et ſupponimus per dicta *contr.*3. *cap.*5. & *contr.*7. definitionem activam Eccleſiæ in ſuo Capite eſſe infallibilem, & fide divina certam.

2 Catholici conveniunt, quòd Eccleſia proponit Verbum Dei, & dubia circa fidem decidit per Romanum Pontificem ſummum totius Eccleſiæ Paſtorem, vel per Concilia generalia legitima ab eo confirmata, quæ Eccleſiam repræſentant; non ut ly *per* importat purum miniſterium, ſed ut magiſterium ſignificat, & auctoritativè præſcribere, quid ſit credendum. Propoſitio enim myſteriorum ad actum fidei concipiendum, exercendumque neceſſaria eſt, juxta illud à Chriſto de Judęis dictum *Joan.*20. *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent:* illud nimirum, non credendi in Chriſtum. Et Apoſtolus ad *Roman.*10. dixit. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? .... Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti*, hoc eſt, fides naſcitur ex audito Evangelio.

Quapropter ad fide divina credendum requiritur, vel, ut Chriſtus immediatè per ſe loquatur, prout loquebatur Apo-

ſtolis, vel, ut mediatè per Eccleſiam loquatur, ut per eam loquitur, teſte Auguſtino *tract.89.in Joan.* Hinc obſervandum Apoſtolos eſſe locutos, & crediđiſſe ex immediata revelatione Dei; cùm enim à Deo fuiſſent electi, ut eſſent Patres fidei, ne daretur proceſſus in infinitum in cauſis mediis, oportebat deveniri ad immediatam revelationem: Eccleſia verò loquitur citrà novas revelationes, ſed ſolùm manifeſtat veteres Apoſtolis factas, & illas ab Eccleſia nobis propoſitas credere obligamur. Ideò auctoritas Eccleſiæ (Papæ, vel Concilii confirmati) loquentis, & inſtruentis, tanquàm Dei adminiſtræ, & cauſæ principali adjuvantis, dicitur regula, vel medium ordinarium à Deo conſtitutum ad docendum juxta illud *Matth. ult. Euntes: docete omnes gentes.*

Hanc Catholicæ Eccleſiæ auctoritatem, & Magiſterium Proteſtantes explodunt, dogmatizantes Scripturam eſſe adeò manifeſtam, ut unicuique clarè, & evidenter innoteſcere poſſit, quin opus habeat teſtificatione Eccleſiæ: & Eccleſiam nullam habere auctoritatem interpretandi Scripturas, aut definiendi, quæ dogmata ad fidem pertineant, quæ non. Hinc partes Judicis in controverſiis fidei refundunt, vel in ipſammet Scripturam nudam, vel in ſpiritum privatum. De qua re dictum eſt *contr.3.cap.2. & 3.Cap.5.* probavimus Judicem controverſiarum in rebus Religionis eſſe Romanum Pontificem.

3 Dicendum. *Decreta, & definitiones Pontificum extra Concilia, & Concilii generalis legitimi à Papa confirmati, in materia credendorum, ſunt objecta fidei divinæ.* Prima pars eſt contra Janſeniſtas, ut diximus *contr.7.cap.7.* & utraque contra Proteſtantes, docentes Concilia, etiam à Papa confirmata eſſe errori obnoxia.

4 Probatio communis utrique parti. Firmiſſimè fide divina eſt credendus articulus fidei ex Apoſtolorum Symbolo: *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam:* qui nunc proponitur, & ſemper fuit Catholicis propoſitus ita credendus. Sed hic articulus ad nihil prorſus deſerviret, & abſurdè proponeretur credendus, niſi credenda eſſet Eccleſia, quæ auctoritatem in ſuo Capite haberet definiendi res fidei, & quæ audienda eſſet in rebus ſpectantibus ad fidem. Hinc ab initio naſcentis Eccleſiæ, omnes fideles (exceptis hæreſum auctoribus) ſemper exiſtimarunt, quòd quidquid à Pontifice, & dictis Conciliis determinabatur de fide, fuerit à Deo revelatum, & de fide credendum: ergo, quæ circa fidem decernunt, de fide ſunt.

Dicunt. Hoc non verificari de Eccleſia Romana.

5 Contra. Conſideratis omnibus Eccleſiis, vel Congregationibus, quotquot ſunt in Mundo diverſæ à Romana Eccleſia, articulus de hac ſola Eccleſia Catholico-Romana, ſeù illa, cujus Romanus Pontifex eſt caput, intelligendus eſt: hæc enim ſola habet requiſita veræ Eccleſiæ; profitetur doctrinam ab ipſo propoſitam, ac habet unum viſibile caput ſupremum, ut dictum eſt *contr.1.cap.1.* A quo capite, vel Conciliis ab eo confirmatis fuerunt hæreſes proſcriptæ, & ut tales ab univerſitate Fidelium ſemper habitæ. Ideò ſenſus communis Fidelium ſemper fuit, quòd Pontifices, & hujuſmodi Concilia haberent infallibilem auctoritatem in decidendis rebus fidei: Nec foret moraliter poſſibile, quòd in eo convenirent, niſi de eo Traditio à Chriſto, & Apoſtolis haberetur.

6 Probatur 1. prima pars. Ut aliquid ſit objectum fidei debet eſſe à Deo explicitè, vel implicitè revelatum (& ut obliget ad credendum auctoritate infallibili propoſitum) ſed hujuſmodi ſunt ea, quæ Papa in materia fidei determinat; ergo ejus definitiones in materia fidei ſunt fidei objecta. Major eſt certa; Minor etiam conſtat. Nam Papa habet aſſiſtentiam Spiritus Sancti, à qua dirigitur, & illuminatur, quod ſit à Deo revelatum, quod tanquàm tale ab ipſo proponitur; Lucæ enim 22.

di-

dicitur. *Confirma fratres tuos*. Propterea praxis Eccleſiæ fuit in dubiis fidei ad ipſum recurrere: per dicta *controv.3.cap.5. num.2.ad* 25.

7 Neque dicendum id eſſe verum, dummodò rectè judicet. Etenim privilegium Pontificis eſt, ut ſemper circa fidem, & mores, ac facta cum fide connexa rectè judicet, juxta Chriſti promiſſiones *Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Lucæ 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*. Vide *contr.7.cap.2. 3.4.5. & 6.*

8 Probatur 2. Quamplurima Concilia priuſquàm de fide aliquid decreverint, Romanum Pontificem prius audire voluerunt, & ejus decreta ut fidei objectum receperunt, & inde dogmata fidei ſtatuerunt, ergo decreta Pontificis in materia credendorum ſunt objectum fidei. Major conſtat I. Ex Concilio Chalcedonenſi, in quo *act.2.* lecta Epiſtola Leonis de unitate perſonæ, & dualitate naturarum in Chriſto, Patres clamarunt: *Hæc Patrum fides. Hæc Apoſtolorum fides. Omnes ita credimus. Anathema, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus eſt, & Apoſtoli ita docuerunt.*

9 II. In Concilio Conſtantinopolitano III. Imperator Conſtantinus Pogonatus *Epiſt. Per omnia*, Agathoni reddita, rogat Pontificem, ut mittat ad Concilium pro ſe Vicarios, qui notitiam habeant totius inſpiratæ à Deo doctrinæ, & peritiam irreprehenſibilem. Agatho verò Legatos mittit ad Concilium cum decreto fidei; &, damnatis Monothelitis, ac duabus voluntatibus in Chriſto definitis in Epiſtola *Conſideranti* ad Imperatores, ut in *act.4.* habet: *Hæc eſt Apoſtolica, atque Evangelica traditio, quam tenet ſpiritalis veſtri feliciſſimi Imperii Mater Apoſtolica Chriſti Eccleſia. Hæc eſt enim veræ fidei regula, quam & in proſperis, & in adverſis tenuit Apoſtolica Chriſti Eccleſia: & quæ per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquàm erraſſe probabitur*; & concludit. *Hoc enim credimus, quod per Traditionem Apoſtolicam accepimus*. Concilium autem decretum Agathonis, ut fidei objectum recepit, ut ex *act.17.* & omnes Epiſcopi ſubſcripſerunt.

10 III. In Nicæno II. Imperator rogat Adrianum Pontificem, ut ad Concilium mittat viros cum ſuis Litteris, hoc eſt; cum definitione, & doctrina ſuper controverſia excitata circa Sacras Imagines. Adrianus verò Epiſtolam *incip. Deus, qui* Imperatori direxit, decernens Imagines eſſe venerandas, quæ lecta eſt *act.2.* Lecta pariter ejuſdem Epiſtola incip. *Paſtoralibus curis* ad Tharaſium Patriarcham Conſtantinop. in quibus item firmat Sacras Imagines eſſe venerandas. Idem Tharaſius, interrogantibus Legatis Apoſtolicis, *conſentis ne litteris Sanctiſſimi Papæ, an minus?* Reſpondit: *Nos Patrum preceptis imbuti, ſic confeſſi ſumus, & confitemur, concordamus, & vim litterarum lectarum confirmamus*. Sancta Synodus dixit. *Univerſa Sancta Synodus ſic credit, & ſic docet*. Et in definitione Synodus anathema dicit oppoſitum ſentienti; ergo definitio, & decretum Sedis Apoſtolicæ fuit à toto Concilio, ut objectum fidei receptum. Iſtis conſona in aliis Conciliis leguntur, prout ex ipſorum geſtis notum eſt.

11 Probatur 3. Etiam Patrum ſenſus fuit eſſe in Apoſtolica Sede, vel Romano Pontifice in ea ſedente, firmitatem illam, & infallibilitatem ad res fidei definiendas, & proponendas, ut fide divina credantur; ergo ejus definitiones, & decreta ſunt fidei objecta: Circa antecedens vide Lauræam *de fide diſput.5.art.3.numer.137.* ubi plures ab ipſo allegantur. Nobis ſatis eſt Auguſtinum producere, cujus auctoritas Janſeniſtis, & Proteſtantibus inviſa non eſt. Sanctus itaque Doctor recenſet à Romano Pontifice fuiſſe damnatos Pelagium, & Cæleſtinum, negantes peccatum originale, & gratiæ internæ neceſſitatem ad actus ſalutares *Epiſt.190. ad Optatum cap.6.* hæc habet. *A duobus venerabilibus Anti-*

ſtitibus Apoſtolicæ Sedis, Papa Innocentio, & Papa Zozimo, niſi correcti, etiam egerint pænitentiam, toto Orbe Chriſtiano (Pelagius, & Cęleſtius) *damnati ſunt*. Et nu.23. commemorato decreto Zozimi de exiſtentia peccati originalis in omnibus ante receptionem baptiſmi, ſubdit: *In his verbis Apoſtolicæ Sedis, tam antiqua, atque fundata, certa, & clara eſt Catholica fides, ut nefas ſit de illa dubitare Chriſtianis*.

12 Item. Patres Concilii Milevitani Innocentio I. ſcripſerunt, ut hæreſim Pelagii, & Cæleſtii damnaret, ut ex ipſorum Epiſtola inter illas Auguſtini 176. Ipſeque Auguſtinus cum aliis Epiſcopis *Epiſtola* 177. eumdem Innocentium rogat, ut hæreſim Pelagii proſcribat, ipſe verò Innocentius *Epiſt.*181. inter Auguſtinianas confirmat doctrinam Concilii Carthaginenſis, ac ipſorum ſententiam adversùs Pelagium; & *Epiſt.* 182. approbat Acta Concilii Milevitani adversùs Pelagianos; ergo Auguſtini, & cæterorum Epiſcoporum ſententia fuit Romanum Pontificem hæreſes poſſe damnare, & hæreticos proſcribere; atque adeò ejus definitiones in materia credendorum eſſe fide divina credenda.

Dicunt. Romanus Pontifex eſt Frater, & collega aliorum Epiſcoporum; ergo ſicut ſinguli Epiſcopi novos errores proſcribere nequeunt, ita nec ſe ſolo Romanus Pontifex.

13 Contra. Eſt Pontifex Frater, & collega cæterorum Epiſcoporum in officio Epiſcopali; Pater verò, & ſuperior in dignitate, & juriſdictione, propter quod ipſe ſolus poteſt, quod cæteris non eſt conceſſum. Non ſunt Romani Pontifices adeò ſuperbi, prout eos Calviniſtę calumniantur, ut nomen Fratris, & collegæ dedignentur; qui ſciunt Eccleſiam ſine fratribus, & collegis non poſſe conſiſtere; qui ſciunt Magiſtrum ſuum Chriſtum Jeſum infinitè majorem, Apoſtolos ſuos vocaſſe fratres. *Joan.*7. Quinimò ipſi Epiſcopi Romanum Pontificem Patrem eſſe confitentur, ut in *d.Epiſtola* 177. Concilii Milevitani.

14 Addo. Ipſi etiam hæretici agnoverunt Romani Pontificis decreta, ita firma eſſe, ut reſpui non poſſint; ipſumque firmam, & infallibilem fidem docere; hoc perſpicuum fuit Cęleſtio, & Pelagio. De Cęleſtio S.Auguſtinus *lib.2. contra duas Epiſtolas Pelagianor.cap.3.* ſcripſit, promiſiſſe ſe litteris Papæ Innocentii conſentire. Pelagius verò libellum profeſſionis fidei, Innocentio defuncto, redditum Zozimo iſtis concludit: *Hæc eſt fides, Papa Beatiſſime, quam in Eccleſia Catholica didicimus, quamq; ſemper tenuimus, & tenemus. In qua, ſi minus peritè, aut parum cautè aliquid fortè poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri, & fidem, & Sedem tenes*. Qua ratione, & Cæleſtius litteris Apoſtolicæ Cathedræ conſentire promitteret; & ad eam Pelagius recurreret, ut ejus fides corrigeretur, ſi quod ipſa, ut de fide proponeret, de fide non eſſet?

15 Tandem. Idem Auguſtinus *libro contr.Epiſt.Manichæi*, quam vocant fundamenti *cap.5.* probat Sacræ Scripturæ credendum eſſe ex auctoritate Eccleſiæ, non plebis, vel inferiorum Clericorum, qui fallere poſſunt; inquit enim: *Ego Evangelio non crederem, niſi Eccleſiæ Catholicę commoveret auctoritas*, hoc eſt, niſi ab auctoritate infallibili Papæ, vel Concilii generalis ab ipſo confirmati mihi proponeretur. Nos propter auctoritatem Eccleſiæ judicamus eſſe prudenter credibile, ac fide divina credendum, quòd Deus revelaverit doctrinam Evangelicam, ut dixit Mauro *Theol.to.2.lib.7.q.116.nu.*18. Et Auguſtinus proſequitur: *Quibus obtemperavi, dicentibus, Crede Evangelio; cur eis non obtemperarem, dicentibus mihi, noli credere Manichæis* (Proteſtantibus)? Ergo cùm Romana Cathedra proponit Proteſtantes eſſe hęreticos; quinque propoſitiones Janſenii eſſe hæreticas, & alia dogmata, judicandum omninò eſt, id eſſe à Deo revelatum; & ideò eſt fide di-

divina ipſorum hæreticitas credenda.

Deinde. *Lib. de utilit. creden. cap.* 17. docet, Summam auctoritatem ad Catholicam Eccleſiam perveniſſe ab Apoſtolica Sede, ibi; *Dubitabimus nos ejus condere gremio, quæ uſque ad Confeſſionem generis humani ab Apoſtolica Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum* (ſcilicet Pontificum) *fruſtra hæreticis circumlatrantibus culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primos* (primatum) *dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ*. Agnoſcit S. Doctor, quòd Eccleſia, evecto Petro ad Apoſtolatum, & primatum Eccleſiæ, culmen auctoritatis in capite obtinuit; quæ in ipſa, Petro etiam mortuo, in ejus ſucceſſoribus perſeverat; cui nolle primum locum dare, eique fidei, vel morum doctrinam definienti reſiſtere, eſt divinum auxilium contemnere, ut ibi loquitur. Quanti verò fecit Auguſtinus culmen illud auctoritatis, quod per ſucceſſiones Pontificum ab Apoſtolica Sede, Eccleſia obtinuit, tradit *alleg. cap. 4. d. lib. contr. Epiſt. fundam. In Eccleſia Catholica me tenet ab ipſa Apoſtoli Petri Sede, cui paſcendas oves ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum*. Cùm enim Succeſſio non fuerit interrupta, neque interrupta eſt doctrina, & regimen Eccleſiæ Petro à Chriſto, & in Petro hujus ſucceſſoribus uſque ad præſentem Pontificem, & uſque in finem conceſſum; ergo, ſicut decreta Petri circa fidem erant objecta fidei, ita de definitionibus per ejus ſucceſſores conſtitutis dicendum eſt; atque ita auctoritas circa regimen Eccleſiæ eſt in Petro, & ejus ſucceſſoribus.

Dices. Auctoritas Pontificis eſt humana, & fallibilis; ergo dogmata fidei ab ipſa non pendent, neque poteſt Papa determinare, & præſcribere, quid ſit fide divina credendum: Regula enim credendorum infallibilis eſſe debet; nam fidei divinæ repugnat ſubeſſe falſum: exigit enim tendere in aliquod certum infallibile.

16 Contra. Non eſt quidem humana auctoritas Pontificis, ſi intelligatur, quòd ab jure humano provenerit, & non à divina inſtitutione. Neque humana dicenda eſt, ſi dicatur Papam ſine aſſiſtentia, & directione Spiritus Sancti decreta fidei, & morum formare. A qua aſſiſtentia, & directione habet, ut infallibiliter proponat res fidei, & morum, & ea ſtante, Deus dicitur per Eccleſiam loqui. Quo titulo poſſet illius auctoritas appellari divina, de quo dictum eſt alibi.

17 Probatur ult. Eſt de fide Deum dediſſe Petro, & Succeſſoribus ejus infallibilem auctoritatem proponendi res fidei, & non poſſe proponere pro actu revelatis, niſi quæ ſunt talia. Hoc quidem conſtat, tum ex illo Lucæ 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, &c.* tum ex traditione Dominica Apoſtolis facta, & ab iſtis communicata aliis. Ex quo ſanè proceſſit, ut ab initio Eccleſiæ ad hæc tempora recurſus in cauſis, & difficultatibus fidei ad Pontifices factus ſit, ut dixi *contr. 3. cap. 5. nu. 2.* ergo, quod à Pontifice decernitur, eſt infallibiliter de fide. Aliàs in proponendis rebus fidei errare poſſet, quod ſine hæreſi à nullo affirmatur.

18 Probatur 2. pars. Hæretici in Eccleſia ſemper fuerunt, qui repugnarunt decretis Conciliorum in materia fidei, & Religionis, eiſque anathema dictum, qui ore ipſa non confitentur, & corde firmiter non credunt; ergo hujuſmodi decreta ſunt objecta fide divina credenda. Conſequentia ſequitur, quia hæreticus nullus eſt, niſi, vel aliquem articulum fidei neget, vel, in dubium vocet; tunc enim divinæ revelationi ab Eccleſia propoſitæ reſiſtit. Antecedens inductivè patet.

19 I. Objectum fidei eſt, quòd veniens ad Catholicam Eccleſiam non debet nec circumciſionem, neque alia Moſaica ſervare; ſed hoc decretum contra Cerinthum ex Auguſtino de *hæreſib. hæreſ.* 8. editum eſt in primo omnium Eccleſiæ Catho-

licæ Concilio, hoc eſt, coacto Jeroſolymis. *Actor.*15.

20 II. Conſubſtantialitas Filii Dei cum Patre eſt fide divina credenda, prout fuit explicitè definita in Concilio Nicæno I. & anathema pronuntiatum in Arium, alioſque contrarium ſentientes.

21 III. Eſt articulus fidei Divinitas Spiritus Sancti, ejuſque æqualitas cum Patre, & Filio: prout explicitè definitum eſt in Concilio Conſtantinopolitano I. & anathema dictum Macedonio, cæteriſque cum eo ſentientibus.

22 IV. Eſt fide divina credenda unitas perſonæ in Chriſto: prout fuit explicitè deciſum in Concilio Epheſino; & anathematizatus eſt Neſtorius, ejuſque ſequaces duas in Chriſto perſonas aſſerentes.

23 V. Ad fidem ſpectat tenere in Chriſto duplicem diſtinctè naturam, divinam, & humanam: prout fuit explicitè definitum in Chalcedonenſi; & anathema dictum Eutycheti, cæteriſque docentibus oppoſitum.

VI. Dualitas voluntatum, & operationum in Chriſto, hoc eſt, divinarum, & humanarum, eſt fide divina credenda: prout expreſsè decretum eſt in Concilio Conſtantinopolitano III. & anathema dictum Monothelitis, hoc eſt, unam tantùm aſſeverantibus.

VII. Veneratio Imaginum relativa ad prototypum eſt fide divina credenda; prout expreſsè definitum eſt in Concilio Nicæno II. & anathema dictum Iconomachis, vel Iconoclaſtis, hoc eſt, Imaginum hoſtibus illarum adorationem negantibus.

24 VIII. Eſt certum de fide baptiſmum parvulis prodeſſe: verum Chriſti Corpus eſſe in Euchariſtia, prout expreſsè definitum eſt in Concilio Lateranenſi II. & anathema dictum Petrobuſianis hæreticis aliter ſentientibus.

25 IX. Eſt fide divina credenda carnis reſurrectio, Infernus, & Purgatorium: prout expreſsè fuit definitum, etiam in Lateranenſi IV. & anathema dictum Albigenſibus, ea, & alia renovantibus adverſa Catholicæ fidei.

26 X. Eſt fide divina credenda neceſſitas luminis gloriæ in Beatis: prout expreſsè definitum eſt in Concilio Viennenſi: & anathema dictum Beguardis, & Beguinis aſſerentibus contrarium.

27 XI. Eſt objectum fidei proceſſio Spiritus Sancti à Patre, & Filio, Primatus Papæ, materia, & forma Sacramentorum: prout expreſsè definitum eſt in Concilio Florentino, & anathema dictum contradictoribus.

28 XII. Eſt fide divina certum, quòd anima rationalis ſit immortalis, ſit verè humani corporis forma, & non una in omnibus hominibus: prout expreſsè definitum eſt in Lateranenſi V. & anathema dictum contrarium ſentientibus.

29 XIII. Tandem omnes reſpectivè canones Tridentini (numero 135.) de peccato originali: de juſtificatione: de Sacramentis in genere, & in ſpecie: de Purgatorio: de veneratione Imaginum: de Indulgentiis ad fidem ſpectant; atqui omnes iſti editi ſunt in Concilio legitimo à Papa confirmato; & anathema expreſsè pronuntiatum in repugnantes, & definitis non adhærentes; ergo in Eccleſia ſemper hæretici habiti ſunt, qui decretis in Concilio legitimo, & à Papa confirmato editis repugnarunt, & non adhæſerunt.

30 Confirmatur. Ea ſunt objecta fidei, quæ Deus explicitè, vel implicitè revelavit, & per regulam infallibilem cum aſſiſtentia, & ſuggeſtione Spiritus Sancti declarare, & manifeſtare facit; ſed decreta Conciliorum generalium à Papa confirmatorum ſunt hujuſmodi: ergo, &c. Major eſt certa. Minor verò conſtat Joan. cap. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quod Chriſti promiſſum tenet Eccleſia finem in Apoſtolis non accepiſſe, ſed extendi, etiam ad ipſa Concilia legitima à Papa confirmata (& ad Petri ſucceſſores) quando ex Scriptura,

&

& Traditione aliquod dogma deducunt, ut implicitè in aliqua earum contentum; quod agunt Concilia, & Pontifices ex Spiritus Sancti aſſiſtentia. Ita Tridentinum *Seſſ.13.in proœm.Catholica Eccleſia ab ipſo Jeſu Chriſto Domino noſtro, & ejus Apoſtolis erudita, atque à Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies ſuggerente edocta, retinuit, & ad finem uſque ſæculi conſervabit doctrinam de Sacramento Eucharistiæ.*

Dicunt. In humanis cœtibus ſæpè accidit, ut major pars vincat meliorem.

Contra. Hoc timendum non eſt in Conciliis Eccleſiæ, ubi Spiritus Sanctus aſſiſtit, & actiones dirigit; ubi Chriſtus eſt in medio eorum, qui in nomine ipſius congregati ſunt, & ubi adeſt, vel confirmat ille, cui dictum eſt ab ipſa veritate. *Confirma fratres tuos*. Lucæ 22. Ideò in eis major pars ſemper melior eſt. Si Capiti adhæreat: vel, illa prævalet, quæ cum Capite ſentit.

31 Probatur ult. Auguſtinus tradit decreta Conciliorum eſſe de fide, & excuſat Cyprianum ab errore culpabili tenentem rebaptizationem, quia nondum erat controverſia in Concilio generali definita, affirmatque, quòd poſt Concilii plenarii definitionem mutaſſet ſententiam. *Lib.4. contr.Donatiſt.cap.5.Non*, ait, *dubito, quòd, ſi iſtam quæſtionem in Eccleſia diù, multumque verſatam cum viris ſanctiſſimis, doctiſſimiſque tractaret, per quos poſteà factum eſt, ut antiqua illa conſuetudo* (non rebaptizandi) *etiam plenario Concilio firmaretur, ſine dubitatione demonſtraret, non ſolùm, quàm doctus eſſet in his, quæ firmiſſima veritate perceperat, verùm etiam, quàm docibilis in his, quæ minùs adverteret*. Et *cap.6.nu.9. Quanto robuſtiùs nunc dicimus: quod Eccleſiæ conſuetudo ſemper tenuit, quòd hæc diſputatio diſſuadere non poterit, & quod plenarium Concilium confirmavit, hoc ſequimur*: ergo decreta Conciliorum in materia fidei, ſunt fidei objecta.

Speciales objectiones contra primam partem ſunt *controverſ.3.capite 5. controv.6. cap.4.& controv.7.* & ibi palmariter ſolvuntur.

Opponunt 1. contra utramque. Definitiones, & decreta Pontificum, ac Conciliorum ſunt decreta hominum: ergo non fidei divinæ, ſed humanæ ſunt objecta. Cùm nil ſit fide divina credendum, quod à Deo revelatum non ſit.

Confirmatur. Pontifices, & Concilia non habent novas revelationes; ergo non poſſunt facere nova fidei objecta; ergo eorum definitiones non ſunt objecta fidei. Antecedens eſt certum. Etenim revelationes omnes pro regimine Eccleſiæ, & ad Fidelium ſalutem utiles, & neceſſariæ ſunt Apoſtolis factæ, vel à Chriſto immediatè illos inſtruente *Joan.15. Omnia, quæ à Patre audivi, nota feci vobis*; vel à Spiritu Sancto in die Pentecoſtes, aut in decurſu totius eorum vitæ juxta promiſſionem Chriſti *Joan.14. Spiritus Sanctus ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*: Et cap.16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis*: Ergo non poſſunt facere nova fidei objecta. Etenim nova fidei objecta debent de novo ſciri ab Eccleſia per novam Dei revelationem.

32 R. Diſtinguitur antecedens. Sunt definitiones hominum editæ ex aſſiſtentia, & directione Spiritus Sancti, qui aberrandi periculo præſervat, conceditur: editæ ex pura ſapientia, & induſtria humana, negatur. Ut tam Pontifices, quàm Patres in Conciliis rem controverſam decidant, diligenter ſcrutantur Scripturas, & Traditiones, ac à Spiritu Sancto illuminantur, ut veritatem penetrent, & diriguntur, ne decernant, neque Fidelibus proponant, niſi quod eſt à Deo revelatum; adeòque quod ab ipſis ita proponitur, eſt fide divina credendum.

Dices. Chriſtus *Joan.14.* promiſit: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ſi quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*: & tamen promiſſio Chriſti non eſt infallibilis; nam multi

multi in nomine Chriſti petunt, & non accipiunt: ergo pariter promiſſio *Joan.* 14.*&* 16. Quod Spiritus Sanctus ſit docturus Pontificem, & Concilia non eſt infallibilis; & inde poteſt aliquando de implemento dubitari. Ideò, quod ipſi proponunt, non poteſt fide divina credi: fides enim divina cum dubio non compatitur.

33 R. Circa antecedens notari debet, ideò Fideles, qui petunt, non accipere, vel, quia non certa fiducia conſequendi petunt; vel, quia in nomine Salvatoris non petunt; cùm aliquid petant, eſtò ignoranter, contra propriam ſalutem; vel obtinent, quando eorum ſaluti expedit. Audias Auguſtinum *tract.*73.*in Joan. num.*3. ad illa verba. *Quodcumque petimus adversùs utilitatem ſalutis, non petimus in nomine Salvatoris. Et tamen ipſe Salvator eſt, non ſolùm, quando facit, quod petimus, verùm etiam, quando non facit: quoniam quod videt peti contra ſalutem non faciendo potiùs ſe exhibet Salvatorem. Novit enim medicus, quid pro ſua, quid contra ſuam ſalutem poſcat ægrotus. Si autem, qui in eum credit, aliquid per ignorantiam contra ſuam ſalutem petit, non in nomine Salvatoris petit, quia Salvator ejus non erit, ſi, quod ejus ſalutem impedit, fecerit.* Et *numer.*4. *Differtur enim, quod petimus, non negatur.*

34 Conſequentia verò negatur. Nam cùm Pontifices ad decidenda dubia circa Religionem exorta, & ad ea pro definitione delata procedunt, infallibiliter eis Spiritus Sanctus aſſiſtit ad veritatem proponendam juxta promiſſionem Chriſti apud Lucam ubi ſupra. Ita, cùm Patres in Conciliis generalibus legitimè adunantur ad fidei quæſtiones decidendas cum ſubordinatione ad Papam, & ſolliciti ſunt de veritate invenienda, ac media idonea adhibent, ut ipſam ex Scripturis, & Traditionibus aſſequantur, eamque à Deo precibus petunt, à Deo infallibiliter illuminantur pro ea reperienda, ac diriguntur, ne errent. In caſu enim concurrit finis, propter quem Chriſtus Dominus mortuus eſt, & Eccleſiam inſtituit, eamque gubernandam Petro commiſit, & ſub eo alios Paſtores reliquit; nimirum ut in finem ſupernaturalem Fideles dirigerent, & doctrinis ad ſalutem conducentibus gubernarent.

35 Ad confir. Negatur conſequentia. Videantur dicta *contr.*1.*cap.*4.*nu.*19.*ad* 25. Ad probationem concedimus Apoſtolis omnia fuiſſe revelata regimini Eccleſiæ univerſalis neceſſaria. Verùm, quia neque omnia, quæ eis Chriſtus dixit, & quæ à Spiritu Sancto in die Pentecoſtes per infuſionem ſcientiæ acceperunt, ab ipſis ſcriptis conſignata fuerunt, ſed multa ore tradita, ab eorum auditoribus fortè quoad ſenſum non benè percepta, aut non adeò diſtinctè ſcripta; vel, ob temporis decurſum oblivione deperdita eſt intelligentia, & ideò ambigua, & obſcura remanſerunt; idem Spiritus Sanctus (qui à principio Eccleſiam in Apoſtolis direxit, eos docens veritates, & ſuggerens intelligentiam circa jam adeptas, proſequitur Eccleſiam dirigere, juxta illud Matth.ult. *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*) aſſiſtit Pontifici, & Conciliis ad cognoſcendam, & proponendam aliis veritatem alicujus doctrinæ, non de novo, ſed antiquitùs revelatæ, quæ obſcurè, & implicitè continetur in Scriptura, vel Traditionibus; & ideò non novum articulum fidei condunt; ſed proponunt credendum explicitè, quod prius credebatur ſolùm implicitè in propoſitione univerſali: *credo, quidquid Deus revelavit, & Eccleſia credit.*

Dices. Pontifices, & Concilia ſępè determinarunt loca aliqua Scripturæ habere hunc, vel illum ſenſum, & non habere ſenſum, in quo hęretici illis utebantur; ſed poſt illam definitionem illud erat de fide, & ante non erat, nec tamen fuit olim revelatio, quod ille eſſet ſenſus ipſius; ergo proponendo aliquid de fide credendum quod non erat de fide, habent novas reve-

la-

lationes; cùm nihil poſſit eſſe de fide, quod non fuerit aliquando revelatum. Sed novas revelationes non habent; ergo, nec quod decernunt eſt de fide.

Secundò. Propoſitio, & definitio Pontificis (idem de Conciliis) quòd doctrina V.G. quinque Propoſitionum Janſenii in ſenſu obvio ſit hæretica, eſt nova revelatio Dei: nam cùm Deus promiſerit illis aſſiſtentiam ſuam in propoſitionibus rerum fidei, conſequens eſt, quod Pontifici aſtiterit, dum propoſuit talem doctrinam eſſe hæreticam; & ideò illa propoſitio eſt revelatio Dei, tam benè, quàm ſi alio quocumque modo mentem ſuam ſignificaret. Revelatio enim Dei conſiſtit in quibuſcumque rebus, vel ſignis, quibus Deus ſignificat ſe habere talem, aut talem conceptum de tali propoſitione apud Poncium *Cur. Theolog. diſputat.27. quæſt.2. numero 13.*

36 R. Senſus ille ſemper fuit de fide, & implicitè fide divina creditus. Nam continetur in Scriptura, & ex ipſa, vel Traditione colligitur eum eſſe verum talis loci ſenſum; & propterea à Pontifice, vel Concilio eſt talis ſenſus determinatus, & definitus. Quo poſito, obligamur ad credendum illum explicitè.

Ideò negatur minor. Quia ille ſenſus, vel revelatur in Scriptura, quatenus ex Scriptura colligi poteſt, quod ſit verus ejus ſenſus; vel revelatus eſt Apoſtolis, & ab illis ore conſignatus eſt Eccleſiæ per Traditionem.

Ad 2. Quando propoſitio Pontificis, & Conciliorum ſit nova revelatio Dei, non eſt nova in ſenſu controverſo, quaſi ſit de re, quæ antiquitùs non fuerit Apoſtolis revelata, ſed pendet à revelatione antiqua Dei, tam de hæreticitate illius doctrinæ juxta dicta *controv.7.cap.8.* quàm de promiſſione, quam Deus fecit aſſiſtendi in hujuſmodi propoſitionibus Eccleſię. Ideò non eſt ad propoſitum.

37 Hìc obſervandum eſt cum Mauro *cit.qu.115.nu.24.* propoſitionem, vel definitionem externam Eccleſiæ, qua revelatio Dei, vel aliquod dogma à Deo revelatum proponitur, poſſe conſiderari ſub duplici conceptu. Primò, quatenùs eſt locutio Pontificis, vel Concilii proponentis Religionem noſtram eſſe revelatum à Deo, vel, hanc doctrinam eſſe hæreticam, & pravam; & ſub hoc conceptu formali propoſitio non eſt motivum formale credendi Religionem noſtram eſſe à Deo revelatam, vel, hanc doctrinam eſſe hæreticam, ſed ſolùm applicatio motivi, ſeù divinæ revelationis. Ideò enim, ut per motivum formale credendi, credimus Religionem noſtram eſſe veram, & hanc doctrinam eſſe hæreticam quia Deus ſummè verax revelavit. Secundò, poteſt conſiderari quatenus eſt locutio ipſius Dei, qui per Eccleſiam loquitur, & dicit nobis ſe revelaſſe noſtram Religionem, & hanc doctrinam eſſe hæreticam; & ſub hac ratione eſt motivum credendi, quia eſt Dei locutio, & revelatio: ſed ſemper proponens, quæ antiquitus fuerunt Apoſtolis revelata. Propter quod novos articulos Eccleſia non condit, ut dixit S. Vincentius Lirinenſis *lib. contr. prophan. vocum novitatem*, ibi. *Eccleſia nova fidei dogmata non ſtatuit, ſed vetera eruit, explicando, quod in antiqua fide continebatur.*

Quòd autem propoſitio externa Eccleſiæ ſumi poſſit, tum ut locutio, & verbum Eccleſiæ, tum ut locutio, & Verbum Dei, patet ex 1. *ad Theſſalon. cap.2.* ubi Paulus Theſſalonicenſes commendans, quia crediderunt, dixit: *Cùm accepiſſetis à nobis verbum, auditus Dei* (Evangelii doctrinam) *accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed ut verbum Dei*: ut reipſa eſt.

Opponunt 2. Non poteſt aſſignari caput, ex quo infallibiliter conſtet Pontificem, & Concilia infallibiliter definire: ergo eorum definitiones non ſunt objecta fidei.

Si dicatur id conſtare ex ipſiſmet definitionibus, quia hoc ipſo, quòd aliquid definiunt ſpectans ad fidem, & mores, definiunt,

niunt, etiam definitionem eſſe infallibilem: definitio enim quaſi ſupra ſe ipſam reflectit; ſicut revelatio Dei, qua aliquid Deus revelat, reflectit ſupra ſe ipſam; nec tam revelat ſuum objectum, quàm ſe ipſam; adeòut, cùm Deus quidquam revelat, hoc ipſo revelat ſe hoc revelare.

Contra eſt. Ergo, ideò creditur Pontificem infallibiliter definire, vel, quia ipſe definit, vel teſtatur ſe talem auctoritatem habere, & hoc eſt in quæſtione.

38 R. Negatur antecedens. Ad replicam obſerva. Duplex dari motivum credendi fide divina: intrinſecum, & extrinſecum. Intrinſecum, propter quod credimus res noſtræ fidei, eſt divina revelatio, ſeù, quia Deus revelavit, quod intellectui illuminato, & edocto à Spiritu Sancto proponitur, ut immediatè credibile, & credendum. E extrinſecum verò (ut cætera omittam, de quibus in *tract. de fide*) *eſt auctoritas Eccleſiæ miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata* ex Auguſtino *d. cap. 4. contr. Epiſt. fundam.* propter quam judicamus honeſtum, & prudens eſſe credere Deum myſteria revelaſſe, & nos obligari ad firmiſſimè credendum. Hæc auctoritas dicitur motivum extrinſecum fidei, quia ei non nititur immediatè actus fidei: hic enim nititur ſolùm teſtimonio Dei revelantis; ſed ei nititur judicium prærequiſitum ad fidem, quo prudenter judicamus Religionem noſtram eſſe credibilem, & credendam, ſeù eſſe à Deo revelatam.

Hinc fide divina credimus Pontificem, & Concilia habere auctoritatem infallibilem definiendi propter revelationem Dei, ut per motivum intrinſecum, & formale credendi: propter verò auctoritatem Eccleſiæ, ut per motivum extrinſecum, & conditionem proponentem divinam revelationem. Propterea cùm dubitatur, an Deus aliquid revelaverit? recurrimus ad Eccleſiam, & ubi hæc per Pontificem, & Concilia confirmata, definit, vel proponit Deum illud revelaſſe, ex illius auctoritate habemus motivum extrinſecum idoneum ad formandum judicium prudens, & honeſtum, divina adjuvante gratia, de exiſtentia revelationis.

Unde ex Auguſtino ibi motiva extrinſeca ſunt multa, propter quæ judico juſtiſſimum eſſe, ut profitear fidem, quam profitetur Eccleſia Catholica, nimirùm, *conſenſus populorum, auctoritas miraculis confirmata, non interrupta Pontificum ſucceſſio, &c.* Et quia propter hoc judico juſtiſſimum, & honeſtiſſimum eſſe, ut, repudiatis aliis Sectis, profitear fidem Eccleſiæ Catholicæ, volo illam, Deo adjuvante, profiteri uſque ad mortem; & dependenter ab hac mea libera voluntate firmiſſimè credo Deum illam revelaſſe propter ipſam revelationem, tanquàm propter motivum intrinſecum credendi.

Dices. Ergo, ut per motivum extrinſecum credimus Pontificem habere illam auctoritatem infallibilem, quia Eccleſia per ipſum teſtatur: ergo imprudenter credimus: *nam qui citò credit, levis eſt corde, Eccleſiaſt. 19.* & ita non credimus fide divina, quæ imprudens non eſt.

39 R. Negatur ſecunda conſequentia. Inconveniens non eſt, quòd Caput Eccleſiæ de ſeipſo teſtimonium perhibeat; nam à Deo de ſe, & aliis credibilibus teſtificandi poteſtatem accepit; cùm enim, ut lucerna ſuper candelabrum ſit conſtituta, ſe, & alia credibilia manifeſtat, dicente Auguſtino *tract. 35. in Joan. num. 4. Lumen, & alia demonſtrat, & ſe ipſum. Accendis lucernam, ut quæras tunicam: nunquid accendis lucernam, ut videas ardentem lucernam? Lucerna quippe ardens idonea eſt, & alia, quę tenebris operiebantur, nudare, & ſe ipſam tuis oculis demonſtrare.* Propterea idem Auguſtinus ait *libr. 1. contra Creſcon. capite 33. Eccleſiam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas; ut quoniam Sacra Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit, hujus obſcuritate quæſtionis* (an rebaptizandi eſſent baptizati ab hæreticis) *eamdem Eccleſiam de illa conſulat, quam*

ſine

ſine ulla ambiguitate Sacra Scriptura demonſtrat.

Ideò prudentiſſimè credimus; quinimò aliàs imprudentiſſimi eſſemus. Nam eſt moraliter evidens, Deum revelaſſe, quòd ſit auctoritas infallibilis in Eccleſia Catholica; & hæc in Romano Pontifice, & Concilio generali confirmato. Id enim univerſaliter nunc creditur, & ab initio naſcentis Eccleſiæ credebatur ab omnibus, qui cætera myſteria fidei admittebant uſque ad tempora Lutheri, & Calvini, & aliorum, qui inter alias hæreſes, hanc etiam excogitarunt, negandi dictam Eccleſiæ auctoritatem; nec eſt moraliter poſſibile, quòd ita generaliter à tot diverſarum Nationum hominibus, doctrina, ſanctitate, & prudentia conſpicuis crederetur, niſi id Traditione receptum eſſet à Chriſto, & Apoſtolis, & eſſet miraculis confirmatum; & propterea inſipientiſſimum eſſet de eo dubitare; & ideò non eſt levis corde, qui Eccleſiæ credit: cùm non credat alicui dicenti aliquod novum, aut extraordinarium, quod prius, & ſemper in Eccleſia non fuerit creditum; vel, quin judicio prudenti moveatur ad credendum.

Opponunt 3. Concilia, etiam confirmata à Papa circa fidem non ſemel erraruut: ergo nec Papa, neque ipſa Concilia gaudent infallibili auctoritate circa res fidei. Antecedens probatur. Antiquæ fidei multa addita ſunt, quæ conſtat Apoſtolos, nec verbo, neque viva voce Eccleſiæ tradidiſſe. Ita in Nicæno I. addita eſt *conſubſtantialitas* Filii divini cum Patre: in Tridentino *tranſubſtantiatio*, & alia hujuſmodi in aliis Conciliis, antiquis dogmatum regulis ſunt adjecta: ergo errarunt.

Si dicatur: rei antiquæ ab Apoſtolis traditæ nomen novum fuiſſe attributum; hoc non regit, nam implicat, ut res antiqua nomen novum poſſit recipere; cùm, priuſquàm nomen novum ſortiretur, nequaquàm ſine nominis proprietate maneret.

40 R. Negatur antecedens. Ad probationem dicimus. Multa dogmata revelari Eccleſiæ in ſuo Capite Romano Pontifice, non immediata revelatione, ſed Spiritus Sancti directione ad explicationem antiquitùs revelatorum Apoſtolis. Dirigit enim Eccleſiam, illuminans ejus Caput viſibile ad proponenda immediatè revelata, & ex revelatis immediatè veritates eliciendas. Hinc multa nunc habemus expreſsè ab Eccleſia, quæ ſub tali expreſſione, & explicatione ab ipſis Apoſtolis non ſunt tradita. Quæ tamen non inde fuerunt illis incognita; quoniam principia eis revelata, nobis tradiderunt, in quibus virtualiter concluſiones continentur. Ideò, licèt daremus multa nomina, quibus poſteà dogmata ſignificata ſunt, Apoſtolis fuiſſe incognita; res tamen, quia ab ipſis traditæ ſunt, ipſis notæ fuerunt. Id juris habet Eccleſia, ut inuſitatis priùs vocibus utatur, quibus fidem ſuam exprimat, præcludatque hæreticorum cavillationes. Sunt enim ait Auguſtinus *tract.97. in Joan. nu.4. & doctrinæ religionis congruentes verborum novitates, ſicut ipſum nomen Chriſtianorum, quando dici cæperit, ſcriptum eſt... res tamen ipſæ, & ante nomina ſua erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur. Adversùs impietatem quoque Arianorum hæreticorum novum nomen Patres Homouſion condiderunt; ſed non rem novam tali nomine ſignaverunt; hoc enim vocatur Homouſion, quod eſt:* ego & Pater unum ſumus, *unius videlicet, ejuſdemque ſubſtantiæ.*

Idem dicendum de nomine *Tranſubſtantiatio*, quod ſignificat ſubſtantialem panis, & vini converſionem in Chriſti Corpus, & Sanguinem: quæ ſemper in Eccleſia fuit credita; & nomen illud additum eſt contra Lutheranos conſubſtantiantes, hoc eſt, ponentes in Sacramento Altaris ſubſtantiam panis eſſe cum corpore Chriſti; & adversùs Calviniſtas, admittentes Corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis, non verè, & realiter, ſed ſolùm figuratè.

Et

Et proportione ſervata, idem valet de nomine *Incarnationis*, *Perſonæ*, *Purgatorii*, *Characteris*, *Indulgentiæ*, *Sacramenti*, *&c.* Quæ voces juxta hæreticorum inſtantias valent ad majorem explicationem credendorum, & rerum jam antea creditarum.

Quod autem Eccleſia poteſtatem habeat hujuſmodi nomina imponendi, oſtendit S. Athanaſius *diſp. contr. Arium in diſput. primæ Diei*. *Eccleſiaſticæ ſemper*, ait, moris eſt diſciplinæ, *ſi quando hæreticorum nova doctrina exurgit contra inſolentes quæſtionum novitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum vocabula immutare*.

Ipſa verò dogmata, quantum ad res ipſas, in Eccleſia ſemper credita ſunt; quæ quando ab hæreticis in dubium revocata fuerunt per Eccleſiam explicitè credendum definita ſunt, & novæ vocis proprietate res antiqua explicata eſt. Et ubi aliquorum apud Patres mentio non ſit facta, ideò fuit, quia nulla quæſtio de illis mota erat, & definitione Eccleſiæ pro tunc opus non fuit.

Dices. Paulus 1. *ad Timoth. 6.* jubet devitari prophanas vocum novitates; ergo novæ voces vitandæ ſunt.

R. Negatur conſequentia: Prophanas quidem voces Apoſtolus devitare præcepit; ſed hujus generis non ſunt, quæ Eccleſia adhibet, ut dixit Lirinenſis *commonit. 1. cap. 33.* *Quæ ſunt prophanæ vocum novitates? Quæ nihil habent ſacri, nihil religioſi ab Eccleſiæ penetrabilibus, quæ eſt templum Dei. Prophanas* (inquit Apoſtolus) *vocum novitates, ideſt, dogmatum, rerum, ſententiarum novitates, quæ ſunt vetuſtati, & quæ antiquitati contrariæ*. Et Auguſtinus *d. tract. 97. Si omnis novitas prophana eſſet, nec à Domino diceretur:* mandatum novum do vobis: *nec teſtamentum appellaretur novum; nec cantaretur in univerſa terra Canticum novum. Prophanæ ſunt verborum novitates, per quas, & fidem rerum verarum; quas credere parvuli præcipiuntur, vel ut imperitiam deridere volunt*, qui veritati contradicunt: *non ait* (Apoſtolus) *verborum novitates, ſed addit prophanas*.

Inſtant. Nullæ definitiones, & voces ſunt ab Eccleſia de novo adhibendæ dicente Auguſtino *libr. 2. de doctr. Chriſt. cap. 9. In iis, quæ apertè in Scriptura poſita ſunt, inveniuntur illa nomina, quæ continent fidem, moreſque vivendi. Lib. 2. de peccat. merit. & remiſ. cap. 36. Ubi de re obſcuriſſima diſputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis, clariſque documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio nihil faciens in partem alteram declinando*.

R. Hæc Novatores obtrudunt Catholicis adversùs divinas Traditiones, de quibus egimus *contr. 3. cap. 1.* Auguſtinus non dixit ſolam Scripturam eſſe firmamentum poſitum adversùs hæreſes, aliàs negaſſet auctoritatem Eccleſiæ, quæ ab Apoſtolo dicitur columna, & firmamentum veritatis, ab ipſo tantoperè commendatam, ubi ſupr. *contr. 10. Epiſt. fundam. cap. 5.*

Ad primum locum dicitur, quòd id, quod continetur apertè in Scripturis continet fidem, moreſque vivendi in genere, implicitè, & inadæquatè; unde non dixit continet omnem fidem, ſed fidem. Quamplurima enim continentur etiam in Traditionibus, quas nobis Eccleſia proponit. Quæ partim in antiquorum Patrum ſcriptis continentur: partim in definitionibus Eccleſiæ. Vel dicit *omnia apertè poſita, quæ continent fidem, moreſque vivendi*, quia nimirum in apertè poſitis invenimus multos articulos, & in apertè poſitis remittimus, ad Eccleſiam, ut eam audiamus, & ab ea erudiamur. Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit*. Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*.

Ad 2. Clara ſunt teſtimonia pro Eccleſia, quæ nobis proponit verbum Dei, tam ſcriptum, quàm ab Apoſtolis in libris canonicis non ſcriptum, ſed voce tantùm traditum. Vel dicendum, quòd ibi Auguſtinus agebat contra Pelagianos, quos traditione recepta de contractione peccati originalis ſe vinci nō ſciviſſe expertus jam

erat,

erat. Ideò in obſtruſioribus quibuſdam quæſtionibus, quas eo capite proponit, videlicet, quomodò animæ peccato originali infectæ traducerentur, ad Scripturas confugit, quas non reiiciebant. Et quis negat ſæpè obſcuram quæſtionem ex Solis Scripturis definiri non poſſe? Quo caſu recurrendum eſt ad Traditionem, vel Eccleſiæ definitionem, & conſuetudinem, contra quam diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe pronuntiavit idem Auguſtinus. Vel dicendum, quòd Myſteria, quorum notitia eſt ſingulis neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, continent in apertis locis Scripturæ, ut ibi ſignificat Auguſtinus: *Credo, quòd etiam hinc* (in propoſita quæſtione) *divinorum eloquiorum clariſſima auctoritas eſſet, ſi homo id ſine diſpendio promiſsæ ſalutis ignorare non poſſet*. Quæ verò obſcura ſunt Traditione, & Eccleſię definitione innoteſcunt. Ideò, qui recedunt ab ea, quæ eſt miniſterialis regula manifeſtans, & proponens, quæ ſint à Deo revelata, in tenebris errorum miſeri jacent.

Opponunt 4. Specialiter contra 2. partem. Non conſtat, quod Concilia à Papa confirmata ſint legitima; ergo decreta Conciliorum non ſunt objecta fidei.

Si dicatur. Concilium aliquod eſſe legitimum poteſt ſine aliqua probatione iis eſſe evidens, qui tunc adſunt præſentes. Vident enim conveniſſe in unum Epiſcopos, qui habentur ab omnibus veri Epiſcopi, & conveniſſe ex variis Provinciis, & vocatos ab eo, qui habet auctoritatem; & ſiquid aliud requiratur ad legitimum Concilium, id etiam videre poſſunt: nihil enim inviſibile requiritur. Poſteris verò, vel abſentibus id ipſum eſt notum ex Hiſtoricis, adeòque humana fide, ſed certiſſima, quæ evidentiæ naturali aliquo modo comparari poſſit. Ita V.G. Nicænum Concilium fuiſſe legitimum, non ſolùm unus, aut alter hiſtoricus teſtatur, ſed multi, & varii ſcriptores ejus temporis, & temporum ſubſequentium: & Eccleſia, quæ nunc eſt, idipſum aſſerit; nec eſt, nec fuit, qui contrarium ſentiat, aut ſenſerit, niſi hæreticus ſit.

Contra 1. Ergo non habemus teſtimonium infallibile, quòd Concilia illa fuerint, & fuerint legitima, & hoc, aut illud definierint: certitudo enim fidei humanę eſt fallibilis; & ubi alii affirmant, alii negant fuiſſe legitima. Hinc non poſſemus infallibiliter ſcire, quæ ſint decreta Conciliorum generalium.

Contra 2. Poſſunt Epiſcopi cenſeri non veri Epiſcopi, & non eſſe; ſed lupi rapaces, & hæretici.

Deinde. Sine crimine hæreſis quamplures adhuc non receperunt decreta Concilii Tridentini; ergo non ſunt objecta fidei.

Addunt. Auguſtinus *libr. 2. de baptiſ. contr. Donatiſt. cap. 9.* dixit: *Concilia poſteriora prioribus apud poſteros præponuntur*: & *cap. 3.* ſcripſit: *Ipſa plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari*; ergo Conciliorum decreta infallibilia non ſunt, neque fidei objecta.

R. Negatur antecedens. Ad primam replicam dicitur 1. Conſtat Concilia fuiſſe legitima ex auctenticis exemplis decretorum, quæ expletis Conciliis, aſſervantur in Eccleſiis, & quando per impoſſibile ſingula perirent, Romana Eccleſia, quæ eſt antiquitatis, & veræ doctrinæ cuſtos, & obſervatrix, veram notitiam præberet.

Secundò dicitur, quòd, licèt certitudo fidei humanæ non ſit abſolutè infallibilis, tamen imprudens eſt, qui rem recenſitam ab Hiſtoricis fide dignis negaret. V.G. *Julium Cæſarem fuiſſe*, quod ipſi teſtantur. Unde teſtimonium infallibile circa legitimitatem, & decreta Conciliorum habetur ex auctoritate, & aſſertione Eccleſiæ. Auctoritas verò Eccleſiæ conſiderari poteſt. Primò, quatenus multi probi, & docti in ea reperiuntur; & ſic ejus auctoritas non gignit, niſi certitudinem humanam. Secundò, quatenus ipſa juxta promiſſiones regitur à Spiritu Sancto, deduciturque in omnem veritatem;

&

& ſic ejus auctoritas gignit certitudinem infallibilem. Ideò ex auctoritate Pontificis confirmantis Concilia, tam de ipſorum legitimitate, quàm de infallibilitate decretorum infallibiliter conſtat, & ab eo Eccleſia certiſſimè recipit.

Neque obſtat, quòd aliqui id negent. Nam, num non erat legitimum Concilium Nicænum, quia idem clamabant Ariani contra illud, quod nunc Calviniani contra Tridentinum? An miracula Chriſti Jeſu non perhibebant teſtimonium de Chriſto Jeſu, quia non deerant, qui clamarent eſſe opera Dæmonum? Fortè ſol non lucet, quia noctua ejus lucem non videns, negat?

Dices. Totum hoc, nimirum, & quòd Hiſtorici, vel Epiſcopi dicant ſe ediſiſſe decreta fidei, & quod Concilium ſit à Papa confirmatum, poteſt eſſe naturaliter notorium; ergo notitia decretorum fidei editorum in Conciliis confirmatis non poteſt inſervire ad objectum fidei; quod debet eſſe revelatum, & non acceptum ab hominibus.

R. In hoc Facto, quòd decreta ſint edita in Concilio à Papa confirmato, ſunt duo. Unum, quod eſſe edita à Concilio confirmato, referant Hiſtorici, & Epiſcopi, ac Scriptores dicant. Alterum eſt id, quod continent decreta, vel ſignificatum decretorum Concilii congregati, & confirmati. Primum eſſe poteſt notum naturaliter, & ejus cognitio purè naturalis. Secundum verò eſt implicitè, vel explicitè à Deo revelatum, & deinde, Spiritu Sancto aſſiſtente, à Concilio confirmato expreſſiùs declaratum, ac definitum; hoc ſecundum eſt objectum fidei. Neque illud impedit, quin fide divina credatur, ſed eſt conditio prævia ad credendum. Ita priùs per Epiſcopum, Magiſtros, & Parentes, vel per lectionem librorum ſcimus articulos fidei, deinde credimus dicentibus: totum hoc eſt naturaliter notum. Poſteà verò credimus fide divina, non quia illos ab illis accepimus, ſed propter divinam revelationem, & quia Deus revelavit. Sic non credimus fide divina veritates fidei in Conciliis confirmatis definitas, quia illas à Scriptoribus accipimus, ſed quia Deus illas revelavit.

Immò obſervo eſſe de fide Concilium V.G. Nicænum à Papa confirmatum, & ſic de aliis non erraſſe, nec errare potuiſſe, utpotè revelatum in hac univerſali per Traditionem ab Apoſtolis acceptam. *Quòd Concilium generale à Papa confirmatum errare non poteſt*. Ideò de Epiſcopis in Concilio generali à Pontifice confirmato nullatenus cenſeri poteſt, quod non ſint veri Epiſcopi. Eccleſia enim certò credit Deum non permiſiſſe, ut in Concilio, quod ab Eccleſia legitimum creditur, convenerint Epiſcopi, aut omnes, aut pro majori parte non legitimi, aut non Catholici. Nam non ſolùm ſcimus Deo curam habere Eccleſiæ ſuæ: ſed ex Scripturis etiam didicimus Dei providentiam omnia ſuaviter diſponere, & Pontificem eſſe in ea relictum, ut ipſam ab errore contra fidem præſervet. Ideò dato caſu ex hypoteſi non poſſibili; Papa ex ſuæ infallibilitatis privilegio Concilium non confirmaret, ſed improbaret, ut legitur de Epheſino I. Et per hæc ad ſecundam replicam.

Ad deinde. Nulla apud Catholicos lis eſt, nulla controverſia, nulla recuſatio decretorum Tridentini de rebus fidei: apud omnes hæc ſunt indubitata, & conſtantiſſimè profitentur ubique conſtituti Fideles, quamvis apud aliquos, ut in Gallia, non omnes receptæ ſint ipſius conſtitutiones extra fidei definitionem, ſed circa beneficia Eccleſiaſtica, & reformationem. Et hoc, ſciente, & ob ſibi notas rationes tolerante Romano Pontifice.

Ad additum. Auguſtinus in primo loco comparat Concilium plenarium Eccleſiæ celebratum poſt tempora Cypriani (in quo definitum fuit non eſſe rebaptizandos baptizatos ab hæreticis) cum Concilio coacto ab ipſomet Cypriano, in quo rebaptizatio ſtatuta erat. Ut Donatiſtas allegan-

gantes pro ſuo errore Concilium Cypriani, S. Doctor revinceret, eis oppoſuit Concilium generale; & huic eos debere credere oſtendit, quia univerſale: partibus ſemper jure optimo totum præponitur, ut ibi textus.

In idem collimat in 2. *loco*. Urget Donatiſtas, ut hallucinationem de rebaptizatione ex ſententia, & Concilio Cypriani hauſtam, deponant; quia Concilia Provincialia auctoritati Conciliorum, quæ fiunt ex univerſo Orbe Chriſtiano, cedunt. Quamvis in illis major adfuiſſet Epiſcoporum numerus, quàm in iſtis. Ubi verò de duobus generalibus loqui diceretur, intelligendus eſt, quòd poſterius generale poteſt, Pontifice conſentiente, leges aliquas Eccleſiaſticas, temporum varietate exigente, in priori editas tollere, & abrogare, firmis ſemper remanentibus decretis de rebus fidei, & doctrina morum.

Quæritur 1. *An ſit diſcrimen inter Scripturam, & definitionem Eccleſiæ*, hoc eſt, editam à Capite Eccleſiæ, vel à Concilio ab eo confirmato?

R. In multis conveniunt, & in nonnullis differunt. Conveniunt I. quod tam Scriptura, quàm definitiones Eccleſiæ ſunt ęqualis auctoritatis ad obligandum Fideles; ratio eſt, quia utrobique vox Dei eſt. Itaque triplex eſt Verbum Dei: *Scriptum*, *Traditum*, & *Definitum*, vel à Pontifice extra Concilia, vel à Concilio generali à Papa confirmato; cùm enim Deus aliqua in Scriptura revelaverit magis explicitè, & clarè, & alia implicitè, & magis obſcurè, ab Eccleſia definiri ſolet, & explicitè proponi, quòd tantùm implicitè, & magis obſcurè eſt à Deo revelatum, maximè cùm ſolet revocari in dubium, aut non ſanè intelligi. De Verbo Dei ſcripto egimus *contr.3.cap.2. & cap.1.* De verbo Dei tradito.

56 Secundò. Quòd vox, ſeù definitio Eccleſiæ tam eſt à Deo, & tam Deus loquitur per Eccleſiam, quàm per Scripturam; & Deus utrobique æqualiter verax eſt, & æquali fide, & obedientia dignus. Unde tam Scriptura, quàm definitiones Eccleſiæ ſunt infallibilis auctoritatis, & norma veritatis; ſed definitiones Eccleſię ſunt regula notior.

57 Tertiò. Quòd tam Scriptura, quàm Eccleſia in ſuo Capite eſt lucerna, ſed diverſimodè; illa, ut lucis materia, hæc ut miniſtra; illa, ut lucem ſua auctoritate portet; hæc, quaſi digito teſtimonium ſuis definitionibus perhibens de eadem.

58 Differunt verò 1. Quia Scriptura eſt regula, & norma inanimis, licèt non adæquata; hæc enim complectitur, etiam Traditiones Dominicas ex *controv.3.cap.1.* Definitio verò Eccleſiæ relatè ad illam eſt regulatum, quatenùs Eccleſia in ſuis definitionibus edendis Scripturas ſcrutatur, ut inveniat, quid Deus in illis implicitè revelaverit, & juxta illas definiat.

59 II. Quia auctoritas Eccleſiæ eſt nobis in pluribus evidentior, quàm Scripturæ, in quantum manifeſtior, & explicatior eſt definitio, & vox Eccleſiæ, quàm Scripturæ, cùm ſæpè Scriptura obſcurè loquatur. Circa Scripturam enim dubitari ſolet. Primò, *an hi, & illi libri ſint canonici, & à Spiritu Sancto inſpirati?* 2. *Qui ſit ſenſus verborum illius?* aliter enim unus, & alius aliter ipſam interpretatur. 3. *Quid implicitè lateat in verbo Dei, & quid inde erui, & conſequi poſſit neceſſariò?* propter hęc enim plures inter ſe digladiantur, & in periculum fides adducitur. Hinc Eccleſia per ſuum Caput, vel extra, vel confirmans Concilia circa Verbum Dei tria ſolet definire. Primò definit, qui, & quot ſint libri canonici. Secundò, de ſenſu legitimo, & à Spiritu Sancto intento: & utrumque ex Traditione. Tertiò, Definitiones, & propoſitiones fidei format de propoſitionibus; quæ neceſſariò conſequuntur ex verbo Dei explicitè revelato. Unde dicitur Eccleſiam dare veritatem Scripturæ, non *in ſe*, quia hanc habet à Deo, ſed *quoad nos*, quatenus Eccleſia definit, ut acceptetur, & de ejus ſenſu ju-

judicat, ut ipſum firmiter teneamus.

60 III. Quòd latiùs patet vox Eccleſię; quæ tam verbum ſcriptum, quàm non Scriptum loquitur, & loqui poteſt explicitè: atque adeò aliquid poteſt de fide explicitè decernere, quod Scriptura ita explicitè non docet. Quod conſtat, quia eſtò Scriptura loquatur eſſe tenendas Traditiones, non determinat tamen, quæ Traditiones in particulari ſint, ut Dominicæ tenendæ, quod fecit Eccleſia. Item, Scriptura non docet, quinam ſint libri canonici, quod determinavit Eccleſia in Trid. *ſeſſ.4.in decret. de Script.*

61 IV. Quia Scriptura eſt vox Dei, ſed nec ſemper, nec ſimpliciter: Nam & Diabolus, & hęreticus loquitur Scripturę ſententias voce ſua, non voce Dei: ſed Scriptura eſt ſemper vox Dei, quando Eccleſia, per quam Deus loquitur, eam proponit: vox autem Eccleſiæ eſt ſimpliciter, & ſemper vox Dei; quatenus nunquam, niſi Deo aſſiſtente, & ab errore pręſervante loquitur, quando de moribus, & fide loquitur, & Eccleſiam docet de pertinentibus ad ſalutem.

62 Quia definitiones Eccleſiæ editæ quidem ſunt ex aſſiſtentia Spiritus Sancti (qui Pontifici aſſiſtit, ne in illis erret) ſed non illam dictantis. Scriptura verò fuit à Spiritu Sancto, dictante non tam ſenſum, quàm verba. Unde dixit Auguſtinus *lib.7.confeſ.cap.21. Sacra Scriptura eſt venerabilis Stylus Spiritus Sancti.* Et *lib.12. cap.29. Nonne iſta Scriptura tua vera eſt, quoniam tu verax, & veritas edidiſti eam?*

Sed quæritur. Quomodo Deus dictarit Sacram Scripturam?

Reſp. Deus eo ſenſu illam dictavit, quòd Sacrorum Scriptorum mentem, voluntatem, & manum multò perfectiùs, quàm ſolent homines, qui quædam Amanuenſibus dictant, affecerit.

Et quidem I. mentem affecit tribuendo earum rerum, quas dictavit, cognitionem; vel immediatè illam imprimendo menti; vel illuminando, ut Scriptores in memoriam redigerent, quæ viderant, vel audierant, juxta illud Joan.15. *Et Suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.*

II. Voluntatem movit inſpirando, excitando, accendendo, ut fideliter ſcriberent, quæ menti revelata fuerunt.

III. Manui adfuit, ne rem pro re, verbum pro verbo, litteram pro littera ſcriberent.

Et notamus ex alibi dictis, quod, ſi ſingula Sacræ Scripturæ verba, non fuiſſent à Canonicis Scriptoribus, Spiritu Sancto dictante conſcripta, non magis ipſa pertinerent ad verbum Dei ſcriptum, quàm definitiones Eccleſiæ; quæ à Pontifice fiunt ex aſſiſtentia Spiritus Sancti juxta illud *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Et ita nulla eſſet differentia inter definitiones Pontificias, & divinam Scripturam. Quod à nemine dicendum eſt.

Dices. Sed cur Lucas in *cap.1.* ſui Evangelii dixit auctoritatem ex teſtium fide, & relatione ſumere, ſi Evangelium, & acta Apoſtolorum, Spiritu Sancto dictante, conſcripſit?

63 Reſp.1. Expediens erat ad fidem humanam conciliandam apud eos, qui nondum Chriſtiani erant: non enim credidiſſent, ſi ſe ſcribere, Spiritu Sancto dictante, dixiſſet; benè verò ubi res geſtas agnoviſſent eſſe à viro probo ſcriptas, vel, quia ipſe viderat, vel à fide dignis, & oculatis teſtibus acceperat.

64 Secundò, dicitur ſpeciali Dei providentia factum eſſe, ut duo ex Evangeliſtis fuerint Apoſtoli, qui res, ut viſas narraverint, ut Matthæus, & Joannes, qui ſecuti ſunt Dominum, dum hìc vixit. Alii duo è contra, ut Marcus, & Lucas, non fuerint Apoſtoli, & res non ut viſas, ſed ut ab Apoſtolis auditas deſcripſerint, ut inde colligatur hiſtoriæ Evangelicæ certitudo, non ex Scriptorum Sacrorum viſu, vel auditu manare, ſed ex ipſa Spiritus Sancti aſſiſtentia, res, verbaque dictantis, ut tenet Auguſtinus *lib.1. de conſenſu Evangeliſtarum cap.1.*

65 Ne-

65 Neque obſtat, quòd omnes divinæ Scripturæ libri unius, & ejuſdem ſtyli non ſint. Hoc enim non probat ſacros Scriptores ſuamet verba in libris apposuiſſe, nõ verò illa à Spiritu Sancto dictata, ſed ſolùm, quòd Spiritus Sanctus ſe accõmodaverit indoli, & genio ſcribentium. Nam Deus ſolet hominibus, tanquàm inſtrumentis uti modo, qui eorum naturæ, & indoli congruit, adeòut in urbanis urbanus, in eloquentibus eloquentior videatur; perinde ac tibicen, qui in tibiis ſubtilioribus ſubtiliùs, in craſſioribus craſſiùs, in grandioribus modulatur grandiùs. Sic non mirum, ſi in ſtylo ſuo exultans lætetur Iſajas, lamentetur Jeremias, minetur Ezechiel. Neque mirum, ſi Deus eleganter loquebatur per Iſajam, ruſticèque per Amos; erat quippe Iſajas in regia eruditus, (utpotè nepos Amaſiæ Regis Juda ex fratre) erat Amos ineruditus Paſtor.

Dices. Scriptor *lib. 2. Machabæor. in fine* petit veniam, *ſi minus dignè ſcripſerit:* Quod probat opus fuiſſe humanum, & defectibile non in alio, quàm in modo ipſo ſcribendi. 2. Paulus 1. *ad Corinth.* 7. ait: *Cæteris ego, dico, non Dominus;* ergo non omnia Scripturæ verba ſunt divina. 3. D. Hieronymus *Epiſt.* 101. notat, Apoſtolos, & Evangeliſtas referre ſolitos non præciſa verba, ſed ſenſum ſententiæ veteris Teſtamenti. Verba autem fuiſſent tranſumenda, ſi fuiſſent divina. 4. In Sacra Scriptura reperiuntur plura verba prophana: ad Titum *cap.* 1. eſt illud Epimenidis philoſophi: *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri;* quæ non videntur à Spiritu Sancto dictata.

66 R. Ad 1. Deus ipſe dictabat eam excuſationem ſui inſtrumenti, ut modo humano ſcribendorum librorum ſe accõmodaret, doceretque nos modum modeſtum ſcribendi. Nec petit veniam erratorum, quia ibi nulla ſunt.

67 Ad 2. Ut Paulus diſtinguat ea, quæ Deus proprio ore protulit, dicit: *præcipio non ego, ſed Dominus;* hoc eſt, conjugatis auctoritate Chriſti Domini pręcipio, ut ad invicem non ſeparentur. Ut verò indicet, quæ ipſe dicit ſecundùm ſuum conſilium, ait; *cæteris ego dico, non Dominus:* hoc eſt, conjugatis diſparis fidei, ſeù quorum unus eſt Chriſtianus, alter paganus, ut exponit Auguſtinus *lib. 1. de conjug. adult. cap.* 13. Domini Spiritu motus moneo, ut conjux fidelis non relinquat conjugem infidelem, ſi hæc conſentit habitare cum illo. Quod monitum, & conſilium fuerit à Paulo ex motione Spiritus Sancti, patet, cùm concludat: *puto autem, quòd ego Spiritum Dei habeam:* quæ ſunt maximæ humilitatis verba, dum dicit, *puto:* ſed magnæ auctoritatis dum dicit, *Spiritum Dei habeam:* hoc enim ſignificat, conſilium illud, Dei inſtinctu eſſe datum.

Ad 3. Voluit S. Doctor nos inſtruere pluris in loquendo facienda eſſe ipſa ſignificata, quàm verba ſignificantia; quia littera malè intellecta occidit.

68 Ad 4. Illa, quatenus prophana ſunt, & ab auctoribus Ethnicis uſurpata, non fuerunt à Spiritu Sancto dictata, benè verò quatenus à Deo elevata, & aſſumpta ſunt ad ea nobis ſignificanda, quæ Deus per ea nobis ſignificare decrevit. Cætera videri poſſunt apud Auctores, cùm noſtrum hic non ſit ex inſtituto rem examinare. Lege ſupr. *contr. 3. cap. 4. n. 25. & 26.*

Quæritur 2. *An vera Eccleſia probanda ſit ex Scriptura, vel è contra?*

69 R. Admittentibus Scripturam, non verò Eccleſiam, eſt Eccleſia probanda per Scripturam, quę fuit praxis Auguſtini contra Donatiſtas, qui Scripturas divinas admittebant, & veram Chriſti Eccleſiam negabant, aſſerebantque in toto Orbe periiſſe, & ſolùm remanſiſſe in Africa in parte Donati; ſic *libr. de unit. Eccleſ. cap.* 3. ait: *Sunt certè libri divini, quorum auctoritati utrique conſentimus, utrique credimus, utrique ſervimus, ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram.*

70 Illis verò, qui Eccleſiam profitentur per hanc probanda eſt vera Scriptura,

prout idem Auguſtinus egit adversùs Manicheos, qui pleraſque Scripturas non recipiebant, & à Deo eſſe negabant, ita *lib.1.contr.Epiſt. fundamen.cap.5.* inquit: *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas.*

71 Quòd, ſi neque Eccleſia, neque Scriptura ſit alicui credibilis, & credenda: primùm probanda erit Eccleſia per motiva credibilitatis, quæ evidenter ſuadent Eccleſiam eſſe à Deo revelatam, & fundatam, adeòut imprudentiſſimè quis eam neget, ut diximus *contr.1.cap.1. ad finem,* & *contr.3.cap.3.nu.11.ad 13.*

72 Ex Apoſtolorum etiam Symbolo poteſt Eccleſia, eam non credentibus, & illud fatentibus, probari; nam in eo articulus credendus proponitur: *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam*. De Symbolo agit idem Auguſtinus *lib.de fide, & Symbolo cap.10. & cap.1.* dixit: *Eſt Catholica fides in ſymbolo, nota fidelibus, memoriæque mandata, quanta paſſa eſt brevitate Sermonis*. Illud autem ab Apoſtolis editum eſſe Traditione conſtat.

Quæritur 3. *An ſint aliquæ regulæ ad intelligentiam decretorum Conciliorum neceſſariæ?*

73 R. Affirmativè. Hoc quæſitum excitatur, quia multa ſunt in Conciliis ſtatuta, quæ ad fidem non pertinent, ſed ea ſolùm, quæ tanquàm de fide univerſis Fidelibus ſub pęna anathematis communiter credenda proponuntur; ita ut ſola ipſa decreta nuda quoad ſubſtantiam ſint de fide, non omnia adjuncta, quæ in decretis inſeruntur, ut ſunt rationes, & auctoritates Patrum, quæ probationis loco ſubiiciuntur; cùm fortè non ſemper ſint neceſſariæ, ſed interdum probabiles, & non raró poſſint à privatis hominibus adhiberi, quibus Concilia demandant, ut canones in certam formam reducant: hęc enim non ęqualis ſunt ponderis, ac ipſa decreta; at nihil propterea de decretorum auctoritate, & debito iis obſequio decedit. Quod obſervandum eſt, etiam circa Conſtitutiones Summorum Pontificum. Quare.

74 Prima regula eſt. Quòd definitio Conciliaris eſt de fide, & dogmatica, cùm Patres in Conciliis ex Scripturis, vel Traditione definiunt, & Papa approbat.

75 II. Quòd declaratio, quænam Scriptura ſit auctentica, & quę non, facta à Concilio à Papa confirmato pro regula infallibili recipienda eſt, & decretum Synodicum à nullo Catholico repudiari poteſt.

76 III. Quòd interpretatio de vero ſenſu ipſius Scripturæ cùm à Concilio Oecumenico habetur, pro dogmatica accipienda eſt, accedente confirmatione Papæ.

77 IV. Ubi Traditione determinatur aliquod recipiendum, non ut adiaphorum, ſeù indifferens, ſed ut certum dogma eſt accipiendum.

78 V. Cùm aliqua concluſio ex principiis fidei deducta à Concilio confirmato explicatur, atque proponitur, non ut adiaphora, ſed ut certum dogma tenenda eſt.

79 VI. Si poſt decreta Synodica, vel in principio, aut medio apponuntur hæ clauſulæ: *Diffinimus*, vel *declaramus*, *profitemur*, vel, *firmiter credimus*, ut in Concilio Lugdunenſi *cap.de Sum.Trinit.& fid.Cath.* & in Lateranen. *cap.damnamus eod.tit.* aut, *contrarium aſſerentes pro hæreticis judicantur;* vel additur, *damnamus*, aut *prohibemus*, & *reprobamus*: ſeù Canon concluditur, *anathema ſit*; prout concluduntur illi Tridentini: hæc ſunt notę, & ſigna definitionis.

80 VII. Quæcumque non ex inſtituto, & deliberato conſilio, ſed per accidens, & obiter dicuntur in Conciliorum decretis, non videntur ad fidem pertinere.

81 VIII. Quidquid Canones Conciliorum confirmatorum præſcribunt credendum, omninò recipiendum eſt. In decretis verò, in quibus rationes inſeruntur, procedendum juxta dicta *nu.73.* Verùm temeritatis eſt, velle ipſa verba decretorum extorquere, & interpretari, cùm declaratio ad Sedem Apoſtolicam pertineat.

Quæritur 4. *An una, & eadem ſit Eccleſia noſtra, ac antiquorum Patrum, Legis naturæ, & ſcriptæ?*

Hoc

Hoc quæſitum ſub examine ponitur, ut ejus occaſione, nonnullorum notitia miniſtretur, quæ ſi conferantur cum reſolutis *contr.1.cap.1.& 3.& contr.4.cap.3.* aptiſſima ſunt ad ſolvendas difficultates, quæ adversùs ea, obtrudere quis poſſet.

82 Primò itaque, ut certum omninò ſupponitur, in ſtatu Legis naturæ viguiſſe Eccleſiam ſub protoparentibus; quæ ad Abel producta, inde ad Seth, Enoch protrahitur, & uſque ad Noe continuatur. Ab iſto poſt diluvium devolvitur ad domũ Arbahæ, in qua cuſtodita eſt plantatio Civitatis Dei. Mox ab Abraham ad Iſaac, Jacob, cæteroſque Patriarchas deducta, ſub Joſeph Principe in Ægypto adunatur. Tranſlata deinde ſub Moyſe Duce, aucta eſt legibus ſcriptis, præceptis, cæremonialibus, &c. Et hoc toto tempore nunquàm interruptus eſt Dei cultus.

83 Sub hoc ultimo ſtatu incepit tempus legis ſcriptæ, qui duravit uſque ad tempus Meſſiæ. Videri poteſt Auguſtinus, qui *lib.16. de Civit.Dei*, per multa capita admirabilis eſt in tradenda ſancta ſucceſſione veri cultus, & Eccleſiæ ex teſtimoniis Scripturæ: Quam ſub Patriarchis adunatam profert ab Abel uſque ad Chriſtum Dominum, totum progreſſum Civitatis Dei demonſtrans. Cui attexuit ſtatum ejuſdem in nova lege *lib.18.ibi, cap.46.* uſque ad conſummationem ſæculi.

84 Secundò, negare nullus poteſt plures ex Gentilibus fuiſſe in ſtatu Legis naturæ juſtificatos, & ſalutem eſſe aſſecutos per fidem in Mediatorem venturum. Hoc ipſum idem oſtendit ibi *cap.47. Populus enim reverà*, ait, *qui propriè Dei populus diceretur, nullus alius fuit* (præter Iſraelitas) *homines autem quoſdam non terrena, ſed cæleſti ſocietate ad veros Iſraelitas ſupernæ Cives Patriæ pertinentes, etiam in aliis gentibus fuiſse, negare* (Judæi) *non poſſunt, quia, ſi negant, facillimè convincuntur de Sancto, & mirabili viro Job, qui nec indigena, nec Proſelytus, ideſt, advena populi Iſrael fuit: ſed ex gente Idumea genus ducẽs, ibi ortus, ibidẽ mortuus eſt.*

85 Ideò notum eſt Eccleſias illas non formaliter, ſed materialiter tantùm fuiſſe diſtinctas: utriſque per eandem fidem in Meſſiam venturum, & convenientibus in eodem credito, ſperato, & amato patebat aditus ad ſalutem juxta Auguſtinum *in pſal.104.n.10. Non enim quiſquam præter iſtam fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, ſive ante ejus Incarnationem, ſive poſteà reconciliatus eſt Deo.*

86 Verùm poterant Gentiles ad Judęos tranſire: ex quo & Proſelyti dicebantur. Qui verò ex Gentilitate ad Judaiſmum ſe transferrent, Sacramento circumciſionis initiabantur. Liber verò erat hic tranſitus, cùm Solis Judæis fuiſſet pręcepta circumciſio. Et tunc, qui actualiter incorporabantur, erant numero, & meritò Judæi fideles; qui verò non, ſed à cæteris Gentibus per fidem in Mediatorem futurum, vel ſacrificiis iſtius fidei proteſtativis diſtinguebantur, ſolùm merito, & ad Sacerdotium Aaronicum habitualiter referebantur. Qua ratione Auguſtinus in *pſal.145.nu.18.* dixit: *Omnis Eccleſia Gentium proſelyta eſt*: numero, & merito, vel merito tantùm.

87 Unde habetur, quòd, poſito ſtatu Legis Scriptæ, adhuc præputiati, ſeù Gentiles, poterant ſalvari per fidem in Mediatorem futurum, ſi ſervabant præcepta Legis naturæ, ut oportet. Non enim Deus, licèt conſtituerit ſibi populum electum Judaicum, abrogavit omninò Sacramenta Legis naturæ, ſed ipſis etiam Hebræis licebat pro fæminis, & pro parvulis ante octavum diem, uti remedio inſtituto pro ſtatu Legis naturæ ad tollendum peccatum originale, de quo, ait Auguſtinus *libr.5. contr.Julianum cap.9. Nec ideò credendum eſt, & ante circumciſionem famulos Dei, quando quidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuiſſe parvulis ſuis. Nam & ſacrificia eorum legimus, quibus utique ille figurabatur, qui ſolus tollit peccatum mundi.*

88 Quapropter una, eademque eſt Ec-

cleſia; quæ ab initio, & uſque ad finem in eadem identitate conſervabitur. Ratio eſt, quia identitas alicujus rei non ex materia, ſed ex forma deſumitur. Ita ob unam ſpeciem aquę, & alvei identitatem dicitur idem fluvius, licèt partes fluminis fluant, & refluant. Idem ignis dicitur continuò ardere, licèt nova combuſtibilia apponantur, & priora comburantur, quia eadem ſpecies ignis manet. Idem numero homo eſt à principio ſuæ nativitatis per totam vitam, licèt quandiù vivit, & creſcit, non ſint eędem partes materialiter, quæ actione caloris naturalis conſumptæ novo alimento, & augumento reparantur; non alia ratione, niſi quia eadem forma ſingulæ partes informantur; & propterea idem numero eſt in infantia, in adoleſcentia, in virilitate, & ſenectute. Sic una, eademque Civitas eſt, eſtò homines vivi mortuis ſuccedant; quia idem ſervatur ordo Politiæ. Ita in propoſito, identitas Eccleſiæ non eſt deſumenda ſecundùm diverſitatem perſonarum ſibi invicem ſuccedentium: hæc enim eſt diſtinctio ſolùm materialis: & hac ratione Eccleſia unius Civitatis, vel Provinciæ eſt diſtincta, & diverſa ab aliis. A forma itaque ejus identitas ſumenda eſt. Eſt autem forma conſtitutiva Eccleſię fides exteriori proteſtatione, & Sacramentorum adminiſtratione manifeſtata in ordine ad unum Caput viſibile, ut hic ſupponimus ex alibi dictis.

89 Certum autem eſt, quòd unum, & idem objectum fidei, Chriſtus nimirum, ſemper fuit ab initio creditum uſque ad præſens, & credetur uſque ad conſummationem ſæculi; cum hac tamen differentia ſtatuum, quòd diverſis temporibus, & à diverſis perſonis, magis, & minus explicitè creditum fuerit: magis enim explicitè fuerunt multa credita tempore Moyſis, quàm tempore Legis naturæ; & magis tempore Legis gratiæ plura explicitè creduntur, quàm ſub utraque Lege, ita crederentur. Sic expreſsè Auguſtinus *tr.45. in Joan. nu.9.* *Ante adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui humilis venit in carne, præceſſerunt juſti: ſic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata ſunt, non fides, quia & ipſa verba pro tempore variantur, cùm variè declinantur: alium ſonum habet*, venturus eſt, *alium ſonum habet*, venit: *mutatus eſt ſonus, venturus eſt, & venit: eadem tamen fides utroſque conjungit, & eos, qui venturum eſſe, & eos, qui eum veniſſe crediderunt. Diverſis quidem temporibus, ſed utroſque per unum fidei oſtium, hoc eſt, per Chriſtum videmus ingreſſos*. Et ad hoc propoſitum adducit Apoſtolum 2. *ad Corinth.4.* dicentem: *habentes eundem ſpiritum fidei*.

90 Hinc ad quæſitum. Eccleſia noſtra, & antiquorum ſecundùm eſſentiam eadem eſt, licèt ſtatus noſtræ ſit illo excellentior. Propterea ſtatus Legis naturæ, infantiæ: ſtatus Legis Moyſis, adoleſcentiæ: ſtatus verò Legis gratiæ juventuti, maturitati, & ſenectuti comparatur cum continuatione uſque ad finem Mundi. Sicut autem eſt idem numero homo, qui puer, & poſteà adoleſcens: &, qui juvenis, & uſque ad finem vitæ; ſic eadem prorſus eſt Eccleſia, in diverſis ſtatibus eamdem identitatem ſervans.

Dices. Synagoga Judæorum defecit; & Scripturis ſignificatur Eccleſia Judæorum excluſa. Ideò Eccleſia Chriſtiana eſſentialiter ab illa Judæorum eſt diverſa.

91 R. Eccleſia Judæorum dicitur excluſa, non quantum ad eſſentiam, & identitatem, ſed ſolùm quantum ad ſtatum: ſicuti excluſam dicimus pueritiam, ſubintrante adoleſcentia, & figuram, umbrà impletà. Vel, dicitur, quòd Synagoga in ratione Synagogæ, quatenus nimirum dicebat ſacrificia, cæremonias, circumciſionem, & judicialia, aliaque, quę erant umbra futurorum, defecit; non verò in ratione Eccleſiæ, ſub qua importabat fidem in Meſſiam venturum. Quomodo non defecit, ſed in ſtatum novæ Legis multò meliorem, & perfectiorem evecta eſt. Ideò Eccleſia Chriſtiana eſt eſſentialiter diverſa

ab

ab Eccleſia Judæorum, prout hæc conſideratur ſub ratione Synagogæ, non verò ſub ratione Eccleſiæ. Unde dixit Auguſtinus in *pſal.40. Plantata eſt ibi Eccleſia Chriſti, unde eradicatæ ſunt ſpinæ Synagogæ*.

92 Quod verò Synagoga Judæorum, etiam Eccleſia dicta ſit, habet Auguſtinus in *pſal.77.n.3. Quamvis enim propriè dicatur Synagoga Judæorum, Eccleſia verò Chriſtianorum, quia congregatio magis pecorum, convocatio verò magis hominum intelligi ſolet: tamen & illam dictam invenimus Eccleſiam*. Et *in pſal.78.nu.3.*

93 Idem Auguſtinus *lib.19.c.11. contra Fauſtum* dixit: *In nullum nomen Religionis, ſeù verum, ſeù falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur: Ideò Dei Civitas ſemper viſibilibus iſtis ſignis fidem proteſtantibus, & populum colligantibus adunata eſt;* Licèt, ut idem ait, *q.84. in Leviticum. Pro temporum diverſitate mutata ſunt, ut alia tunc fuerint, & alia modò ſint*. Quæ, cùm eſſent prænuntiativa Chriſti venturi, & Chriſtus cum ſuo adventu impleſſet, ablata ſunt: & ideò ablata, quia impleta. Quæ variatio ſolam diverſitatem ſtatus demonſtravit. Fuitq; neceſſarium ea mutari, ne ſi eadem permanſiſſent Sacramenta, ejuſdem ſtatus videretur eſſe continuatio; quia tamen ea illorum reſpiciebant Chriſtum venturum, noſtra autem Chriſtum jam veniſſe reſpiciunt, identitas habetur objecti; & ideò Religionis identitas non diverſificatur; ſicut non diverſificatur quævis familia, quòd diverſa præcepta proponantur à Domino pro temporum varietate; vel aliter hyeme, vel aliter in æſtate veſtiantur, prout totum explicavit Auguſtinus ubi *ſupra tract.45. Nos credimus Dominum Jeſum Chriſtum natum ex Virgine, veniſſe in carne, paſſum eſſe, reſurrexiſſe, in Cœlum aſcendiſſe: totum hoc impletum eſſe, jam credimus. In eius ſunt fidei ſocietate nobiſcum, & illi Patres, qui crediderunt de Virgine naſciturum, paſſurum, reſurrecturum, in Cœlum adſcenſurum*.

94 Quæ identitas attenditur ex parte fundamenti, ſicut dicitur de illa domus materialis. Unum autem, & idem fundamentum Eccleſiæ fuit in ſtatu Legis naturæ, & ſcriptæ, & eſt in ſtatu Legis novæ, Chriſtus nimirum, qui eſt fundamentum omnium Fidelium, qui veluti domus ſuperædificantur, juxta illud 1. *ad Corinth.3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*. Et veluti ſecundaria fundamenta recenſentur Apoſtoli, & Patriarchæ, *ad Epheſ. 2. Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu*: præcipuo fundamento. Eadem ergo Domus identitas eſt, quæ ſuper idem fundamentum ſuperextruitur, & ab eodem ſuſtinetur.

Dices. Pro ſtatu Legis veteris non erat unus omnium Fidelium Summus Paſtor. Nam Pontificum Judæorum auctoritas continebatur ſolùm intrà limites Hebraiſmi, nec ſe extendebat ad Fideles, habentes veram fidem inter Gentiles (inter quos fuit Job) qui, ut diximus, ſalvabantur per Sacramenta Legis naturæ; & de rebus fidei inſtruebantur à Prophetis, inter quos nullus erat ordo prælationis. Vel, ſi tunc ſtetit formalis identitas Eccleſiæ, quin unus eſſet ſupremus omnium Paſtor; ita in ſtatu Legis novæ omnibus Fidelibus diffuſis per Orbem non eſt præficiendus Romanus Pontifex Supremus omnium Paſtor, ſed plures æqualis poteſtatis ſunt conſtituendi; & ita regimen Eccleſiæ non erit Monarchicum contra dicta *contr.4.cap.3.*

95 Reſp. Hoc eſt certum, quòd Chriſtus fuit Caput inviſibile Eccleſiæ pro ſtatu Legis naturæ, & ſcriptæ, & eſt nunc Eccleſiæ Chriſtianæ (cujus etiam, dum in terris viveret, fuit viſibile) ut habetur expreſsè ex Apoſtolo ad *Epheſios 1. & (Deus) ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*: Et *cap.5. Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ*.

96 Item. Quòd ſemper ab initio fuerit in Eccleſia aliquod caput viſibile: docuerunt Patres. Ita Theophylactus Antioche-

nus dixit, ideò Deum ex coſta viri mulierem formaſſe, ut *Monarchiæ ſuæ myſterium demonſtraret*. Et ita in antiquorum Patrum ſerie pro ſtatu Legis naturæ, qui major erat, omnibus in Eccleſia præerat, ut non obſcurè ſignificat Auguſtinus *in pſal.*128. *nu.*2. dicens, quòd *Eccleſia fuit in Abel, Enoch, &c.* ſub Moyſe verò, ſummum Sacerdotem in Eccleſia præfuiſſe, ex Scripturis docemur.

97 Hæc planè ſunt innegabilia. Modò circa antecedens poſſunt aptari dicta *n.*86. Sed, eo permiſſo, negatur conſequentia. Ratio eſt, quia, eſtò etiam in illis legibus nullus potuerit ſalvari ſine fide in Mediatorem futurum; tamen ſtatus hujus fidei non erat omninò unus quoad omnia. Nam non alligabatur pro omnibus iiſdem Sacramentis, & legibus; Quoniam Fideles inter Gentiles non tenebantur illis legibus (excipio præcepta Decalogi, quæ ſunt juris naturalis) & Sacramentis, quæ erant data Hebręis. Ideò non erat neceſſe, quòd Sacerdotiũ Aaronicũ comprehenderet Fideles Gentilium. Aliter verò dicendum in Eccleſia Catholica. In qua creditur Chriſtum veniſſe, & eadem eſt fides, eadem Sacramenta, eadem morum doctrina, idem Sacerdotium, & Sacrificium, adeò ut ubique terrarum, abrogata quavis alia doctrina, & ritu, credi, & teneri debeat, quidquid à Pontifice Romano proponitur credendum, & agendum. Chriſtus enim *Marci ult.* præcepit Apoſtolis, *ut prædicarent Evangelium omni creaturæ*. Hebręis nimirum, & Gentilibus. Paulus *ad Epheſ.*2. *ipſe* (Chriſtus) *eſt pax noſtra, qui fecit utraque* (hoc eſt ex populo Judaico, & Gentili) *unum: & medium parietem maceriæ ſolvens inimicitias in carne ſua:* ideſt, ſua morte deſtruxit murum, qui ſeparabat Judæos à Gentilibus, evacuans cæremonialia, & judicialia, à quibus occaſionem ſumebant inter ſe rixandi, & inimicitias fovendi. Unde Auguſtinus in *pſal.*78.*num.*3. dixit: *Hæc igitur Eccleſia ex circumciſione, & præputio congregata eſt, ideſt, ex populo Iſrael, & ex cæteris gentibus, per lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, & factus eſt caput Anguli, in quo angulo tanquàm duo parietes de diverſo venientes copularentur*. Joan.10. Chriſtus dixit: *habeo alias oves, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus Paſtor*. Chriſtus oves ſuas vocat Gentiles, qui non erant de ovili Judæorum, ſed per Apoſtolos inducti ſunt, poſteà in ovile Chriſti. Quod ovile eſt ſupra Petrum fundatum, *Matth.*16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam;* eique, & Succeſſoribus ejus cura commiſſa. *Joan.ult. Paſce oves meas*. Ergo Chriſtus voluit ſuas oves ab uno ſupremo Paſtore eſſe viſibiliter dirigendas, & doctrina fidei, & morum paſcendas; atque ita Chriſti ovis non eſt, nec ad ovile Chriſti pertinet, qui Paſtorem à Chriſto conſtitutum non agnoſcit.

Dices. Eccleſia Chriſtiana dicitur à Chriſto fundata de novo.

Item. Lutherani & Calviniſtæ idem credunt, ſperant, & diligunt, ergo eorum Eccleſia erit eadem cum Romano-catholica.

98 Reſp. Equidem dicitur à Chriſto fundata, de novo, quia nova inſtituit Sacramenta, novas leges dedit, & novum Sacrificium, novoſque miniſtros conſtituit, propter quod ad nobiliorem, & perfectiorem ſtatum evexit Eccleſiam, quàm fuerit in ſtatu legis naturæ, & ſcriptæ.

99 Ad Item negatur antecedens. Vide quę diximus *contr.*1.*cap.*5.*nu.*13. Non fide orthodoxa credunt, & inde nec ſperant, nec amorem Theologicum habent. Nec in Chriſtum verè credunt, ut ait Auguſtinus in *Enchyrid.cap.*5. *Si diligenter, quæ ad Chriſtum pertinent, cogitentur, nomine tenus invenitur Chriſtus apud quoslibet hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt: reipſa verò non eſt apud eos*. Nam, qui Eccleſiam à Chriſto plantatam non habet matrem, Chriſtum caput non habet; ideò, ut caput Chriſtum quis habeat, debet ejus corpori con-

conjungi, & eſſe membrum; cujus membrum non eſt, ſi cum viſibili capite à Chriſto conſtituto non communicat; à quo Calviniſtæ, & Lutherani ſacrilego ſcelere receſſerunt, & pertinaces in ſeceſſione perſeverant. Et inde eorum Congregationes ſunt Conventicula Sathanæ.

100 Hæc ſint pro ſuſcepto inſtituto ſatis. In quorum lectura, ut par eſt, depoſco, ſervari regulam à S.Auguſtino traditam *de vera religione*, *cap.*10.ibi: *quæ vera eſſe perſpexeris, tene: & Eccleſiæ Catholicæ tribue; quæ falſa, reſpue: & mihi, qui homo ſum, ignoſce: quæ dubia, crede, donec, aut reſpuenda eſſe, vel ratio doceat, vel præcipiat auctoritas* Apoſtolicæ Sedis; cujus lituræ, & correctioni omnia ſubiicio. Et quatenus opus ſit, quæ retractanda ſunt, oblitero, ut, *quicumque iſta lecturi ſunt, non me imitentur errantem, ſed in meliùs proficientem*, ut utar phraſi Auguſtini *in prologo ad libros retractationum*.

F I N I S.

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Ad marginem primus, ad paginam ſecundus numerus manuducit.

A

Abbas.

Abbates in Conciliis gaudent juriſdictione delegata. 36.p.358.
Abbas Sancti Cyrani Janſeniſmo inſtaurat Calviniſmum. 2.p.468.

Abſolutio.

Non valet collata à Sacerdote hæretico. 10.p.28.
Poteſtas abſolvendi à peccatis eſt abſolutè neceſſaria in Confeſſario. 1.p.345.
Abſolutio à peccatis non poteſt conferri in abſentia. 10.p.412.
Opinio de abſolutione in abſentia ante decretum Clementis VIII. in ſe nec ſpeculativè, nec practicè erat probabilis. 11.ibi.
Neque eſt licita, neque valida abſolutio, etiam in caſu neceſſitatis. 12.p.413.
Sine approbatione Ordinarii abſolutio data, eſt nulla. 30.p.420.
Poteſt Papa concedere poteſtatem generalem audiendi confeſſionem. 8.p.171.
Confeſſio peccatorum eſt juris divini. 12.ibi.
Non prius Pænitens debet facere penitentiam, quàm abſolvatur. ibi.

Actus.

Internus contra fidem conſtituit hæreticum *per ſe* occultum. 3.p.80.
Actus ſupernaturales producere poſſunt habitum ordinis naturalis. 11.p.90.
Actus fidei non habetur ſine teſtimonio Eccleſię. 19.p.143.
Habitus ſupernaturales non conferunt facilitatem ad actus. 11.p.90.
Proprium actus virtutis Theologicæ eſt Deum omnibus præferre. 9.*v.hinc* p.89.
Requiſita ad actum fidei divinæ. 30.p.146.
Pontifex poteſt directè pręcipere actus internos. 56.ad 59.p.484.
Etiam non conjunctos cum externis. 60.ibi.
Præceptum de recitando officio importat actum mixtum externa recitatione, & interna attentione. 57.ibi.
Cap. *Omnis de pænit. & remiſ.* præcipit actum externum Confeſſionis, & internum veri doloris. 58.ibi.

Adoratio.

Eſt ſignum honoris, & ſubmiſſionis. 1.p.359.
Latriæ adoratio non poteſt Creaturis tribui. 5.p.360.
Dulia tribuitur Sanctis: Hyperdulia B.V. Mariæ. ibi.
Adoratio ab honore, & laude diſcriminatur. 3.p.359.
Pontifex licitè adoratur genuflexione, & oſculo pedum. 6.p.360.
Genuflexio, corporis proſtratio, deoſculatio, &c. non ſunt de ſe argumenta adorationis divinæ. 7.p.361.
Adoratio præbetur Pontifici ratione excellentiæ, & dignitatis ſpiritualis. 10.ibi.
Adoratio Latriæ Deo ſoli tribuenda. 13.*v.Itaque.* p.362.
Mardochæus noluit adorare Aman: & cur? 14.p.363.
Paulus, & Barnabas noluerunt à Lycaonibus adorari, quia intendebant eos adorare, ut Deos. 15.ibi.
D.Petrus adorationem à Cornelio renuit recipere, quia hic ſibi perſuaſerat Petrum eſſe Deum. 16.ibi.
Angelus noluit admittere adorationem Joannis. 17.p.364.
Titulus *Servus Servorum* Dei non ſpoliat Pontificem prærogativa, propter quam adoratur. 18.ibi.

Adjutorium gratiæ.

Sine eo actus ad ſalutem non valent. 12.p.52.
Judæis, Paganis, & Hæreticis confertur. 35.p.105.
Eſt neceſſarium ad credendum. 16.p.12. & 25.p.145.
Interiori gratiæ poteſt reſiſti. 2.p.443.
Non denegatur hæreticis, ut reſipiſcant. 10. *v.cæterum.* p.89.
Nullus viribus naturæ meretur adjutorium gratiæ. 17.*v.Ad.* p.143.
Ad credendum interior gratia eſt neceſſaria. 16.p.142.& 26.p.145.& 28.p.146.
Internę illuminationis ſignum humile obſequium Eccleſiæ. 29.ibi.
D.Auguſtinus gratiam ſufficientem adſtruit. 53.p.483.

Adul-

Index Rerum Notabilium.

Adultis.

Rudes inter hæreticos cur damnentur? 22. *v.R. in*. p.55.

Illuminantur à Deo, ut cognoſcant Religionem Catholicam eſſe veram. 15.p.53.

Pauci inter hæreticos ſunt hæretici materiales. 16.p.54.

Diſpoſitiones in ipſis neceſſariæ ad baptiſmum. 27.p.102.

Altare.

Erigens Altare contra Altare, vel erecto adhærens eſt hæreticus. 4.v. *de ſchiſmate*. p.93.

Deo in memoriam Sanctorum Altaria eriguntur. 13.p.97.

Miniſtri Altaris debent eſſe continentes. 38.p. 391.

Schyſmatici erigunt Altare contra Altare. 22. p.512.

Cur Altaria incenſentur? 10.p.96.

Antipapa.

Novatianus primus Antipapa. 5. *v. ad quod*. p.291.

Leo VIII. non fuit legitimus Papa. 15. ad 17. p.324.

Benedictus XIII. Antipapa adverſus plures Pontifices. 32.p.548.

Clemens VII. Antipapa adversùs Urbanum VI. 31. *v.altius*. p.548.

Clemens VIII. adversùs Martinum V.34.p.549.

Felix V.adversùs Eugenium IV.76.p.560.

Apoſtoli.

Fuerunt eis revelata omnia credibilia. 19.p.41.

Communicarunt Eccleſiæ Traditiones divinas eſſe Verbum Dei traditum. 17.p.112.

Ex Apoſtolis unus Petrus eligitur Caput Eccleſiæ. 6.p.195.

Apoſtoli duplicem ſuſtinuerunt perſonam. 7.p. 196.

Fuerunt Paſtores extraordinarii Orbis. ibi. & 8.

S.Petrus in tribus cæteros Apoſtolos excelluit. 9.p.197.

Apoſtoli Epiſcopis communicabant poteſtatem ordinariam. 11.ibi.

Non ſimul fuerunt conſtituti Apoſtoli, Sacerdotes, & Epiſcopi. 13.p.198.& 11.v. *in nocte*. p.217.

Dignitas Apoſtoli tria exigit. 15.ibi.

Apoſtoli via ordinaria debuiſſent à Petro poteſtatem accipere. 12. p.206. & 27.p.223.

Apoſtolis à Petro fuerunt aſſignatæ Provinciæ. 13.ibi.& 20.p.237.

Alia ab Apoſtolis proceſſerunt, ut Præconibus juris divini, & alia ut Paſtoribus Eccleſiæ.25. p.210.

Quo tempore Apoſtoli fuerint Petro æquales. 24.& 25.p.222.

Quo ſenſu dicantur fundamenta Eccleſiæ. 26.p. 223.

Apoſtoli dicuntur Principes Eccleſiæ, ſed ſub Petro. 26.p.239.

Chriſtus Apoſtolis non diviſit populos. 16.p.351.

Apoſtoli fuerunt prius Cardinales, quàm Epiſcopi. 33.p.357.

Apoſtoli poſt confirmationem in gratia fuerunt moraliter impeccabiles. 38.p.379.

Crearunt Epiſcopos. 11.p.197.

Non poterant congregare Concilia, nec Sanctos canonizare. 9.p.197.

Signis ſuam miſſionem comprobarunt. 6.v. *pariter*. p.25.

Crediderunt ex immediata revelatione Dei. 2.v. *quapropter*. p.595.

Eis fuerunt revelata omni regimini Eccleſiæ univerſalis neceſſaria. 35.p.602.

Convocarunt multitudinem Diſcipulorum *Act.* 6.de conſenſu Petri. 44.p.504.

Tempore Apoſtolorum appellatio Presbyteri Epiſcopis, etiam attributa. 9 p.588.

Non admiſerunt Laicos in Conciliis cum voto electivo, vel deciſivo. 17.p.590.

Cur S. Paulus per anthonomaſiam Apoſtolus appelletur? 21.p.238.

Variis ſignis probarunt ſuam miſſionem. v.*pariter*. p.25.

Appellatio.

A Papa non poteſt de jure appellari. 36.p.162.

Appellantes à Papa ad Concilium excommunicantur. 1.p.311.

Appellatio fit ab inferiori ad Superiorem. 5.p. 312.

Per appellationem recedit appellans ab obedientia Judicis *à quo*. 10.p.313.

Jus appellandi ad Pontificem, non eſt traditum Papæ à Concilio Nicæno. 30.p.318.

Janſeniſtæ implicitè provocant ad Concilium. 8.p.313.

Appellatio ad futurum Concilium eſt ad Judicem non exiſtentem. 13.p.314.

Afri non prohibuerunt appellationem ad Sedem Apoſtolicam. 24.& ſequen.p.317.

Arius. *Ariani*.

Error Arii. 18.p.41.

Ariani ſuppreſſerunt vocem *homouſion*. 10.v. *Secunda*. p.293.

Seduxerunt Catholicos in Ariminenſi Synodo. 23.p.33.

Error Arii proſcribitur in Nicæno I. 17.p.446.

Fictè Catholicum ſe præbuit Conſtantino. 44. p.454.

Ejus fidei confeſſio à Patribus Nicænis lacerata. 25.*v.R*.p.519.

Articuli.

Diſcredens unum, amittit fidem. 8.p.89.

Quoad ſubſtantiam non ſunt multiplicati.14.p.9.

Augumentum factum quantum ad explicationem. 19.p.41.

Eorum neceſſitas medii, & præcepti. 2.p.48.

Nul-

Nullum licet repudiare. 5.*v.verum*. p.88.
Nulla Sectariorum diſtinctio de fundamentalibus, & non fundamentalibus. ibi.
Eccleſia novos articulos non condit. 32.p.438.
Papa de novo quædam proponit, credenda explicitè. 26.p.474.
Articulus Symboli, *Credo Sanctam Eccleſiam* Catholicam intelligitur de Eccleſia, cujus Pontifex Romanus eſt caput. 5.p.596.

Aſſenſus

Fidei reſolvitur in revelationem divinam. 11.v. *in hoc*. p.140.
Aſſenſus fidei neceſſariò requirit propoſitionem Eccleſiæ. 17.p.143.
Nec mente poteſt aſſentiri contra id, quod Papa damnat. 10. *v.quod adeò*. p.412.&23.p.416.
Notitia ſolùm probabilis revelationis non ſtat cum aſſenſu fidei divinæ. 7.p.277.
Sedes Apoſtolica circa hæreticitatem quinque propoſitionum Janſenii exigit aſſenſum internum omninò certum. 27.p.475.
Fides divina eſt aſſenſus firmiſſimus excludens omnem formidinem. 7.p.277.

Attritio

Non eſt cenſurabilis propoſitio, tam affirmans, quàm negans neceſſariam dilectionem in attritione, &c.31.p.420.

S. Auguſtinus

Monet quid in difficilibus quæſtionibus agendum. 32.p.67.
In verbis verum amandum docet. 23.p.67.
Cur ex eodem, Eccleſia toleret malos? 20.p.36.
Et unde hæreſes natæ? 22.v.*quin* p.67.& n.16. p.128.
Quam Eccleſiam affirmet ſine macula 18.v. *illud* p.77.
Ipſius maxima circa Traditiones 13.v. *itaque* p.110.
Non admittit Concilium Ariminenſe. 29.p.131.
Reprobat Spiritum privatum Lutheranorum. 4. v.*Tandem*. p.136.
Ejus regula pro excluſione Mendaciorum à Scriptura. 13.p.152.
Non ſemel oſtendit Papam eſſe regulam vivam ad dirimendas controverſias fidei. 25.p.173. & 9.v. *Ex latinis*. p.459.
Vocat Petrum ſaxum immobile, &c.5.v.*ad illud*. p.215.
Probat Primatum Petri. 17.p.219.
Appellat Paulum collegam Petri, & cur? 28. p.240.
Scribit D.Petrum in negatione non perdidiſſe fidem. 9.v.*Neque*. p.293.
Reprobat abuſum appellandi à Papa ad Concilium. 7.p.312.
Recepit hæreditates Eccleſiæ relictas, ſed, non exhæredatis filiis. 44.p.343.
Agnovit in Pontifice totalitatem poteſtatis, in Epiſcopis particulam. 25.p.354.
Scripſit Sacrificium offerri Deo in memoriam Sanctorum. 13.p.97.&9 p.361.
Affirmat Cainan genitum ab Arphaxad 86.p.406.
Studium Lectoris ex eodem in legendis ſacris Bibliis. 88.p.406.
Plures ſcribit ex motione Spiritus Sancti ſibi mortem procuraſſe. 33.p.439.
Sedis Apoſtolicæ praxis, ut aberrantes ad veritatem amplectendam reducat, ex eodem. 34. p.451.
Probat infallibilitatem Pontificis definientis, extra Concilia. 9.v. *Ex Latinis*. p.459.
Cur affirmet à Republica permitti meretrices? 15.p.461.
Reprobat Silentium Janſeniſtarum. 19.p.472.
Controverſiæ fidei, pronuntiata ſententia, à Sede Apoſtolica ſunt ex eodem terminatæ. 27.*v.contra*. p.476.
Monitum ex ipſo ad Janſeniſtas. 30.ibi.
Non numerum judicantium, ſed pondus auctoritatis ſcribit eſſe attendendum. 31.ibi.
Oſtendit ſua ſcripta non eſse irreformabilia. 47. p.481.
Inquit quædam dubia permitti ab Eccleſia, quæ non ſunt adhuc à Papa definita. 57.p.539.
Doctrina D.Auguſtini eſt irrefragabilis, ubi eſt à Pontificibus, & Conciliis approbata, ut vera. 43.p.480.
Ignorantiam ſcribit excuſare ab hęreſi. 25.p.43.
Negat neceſſitatem Conciliorum pro hæreſibus damnandis. 25.*v.Pelagianis*. p.173.
Tradit cauſas finitas, poſito Sedis Apoſtolicæ judicio. 9.*v.pariter*. p.459.
Adducit duas cauſas, cur peccetur. 16.p.54.
Refert à Romano Pontifice damnatos Pelagium, & Cæleſtium. 11.p.597.
Probat Scripturæ credendum ex auctoritate Eccleſiæ. 15.p.598.
Scribit Eccleſiam in ſuo Capite culmen auctoritatis obtinuiſse. 15.*v.deinde*. p.599.
Excuſat S.Cyprianum ab errore culpabili in materia rebaptizationis. 31.p.601.
Allegat cauſam, cur petentes à Deo illicò non exaudiantur. 33.p.602.
Docet *homouſion* rem novam non ſignificare. 40. p.605.
Non omnis novitas vocum per ipſum eſt prophana. 40.*v. R.negatur conſequentia*. p 606.
Aſſerit in ſtatu legis naturę Sacramentum ad delendum originale. 87.p.613.
Cur à Proſpero dicatur ſcripſiſse Apoſtolicè? 48. p.482.
In lectura Auguſtini debet attendi finis, & alia. 51.ibi.
Firmat Concilia Provincialia cedere Generalibus. 3.p.488.
Docet Eccleſiam non approbare, quæ ſunt contra fidem, & bonam vitam. 57.p.539.

Auctores. Auctoritas

Senſus Scripturæ proponit. 15.p.127.
Fides reſolvitur, ut in regulam vivam externam in auctoritatem Eccleſiæ. 13.p.141.
Auctoritas Papæ in decidendis controverſiis fidei non eſt purè humana. 33.p.147.& 16.p.599.
Non eadem fuit in Petro, & Paulo ad regendam Eccleſiam. 9.p.232.
Ratio formalis fidei eſt auctoritas Dei revelantis. 25.p.43.
Auctores trium Capitulorum. 22.p.388.
Auctores pertinaces in propoſitione damnata, damnantur. 33.*v.pari*. p.451.
Non ſemper damnata doctrina proſcribitur Auctor, ſed quoties eſt pertinax. 46. *v.Cùm*. p.455.
Sola auctoritas Pontificis ſufficit ad hæreſes proſcribendas. 9.*uſque ad ſequen*.p.458.
Auctoritas Papæ eſt medium ordinarium ad docendum. 2.*v. quapropter*. p.595.
Eccleſia habet auctoritatem in ſuo Capite definiendi res fidei. 4.p.596.
Auctoritas Eccleſiæ inducit judicium prudens de exiſtentia revelationis. 38.*v.Hinc*.p.604.
Non plus auctoritatis eſt tribuendum D.Auguſtino, quàm à Pontificibus ei tribuatur. 49. p.482.
Auctoritas Eccleſiæ eſt evidentior, quàm Scripturæ. 59.p.609.
Auctores diverſa ſentientes, ſi poſt definitionem non cedant ſunt hæretici. 54.p.307.

B

Baptiſmus, Baptizatus

CUr aliquoties fuerit baptiſmus trina merſione collatus. 30.p.46.
Eccleſia per baptiſmum filios Deo generat. 9.p. 51.
Hæretici eſtò baptizati non ſunt de Eccleſia. 9. ibi.
Baptiſmus non conſtituit membrum Eccleſiæ. 15.p.91.
Collatus ab hæreticis, & Schiſmaticis in forma Eccleſiæ valet. 26.p.101. & 6.p.170.
Diſpoſitio baptiſmi. 27.p.102.
Baptizatus à Schiſmatico recipit characterem. 30.p.103.
Forma baptiſmi eſt ore pronuntianda. 15.p.127.
Baptiſmus fuit inſtitutus ante Paſſionem. 11.p. 116.
Baptiſmus incorporat gregi Chriſti. 5.p.332.
Baptiſmus collatus à non baptizato eſt validus. 29.p.376.
Nullus Pontifex ſtatuit valere baptiſmum in vino, aqua deficiente. 30.p.376.
In baptiſmo infunduntur virtutes. 14.p.63.
Character baptiſmalis eſt in Fidelibus damnatis. 15.p.91.
Hæretici propter Characterem baptiſmi ſpectant ad Eccleſiam, ut ſervi. 17.ibi.
In Baptiſmo fit plena remiſſio peccatorum. 45. p.480.
Cur Nicænum I. probaverit baptiſmum collatum à Novatianis; non verò miniſtratum à Paulianiſtis. 84.p.562.
Parvulos eſse baptizandos conſtat Traditione. 8.p.108.
Qui ab hæreticis baptizati decedunt, non ſalvantur extra Eccleſiam. 9.p.51.
Ad fructuosè baptiſmum recipiendum, quæ in adultis neceſsaria? 27.p.102.

Beata Virgo

Excepta ab illo textu: *Omnes in Adam peccaverunt*. 4.p.230.
Privilegium vitandi omnia peccata venialia collectivè conceſsum B.V.Mariæ. 6.p.36.
Adhuc non eſt de fide *quoad nos* Conceptionem immaculatam pro primo inſtanti. 45.p.442.
B.Virgo eſt vera Mater Dei. 18.p.446.
Sanctitas Conceptionis B. V. pro primo inſtanti eſt infallibili certitudine infrà fidem tenenda. *v.propterea*. p.486.
Senſus clauſulæ: *donec altera pars*, vel, *articulus à S.Sede fuerit diſpoſitus*, *vel aliter ordinatum* appoſitæ in Litteris Pauli V. & Greg.XV. ſuper Conceptione B.V. editis. 56.p.539.
B.Virgo fuit Magiſtrorum magiſtra; ſed in Conciliis perſonam Præſidentis non egit. 19.p. 591.

Beatificatio, Beatus.

Beatificatio deſcribitur. 2.*v.Hinc*. p.429.
Epiſcopi, olim inter Beatos recenſebant Martyres 1.*v.fuit*. p.428.
Etiam Beatificatio eſt reſervata Sedi Apoſtolicæ ibi. v.*Hinc*. p.429.
Papa non poteſt errare in Beatificatione. 9. & 10.p.432.
Ut quis in Eccleſia militante habeatur pro Beato, neceſsaria eſt *virtus morum*, *& veritas ſignorum*. 8.ibi.
Eccleſia univerſalis veneratur Beatos per ſacrificium Miſsæ. 11.ibi.
Diſcuſſio, quæ fit in cauſis Beatificationum, pro quo deſerviat. 13.p.433.
In Beatificatione fit completum judicium, quòd Servus Dei ſit in gloria. 20.p.436.
Papa in Beatificatione pronuntiat implicitè Servum Dei eſse in gloria. 31.p.438.& 21.v.*circa*. p.436.
Non poteſt quis de exiſtentia Beati in Cœlo dubitare. 21.p.436.
Beatus officio, & Miſsa colendus ſolùm determinatis locis proponitur. 20.ibi.
Eſt de fide Papam non poſse errare in Beatificatione. 42.p.441.
Et Beatos eſse in gloria. 43.ibi.

Re-

Requiſita ad Beatitudinem conſequendam. 7. p.432.
Honorare Beatos ſpectat ad materiam fidei. 10. v.*item*. p.432.

Biblia.

Auctores aſserentes Sacra Biblia non eſse planè purgata. 12.p.151.
Editiones Latinæ Bibliorum plures olim fuerunt. 16.p.153.
Ad emendationem Bibliorum fuerunt aſsumpti viri graves, & Docti. 20.p.154.
Nihil eſt in originali Bibliorum, quod quoad ſenſum non ſit in translatione. 23.p.155.
In caſtigatione Bibliorum Clemens VIII. non fuit Sixto V. contrarius. 77.p.403.
Quæ imprimuntur debent concordare cum exemplari Vaticani. 78.p.404.
Sectarii aliquos Libros de Sacro canone expungunt. 80.ibi.
Reprobatur Fraſsen reſolvens Cainan irrepſiſse in textum Septuaginta, & S.Lucæ 87.p.406.
Diverſitas in Sacris Libris non eſt per errorem, ſed per myſterium. 88.ibi.
Abraſo Cainan ex Sacris Bibliis, bellum indicitur infallibilitati Romani Pontificis. 91.pag. 407.
Prohibitio legendi Biblia lingua vulgari fundatur in malitia, & ignorantia hominum. 19. p.415.
Prohibentur etiam partes eorumdem. 20.p.416.
Sunt in Bibliis plura verba Hebraica non interpretata. 21.p.154.

Bigamus

Non eſt de jure divino, ut non promoveatur ad Ordines. 25.p.210.
Papa diſpenſat cum bigamo, ut promoveatur. 26.ibi.

Bulla.

Cur in Bullis Pontifices apponant nomina Petri, & Pauli? 40.p.242.
Bulla Alex.VII. in favorem Conceptionis B.V. prohibet cenſura notari tenentes contrariam opinionem. v.*Ideò*. p.487.
Inhibet diſtortas interpretationes præjudiciales piæ ſententiæ: aut contra eam tractare, &c. v.*propterea*. p.486.

C

Calvinus. Lutherus.

Calvinus per blaſphemiam expoſuit articulum: *deſcendit ad Infernos*. 5.p.123.
Hęreticè exponit verba: *Hoc eſt Corpus meum*. 21.p.129.
Lutherus eadem verba peſſimè intelligit. ibi.
Uterque ſibi paſtorale munus uſurpavit. 12.p.29.
Negarunt in Eccleſia auctoritatem ad definiendum. 39.v.*Ideò*. p.605.
Vide v.Lutherani, & Calviniſtæ.

Canonizatio. Sanctus.

Solus Pontifex canonizat Sanctos. 1.p.428.
Canonizatio ab inferioribus Prælatis fieri nequit. ibi.v.*hinc*. p.429.
Canonizatio non confunditur cum Beatificatione. 2.ibi.
Nequit Pontifex in ea errare. 4.p.430.
In Canonizatione Papa regitur inſtinctu, & illuſtratione Spiritus Sancti. ibi.v. *Sixtus V*. p.431. & 6.ibi.
Honor, qui exhibetur ſanctis, eſt quædam profeſſio fidei. ibi.
Virtus morum, & veritas ſignorum ſunt probandæ in Canonizatione. 8.& 9.p.432.
Sacrificium non Sanctis, ſed Deo offertur. 13. p.97.
Cur Papa in Canonizatione utatur teſtimoniis hominum? 14. p.433.
In Cauſis Canonizationum deponunt teſtes jurati conteſtes cum cauſa ſcientiæ. 15.p.434.
Judicium Papæ in canonizatione eſt divinum directivè. 16.v.*Reſp*.ibi.
Pontifices nunquam cenſuerunt ſe poſse in Canonizatione errare. 18.p.435.
Auctoritas: *multa corpora Sanctorum*, &c. non reperitur apud D.Auguſtinum, & de quibus intelligatur? 19.ibi.
Cur in Canonizatione fiat novum examen miraculorum? 20.p.436.
Papa in Canonizatione declarat explicitè, Sanctum regnare cum Chriſto. 31.pag.438. & 21. p.436.
Judicium Papæ in Beatificatione, & Canonizatione eſt purgatiſſimum ab omni errore, tum formali, tum materiali. 39.p.440.
Eſt de fide Papam non poſse errare in Canonizatione. 42.p.441.
Et Sanctos eſse in gloria. 43.ibi.
Sanctus eſt, qui poſt heroicas virtutes clarus miraculis moritur in oſculo Domini. 26.p.448.
Sanctitas glorificata Beati, vel Sancti eſt objectum judicii Pontificis. 31.p.458.
Tranquillitas conſcientiæ ex quo capite ſit? 20. p.143.
Canonizatio eſt cauſa reſervata Capiti Eccleſiæ. 9.p.197.
Sanctitati falſæ non poteſt à Papa cultus decerni. v.*R. Hoc*. p.486.
Cur non aliorum Sanctorum, ſed Joannis Nativitas celebretur ex Auguſtino? ibi.
Auditis à Papa probationibus Virtutum, & miraculorum, illuminatur, ut cognoſcat Servum contineri ſub revelatione generali. 30. p.581.
Eccleſia obitus, non Natales Sanctorum celebrat. v.*R*.p.486.

San-

Sanctorum Reliquiæ incenſantur: & cur? 10. p.96.
Non coluntur, niſi ſint probatæ. 1. *v.fuit*. pag. 428.

Canones

Non omnes Canones Trullani ſunt recepti ab Eccleſia. 47.p.181.
Gratianus quamplures Canones apochryphos ſuæ collectioni inſeruit. 45.p.167.
Sextus Canon Concilii Nicæni I. mutilatus allegatur ab hoſtibus Primatus Romani Pontificis. 12.p.259.
Canon *Hæc eſt fides*. Perperàm à Gratiano tribuitur S Hieronymo. 17.p.373.
Canon *Si Papa* non concludit poſſe Papam eſſe hæreticum. 19.p.374.
Canon *Anaſtaſius* falsò tribuitur Anaſtaſio Papæ. 22 p.375.
Canon *Hadrianus il II.* & *In Synodo* ſunt apochryphi. 45.p,167.
Canon *Satagendum*, non ſubmittit Pontificem Regibus. 46.p.168.
Canones Concil. Sardicenſis permixti cum Nicenis. 29.p.318.
Canon *Non turbatur* 24.q.1. probat Primatum Petri. 30.p.581.
In corpore myſtico duplex Caput non eſt res monſtruoſa. 37.p.226.
Cur præciſo capite à corpore naturali, iſtud non vivit. 39.p.227.
Solus Petrus non ſimul cum Paulo fuit Caput Eccleſiæ. 2.p.230.
Quo pacto caput gubernet membra corporis. 6. p.186.
Sine capite corpus non ſubſiſtit. 1.p.290.
Corpus non dicit reſpectum ad Caput vagum. 23. p.285.
Caput judicat membra, non hæc caput. 13. *v. verùm*. p.461.
Infirmato capite, adhibentur fomenta, non præciſio. 47.p.505.
Membra habent vitam dependenter à Capite. 14.p.576.

Cardinales

Eligentes Papam non ei conferunt poteſtatem. 14.p.271.
Perſonam per electionem Chriſto præſentant. 15.ibi.
Sunt Miniſtri totius Eccleſiæ. 19.p.282.
Eligunt Pontificem. ibi.
Succedunt Apoſtolis. 31.p.356.
Repræſentant perſonas Apoſtolorum. 32.ibi.
Poteſtate juriſdictionis excedunt Epiſcopos. 33. p.357.
Apoſtoli prius exercuerunt officium Cardinalatus, quàm Epiſcopale. 31.p.356.
Sub quo tempore Conclave inſtitutum. 19. *v. quo*. p.283.
Certi eſſe poſſunt de electione Pontificis: ſub qua ratione? v. *R. diſtinguitur*. ibi.
In caſu ſchiſmatis poſſunt Concilium convocare, ut extinguatur. 49.p.506.

Cathecumeni

An ſint in Eccleſia? 27.p.56.
Duo Cathecumenorum genera. ibi v. *duo*.
Sunt de Eccleſia meritò, modò ſint juſti. 29. p.57.

Cathedra

In Romana non ſedit Paulus cum Petro. 12. v. *unde*. p.233.
Petrus uſque ad mortem Romæ cathedram tenuit. 8.p.247.
Cathedra Petri eſt affixa Romæ. 17.p.272.
Unitas ex una Petri Cathedra. 6.p.292.
Loqui ex Cathedra eſt Eccleſiam docere. 1.pag. 382.
Locutio ex Cathedra non complectitur ſolùm, quæ ſunt de fide. 2.ibi.
Errat Beluacenſis circa Cathedram Petri. 25.v. *ubi*. p.579.

Cauſa

Pelagianorum à Sede Apoſtolica judicata. 21.v. *Sermone*. p.173.
Acta in cauſa Cæciliani contradicentibus Donatiſtis. 36.ad 39.p.162.
Cauſa depoſitionis Principum ſpectat ad Papam. 4.p.343.

Cenſura Theologica.

Cenſura doctrinalis Pariſienſis non licet auctoritativè. 37.p.358.
Cenſura Theologica afficit immediatè doctrinam. 22.p.416.
Prohibita circa opinionem de neceſſaria dilectione, vel non in attritione. 31.p.420.
Vide v. propoſitiones doctrinales.

Character

Propter characterem baptiſmalem hæretici ſunt ſubditi Eccleſiæ. 17.p.91.
In adultis Deus acceptat conſenſum, ut conditionem. 10.p.509.
Imprimitur in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine. ibi.
Vide v. baptiſmus.

Charitas. Amor

Eſt anima Eccleſiæ. 8.p.73 & 23.p.79.
Correctio Charitatis quibus conveniat? 15.v. & *notari*. p.235.
Ordo Charitatis dictat, ut bonum commune præferatur privato. 24.p.328.
Amor ſupernaturalis debet eſſe regulatus lumine fidei. 12.p.52.
Charitas eſt regula actionum noſtrarum. 24.p.417
Sine fide divina non amatur Deus ſupernaturaliter. 12.p.52.
Exiſtens extra Eccleſiam non amat Deum ſuper omnia. 13.ibi.
In Schiſmaticis non eſt charitas. 14.p.97.

Chri-

Chriſtus

Sæpè uſus eſt argumentationibus. 15.pag.64.
Chriſtus eſt Caput viſibile Eccleſiæ. 19.p.99. & 4.p.203.
Eſt Caput Eccleſiæ triumphantis. 36.p.105.
Heretici negant factis Chriſtum veniſſe. 8.pag. 138.
Chriſtus primarium fundamentum Eccleſiæ. 5. p.214.& 94.p.615.
Sæpè officio Capitis viſibilis functus eſt. 11. v. *Quod Chriſtus*. p.217.
Chriſtus conſecravit Petrum Epiſcopum. 28.p. 224.
Eſt ſponſus, primarius Eccleſiæ. 17.p.261.
Chriſtus in bonum Fidelium reliquit in Eccleſia Sacramenta, doctrinam, & Paſtores. 17.v. *ſi verò*. p.190.
Quæ Diſcipulis miſſione contulerit? 23.p.192.
In Chriſto ſunt duæ voluntates, divina, & humana. 22.p.297.
Non duæ contrariæ. 24.p.298.
Chriſtus, ut homo habuit ſupremum dominium in res omnes temporales. 23.p.338.
Chriſtus docuit paupertatem ſtrictam, & ſtrictiorem. 53.p.395.
Habuit aliquando proprium in communi. 56 p. 397.
Eſt à Chriſto prædictum futuros hęreticos in Eccleſia. 38.p.452.
Chriſtus providit perfectiſſimo modo ſuæ Eccleſiæ. 11.p.460.
Eſt mortuus pro omnibus. 25.v.*primò*.p.286.
Miraculis probavit ſe à Patre miſſum. 6.v. *Quinimò*. p.25.
Ex Judaico, & Gentilitio populo fecit unum ovile. 43.p.180.
Juſtificatio ex fide Chriſti. 14.p.249.
Ejus morte confirmatum novum Teſtamentum. 43.p.180.
Chriſtus ab initio fuit creditus. 89.p.614.
Sua morte evacuavit cæremonialia, & judicialia. 97.p.616.
Dedit novas leges, & nova Sacramenta pro Eccleſia Chriſtiana. 98.ibi.
Eſt fundamentum Eccleſiæ pro omni ſtatu. 94. p.615.
Chriſtus erat ſubditus, ſed non inferior SS. Virgine, & S.Joſepho. 85.p.563.
Caiphas condemnando Chriſtum peccavit contra fidem. 4.v. *Quia* p.573.
Angeli ſunt membra Chriſti. 36.p.105.
In Scripturis diſcimus Chriſtum, & Eccleſiam ex Auguſtino. v.*expreſſiùs*. p.19.
Chriſtus orans pro Petro rogavit pro Eccleſia. 15.p.189.
Sectarii, poſito privato ſpiritu Judice Controverſiarum, vitioſo circulo agitantur. 9.pag. 139.
Circulus committitur cùm unum per aliud probatur, &c. 10.p.139.
Catholici probantes Eccleſiam ex Scripturis circulo non premuntur. 11.p.140.

Circumciſio

Ante mortem Chriſti viguit. 13.v. *ad pleniorem*. p.218.
Poſt mortem Chriſti non ſtatim fuit mortifera. 15.ibi.
Non fuit neceſſaria Gentilibus ad fidem converſis. 3.p.170.
Solis Judæis fuit præcepta. 86.p.613.

Claves

Poteſtas clàvium D.Petro tradita. 4.p.185. & 20.p.191.
Petrus accepit claves Eccleſiæ, non ut perſona privata, & Procurator. 10.p.187.
Petro ut Capiti Apoſtolorum promiſsæ, & datæ fuerunt claves. 2.p.193. & 19.p.220.
Claves ſunt ſignum juriſdictionis. 6.p.204.
Sunt datæ Petro ut Apoſtolorum Principi. 2.p. 193.
Non fuerunt ei conceſsæ propter ſe tantùm. 19. p.191.
Non excludunt temporalem poteſtatem, & dominium. 43.p.343.
Sunt datæ Petro, ut principio unitatis. 91.p. 564.

Clerus

Romanus conſultus à S.Cypriano in cauſa lapſorum. 20.p.200.
Apud Clerum Romanum fuit olim jus eligendi Pontificem. 19 p.282.
Generale, Nationale, Provinciale, Diœceſanum. 2.p.488.
Non numerus Epiſcoporum facit Concilium generale. 4.ibi.
Unde Concilium generale legitimum? 1.p.489.
Concilia generalia non ſunt in Eccleſia abſolutè neceſſaria. 3.ibi.
Non ad damnandas hæreſes. ibi.& 4. ex doctrina Auguſtini. p.490.
Non ad componenda Schiſmata. 5.ibi.
Non ad reformandos abuſus. 6.p.491.
Non ad reſiſtendum hoſti communi. 7.ibi.
Epiſcopi in Conciliis habent juriſdictionem Ordinariam. 36.p.358.
Varia Conciliorum uſurpatio. 31.p.531.
Quo titulo Concilia errare poſſint, vel non? 35. ad 39.
Concilia utiliſſimè congregantur. 25.p.465.
Sunt in Eccleſia ex Auguſtino Saluberrima. 10. p.492.
Agnoſcunt Pontificem infallibilem extra Concilia definientem. 4. v. *probatur*. p.457.
Concilium generale repræſentat Eccleſiam. 27. p.593.
Eſt generale formaliter, & materialiter. 29. ibi.

In

In Concilio generali melior pars eſt, quæ adhæret Pontifici. 36.v.*contra*. p.601.
Legitimum eſſe unde conſtet? v.*R.negatur*. p. 607.
Quæ Concilia ſtatuunt, cenſentur univerſali Eccleſiæ conſenſu ſtatuta. 27.p.593.
Concilium perfectum conſtat ex capite,& membris. 45.p.505.
Illud Math. *dic Eccleſiæ*, non intelligitur de Concilio. 41.p.228.
Papa ultimam manum Conciliis apponit. 7.pag. 526.
Quæ Concilia poſteriora prioribus præponantur ex Auguſtino? v. *ad additum*. p.608.
Diverſitas operationum in Conciliis à diverſis Miniſtris tractatur. 14.p.589.
Partes Theologorum in Conciliis. 20.p.577.

Concilium generale ſub Papa.

Status difficultatis. 3.p.541.
Pontifex nullo modo ſub auctoritate Concilii. 4.ibi.
Papa eſt Dominus Eccleſiæ, ſed ſub Chriſto. 5. p.542.
Eſt ſupra Epiſcopos in Concilio congregatos. 6. ibi.
Non Concilio, ſed Petro commiſſa eſt cura totius Eccleſiæ. 4.p.541.
Concilium eſt ovile Pontificis. 10.p.542.
Ex propria confeſſione Conciliorum Papa eſt ſuperior illis. 12.ad 17.p.543.
Approbatio auctorizationis eſt in Pontifice reſpectu Concilii. 14.p.544.
Concilium eſt ſupra Papam dubium. 44.p.551.
Tunc non judicat verum Papam. 45.ibi.
Conſtantienſe ſentit Papam Superiorem. 55. p.553.
S.Auguſtinus non cenſuit neceſſarium Concilium adversùs Donatiſtas. 80.p.561.
Eos remittit ad auctoritatem Pontificis.81.ibi.
Papa Conciliorum decretis tenetur, non quia à Conciliis editis. 103.*v.procedunt*. p.567.
Innocentius III. ex œconomia memoriam fecit Concilii adversùs Philippum Regem Galliarum. 112.p.570.
Sententia ſuperioritatis Papæ ad Concilium non eſt nova. 114.ibi.
Convocatio Conciliorum non neceſſaria ad validitatem Conſtitutionum Papalium. 115.ibi.
S.Bernardini ſententia de ſuperioritate Papæ ad Concilia. 115.v.*Concluditur*. p.571.
Aſſenſus Concilii non dat firmitatem definitioni Papæ. 22.p.463.
Clauſula *Sacro approbante*, vel, *auctoritate Concilii*, non importat approbationem auctoritativam. 23.v *in quo*. p.464.
Subſcriptiones Epiſcoporum ſunt in teſtimonium receptionis decretorum. 14.p.527.
Operantur etiam, ut ſuavius obſervantia inducatur. 24.p.464.

Subſcriptio Papæ eſt auctoritativa. 25.p.592.
Repetitio examinis in Conciliis non probat ſuperius Concilium ad Papam. 100.p.566.
Auctoritas Matth. *Si peccaverit in te*, *&c.* non favet ſuperioritati Concilii. 106.p.568.
Patres in Conciliis ſunt oves Chriſti. 2.v.*contra*. p.507.
Patres auctoritatem ſuffragandi habent à Papa. 10.p.574.

Concilium quoad ius ſuffragii.

Omnes Epiſcopi ad Concilium vocandi. 29.p. 593.
Suffragia Epiſcoporum ſunt deciſiva, ſed non ultimo. 49.p.536.
Sententia in Conciliis dicitur cum ſubordinatione ad Papam. 2.*v.prædicti*. p.586.
Theologi habent ſuffragium conſultivum. 3.ibi.
Cardinales, deciſivum ex privilegio. 2.ibi.
Generales juriſdictionem delegatam. 36.p.358.
Epiſcopi Titulares ſuffragium habent in Conciliis. 1.p.586.
Laicis jus ſuffragii deciſivi non competit. 5.p. 587.
Epiſcopis in Conciliis juriſdictio in ſpecie traditur à Summo Pontifice. 9.p.588.
Partes Laicorum in Conciliis fuerunt proſpicere quieti. 21.p.592.
Epiſcopis ſub Epiſcoporum Epiſcopo deciſiones Conciliares conveniunt. 13.p.58.
Oratores Principum ad quid in Conciliis? 34. p.521.

Concilium quoad convocationem, & tranſlationem.

Solus Papa congregat Concilia generalia. 2.p. 496.
Ab eo congregata, ſunt coacta in nomine Chriſti. 5.ibi.
Convocata ſine ejus conſenſu ſunt Congregationes Sathanæ. 33.p.500.
Imperatores non auctoritativè congregarunt Concilia. 36.& 37.p.501.
Papa congregat Concilia ex abundantia ſuæ poteſtatis. 13.p.493.
In caſu ſchiſmatis, exiſtente dubio Pontifice, poſſunt Cardinales Concilium convocare. 49. p.506.
Senſus clauſulæ *Concilium auctoritate Imperatoris congregatum*. 43.v. *ad item*. p.504.
Orto dubio de tranſlatione Concilii, conſulitur Papa. 5.p.508.
Jus transferendi Concilia eſt in Papa indepenedens. 17.p.511.
Poteſt invitum Concilium transferre. 19.ibi.

Concilium quoad Præſidentiam.

Solus Papa præſidet Conciliis generalibus. 4.p. 515.
Poteſt ſuis Legatis præſidentiam committere. 21.p.518.

In Nicæno I. non præſedit Conſtantinus. 24. p.519.
Præſidere in Conciliis eſt Judicem agere. 1.p. 572.
Legati præſidentes tenentur operari juxta inſtructionem Papæ. 38.p.523.
Nomine Papæ præſident, ſi procedant, juxta inſtructiones. 22.p.518.
Legati primo loco ſe ſubſcribunt. 33.p.521.
Legatis non eſt communicatum privilegium infallibilitatis. 38.p.523.
Epiſcopi ſententiam dicunt ſuper propoſitis à Legatis. 40 p.523.

Concilium quoad confirmationem.

Concilium ſine confirmatione Papæ robur non habet. 2.p.525.
Nec poteſt obligare Eccleſiam. 40.p.533.
Nec conſtat Patres legitimè proceſſiſſe. ibi.
Decreta ſine illa non ſunt ultimata. 41.p.534.
Reſpectivè ad Papam ſunt ſolùm conſultiva. 49.v.*hinc*. p.536.
Ante confirmationem ſunt excipienda reverenter. 40.p.533.
Pro tunc obligant Eccleſiam radicaliter. 49.p. 536.
Poſita confirmatione ſunt vera, etiam quoad nos. 24.p.530.
Concilia non confirmata poſſunt errare. 36.p. 532.
Aſſiſtit Spiritus Sanctus Patribus in Conciliis, ſi à Papa non diſcordent. 38.ibi.
Judicium Epiſcoporum non eſt ultimum. 40. p.533.
Confirmatio Epiſcoporum in Conciliis non eſt auctoritativa. 4.p.525.
Nec eorumdem ſubſcriptiones. 14.p.527.
Judicium Concilii non eſt pleniùs intenſivè, quàm ſolius Pontificis. 21.p.463.
Epiſcopi in Conciliis ſunt Judices, ſed non ultimi. 49.p.536.
Papa non confirmat Concilia, in quibus per ſe immediatè præſidet. 21.p.529.
Confirmat etiam decreta fidei, & morum. 23. ibi.
Eſt de fide Concilia à Papa confirmata non poſſe errare. v.*Immò*. p.608.
Petunt à Papa confirmationem. 2.p.525.

Concilium quoad ſententiam Papæ, & Concilii.

Sententia Concilii ſumit robur à Papa. 4.v.*probatur*. p.573.
Epiſcopi non concordantes cum Pontifice errant. 15.p.576.
Si contraria decidant, ſtandum ſententiæ Papæ. 13.p.575.
Pondus ſententiæ non à numero Judicum, ſed ex auctoritate judicantis penſandū. 19.p.577.
Non eſt melior ſententia multorum, quàm unius, qui alios debeat docere, & confirmare. 22.p.578.
In corpore myſtico debilitatis membris illæſa eſt functio capitis. 27.p.580.

Concilium Baſileenſe.

Profitetur Concilium eſſe ſub auctoritate Papæ. 21.p.545.
A principio legitimum. 70.p.559.
Baſileæ ab Eugenio diſſolvitur. 71. ibi.
Ejus decreta non approbantur. 74.ibi.& 77.78. p.560.
Annatus, & Juvenin hallucinati circa Concilium. 79.p.561.
Cardinalis Legatus auctoritatem præſidendi ſibi uſurpavit. 72.p.559.

Concilium Chalcedonenſe.

Nec probavit, nec reprobavit tria Capitula. 29.p.389.
S.Leo per ſuos Legatos præſedit in eo. 17.pag. 462.
Patres clamarunt: *Petrus per Leonem locutus eſt*. 18.ibi. & 8.p.597.
Non dubitarunt de infallibilitate Pontificis. 19. p.463.
Concilium reprobavit obſequioſum ſilentium. 15.p.470.
Definivit dualitatem naturæ in Chriſto. 23.p. 600.
Coactum eſt à S.Leone Magno. 17.p.498.
In eo præfuerunt Legati S.Leonis. 12.p.516.
Patres poſtulant, ut à S.Leone confirmetur. 8. p.526.
Confirmatur in cauſa fidei ſolùm. ibi.
Cur in eo recognitæ litteræ Leonis? 96. & 97. p.565.
Dioſcorus à Leone damnatus non permittitur ſedere inter Patres. 98.p.566.

Concilium Conſtantienſe.

Probat primatum Papæ ſupra Concilium. 20.p. 545.& 55.p.553.
Celebratum tribus contendentibus de Papatu. 48.p.552.
Quatuor ſunt tempora, ſub quibus fuit. 51. ibi.
Clauſulæ injurioſæ Pontifici reiiciuntur. 54 ad 56.p.553.
Editiones corruptæ opera Baſileenſium. 58.pag. 554.
Sub quarto tempore repræſentavit Eccleſiam. 66.p.556.
Confirmatur à Martino V. quoad geſta in materia fidei. 67.p.557.& 68.v. *Itaque*. p.558.
In ipſo Joannes, & Gregorius ſpontè ceſſerunt. 62.p.556.

Concilium Conſtantinopolitanum.

In III. fuerunt Legati Agathonis. 9.p.597.
In I. Definita eſt divinitas Spiritus Sancti. 21. p.600.
In III. dualitas voluntatum in Chriſto. 23. ibi.
Ei fuit nota ars fraudandi ſcripta Patrum. 38. v.*hac*. p.302.
Primum coactum eſt à S.Damaſo. 15.p.498.

Se-

Secundum Conſentiente Vigilio. 18. ibi.
Tertium coactum à Dono Papa. 19.p.499.
Quartum convocatur auctoritate Adriani II.21. ibi.
In I. interfuit Legatus Damaſi. 8.p.516.
In III. fuerunt Legati Agathonis. 15.p.517.
Primum confirmat Damaſus, &c.quantum ad definita contra Macedonium. 5.p.526.
In IV. ſeù octavo generali pronuntiata ſententia contra Photium à Sede Apoſtolica damnatum. 101.p.567.

Concilium Epheſinum.

In Epheſino I. definita eſt unitas perſonæ in Chriſto. 22.p.600.
Congregatur à Cæleſtino I. 16.p.498.
Patres per vim impediuntur à Theodoſio, ne diſcedant. 24.p.513.
S.Leo reprobavit Epheſinum II.6.p.508.
In I. vices Papæ tenuit.S. Cyrillus. 10.p.516.
Petunt Patres confirmationem à Cæleſtino. 6. p.526.

Concilium Florentinum.

In eo Græci uniuntur Eccleſiæ Latinæ. 7.v. *expreſſius*. p.256.
Definitur proceſſio Spiritus Sancti à Filio, & primatus Papæ, &c.27.p.600.
Congregatur ab Eugenio IV. 29.p.499.
Incæptum eſt Ferrariæ, & abſolutum Florentiæ. 75.p.560.
Doctrina S.Bonaventuræ à Joanne Theologo adhibita contra Græcos. 16.p.40.

Concilium Jeroſolymitanum.

Laici non fuerunt in eo cum ſuffragiis deciſivis. 8.p.587.
Cauſa honoris fuerunt aliqui admiſſi. 10.p.588.
Mulieres ad orationem admiſſæ in Concilio. *Actor* 1.17. p.590.
In alio *Actor* 15. abrogantur Legalia. 19.p.599.
In eo præſedit D.Petrus. 17.p.250.
Cur in eo controverſia de legalibus deciſa? 9. p.492.
Sententia D.Petri fuit ultima. 25.p.579.
Jacobus non definivit, ſed promulgavit ſententiam Petri. 25.v. *ſecundo*. p.570.
Cur decretum fuerit editum nomine totius Concilii? 25.ibi.

Concilium Lateranenſe.

In II. definitum eſt parvulis prodeſse baptiſmum, &c.24.p.600.
In IV.definitur reſurrectio, Infernus, & Purgatorium. 25.ibi.
In V. immortalitas animæ rationalis. 28. ibi.
Primum congregatur à Caliſto III. 22.p.499.
Secundum ab Innocentio II. 23.ibi.
Tertium ab Alexandro III. 24.ibi.
Quartum ab Innocentio III. 25.ibi.
Quintum ab Julio II. 30. ibi.

Concilium Lugdunenſe.

Primum congregatur ab Innocentio IV. 26.p. 499.
Secundum à Gregorio X. 27. ibi.

Concilium Nicænum.

In Nicæno I.definitur conſubſtantialitas Filii cum Patre æterno. 20.p.600.
In II. adoratio Imaginum. 23.ibi.
Cui Adrianus Papa direxit definitionem. 10.p. 597.
Negans Concilium Nicænum extitiſse eſt præſumptivè hæreticus. 42.p.453.
Primum Convocatur de conſenſu S.Silveſtri.14. p.497.
Secundum congregatur auctoritate Adriani I. 20.p.499.
Concilium Sardicenſe conſideratum, ut unum cum Nicæno I. convocatur à Julio I.40. pag. 503.
In Niceno I. fuerunt Legati S. Silveſtri. 6.pag. 515.
In Nicæno II.Legati Adriani I. 17.p.517.
Primum fuit confirmatum à S.Silveſtro. 3.pag 525.
Et celebratum ante natum Auguſtinum. 82.p. 562.

Concilium Piſanum.

Congregatur occaſione Schiſmatis Greg.XII. & Benedicti XIII. 31.p.548.
Congregatur à Cardinalibus, deponentibus utrumque 32.ibi.
Eligunt Alex.V.33.ibi.
Agitur de illius legitimitate contra aſserentes illegitimum. 36.ad 44.p 549.

Concilium Tridentinum.

Poſt ipſum non eſt diverſa fides in Eccleſia. 25. p.43.
Definit Sacra Biblia eſse recipienda. 14.p.152.
Decreta doctrinæ ab omnibus acceptata. 33.p. 466.& *v.deinde*. p.608.& 22.p.529.
Univerſalem Eccleſiam repræſentavit. 28.p. 593.
Non D.Auguſtino, ſed Pontifici reſervata interpretatio decretorum. 49.p.482.
Definit peccatum originale, Sacramenta,&c. 29.p.600.
Indicitur à Paulo III 31.p.500.
Pluries prorogatur. 8.p.509.
Patres poſtulant pro confirmatione. 20.p.529.
Fuit in *Spiritu Sancto legitimè* congregatum: Et cur? 46.p.535.
Petri Suavis inſolentia adverſus Concilium. 32. p.582.
De ſenſu clauſulæ: *Eccleſia, Spiritu Sancto ſuggerente*, &c.46.v. *cùm*. p.535.

Concilium Viennenſe.

Definit neceſſitatem luminis gloriæ. 26.pag. 600.
Congregatur à Clemente V. 28.p.499.

Rr 2 In

In eo pr obatur ſententia aſſerens parvulis in baptiſmo infundi virtutes. 14.p.63.

Concilia adverſus Chriſtum Dominum.

Primum convocatum eſt, Herode petente Matt h.2.v.4.3.p.572.

Secundum ex occaſione Lazari reſuſcitati Joan. 11.v.47.ibi.

In eo Caiphas prædixit Chriſti mortem pro ſalute totius Mundi. v.50.ibi.

Tertium inſtante paſſione, *Matth.26.v.57* v. *Tertium* p.573.

Judicium Caiphæ contra Chriſtum dedit locum adagiis: *judicium Caipha: concilium Caipha, ex Aula Caipha.* ibi.

Concilium Provinciale

Confirmatum à Papa eſt regula fidei. 6.p.458.& 25.p.530.

Et dicitur generale auctoritativè. 31.p.594.

Carthaginenſe adversùs Pelagianos confirmatur à Papa. 28.p.174.

Dioſpolitanum celebratur in cauſa Pelagii. 27. p.449.

Congregantur particularia Concil. à Prælatis, auctoritate recepta à Sede Apoſtolica. 34.p. 500.

In Concilio Francofordienſi non fuit reprobatum Nicænum II.16.p.528.

Arelatenſe I. non eſt Concilium, quod Auguſtinus appellat plenarium. 82. & 83.p.562.

Conciliabulum

Eſt celebratum vel à Papa non convocatum, vel reprobatum. 1.p.489.

Bituricenſe approbat pragmaticam ſanctionem. 13.p.171.

Epheſinum II. abſolvit Eutychetem. 16.p.462. & 6.p.508.

Sardicenſe Arianorum non confundendum cum Sardicenſe legitimo. 41.p.503.

Conciliabulum C.P. Photianum non uſurpandum cum octava Synodo Legitima. 18.pag. 528.

Piſanum celebratum adverſus Julium II. 46.p. 551.

In Ariminenſi non omnes Epiſcopi ſubſcripſerunt formulæ ab Arianis formatæ. 23.p.33.

Concluſio. Illatio.

Non tenet illatio ab externa negatione fidei ad internam. 9.v. *neque*. p.293.

Concluſio Theologica quæ? 26.p.68.

An deducta duabus præmiſſis ſit de fide? 27.pag. 69.

Concluſio quando ſequatur debiliorem partem? 24.p.286.

Concluſio deducta à Pontifice eſt certa certitudine fidei. 44.p.441.

Concluſio deducta ratione ſignificationis eſt propoſitio de fide. 25.v. *primo*. p.286.

Argumentum calculatorium abſolutè non concludit. 6.p.36.

A diviſis ad collecta ſæpè tenet illatio. 6.p.542

A compoſito ad diviſum non valet. 24. v. *contra*. p.546.

Exceſſus Scientiæ non arguit illum poteſtatis. 19.p.577.

Conſenſus

Eccleſiæ univerſalis non poteſt eſſe fallibilis. 31. p.288.

Conſenſus cum anteriori Eccleſia non requirit conſenſum cum quolibet de anteriori Eccleſia. 26.p.44.

Conſtantinopolis.

Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ambitio. 16.p.261.& 12.p.270.

Quando Eccleſia Conſtantinopolitana fuerit erecta in Patriarchalem? 13.p.271.

Conſtitutiones Pontificis.

Conſtitutiones Papales non ſunt examinandæ. 12.p.460.

Nec ſuſpendi poſſunt. 13.ibi.

Clauſula *poſthac* in Conſt. Sixti V. *Deteſtabilis* edita ſuper contractibus ſocietatis. 29.p.119.

Conſtitutionibus non fit ſatis obſequioſo ſilentio. 16.p.472.

Pontifices docent Eccleſiam dum publicant Conſtitutiones, vel decreta. 77.p.v. *Secundum*. p.404.

Sincera obedientia circa Conſtitutiones Apoſtolicas duo importat, unum exterius, interius alterum. v. *Concluditur*. p.487.

Controverſia.

Norma terminandi controverſias eſt Scriptura, & Traditio. 31.p.132.

Spiritus privatus non eſt Judex controverſiarum. 9.p.139.

In controverſia legalium Petrus fuit Judex 33. p.225.

Controverſia ſuper Inveſtituris compoſita ſub Calixto II.16.p.373.

Controverſiæ in materia Religionis non ad Principes, ſed ad Summum Sacerdotem, etiam in lege veteri deferebantur. 7.p.149.

Controverſia trium Capitulorum diu Eccleſiam vexavit. 21.p.387.

Controverſia de Cainan à D. Luca in Evangelio recenſito reſolvitur. 84. ad 91.p.405.

Controverſia inter Judæos, & Gentiles compoſita à Paulo. 4.p.245.

Corpus.

Differentia corporis naturalis hominis à corpore Myſtico Eccleſiæ. v. *Eſt*. p.70.

Corpus ſine capite non poteſt ſtare. 1.p.290. Vide v. Caput.

Correctio

Duplex ex auctoritate, & charitatis. 15.v. *&* *notari*. p.235.

Inferior poteſt Superiorem corrigere. 25.pag. 328.

Credere.

Implicitè, & explicitè quid importet? 21.p. 42.& 13.p.279.

Credere in Chriſtum eſt initium hominis Chriſtiani. 9.p.73.

Facilitas credendi in hæreticis non oritur ex habitu infuſo fidei. 11.v. *in utraque*. p.90.

Multa creduntur, quæ in Scripturis expreſsè non habentur. 8.p.108.

Propoſitio Eccleſiæ eſt regula proponens credenda. 28. *v.evidens*. p.16.

Ad credendum fide divina eſt neceſſaria pia affectio voluntatis. 28.p.146.

Motivum credendi intrinſecum, & extrinſecum. 38.p.604.

S.Cyprianus.

Cur non fuerit hæreticus tenens rebaptizandos baptizatos ab hæreticis? 35.p.47.

Cenſuit Papam eſſe Judicem ad dirimenda dubia fidei. 31.v.*R.& ſi.* p.176.

Unde ex ipſo hæreſes? 26.p.174.

Cur comparet Sedem Petri, arbori, fonti, & ſoli? 13.& 15.p.350.

Appellat Sedem Apoſtolicam matricem. 20.p. 353.

Correxit errorem de repetitione baptiſmi. 21. v.*Neque* ibi.

Martyrio errorem correxit. 34.p.177.

Nunquam oppugnavit Primatum Papæ. 20.p. 353.

Cultus.

Latriæ Deo exhibetur in thurificatione. 9.p. 96.

Cultus ſuperſtitioſus ex triplici capite. 21.ibi.

Cultus Sacer, & Religioſus. 4.p.360.

Cultus, qui præſtatur Pontifici non eſt civilis. 20.ad 23.p.365.

Cultus à Papa Sanctis decretus ſupprimi non poteſt. 12.v.*Inſtant*. p.427.

Sanctis non debetur cultus Latriæ. 18.p.435.

Nequit cultus à Papa decerni exiſtenti in inferno. 5.p.431.

Cultus idolorum videbatur veſci cibis Diis immolatis. 26.p.580.

Vide v. Canonizatio.

D

Decreta Apoſtolica.

DEcretum Stephani Papæ in controverſia de repetitione baptiſmi. 6.p.171.& 31. v. *R.& ſi.* p.178.

Decreta Pontificis circa doctrinam morum ſunt infallibilia. 4.p.383.

Decreta Romanæ Cathedrę in iis,quæ ſpectant ad jus naturale, & divinum ſunt irreformabilia. 27.p.418.

Decreta Pontificum edita extra Concilia ſunt infallibilia. 2.p.456.

Dictio *intereà* in decreto Alexandri VII. edito 1665.25.p.418.

Dictio *pro nunc* in decreto Innocent. XI. edito 1679. ibi.

Significatum decretorum Papæ eſt à Deo revelatum. v.*R.in hoc.* p.68.

Confirmatio decretorum multiplex. 1.p.525.

Decreta juris poſitivi humani ſunt à Papa, Spiritu Sancto aſſiſtente. 45.p.535.

Decreta Conciliorum facta contra Inſtructionem Legatorum à Papa abrogantur. 13.pag. 575.

Non conſtat decreta Conciliorum eſſe in ſe infallibilia, ſine confirmatione Papæ.47.p.536.

Decreta Cociliorum, poſita deciſione Papæ, actu obligant Eccleſiam. 49.ibi.

Eis confirmatio Papæ confert vim obligandi in conſcientia. 41.p.523.

Decretales.

Decretalis *Per Venerabilem*, *qui fil. ſint. legit.* non eximit à ſubjectione Pontificis Reges Galliæ. 29.p.339.

Decretalis *meruit de privil.int.com.* non ſuffragatur Celleſio ſcribenti n.15.contra jura Papæ. 30.p.340.

Decretalis *Cùm olim*, *de ſent.& re jud.* exponitur de negotiis purè privatis. 1.v. *iuxta*. p. 382.

Decretalis *A nobis il 2. de ſent.excom.* edita ſuper dubio de excommunicato ſub cenſura defuncto. 16.p.434.

Decretalis *Presbyter de ſacram. non iter.* non concludit impoſitionem manuum eſſe materiam neceſſariam Ordinis. 63.*v.Item.* p.399.

Definitio Apoſtolica.

Eſt ab examine ceſſandum, ubi Papa definitiones edit. 21.p.577.

Cùm quidquam definit, certos nos reddit definitionem eſſe legitimam. 21.p.577.

Non facit rem de non revelata, revelatam. 23. p.43.

Succeſſivis temporibus plura fuerunt definita, quæ prius non erant. 20.p.42.

Definitio Sextæ Synodi de duabus voluntatibus in Chriſto, Honorium non tangit. 47.p.306.

Unus Pontifex poteſt definitionem alterius interpretari. 59.p.397.

Poſita definitione Pontificia, certi ſumus de adhibita diligentia. 12.p.460.

Definitiones Papales non ideò ſunt infallibiles, quia acceptantur ab Eccleſia. 13.v. *verum*. p.461.

Non eſt data Papæ poteſtas ad definiendum dependenter à Concilio. 3.p.477. & 15.v. *probatur*. p.461.

Ad definiendum,ſatis eſt prudens diligentia. 26. p.465.

Definitio paſſivè accepta eſt objectum definitionis activæ. 1.p.595.

Definitiones Pontificum in materia credendorum ſunt objecta fidei divinæ. 3.p.596.
Eduntur ex aſſiſtentia Spiritus Sancti.32.p.601.
Definitiones Pontificum pendent ab antiqua revelatione. 36.v.ad 2.p.603.
Definitio externa Eccleſiæ duplici modo uſurpatur. 37.ibi.
Definitiones Papæ de injuſtitia argui non poſſunt. 27.v.R.p.580.
Judicium practicum, *quod ſit, & non aliter ſit definiendum*, inſpiratur Papæ à Spiritu Sancto. 29.p.581.
Ex ipſamet definitione conſtat infallibiliter Pontificem definire. 37.*v.ſi dicatur*.p.603.
Eſt moraliter evidens, quòd in Eccleſia ſit auctoritas infallibilis ad definiendum.39. *v.ideò*. p.605.
Comparatio inter Scripturam, & definitiones Eccleſiæ. 55.ad 62.p.609.
Eccleſia in ſuis definitionibus edendis ſcrutatur Scripturas. 58.ibi.
Definitiones fiunt à Pontifice ex aſſiſtentia Spiritus Sancti. 62.1.*& notamus*. p.610.
Suppoſita definitione Pontificia circa propoſitiones Janſenii, jus naturale, & divinum dictat interiùs eſſe credendam hereticitatem illarum. 60. *v.quare*. p.485.
In Definitionibus Papa procedit, ut Vicarius Chriſti. *v.Abſurdiſſimè*. ibi.
Definitiones Conciliorum pendent ab inſtructione Pontificis per ſuos Legatos. 38.p.523.
Papa tenetur ſtare definitionibus fidei, quas edit. 44.p.534.
Infallibilitas definitionum non tribuenda conſultationibus Peritorum. 20.p.577.
Vide v. Infallibilitas.

Deus

Teſtimonium Dei neceſſarium ad credendum, non excludit teſtimonium Eccleſiæ. 17.p.143.
Teſtamentum Dei complectitur verbum tam ſcriptum, quàm non ſcriptum. 21.p.114.
Amor amicabilis Dei requirit fidem ſupernaturalem, & adjutorium gratiæ. 12.p.52.
Deus confert immediatè poteſtatem Pontifici. 44.p.167.
Omnes Fideles ſunt *Cives, & Domeſtici Dei*. 20.p.591.
Eſt Judex conſcientiarum. 26.p.131.
Deus voluit, ut nos crederemus per teſtimonium Eccleſiæ. 22.p.144.
Vult omnes homines ſalvos fieri. 4. *v. Pleni*. p.23.
Deus loquitur per Eccleſiam. 37.p.603.
Non habet Deum, Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. 8 p.51.
Dei præcepta non ſunt impoſſibilia. 2.nu.1.p.443.
Non eſt intenſivè perfectior collectio ex Deo, & creaturis, quàm ſolus Deus. 21.p.463.
Deus non vult finem obtineri per ſaltum. 27.p.465.
Diſpoſuit de ſucceſſione Pontificum ſub tempore legis, etiam naturæ. 8.p.292.

Dextera

An locus dignior, quàm ſiniſtra. 42.p.243.
Non ſemper D.Paulus ponitur ad dexteram D. Petri. 43.ibi.
Dexterà D.Petri exprimitur primatus poteſtatis. *v.quare*. ibi.
In Nicæno I.Siniſtra digniorem locum ſignificabat. 26.p.520.

Dialectica.

Eſt peritia diſputandi. 9 p.61.
Argumentum ex Dialectica adversùs Græcos. 10 *v.confirmat*. ibi.
Dialectica in Theologo neceſſaria ad defendendam veritatem fidei. 11.p.62.
Abuſus Dialecticæ, & Philoſophiæ à Scholis Catholicis amovendus. 18.p.66.

Dignitas.

Dignitas Sacerdotii eſt excellentior quacumque ſæculari. 28.p.157.
Suprema dignitas Paſtoralis Romani Pontificis non ab hominibus, ſed à Deo eſt. 10.p.361.
Epiſcopalis dicit Characterem, & juriſdictionem. 52.p.537.
Baculus paſtoralis ſignum dignitatis, & juriſdictionis limitatæ. 31.p.265.

Diœceſis.

Diœceſis Papæ eſt tota Eccleſia. 24.p.546.
In quacumque ſit Papa, in ea præſidet, & ſubditum habet Epiſcopum. 26.p.580.

Diſpenſatio.

Papa diſpenſat in pertinentibus ad jus humanum. 16.p.511.
Jus naturale, & divinum eſt indiſpenſabile. 43. p.534.
Hæretici in Conciliis convincuntur per viam diſputationis. 10.p.492.
Non poteſt in matrimonio conſummato diſpenſari. 112.p 570.

Diſputatio.

In diſputationibus cavenda eſt libido rixandi. 9.p.61.
Praxis diſputandi cum hæreticis. 42.p.166.

Diurnum Romanor. Pontificum.

A Sancta Inquiſitione ſuppreſſum. 40.p.303.
In eo fuit fraude inſertum nomen Honorii. ibi.

Doctrina

Fidei, & morum in Eccleſia ſemper eadem. 18. p.10.
Doctrina fidei in fundamentalem, & non fundamentalem apud Proteſtantes. 1.p.48.
Oves rationales doctrina paſcuntur. 28.p.174.
Vera doctrina dignoſcitur ex ea, quam tenet Eccleſia communicans cum Romano Pontifice. 16.p.189.

Ve-

Veritas doctrinæ pendet à ſucceſſione Romanorum Pontificum. 61.p.309.
Eccleſia profitetur doctrinam ſanctam. 4.p.383.
Eccleſia non poteſt approbare doctrinam proponentem turpia, & reprobare dictantem honeſta. 5.ibi.
Doctrina Eccleſiæ eſt irreformabilis. 33.p.47.
Ubi agitur de definitione doctrinæ Laicis non competet præſidentia, ſed aſſiſtentia ad pellendos tumultus. 41.*v. Nec ex præſidentia*. p. 165.
Doctrina morum pertinet ad ſalutem animarum. 13.p.385.
Doctrina ſcandaloſa eſt falſa quoad praxim. 3. p.410.
Fundamentum ſcandali eſt falſitas doctrinæ. 24. p.417.
Abſtinendum eſt à doctrinis damnatis. 28.pag. 418.
Sola ſucceſſio doctrinæ ſine illa perſonarum non ſufficit in Eccleſia Chriſti. 61.p.309.
Doctrina morum ſemper una. 103. *v.ideò*. p. 567.
Non eſt cujuslibet examinare de pravitate doctrinæ. 17.p.576.

Dogma.

Aliud imperatum, aliud liberum, toleratum, vel permiſſum. 31.*v.hic*. p.420.
Factum dogmaticum quodnam? 9.p.444.
Decreta dogmatica Pontificis non egent approbatione populi, ut obligent. 31.p.466.
Sufficit, ut Romæ publicentur, ut ad obſervantiam aſtringant. 32.ibi.
Definitiones circa facta dogmatica non pendent à circumſtantia mutabili. 16.*v. R.neque*. p. 435.
Dogmata quantum ad res in Eccleſia ſemper credita. 40.v.*Ipſa*. p.606.
Cur aliquorum apud Patres nulla mentio ſit. ibi.
Multa ſunt nunc in Eccleſia, quæ ſub tali expreſſione ab Apoſtolis non ſunt tradita. 40. p.605.

Dominium.

Principes ſuarum Ditionum habent uſum, & dominium. 34.p.341.
Feudatarii habent in fæudis dominium utile, non proprietatis. 35.ibi.
Dominium ſeparatur à rebus, quæ uſu conſumuntur. 45.*v.verum*. p.393.
Uſus activus convenit cum dominio proprietatis. 48.p.394.
In ſtrictiori paupertate renuntiatur dominio, tam in communi, quàm in particulari. 53. *v.aliquando*. p.395.
Vide v.Fratrum Minorum paupertas.

Donatiſtæ

Dicebant Eccleſiam Chriſti periiſſe; & ubi? 1. p.22.
Malos excludebant ab Eccleſia. 1.p.71.
Eorum ſchiſma unde ortum? 4.p.93.
Non eis fuit ex rigore juris conceſſum Concilium Arelatenſe in cauſa Cæciliani. 38.pag. 163.
Eorum furor per plures annos Eccleſiam vexavit. 40.p.164.
In cauſa Cæciliani non appellarunt à ſententia Melchiadis. 36.p.162.
Romam miſerunt Victorem, & cur? 5.p.291.
Suos Martyres honorabant, 19.p.435.
Quæ fuerint partes Marcellini Tribuni aſſiſtentis collationi factæ à Catholicis cum Donatiſtis? 22.p.592.

Dubium.

Pulſante dubio in rebus fidei, eſt adeunda Sedes Apoſtolica. 38.p.119.
In dubiis fidei non recurritur ad Principes. 9. p.150.
Conferre unum Evangelium cum alio, non eſt dubitare de alterutro. 19.p.463.
Dubia Religionis, nec in Lege veteri Laici decidebant. 5.p.587.

E

Eccleſia.

Eccleſia eſt regnum Chriſti ex 1.*Petri cap.*2. 13.p.29.
In Eccleſia debet eſſe Miniſtrorum diverſitas. 14.p.576.
Deſcribitur. 27.p.15.
Notæ Eccleſiæ. 2.p.3.
Eccleſiæ particulares ſunt membra Eccleſiæ univerſalis. 5.p.4.& 7.p.292.
Quo titulo Eccleſia dicatur una? 6.ibi.
Et Sancta. 7.p.5.
Et Catholica. 9.ibi.& 62.p.310.
Et Apoſtolica. 10.p.6.& ibi.
Eccleſia Chriſti eſt viſibilis. 3.p.17.
Et perpetua. ibi.v.*perpetuitatem*. p.18.
Eccleſia eſt indefectibilis. 4.p.23.
Comparatio Eccleſiæ cum Luna. 22.p.32.
Eccleſia Catholica in rebus fidei, & morum errare non poteſt. 3.p.33.
Eſt columna, & firmamentum veritatis. 5.p.36.
Promiſſiones factæ Eccleſiæ de non errando non ſunt conditionatæ. 7.p.37.
Ad Eccleſiam in ſuo capite remittitur examen doctrinæ. 10.v.*& lib*.p.38.
Eccleſia non repudiavit prioris Eccleſiæ fidem. 26.p.44.
Eccleſia non tolerat Hæreſes. 5.p.50.
Non habet Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem. 8.p.51.
Qui eſt ſeparatus ab Eccleſia, nihil ei prodeſt, eſtò credat laudabiliter vivere. 13.p.52.
Sola Eccleſia Romano-Catholica eſt prudenter credibilis. 15.p.53.

Separati ab Eccleſia boni eſſe non poſſunt. 19. p.54.
Sola Eccleſia communicans cum Romano Pontifice eſt Catholica. 21.p.55.
Eccleſia conſiderata ſecundùm eſſe finale, animatum, & formale abſolutè. 23.p.79.
Eccleſia habet materiale, & formale. 18.p.85.
Eccleſia eſt Corpus Chriſti, & qua ratione Romani Pontificis? 20.p.100.
Eſt ſacra Reſpublica. 9.p.187.
Aliquando ſupponit ſimpliciter, aliquando perſonaliter. 15.v.*ad id.* p.189.
Eccleſia una eſt, quia unum caput habet. 3.p. 194.
Eccleſia, etiam poſt Aſcenſionem Chriſti ab uno viſibili capite regitur. 10.p.216.
Eccleſia fuit fundata à Chriſto ante Aſcenſionem. 11.ibi.
Eccleſia quatenus dicatur fluxiſſe de latere Chriſti. 13.p.217.
Dicitur Virgo, & Mater. 17.p.261.
Eccleſia ſine Paſtoribus eſſe non poteſt. 4.v. *Pleni*. p.23.
Proponit verbum Dei per Pontifices. 34.p.47.
Extra Eccleſiam non eſt ſalus. 3.p.49.
Sola Eccleſia Romano-Catholica eſt prudenter credibilis. 15.p.53.
Eccleſiæ particulares ſubſunt Romano Pontifici. 38.p.227.
Omnes ſunt una Eccleſia univerſalis, quia ſunt communione conjunctæ cum Romano Pontifice. 59.p.309.
Eſt in poteſtate Eccleſiæ gladius ſpiritualis, & materialis. 20.p.337.
Eccleſia individuatur non in ordine ad Papam vagum. 23.p.285.
Eccleſia in ſuo capite, non de ſolis verbis, ſed de ſenſu judicat. 14.v.*Tum quia*. p.445.
Extra Eccleſiam non fiunt miracula. 25.p.437.
Eccleſia non judicat de occultis, niſi extra manifeſtentur. 33.p.451.
Vacante Sede Apoſtolica, Eccleſia eſt unita cum ſuo Capite in præparatione animi. 9.p. 38.
Ratione ſui Capitis errores non prævalebunt adverſùs eam. 38.p.478.
Eccleſia, & Scriptura ſibi invicem præſtant operas. 12.p.141.
An Eccleſia per Scripturam, vel è contra, Scriptura per Eccleſiam probanda ſit? 69.ad 71.p. 611.
Sub Abel fuit Eccleſia. 82.p.613.
Una, & eadem Eccleſia ab initio uſque ad finem. 88.ibi.
Status noſtræ Eccleſiæ eſt excellentior. 90.pag. 614.
Quo titulo Eccleſia Judæorum dicatur excluſa. 91.ibi.
Idem fundamentum Eccleſiæ pro omni ſtatu, Legis naturæ, Scriptæ, & novæ. 94. pag. 615.
Eccleſia congregata ex præputio, & circumciſione. 97.p.616.
Nota una veræ Eccleſiæ eſt concordia. 14.p.527.
Eccleſia habuit infantiam, adoleſcentiam, habetque maturitatem. 90.p.614.
Eccleſia non approbat, quæ ſunt contra fidem, & bonam vitam. 57.p.539.
In Eccleſia ſunt triticum, & paleæ. 21.p.78.

Eccleſia Romana.

Eſt mater, & Caput omnium Eccleſiarum. 21. p.12. & 59.p.309.
Quomodo ſit ubique? 22.v.R.*Quod*. p.13.
A Romana Eccleſia petendæ ſunt Traditiones. 19.p.113.
In Romana Eccleſia fuit ſemper in uſu editio vulgata latina. 17.p.153.
Eccleſia Romana eſt divinarum Traditionum cuſtos. 31.v.*R.&ſi.* p.176.
S.Petrus fundavit Eccleſiam Romanam. 1.pag. 244. & 19.p.250.
Eccleſia univerſalis dicitur Romana. ibi.& 20. p.251.
Nunquam in fide erravit. 9.p.269.
Committit Epiſcopis regimen particularium Eccleſiarum. 4 p.346.
Eccleſia Romana appellatur domina. 5.p.542.
Pietas Romanæ Eccleſiæ nullum vult perire. 102.*v.quartò*. p.567.
Recedens ab Eccleſia Romana recedit ab Eccleſia Chriſti. 9.v:*Reſp*.p.27.
Eccleſia Romana non eſt Babylon. 9.v.*conantur*, p.28.

Editio Vulgata

Eſt auctentica. 15.p.152.
Ejus Auctor. 17.p.153.
Appellatione Vulgatæ venit codex continens 72.libros canonicos. 19.p.154.
Verba, quæ ſunt in Vulgata editione, quoad ſignificatum, & ſenſum fuerunt ſcripta, Spiritu Sancto dictante. 21.p.155.
Editio vulgata eſt incorrupta. 24.ibi.
D.Hieronymus vetus Teſtamentum ex hebræo tranſtulit in Latinum. 18.p.153.

Electio.

Papa canonicè electus non eget confirmatione. 44.v.*R.conveniunt*. p.167.
Plebi non convenit eligere miniſtros Eccleſiæ. 21.p.191.
Modus eligendi Pontificem eſt ex auctoritate Papæ. 14.p.280.
Primis ſæculis electus fuit à Clero. 16.p.281.
Electio Papæ conſideratur duplici modo. 20.p. 283.
Electus in Papam, eſtò non Epiſcopus, eſt verus Papa. 32.p.280.
De electione canonica Martini V. nullatenus dubitari poteſt. 63.p.310.

Electio non confirmatur, niſi à Superiore. 13. p. 527.

Epiſcopus, Epiſcopatus.

Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis. 27.p.146.
In Epiſcopis non eſt plena poteſtas regendi Eccleſiam. 4.p.194.
Succedunt Apoſtolis in regimine Eccleſię particularis. 8.p.196.
Sunt vocati in partem ſollicitudinis. 16.pag. 199.
Epiſcopatus particulares pendent ab illo Petri. 18.p.199.
Papa poteſt Epiſcopos deponere. 27.p.211.
Epiſcopus à tribus Epiſcopis conſecratur: & unde ritus proceſſit? 28.p 224.
Epiſcopi debent paſcere greges particulares. 38. p.227. & 40. ibi.
Epiſcopi ſunt filii Papę. 24.p.239.
Chorepiſcopi non erant Epiſcopi. 24.p.252.
Epiſcopi non communicantes cum Romano Põtifice non ſuccedunt Epiſcopis. 3.p.290.
Epiſcopi, etiam in Concilio ſunt inferiores Pontifice. 5.p.312.
Epiſcopis datur juriſdictio à Romano Pontifice. 5.p.346.
Nullus poteſt eſse legitimus Epiſcopus cum juriſdictione ſine conſenſu Pontificis. 6.p.347.
Epiſcoporum juriſdictio à Papa reſtringitur, & ampliatur. 7.ibi.
A Papa elevantur, ut judicent cauſas Eccleſiæ. 36.p.358.
De Epiſcopis titularibus perperàm ſentit de Dominis. 1.p.586.
Ordo Epiſcopalis eſt de jure divino. 17.pag. 351.
Papa non poteſt ſimul omnes Epiſcopos ab juriſdictione ſuſpendere. 18. & 19.p.352.
Epiſcopatus unus eſt, unitate ſubordinationis ad Petri Epiſcopatum. 20.p.353.
Epiſcopi ſunt fundamenta Eccleſię ſub fundamento, Romano Pontifice. 22.p.354.
Sunt Magiſtri in Eccleſia ſub eodem. 23.ibi.
Habent à Chriſto juriſdictionem ſola immediatione virtutis, non ſuppoſiti. 27.ibi.
Epiſcopi non ſuccedunt Apoſtolis in Apoſtolatu. 29.p.355.
Eorum poteſtas non eſt delegata ſed ordinaria. 34.p.357.
Sunt oculi Eccleſię ſub capite Romano Pontifice. 35.ibi.
Titulus, & *Apoſtolicæ Sedis gratia*, probat Epiſcopos communicare cum Capite Eccleſię. 28.p.355.
Epiſcopi in quęſtionibus Fidei & morum ad Pontificem recurſum habuerunt. 7.p.458.
Mortuo Epiſcopo coadjuto, expirat munus Coadjutoris. 26.p.252.
Non examinanda ab eis, hęreſis à Pontifice damnata. 9.*v.eandem*. p.459.
Epiſcopus repręſentat ſuam Eccleſiam. 27.p. 593.
A quo appellatio Epiſcopi venerit? 50.pag. 537.
Epiſcopatus eſt Superior ſimplici Presbyteratu. 52.ibi.
Non omnes poſsunt falſam doctrinam docere. 16.p.576.
An Capitulum ſine Epiſcopo poſſit nova ſtatuta facere? 24.p.578.

Epiſtola.

Occaſio D.Pauli ſcribendi Epiſtolam Romanis. 4.p.245.
Epiſtolę Leonis Papę II. ad Epiſcopos Hiſpanię recenſentes damnationem Honorii fuerunt alteratę. 39.p.302.
Epiſtola Ibę damnata in Concilio V. generali. 32.p.390.
De Epiſtola à S.Leone directa Flaviano non dubitatur in Chalcedonenſi. 19.p.463.
Epiſtola Joan.XXII. circa viſionem beatificam. 49.p.306.

Error

Practicus à ſpeculativo diſtinguitur. 8.p.37.
Error inculpabilis circa res fidei non poteſt eſse in tota Eccleſia. 13.p.39.
Error eſt, omnes in ſua ſecta ſalvari. 1. pag. 48.
Plures errores Pontifices damnarunt. à 4. ad 24.p.170.
Error in nullo caſu eſt ſequendus. 26.p.465.
Errorem contra fidem Eccleſia explicitè reprobat. 53. *v.Scripta*. p.538.

Evangelium.

Nec Chriſto vivente, neque ſtatim à morte Chriſti fuit ſcriptum. 11.p.109.
Cur Paulus Evangelium contulerit cum Petro. 11.p.233.
Prius à S.Petro, quàm à S.Paulo Romę prędicatur. 1.p.244.
Et Jeroſolymis. 12.p.248.
Aliqui cenſent ex Evangelio Lucę eſse expungendum Cainan, ſed reprobantur. 84.p.405.
Abraſo Cainan ex Evangelio Lucę, auctoritas Bibliorum corruit. 91.*v.Hinc*. p.407.
Eſt prędicandum Evangelium, quod Chriſtus imperavit. 10.p.21.
Hoc prędicat ſola Eccleſia Romano-Catholica. 13.ibi.
Cur Scriptores Evangeliorum duo fuerunt Apoſtoli, & duo non? 64.p.610.

Euchariſtia.

Non eſt pręcepta communio ſub utraque ſpecie. 29.p.45.
Cur aliquando fuerit in uſu? 29.*v.Verum*.p.46.
Quamdiù perſeveret Corpus Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis? 21.p.129.

No-

Nomen *Tranſubſtantiatio* additum contra hæreticos. 40.*v.idem*. p.605.
Parvulis non eſt neceſſaria. 45.p.480.
Eis aliquando fuit adminiſtrata. *v.negandum*. p.481.

Evidentia, & certitudo.

Eſt evidenter credibile Eccleſiam Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam. 28.p.16.
Evidentia moralis habet ſuos gradus. 7.p.277.
Evidentia moralis excludit rationem prudenter dubitandi. 8.p.278.
Certitudo formalis, & materialis, quæ? 39. p.440.
Utraque certitudine eſt certum judicium Papæ. ibi.
Nullus eſt de ſua juſtificatione certus certitudine fidei. 20.p.143.
Conſenſus Patrum parit certitudinem moralem. 34.p.583.
Non eſt idem conſenſus ſumendus Mathematicè. 35.ibi.
Eſt moraliter evidens auctoritas infallibilis in Eccleſia. 39.*v.ideò* p.605.

Examen.

Non quærendum de re jam à Sede Apoſtolica deciſa. 25.*v.libro* 2.p.173. & 7 p.312. & 9. v. *tandem*. p.459.
Cur pro Canonizatione aliud inſtituitur? 20.*v. nec.* p.436.
Conſtitutiones Pontificiæ non ſunt examinandæ. 12.p.460.

Excommunicatio. Excommunicati

An ſint in Eccleſia? 30. p.57.
Hæreſis externa, licèt occulta, inducit excommunicationem. 3.p.8.
Papa non poteſt ulli tribuere facultatem; ut in ipſum excommunicationem pronuntiet. 3.v. *hinc*. p.320.
Appellantes à Papa ad Concilium ſunt excommunicati. 1.p.311.
Temeritas Photii in ferenda ſententia excommunicationis in Romanos Pontifices. 7.pag. 322.
Plures Reges à Papa excommunicati. 28.p.339.
Mortui poſſunt declarari excommunicati. 34. p.390.
Legentes libros Hæreſiarcarum incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ. 21.p.416.
Audacia Dioſcori excommunicantis Pontificem. 16. p.462.
Decedens in excommunicatione eſtò perfectè contritus, eſt apud Eccleſiam ligatus. 16.p. 434.
Non credentes interiùs hæreticitatem textus Janſeniani ſunt excommunicati. *v.R.affirmativè* p.485.
Quando hæreſis pure mentalis concludat excommunicationem. *v.propterea*, ibi.
Excommunicatus quoad operari externum non eſt membrum Eccleſiæ. 24.p.101.

F

Factum.

PApa non poteſt errare in factis cum jure connexis. 21.p.316.
Factum Stephani Papæ adversùs Formoſum videtur fabuloſum. 31.p.377.
Factum purum, & perſonale, quodnam? 9.p. 444.
Vide. v.Dogma.

Felix Papa

Vivente Liberio, non fuit verus Papa. 17.pag. 295.
Prodigioſè manifeſtatur. 18.ibi.
Cur ab Auguſtino, & Optato non recenſeatur in ſerie Pontificum? 20.p.296.

Fides.

Per ſeriem ſucceſſionis accipitur. 10.*v. Tertiò*. pag.7.
Idem poteſt credi, & videri. 7.p.20.
Eſt fundamentum Eccleſiæ. 12.p.39.
Myſteria fidei, *quoad ſe*, & *quoad nos*. 22.p.43. & 35.p.133.
Fides eſt fundamentum juſtificationis. 12.p.131.
Fides ſupernaturalis eſt infallibilis. 20.p.85.
Quo ſenſu in uno poſſit fides eſſe major, quàm in alio? 14.p.91.
Fides debet eſſe una. 53.p.183.
Fides eſt omninò certa. 7.p.277.
Eſt de fide *quoad ſe*, & *quoad nos*, quod Papa canonicè electus ſit Vicarius Chriſti. 23.p.285.
Negatio externa fidei non infert per neceſſe hæreſim internam. 9.*v. Neque*. pag.293.& 36.p. 378.
An ſit de fide, quod Papa ut perſona privata non poſſit in fide errare? 5.ad 6.p.369.
Actus fidei ſexies in anno circa Myſteria, neceſſaria neceſſitate medii. 40.p.379.
Fidei divinæ non poteſt ſubeſſe falſum. 39.pag. 380.
Fides per infidelitatem amittitur. 42. ibi. & 8.p.89.
Fides eſt formale conſtitutivum Eccleſiæ. 7.p. 370.
In fine Mundi non deficiet. 21.p.32.
Fides, ut in formale motivum credendi reſolvitur in divinam revelationem; & in auctoritatem Eccleſiæ, ut regulam vivam proponentem. 13 p.140.
Particulare contentum in univerſali eſt de fide *quoad nos* cùm Papa declarat contineri in univerſali. 30.p.438.
Myſteria fidei non ſunt contra rationem. 10.p. 61.
Eſt de fide infallibilitas in Pontifice ad definien-

niendum etiam extra Concilia. 8.v. *Quod*. p. 458.
Complexum ex facto, & jure eſt fide divina credendum. 39.p.453. & 11 p.470.
In re ſpectante ad fidem locutio amphibologica interdicta. 22.p.473.
Per Apoſtaſiam receditur totaliter à fide. 4. v. *amplius*. p 93.
Ad credendum requiritur interior gratia. 16. v. *Auxilium*. p 142.
Defenſio fidei eſt cauſa communis. 32.p.594.
Tempora variata ſunt, non fides ex Auguſtino. 89.p.614.
Fides probanda per teſtes. 33.p.583.

Formula.

Formulæ fidei in Ariminenſi non ſubſcripſerunt omnes Catholici. 23.p.33.
Formula novatianis exhibita in deteſtationem erroris. 2. v. *Item*. p.275.
Sirmii binæ formulæ fidei editæ. 10.p.293.
Formula appellationis à Papa ad Concilium continet injurioſa auctoritati Pontificis. 18. p.315.
Formula purgationis factæ à Leone III. 14.pag. 324.
Formula in Bullis Canonizationum appoſita. 4. p.430.
Formula juramenti præſtandi ſupra damnationem propoſitionum Janſenii. 16.p.471.
Formula Fidei edita contra Photinum. 10.pag. 293.

Fraticelli

Duas Eccleſias poſuerunt. 2.p.22.
Erant pſeudo Fratres minores. 8.p.171.
Solo nomine Profeſſores Regulæ 10.p.427.

Fratrum Minorum paupertas.

Apud Fratres Minores non eſt dominium rerum, quæ uſu conſumuntur. 45. v. *verum*. p. 393.
Concordia inter Nicolaum III. & Joannem XXII. in puncto paupertatis Fratrum Minorum. 46. & 47.p.394. & 55.p.396.
Fratres minores non eſſent domini rerum, quamvis ſoli exiſterent in Mundo. 50.p 395.
Paupertas triplex, *alta*, *altior*, *altiſſima*. 52. ibi.
Franciſcani profitentur paupertatem ſtrictiorem. 54.p.396.
Nulla eſt contradictio inter decretalem Nicolai, & Joannis ſi conſideranda conſiderentur. 56.p 397.
Prohibitum eſt prædicare contra Regulam Fratrum Minorum. 58.ibi.
Licitè conſumunt res, quibus utuntur. 46.p. 393.

G

Gentiles. Pagani

Præbent Eccleſiæ materiam operationis. v. *Nam*. p.1.
Calumnia Gentilium in Chriſtianos. 48.p.182.
Non ſolùm Paulus Gentibus prædicavit. 14.p. 234.
Reges Gentilium ſolent cum Tyrannide gubernare. 19.p.337.
Gentilibus non fuit datum præceptum Circumciſionis. 43.p.180.
Ratiocinium ad Paganum inducendum ad fidem. 11.p.140.
Gentiles in ſtatu legis naturæ ſalvabantur per Fidem in mediatorem venturum. 84.p.613.
Gentiles poterant ad Judæos tranſire. 86.ibi.
Apud Gentiles. Imperatores erant, etiam Pontifices; & cur? 42.p.503.
Gentiles ſuos Præfectos vocabant Epiſcopos. 50. p.537.
Gentiles fuerunt per Apoſtolos in ovile Chriſti inducti. 10.p.542.

Græci.

Non credunt Romanum Pontificem eſſe caput Eccleſiæ. 9.p.20.
Nec prædicant Evangelium, niſi adulteratum. 10.p.21.
Non credunt Spiritum Sanctum procedere à Filio. 16.p.40.
Qua ratione propriam ſententiam dixerint in Concilio Florentino. 12.p.21.
In ordinatione utuntur impoſitione manuum. 61.p.398.
Græci debent ſequi conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ. 64.p.399.
Inter ipſos Epiſcopi carent juriſdictione. 11.p. 21.
In Eccleſia Græca non Concilia, ſed Conciliabula celebrantur. 5.v. *dictum*. p.19.

S.Gregorius.

Reprehendit in Patriarcha Conſtantinop. titulum Epiſcopi univerſalis. 16.p.261.
Pecunia redemit injuſtam vexationem. 44. v. *Sanctus*. p.167.
Se primò intitulavit: *Servus Servorum Dei*. 12. p.188.

H

Hæreſis.

Spoliat juriſdictione. 10.v. *R.hic*. p.28.
Eccleſia pugnat contra omnes hæreſes. 10. p.38.
Duo ad hæreſim requiruntur, unum ex parte intellectus, & aliud ex parte voluntatis. 1. p.80.

Hæ-

Hæreſes ſine Conciliis à Pontifice proſcribuntur. 7.p.312.
Hæreſis non poteſt eſſe in Pontifice etiam ut perſona privata. 4.p.368.
Simonia quo ſenſu appelletur hæreſis. 14.p.372.
Hæreſis Macedonii. 15.p.40.
Quartadecimanorum. 5.p.87.
Cerinthi. 15.p.142.
Photini. 10.p.293.
Novatianorum. 5.p.87.
Prædeſtinatianorum. 7.p.469.
Eutychetis. 19.p.446.
Neſtorii. 18.ibi.
Sabellaniorum. 7.p.124.
Manichæi negabant vetus Teſtamentum. 10.v. *Manichæi*. p.140.
Et Chriſtum verè eſſe mortuum. 29. *v. verum*. p.46.
Libertini nullam Scripturam admittunt. 15. p.142.
Cur pro damnanda hæreſi Ariana, & Donatiſtarum, non verò pro Pelagiana fuerit congregatum Concilium generale? 11.p.492.

Hæreticus

Non habet miſſionem. 10. v. *Hæretici*. p.7.
Non ſucceſſionem Paſtorum. 10.v. *qua*.p.7.
Hæreticorum blaſphemiæ adversùs Eccleſiam Romanam. 1.p.3.
Hæretici ſcindunt unitatem Eccleſiæ. 16.p.10.
Cur hęretici appellentur Chriſtiani? 7.p.51.
Societates hęreticorum non ſunt membra Eccleſiæ Catholicæ. 10.ibi.
Pauci ſunt inter hæreticos, qui ſint hæretici purè materiales. 16.p.54.
Hæretici, qui ſint? 1.p.79.
Qui reſiſtit judicio Eccleſiæ eſt hæreticus. 18. p.133.
Methodus diſputandi cum hæreticis. 42.p.166.
Negans Pontificem canonicè electum eſſe Vicarium Chriſti eſt hęreticus: 26.p.287.
Hęretici proſunt ad probationem doctrinæ Catholicæ. *v. Hæretici*. p.1.
Hęreticus eſt, qui recedit ab Eccleſia, quę communicat cum Romano Pontifice. 2.p.55.
Dubius in fide eſt hęreticus, ſi voluntariè dubitet. 54.p.307.
Omnes Hęretici incuſant Romanum Pontificem defeciſſe à Fide. 21.p.55.
Hęreticorum dicteria contra Eccleſiam. 9. v.R. p.27.
Non poſſunt facere miracula. 25.p.437.
Suſtinent mortem pro pertinacia ſui erroris. 12. p.90.
Tenentur de jure Legibus Eccleſiæ. 17.p.91.
Exierunt ex Eccleſia, ſicut vomitus ex ſtomaco. 7.p.88.

S. Hieronymus.

Juſſu Damaſi Papæ vetus Teſtamentum ex hebræo latinum fecit. 18.p.153.

De ſenſu auctoritatis ipſius: *Si auctoritas quæritur, Orbis* major eſt Urbe 11.p.569.

Hierarchia Eccleſiaſtica.

Ad eam non ſpectant mulieres. 18.p.591.
Papa eſt ſupremus hierarcha. ibi.

Hiſtoria. Hiſtorici.

Hiſtorici circa lapſum Honorii Papæ falſa enarrant. 42.p.304.
Requiſita ut fidem faciant. v. *Quapropter*. ibi.
Hiſtoriæ reportantes Pontifices lapſos in hæreſim ſunt accipiendæ non de hæreſi interna, ſed externa. 56.p.307.
Nulla legitima Hiſtoria recenſet fœminam ſediſse in Cathedra Petri. 57.p.308.
Relatio hiſtorica in cauſa Cęciliani cum Donatiſtis. 36.ad 42.p.164.
Fragmentum hiſtoriæ Pelagianæ. 27. ad 34.p. 449.

Homo.

Dicitur abſolutè viſibilis, licèt ejus anima ſit inviſibilis. 19.p.85.
Habet dominium proprietatis in ſuis bonis. 24. p.338.
Homines licitè genuflexione adorati ex Scriptura. 6.p.360.
Non eſt abſolutè ſufficiens generare hominem. 31.v.R.p.117.
Non eſt una anima in omnibus hominibus. 44. p.480.
Eſt homo idem numero uſque ad mortem. 88. p.614.

Honorius Papa.

Injuſtè hęreticus aſseritur. 21.p.296.
Veram fidem Sergio propoſuit. 22.p.297.
Semper fuit Catholicus. 32.v. *Tertius*. p.301.
Non fuit damnatus à legitimo Concilio. 37.p. 302.
Adrianus non dixit Honorium hęreticum. 38. ibi.
Ejus nomen fraude inſertum in Diurno Roman. Pontif. 40.p.303.
Non omnia vetera exemplaria Breviarii referunt nomen Honorii. *v. Similis. ibi.*
Non communicavit cum Sergio in Monotheliſmo. 45.46.p.305.
Definitio Sextæ Synodi Honorium non reſpicit. 47.p.306.
Ejus nomen non legitur in formulis editis in Conſtantienſi, & Lateranenſi. 40.p.303.

Hoſtia.

Sub ritè conſecrata eſt Corpus Chriſti: eſt de fide. 22.p.285.
Hæc in particulari prudentiſſimè adoratur. 39. *v. Ideò*. p.440.

I

Janſenius, Janſeniſta

EPiſcopi Galliæ in cauſa Janſenii recurſum habuerunt ad Innocentium X.22.v. *Item*. p.316.
Cavillationes Janſeniſtarum ad eludendas Conſtitutiones Apoſtolicas. 1. ad 7.p.442.
Senſus damnatus in propoſitionibus Janſenii eſt ſenſus obvius. 22.v.*Ideò*. p.447.
Propoſitiones excerptæ ex libro Janſenii ſunt hæreticæ in ſenſu obvio ab eodem intento.23. p.448.
Damnatio Pontificis afficit ſenſum, quem exhibent textus Janſeniani in propria, & nativa ſignificatione. 33.p.451.
Janſeniſtæ irrationabiliter pro ſe allegant factum Zozimi cũ Pelagio,& Cœleſtio.34.p.451.
Eſt implicitè revelatum, quod doctrina in ſenſu obvio Janſenii ſit hæretica. 38.p.452.
Propoſitiones excerptæ ex libro Janſenii,in ſenſu obvio ab eo intento,ſunt hęreticę.39.p.453.
Cur Janſenius non fuerit damnatus, ut hæreticus? 43.p.454.
Propoſitiones Janſenii opponuntur definitis expreſsè ab Eccleſia. 45.ibi.
Eſt veriſimile Janſenium ſe callidè ſubmiſiſse Eccleſiæ Romanæ. 44. ibi.
Janſeniſtæ negant infallibilitatem Papæ extra Concilia. 1.v. *olim*. p 456.
Janſeniſtæ multis incommodis exponunt Eccleſiam. 10.p.459. & 11.p.460.
Negans propoſitiones Janſenii eſse excerptas ex ejus libro eſt pręſumptivè hęreticus.41.p.453
Quinimò cogitur negare eas in ſe eſse hæreticas, 23.p.448.
Janſeniſtæ tacitè defendunt Calviniſmum. 2. ad 6.p.468.
Et innovant hęreſim Prædeſtinatianorum. 7. p.469.
Silentium Janſeniſtarum repugnat fidei. 8.ibi.
Eſt certiſſimè tenendum propoſitiones Janſenii fuiſse ex libro excerptas. 14.p.470.
Propoſitiones ſunt profcriptæ in obvio ſenſu, quem in concreto habent in libro Janſenii. 16.p.471.
Juramentum præſtandum juxta formularium Alex.VII. debet eſse abſque ulla reſtrictione. ibi. v. *Innocentius*.
Hæreticus eſt ſenſus, & doctrina libri Janſenii. 18.p.472.
Hæreticitas quinq; propoſitionum Janſenii eſt internè credenda. 20 p.473. & 25. p.474.
Janſeniſtæ tollunt ab Eccleſia regulam vivam infallibilem ad definiendas controverſias Fidei. 23.ibi.
Quòd doctrina ab Janſenio ſit falſa,eſt revelatum. 26.v. *Neque obſtat*. p.475.
Janſeniani injuſtè, & perperàm novum examen prætendunt. 27.v.*contra hæc*. p.476.
Non credens hæreticas propoſitiones Janſenii opponitur juri divino. 29.ibi.
Non numerum judicantium, ſed pondus auctoritatis Romani Pontificis debent Janſeniani attendere. 31.p.476.
Silentiarii Janſeniſtæ mente non conformantur cum Definitionibus Pontificiis. 32 p.477.
Nefas eſt dubitare de judicio Romani Pontificis, tam circa factum,quàm circa jus.38.v.*In qua*.& 41.p.479.
Janſeniſtæ per regulas grammaticæ tentant deludere definitionem Apoſtolicę Sedis. 40.ibi.
Pontifex quinque propoſitiones Janſenii hęreticas dixit ex aſſiſtentia Spiritus Sancti. 39.ibi.
Janſeniſtæ ineptiſſimè in ſui patrocinium inducunt S.Auguſtinum.43.p.480.
Ejus doctrina ſincerè non utuntur. 50.p.482.
Janſenius non legit Auguſtinum, quo ordine erat legendus. 51.ibi.
Tribuit hæreſim prædeſtinatianam Auguſtino. 52.p.483.
Ei impingit negaſse gratiam ſufficientem. 53. ibi.
Silentium Janſeniſtarum palliat internam mentis pertinaciam. v. *Concluditur*. p.487.

Jeruſalem.

Dicitur mater cęterarum Eccleſiarum. 30.pag. 224.
Non habet primatum in Eccleſia. 31. ibi.
Jacobus non Apoſtolorum, ſed Jeroſolymorum Epiſcopus. 26.v.*Fictum*. p.580.

Ignorantia

Non eſt invincibilis in ſimplicibus exiſtentibus inter hæreticos, quoad Religionem Catholicam. 15.p.53.
Ignorantia invincibilis juris naturalis non admittitur. 23.p.55.
Secus illa juris purè poſitivi. 25.p.56.
Ignorantia minuit peccatum. 15.p.53.
Poteſt propoſitio ex ignorantia eſse ſcandaloſa. 24.p.417.
Ignorantia excuſat ab hæreſi. 25.p.43.

Imagines.

Iconoclaſtæ oppugnatores ſacrar. Imaginum.15. p.111.
Cur in Sigillis Bullarum ponatur Imago SS.Petri, & Pauli? 41. v.*in rem*. p.242.
Duo pſeudo-Concilia adversùs Imagines reprobata. 33.p.500.

Imperator. Imperium.

Carolus V. commendatur. 13 p.324. & 34.pag. 500.
Conſtantini in cauſa Cæciliani partes. 36.pag. 162.& 39.p.164.
Conceſſit Pontifici temporalia. 11.p.270.
Quo ſenſu ſe appellaverit Epiſcopum. 38.p.502.
Cur ſe diceret Pontificem Maximum? 42.p.503.

Ejus humilitas in Concilio Nicæno. 24.pag. 519.
Fridericus II. depoſitus ab Imperio. 12.p.312.
Ecthesis Heraclii proſcribitur. 43.p.304.
Honorius edictum edit adversùs Pelagium. 32. p.451.
Juſtinianus damnat tria Capitula. 24.p.388.
Edictum Phocæ circa titulum Patriarchæ univerſalis. 12.p.270.
Honorius pænas in Donatiſtas ſtatuit. 40. v. *hinc*. p.165.
Valentinianus à rebus eccleſiaſticis temperavit. 25.p.156. & 13.p.497.
Nonnulli uſurparunt jus confirmandi Pontifices. 44.p.167.
Nunquam auctoritativè elegerunt Pontifices. 17.p.281.
Imperium à Græcis ad Germanos auctoritate Pontificis transfertur. 14.p.335.
A Pontifice poteſtas in electoribus eligendi Imperatorem. 15.ibi.
Imperator à Papa confirmatur. 14.ibi.
Imperator eſt Advocatus Eccleſiæ. ibi.
Imperatores adorarunt Pontifices. 12.p.362.
Non congregarunt auctoritativè Concilia. 36. & 37.p.501.
Gratianus rejecit titulum Pontificis. 43.pag. 504.
Quando Imperatores illum titulum depoſuerint? 42.p.503.
Marcianus non eſt uſus auctoritate cum Patribus Concilii Chalcedonenſis. 26.p.513.
Qui ad Chalcedonenſe mittit Legatum, non ut præſideat. 27.p.520.
Imperatores non tribuunt auctoritatem Conciliis. 41.p.523.
Sigiſmundus laborat pro extinctione Schiſmatis tribus contendentibus de Papatu. 49.p. 552.
Imperatoribus eſt commiſſa Eccleſia per modum protectionis. 25.p.592.
Henricus V. remittit Inveſtituras Sedi Apoſtolicæ. 16.p.373.

Indulgentia.

Indulgentia Regularibus conceſſa à Paulo V. revocata, hodie ſunt *revalidata*: propoſitio damnata ab Alex.VII.26.p.418.

Infallibilitas.

Perſonalis, & judicialis. 4.p.36.
Paſſiva eſt in Eccleſia, ſeù collectione Fidelium. 11.p.58.
Infallibilitas decretorum Pontificum eſt ex aſſiſtentia Spiritus-Sancti. 7.p.370.
Extenditur etiam ad veritates philoſophicas. 74 p.402.
Non nititur conſilio Peritorum. 14.p.413.
Infallibilitas decretorum extra Concilia. 2.p. 456.
Reprobatur Annatus perperàm ſentiens de infallibilitate Pontificis. 19.& 20.p.494.
Privilegium infallibilitatis non poteſt à Pontifice alteri communicari. 38.v. *Neque*.p.532.
Infallibilitas Pontificis eſt abſoluta, & non dependens à conditione, quam poſſit omittere. 21.p.577.
Error Petri Suavis circa infallibilitatem Pontificis. 95.v.*ad illud* p.565.
Vide v. Pontifex Romanus.

Joannes XXII.

Ejus ſenſus de viſione Beatifica. 48.p.306.
Ejuſdem epiſtola ſuper hac re. 49.ibi.
Ejus mens ex Bullis Canonizationum. 50.ibi.
Ante ejus tempora in quo ſtatu fuiſſet ſententia. 52.p.307.
Ejus concordia cum Nicolao III. in puncto paupertatis minoriticæ. 55.p.396.

Inveſtitura.

Privilegium Inveſtiturarum à Paſchali II. conceſſum Henrico V. Imperatori. 13.p.371.
Actus inveſtiendi formaliter non eſt hæreſis. 15. p.372.
Ritus, quo Inveſtituræ concedebantur. 15. ibi.
Privilegium Inveſtiturarum revocatur. 13.p. 371.

Judas. Judæi

Judas prædicavit non eſſe Principibus obtemperandum. 34.p.160.
Non fuit formaliter Epiſcopus. 14.p.198.
In ejus locum ſuffectus eſt Mathias. 22.p.209.
Judæis utitur Eccleſia ad comprobationem pulchritudinis ſuæ. v. *Judæi*.p.2.
Judæis notum erat Principes non habere juriſdictionem in Sacerdotes. 28.p.157.
Reſpublica Judæorum fuit gubernata varia forma regiminis. 31.p.158.
Cur Judæis permiſſa lex repudii? 11.p.509.
Apud eos Laici non judicabant cauſas Eccleſiaſticas. 7.p.587.

Judex. Judicium

In rebus fidei, & morum ſtandum eſt judicio Summi Sacerdotis. 7.p.149.
Sacra Scriptura non eſt judex controverſiarum Religionis. 1.p.121.
Nec Spiritus privatus Acatholicorum. 2.pag. 141.
Neque Princeps Laicus. 7.p.149.
Solus Romanus Pontifex eſt regula viva, & judex infallibilis controverſiarum in materia Religionis. 1.p.169.
Duo judicia, alterum circa Factum dogmaticum, alterum circa Jus Romana Cathedra pronuntiavit ſuper quinque propoſitiones Janſenii. 38.*v.In qua*.p.479.
Judex inferior judicat cum ſubordinatione ad Judicem ſuperiorem. 41.p.534.
Idem non eſt Judex, Accuſator, & Teſtis. 9. v.*R.Novatiani*. p.27.

De-

Delegato non docenti de ſua miſſione non creditur. 6.v.*In humanis*. p.26.
Judex à malo litigatore non laudatur. 34.pag. 104.
Munus Judicis eſt ſententiam deciſivam pronuntiare. 3.p.121.
Differentia inter Judicem, & Legiſlatorem. ibi.v. *contra*.p.122.
Judex cognoſcit, de ſua juriſdictione. 3.v.*contra*. p.268. & 31.p.300.
Papa eſt Judex ad omnem litem Eccleſiaſticam dirimendam. 20 v. *ſi*. p.316.
Nullus in terris eſt Judex Romani Pontificis. 1. p.319.
Judicans, non ſervatis ſervandis, dat locum adagio: *judicium Caipha: ex aula Caipha*. 3.v. *tertium*. p.573.

Juramentum.

Papa poteſt abſolvere ſubditos Principum ab juramento fidelitatis. 16.v. 11. *Alexander*. p. 336.
Et judicat de fæudis ratione juramenti. 32.p. 340.
Principes debent jurare de defendenda Eccleſia. 36.p.342.
Juramentum à ſubditis erga Principes ſervandum. 38.ibi.
Juramentum ab Janſeniſtis circa hæreticitatem doctrinæ Janſenii ſincerè, & ex animo præſtandum eſt. 22.*v.probatur*. p.473.

Juriſdictio.

Eccleſia ſupplet juriſdictionem, concurrentibus titulo colorato, & communi errore. 23. p.86.
Juriſdictio data Petro fuit ordinaria, non verò illa conceſſa cæteris Apoſtolis. 12. pag. 198.
Conſilium, non juriſdictionem, ſed directionem importat. 21.p.209.
Juriſdictio Eccleſiaſtica non eſt data multitudini Fidelium. 8.p.186.
Juriſdictio pro foro externo deſcripta. 1.p.319. & 1.p.345.
Juriſdictio in Epiſcopis eſt immediatè à Papa. 3. p.346.
Juriſdictio importat relationem ad ſubditos. 9. p.348.
Eſt in Papa ſine limitatione. 29.p.547.

Jus.

Quæ ſunt juris divini à poteſtate creata mutari non poſſunt. 34.p.118.& 24.p.209.
Jus ſe defendendi contra injuſtum invaſorem habetur à natura. 23.p.328.
In filiis Aaron erat jus ſucceſſionis ad Sacerdotium. 30.p.158.
Papa non poteſt mutare, quæ ſunt juris naturalis, & divini. 43.p.534.

L

Laici.

Non judicant in Cauſis Religionis. 13.pag. 324.
Non poſſunt Clericos judicare. 23.p.328.
Eccleſiaſtici à Laicis non puniuntur. 28.p.157.
In Conciliis non gaudent jure ſuffragii deciſivi. 16.p.590.

Lapſi.

Sacrificati, Thurificati, & Libellatici. 19.p. 200.
Pęna lapſis conſtituta. 20.ibi.
Omnibus poſt baptiſmum lapſis neceſſaria confeſſio peccatorum. 22.p.263.

Legalia.

Controverſia de Legalibus à Petro definita. 3. p.170.& 33.p.225.
De illis actum eſt in Concilio Jeroſolymitano. 17.p.250.
Petrus ſententiam pronuntiavit de exemptione à Legalibus. 25.p.579.
Vide v. Concilium Jeroſolymitanum.

Legati.

Apoſtoli fuerunt Legati Chriſti. 26.p.239.
Legati Apoſtolicæ Sedis reſtiterunt Dioſcoro propter reſoluta in Synodo Epheſina, dicta *prædatoria*. 16.p.462.
Auctoritas Legatorum in Conciliis pendet ab inſtructione recepta à Pontifice. 22.p.518.& 39.p.523.
Quæ in Conciliis ſint partes Legatorum Principum? 28.p.520.& 34.p.521.
Poſſunt ab inſtructione deficere. 36.p.532.

Lex.

Hæretici tenentur legibus Eccleſiaſticis. 17. p.91.
Jus non naſcitur ex tranſgreſſione Legis. 35.p. 178.
Lex vetus in morte Chriſti abrogata. 43. pag. 180.
Non fuit ſtatim mortifera. 44.p.181.
Pro univerſa Eccleſia Papa condit Leges. 14.p. 189.
Diſpenſat in Legibus. 25.p.210.
Eas mutat. 40.p.392.
Clerici non tenentur Legibus Laicorum. 27.p. 329.
Quando inceperit ſtatus Legis Scriptæ? 82. & 83.p.613.
Leges humanæ poſſunt à Papa mutari. 44.pag. 535.
Legiſlator videns leges non obſervari, & tacens, cenſetur abrogare. 18.p.544.

Liberius Papa.

Formulæ ab Arianis editæ non ſubſcribit. 10. *v.Tantum*. p.394.

For-

Formula cui ſubſcripſit, erat Catholica. 11.*v. cæterum*. p.294.
Iniquè de hæreſi notatur. 14.p.295.
Non communicavit cum Arianis contra fidem. 15.ibi.
Eo vivente, Felix II. non fuit verus Papa. 17. ibi.

Libri.

Traditio probat libros canonicos. 8.p.108. & 33.p.118.
Libri canonici ſcripti Spiritu Sancto dictante. 26.p.210.
Libri quandoque damnantur in odium Auctoris. 21.p.416.

Lingua

Latina ubique fuit diſſeminata. 16.p.153.
Epiſtola Leonis ad Flavianum lingua latina Scripta. 20.p.463.
S.Hieronymus vetus teſtamentum tranſtulit in Latinum. 18.p.33.

Linus Papa.

Vivente Petro, non fuit Epiſcopus ordinarius Romæ. 25.p.252.
Succeſſit Petro in regimine Eccleſiæ. 26.ibi.
Quantum ad officium fuit etiam Cardinalis. 32. p.356.

Lutherani, & Calviniſtæ.

Argumento divini Auguſtini urgentur. 5.p.24.
Carent miſſione. 6.p.25.
Miſſionem probare non poſſunt. 7.p.26.
Blaſphemant Eccleſiam Romano-Catholicam erraſse. 1.p.35.
Sunt extra ſtatum ſalutis, quia extra Eccleſiam Romanam. 4.*v.Proteſtantes*. p.50.
Excuſationem non habent de ſua infidelitate. 26.p.56.
Excuſant ſuos ſimplices, & rudes. 14.p.53.
Aſſentiuntur certis myſteris fidei cum contemptu divinæ auctoritatis. 9.*v.hinc*. p.89.
Aſſerunt Spiritum privatum Judicem Controverſiarum in materia Religionis. 2.p.135.
Non ſperant, nec amant amore Theologico. 99.p.616.
Catholicis tribuunt ſuam ſeparationem. 34.p. 104.

M

Marcellinus Papa.

De ejus lapſu dubitatur. 9.p.293.& 4.p.321.
Fidem internam non perdidit. *v. cæterùm* ibi.
Acta Concilii Sinveſſani adversùs Marcellinum ſunt corrupta. 5.p.321.

Matrimonium

Ratum tantùm, ſolvitur profeſſione religioſa. 11.p.509.
Non poteſt in Matrimonio conſummato diſpenſari. 112.p.570.
Non datur lex obligans omnes ad matrimonium. 28.p.45.
Impotentia antecedens perpetua annullat matrimonium. 28.p.376.
Matrimonium ratum non ſolvitur per conſummatum poſteà contractum, nec ullus Pontifex hoc dixit. 35.p.378.
Inter Infideles habet rationem contractus, non Sacramenti. 16.p.385.
Cooperans morti conjugis non poteſt occidentem ducere. 17.p.386.
Hæreſis non diſſolvit matrimonium quoad vinculum. 18.*v.ulterius*. p.387.
Impotentia antecedens invalidat matrimonium. 19.v. R.ibi.
Cauſæ divortii plures. 41.p.392.
Matrimonium clandeſtinum eſt invalidum. 70. p.401.
Non eſt licita copula matrimonialis in publico. 24.p.417.

Martyr, Martyrium.

Nomina Martyrum ſcribebantur in Dipthycis. 18.*v.accedit*. p.374.
Sancti Petrus, & Paulus Romæ martyrio coronantur. 8.p.247.
Sub Nerone. 18.p.250.
Non eſt orandum pro Martyribus. 12.p.433.
Antiqua praxis Epiſcoporum circa Martyres. 1.*v.fuit*. p.428.
In canonizatione Martyrum debet conſtare de miraculis. 34.p.439.& 38.p.440.
Et de Martyrio, & cauſa martyrii. 35.p.439.
Non pęna, ſed cauſa facit martyrem. 36.ibi.

Maxima. Axioma.

Judicium Caiphæ: Concilium Caiphæ: ex Aula Caiphæ, unde dictum? 3.*v.tertium*. p.573.
Totum eſt majus ſua parte, quomodo accipiatur. 21.p.263.
Nulli membro parcendum, ut ſervetur caput. 20.p.327.
Tempora diſtinguenda, ut concordentur textus. 21.p.251.& 31.p.389.
Par in parem non habet poteſtatem. 5.p.194.
Facta ab jure ſunt diſtinguenda. 43.p.166.
Semper benè præſumendum eſt de proximo ſuo. 21.p.316.
Non habet Deum, Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. 8.p.51.
Non valet conſequentia: *Factum fuit ſic; ergo legitimè factum*. 15.p.324.
Semper præſumendum eſt pro Capite. 7.p.425.
Melius eſt errare cum multis, quàm ſapere cum paucis. 26.p.465.
Res per cauſas quas naſcitur per eas diſsolvitur. 9.p.509.
Ubi ſemel inceptum eſt judicium, ibi finiri debet. 18.*v.Dices*. p.511.

Quid-

Quidquid ab alio benedictum eſt meum eſt. 19. v. *ut vera*. p.521.

Membra Eccleſiæ.

Tam juſti, quàm peccatores fideles ſunt membra Eccleſiæ. 3.p.71.
Etiamſi peccatores ſint manifeſti. 6.p.73.
Fides eſt vita membri Eccleſiæ. 11.p.75.
Membrum Eccleſiæ fide conſtituitur. 14.p.76.
Membra Eccleſiæ uniuntur duplici titulo. 19. p.77.
Membra Eccleſiæ Sancta, etiam dicuntur ſanctitate fidei. 18.ibi.
Hæretici occulti non ſunt vera membra Eccleſiæ. 6.p.8.
Licèt putentur eſſe. 4.p.80.
Duo ſunt neceſſaria, ut quis ſit membrum Eccleſiæ. 17.p.84.
Hæretici manifeſti non ſunt membra Eccleſiæ. 2.p.87.

Mendacium

Nec leviſſimum, eſt in Sacra Scriptura. 13.p.39. & 13.p.152.
Mendacium à Sectariis inventum de Joanna Papiſſa. 57.p.308.
Obſequioſum ſilentium Janſeniſtarum fovet mendacia. 21.p.473.
Semper eſt illicitum in materia Religionis. ibi.
Nunquam licet mentiri. ibi.
Mendacia ſunt paleæ. 13.p.75.

Meritum.

Fides inchoat meritum. 12.p.75.
Ad meritum de condigno prærequiritur gratia ſanctificans. ibi.
Cum potentia phyſica ad peccandum, & impotentia morali ad non peccandum ſtat meritum. 38.p.379.
Pontifex poteſt mereri in materia fidei. 4.p.379.
Ad meritum non ſufficit libertas à coactione. 2. p.443.

Michael de Molinos.

Ab Innocentio XI. damnatus. 4.p.136.

Miniſter.

Papa in Eccleſia non eſt miniſter ſubjectionis. 16.v.*ad* p.190.
Cum Miniſterio in Papa conjungitur magiſterium. 35.p.226.

Miraculum.

Non adſcribendum miraculo, quòd plures adhęſerint Luthero, & Calvino. 8.p.26.
Non eſt recurrendum ad miracula ſine neceſſitate. 9.v.*contra*. p.371.
Miracula fieri non poſſunt in comprobatione falſæ doctrinæ. 7.v.*Dicent*. p.26.
Probatis virtutibus, & miraculis eſt moraliter certum, Servum Dei contineri in propoſitione univerſali à Deo revelata, &c.9.p.432.
Miraculum ex D.Auguſtino habet comites admirationem, & benevolentiam. 22.p.436.
Deus miraculis loquitur Eccleſiæ. 23.ibi.
Hæretici tentarunt facere miracula, ſed, fruſtra ſemper. 25.p.437.
De perſeverantia finali conſtat per miracula poſt obitum patrata. 26.ibi.
Extra Eccleſiam non fiunt miracula. 25. ibi.
Miraculis conſtat placere Deo, quòd publicus cultus Sanctis decernatur. 23.p.436.& 34.p. 439.& 42.p.441.
Nullo miraculo Lutherus, & Calvinus miſſionem probarunt. 7.p.26.
Miracula præbent prudens judicium de gloria Sanctorum. 23.p.437.
Perhibebant teſtimonium de Chriſto. *v.neque*. p.608.& 4.p.573.

Miſſa. Sacrificium.

Cæremonię Miſſę promovent pietatem.32.p.47.
Sacrificium ſoli Deo offerendum eſt. 13.p.97. & 7.p.361.
Corpus Chriſti conficitur in azymo, vel fermentato. 64.p.399.
Aqua in Miſſa miſcetur vino de præcepto Eccleſiæ. 68.p.401.
Nequit Miſſa eadem celebrari cum intima applicatione ad duos conferentes ſtipendium. 59.p.484.
Secreta in Miſſa S.Leonis fuit correcta. 4. ver. *Similis*. p.303.

Miſſio

Quid, & quotuplex. 10. v.*ideò*. p.7.
Miſſione confertur juriſdictio. 11.p.21.
Miſſione ſecundùm conſilium, etiam ſuperior mittitur. 14.p.206.
Miſſio in divinis quid importet. ibi. v. *dictum*. p.207.

Monarchia, Monarcha.

Monarchia viſibilis viſibile caput habet.4.p.203.
Monarchia eſt ſummum imperium in uno ſine alterius conſortio. 6.ibi.
Monarcha publicum bonum procurat. 18.pag. 208.
A Monarcha in alios fluit juriſdictio. 13.p.350. Vide v.Regimen.

Monothelita.

Ipſorum hæreſis. 21.p.296.
De qua actum eſt in Synodo Lateranenſi. 26.p. 298.
Acta Sextæ Synodi fuerunt à Monothelitis corrupta. 30.p.299.
Idem de Actis ſeptimæ Synodi. 33.p.301.

Mors

Quam ſuſtinent hæretici, non procedit ex conſtantia in fide. 12.p.90.
A tempore mortis Chriſti Legalia erant inutilia ad ſalutem. 15.p.218.
Mors confirmat hæreditatem. 21.p.273.
Cur Pontifices adeò celeriter mortem obeant. 28.p.366.
Captivitas eſt mors civilis recuperabilis. 48.p 506.

Motivum credibilitatis.
Quæ motiva credibilitatis veræ Eccleſiæ? 28. p.16.
Motiva credibilitatis ſuadent Evangelium eſſe à Deo revelatum. 11. p.140.
Faciunt evidentiam moralem de revelatione. 29. p.146.
Multa ſunt ex Auguſtino. 38. p.604.
Myſteria fidei.
Ad credendum neceſſaria eſt propoſitio Myſteriorum. 2. p.595.
Myſteria Fidei novis vocibus explicari poſſunt. 23. p.6.7. & 40. p.605.
Vide v. Fides.

N

Neceſſitas
MEdii, & præcepti. 2. p.48.
Fides explicita Patris, Filii, & Spiritus Sancti, eſt adultis neceſsaria ad ſalutem. 27. v. *eſt*. p.116.

O

Obedientia.
SIncera obedientia duo dicit. v. *concluditur*. p.487.
Eccleſiæ eſt ſincerè obediendum. 22. v. *probatur*. p.473.
Paſtoribus obediendum eſt. 17. p.576.
Ab omnibus præſtanda Romano Pontifici. 4. p. 49.
Objectum.
Nihil eſt objectum fidei, niſi à Deo revelatum. 19. p.41.
Objectum formale fidei eſt auctoritas Dei revelantis. 24. p.43.
Idem objectum eſſe poteſt virtutis infuſæ, & acquiſitæ. 10. p.89.
Objecta credibilia, qua ratione connectantur? 13. p.90.
In objecto fidei conſideratur materiale, & formale. 24. p.43.
Oratio
Non eſt facienda pro Regnantibus cum Chriſto, quorum nos debemus orationibus commendare. 12. p.433.
Facienda etiam eſt, ut impleantur, quę Deus promiſit. 17. p.435.
Sua oratione Chriſtus oravit pro fide Petri, non pro perſeverantia in gratia. 43. p.380.
Orandum eſſet pro Papa, ſi eſſet in captivitate. 48. p.506.
Ordines. Ordinandi. Ordinati.
Ordinati ab hæreticis ſunt ſuſpenſi. 25. p.14.
Bigami ordinari ex diſpenſatione poſſunt. 25. p.210.
Poteſtas Ordinis Sacerdotalis æqualis in Epiſcopis, & ſimplici Sacerdote. 1. pag.345.
Eſt inauferibilis. 2. ibi.
Ordinatus ab Epiſcopo depoſito ſuſpenſus eſt. 34. p.377.
Poteſtas Ordinis non convenit Principibus. 4. p.149.
Materia Ordinis apud Græcos, & Latinos. 61. p.398.
Apud utroſque formaliter, & moraliter uniformis. 64. p.399.
Debet eſse in ſigno viſibili. 61. p.398.
A Latinis conferendi Ordines traditione inſtrumentorum. 64. p.399.
Inſtrumenta debent phyſicè tangi. 66. p.400.
Oves?
Chriſti audiunt vocem Pontificis. 18. p.143.
Non oves conferunt poteſtatem Paſtori. 5. v. *item*. p.185.
Oves non ſunt abſque Paſtore ordinario. 2. p.255.
Oves rationales doctrina paſcuntur. 28. p.174.
Non judicant Paſtorem. 1. p.319.
Ovibus Paſtor pubula Salutaria, vel noxia aperit. 37. p.478.
Non eſt ovis Chriſti, qui non agnoſcit Paſtorem à Chriſto conſtitutum. 97. p.616.

P

Papa
EſSt de fide, quod ſit Vicarius Chriſti. 1. p.274.
Alexander V. fuit legitimus Papa. 33. p.548
Alexander VII. declarat propoſitiones Janſenii in ejus libro contineri, &c. 3. p.443.
Edit formulam ſuper juramento, præſtando circa damnationem dd. propoſitionum. 16. p.471.
Et Conſtitutionem favore Conceptionis B.M.V. pro primo inſtanti ſui eſse. v. *propterea*. p. 486.
Alexander VIII. proſcindit propoſitiones aſſertas in Comitiis Gallicanis. 22. p.172.
Et illam præferentem doctrinam Auguſtini Pontifici. 47. p.481.
Ac aliam ſubdentem Pontificem Concilio. 22. p.545.
Benedictus XI. definit Deum videri ante diem Judicii. 9. p.171.
Clemens VIII. damnat opinionem de confeſſione licita in abſentia. 17. p.472.
Approbat ritus Græcorum circa ordinationes. 60. p.398.
Clemens XI. proſcribit ſilentium Janſenianorum. 16. v. *Clemens*. p.471.
Prohibet non tractari de ritibus Sinenſium. 24. p.172.
Ad eos dirigit miſſionarios. 26. v. *ſubinde*. pag. 253.
Inſtituit Feſtum Conceptionis de præcepto. v. *propterea*. p.486.

Eugenius IV. definit primatum Romani Pontificis. 7.v expreſſius. p.257.
Præſcribit materiam Ordinum. 60.p.397.
Definit in azymo, vel fermentato conſecrari. 64.p.399.
Gregorius XII. ponitur in recta ſerie Pontificum. 43.p.551.
Joannes XII. injuſtè deponitur. 15.p.324.
Joannes XXII. reprobat errores Fraticellorum. 8.p.171.
Damnat propoſitiones Joannis de Poliaco. ibi.
Declarat ſuam mentem circa viſionem beatificam. 49.p.306.
Innocentius X. damnat propoſitiones Janſenii. 2.p.443.
Innocentius XI. proſcribit illas Michaelis de Molinos. 21.p.172.
Innocentius XII. Statuit ſine reſtrictione eſſe jurandum circa damnationem propoſitionum Janſenii. 5.p.443.
Damnat librum Archiepiſcopi Cameracenſis. 21.p.447.
Leo III. coram teſtibus ſe purgavit. 14.p.324.
Leo X. perſtringit pragmaticam ſanctionem. 13.p.171.
Declarat licitos Montes pietatis. 2.p.402.
Proſcribit errores Lutheri. 13.p.171.
Martinus V. eligitur in Con: Conſtantienſi. 51. p.552.
Damnat errores Vviclef. & Huzii. 25.p.448.
Melchiades in cauſa Cæciliani ſententiam ultimam fert. 37.p.162.
Paſchalis II. Non ſe ſubmiſit judicio Concilii. Lateranen. 18 p.325.
Paulus IV. declarat hæreticos negantes Trinitatem, &c. 14.p.171.
Pius II. imponit ſilentium ſuper controverſia de Sanguine Chriſti. 35.p.478.
S. Pius V. damnat propoſitiones Baii. 20.p.446.
Sixtus III. ex humilitate ſe purgavit. 11 p.323.
Sixtus IV. proſcribit errores Petri de Orma. 12. p.171.
Sixtus V. tradit obſervanda circa contractus ſocietatis. 28.v. *Dices*. p.419.
Damnat Aſtrologiam judiciariam. 16.p.472.
Stephanus I. decrevit non eſſe rebaptizandos baptizatos ab hæreticis. 31.*v.R. & ſi*. p.176.
Quid Stephanus VI. contulerit ordinatis à Formoſo? 34.p.377.
In Symmachum Epiſcopi non pronuntiant ſententiam. 12.p.323.
Victor definit diem celebrandi Paſcha. 37.pag. 178.
Urbanus VI. legitimè electus, & verus Pontifex. 31.v. *altius*. p.548.
Urbanus VIII. prohibet librum Cornelii Janſenii. 18.p.172.
Papa defendens ſua jura non defendit cauſam propriam. 34.p.133.
Vide V. Definitiones. Decreta, Infallibilitas, & Romanus Pontifex.

Parochus.

Ei eſt obtemperandum. 32.p.147.
Parochus non eſt regula infallibilis. 5.v. *contra*. p.277.
Eſt miniſter ſub miniſtro. 34.p.357.
Confeſſi Regularibus non tenentur eadem peccata iterùm Parocho confiteri. 8.p.171.
Tenetur docere ſuas oves. 27.p.146.
Status Parochorum eſt de jure divino. 26.p.547.
Multa in eo ſunt de jure humano. 28.ibi.

Paſcha

Celebrandum poſt 14. lunam Martii die Dominico. 4.p.170.
Controverſia inter Anicetum, & Polycarpum de tempore d. celebrationis. 36.p.178.
Error Montani de hac re. 39.v. *conſiderandum*. p.179.

Paſtor. Prælatus.

Requiſita ut ſit legitimus. 11.p.21.
Humiles Prælati laudantur. 16.p.207.
Inferiores Prælati omnes ſubduntur Papæ. 38. p.227.
Paſtores dantur gregi viſibili, & exiſtenti. 4.v. *voluit*. p.23.
Mali Paſtores in vera doctrina audiendi. 19.p. 326.
Paſtores non ſe, ſed oves paſcunt. 43.p.380.
In ſola Eccleſia Romano-Catholica ſunt legitimi Paſtores. 25.p.14. & 13.p.21.
Quo fine Paſtores relicti in Eccleſia? 34.p.602.
Paſtores eſſe debent Doctores ex Apoſtolo. 12. p.589.
Parendum eſt Paſtoribus. 17.p.576.

Patres.

Eorum Scripta recipiuntur, permittuntur, & reprobantur juxta qualitatem doctrinæ. 55. *v.Scripta*. p.538.
Teſtantur de Traditionibus. 33.p.583.
Omnes falſum dicere eſt impoſſibile moraliter. 34.ibi.
Declarant, quæ ſunt fidei, non per modum judicii definitivi. ibi.
Circa adhuc non definita variæ eorum ſententię tolerantur. 36.ibi.
Defendentes probabilia non defendunt contradictoria. 53.v. *Scripta*. p.538.
Probant ſolum Petrum non ſimul cum Paulo habuiſſe primatum in Eccleſia. 5.p.230.
Cur diverſa defendentes manſerint in unitate? 27.p.44.
Communicantes cum Romano Pontifice non ſunt hæretici. 35.p.47.
Quomodo dicant hæreſes procedere ex philoſophia, & Dialetica. 17.p.65.
Interpretationes Patrum ſuper Scriptura ſunt doctrinales, non auctoritativę. 21.p.144.
Patres probant primatum Petri. 16.p.218.

In dubiis Fidei ad Cathedram Petri recurrerunt. 27.p.174.
Ex ſucceſſione Pontificum diſcurrunt ad veram Eccleſiam. 4.p.291.
Fraus fraudandi ſcripta Patrum fuit nota Concilio VI.38.v.*hac*. p.302.
Regulæ legendi Patres obſequio ipſis debito. 39.ad 45.p.585.
Patres contra hæreticos uſi ſunt Dialectica, & Philoſophia. 10.v.*confirmat*. p.61.

Patriarcha.

Patriarchæ non ſunt ęqualis poteſtatis cum Romano Pontifice. 13.p.260.
Patriarcha Maronitarum confirmat ſuos Epiſcopos ex privilegio Romani Pontificis. 5.p. 346.
Patriarchalem dignitatem inſtituit Romana Eccleſia. 11.p.348.

S.*Paulus*.

In ſuis Epiſtolis multa poſuit, ut Paſtor extraordinarius Eccleſiæ. 26.p.210.
Paulus habuit ſubordinationem ad D.Petrum. 14.v.*cæterum*. p.234.
Suum Evangelium contulit cum Petro. 30.p. 175.
Quo titulo fuerit Epiſcopus Romæ? 38.p.241.
Propter doctrinam, & labores à Patribus commendatur. 23.p.239.
Appellavit Cæſarem, non ut ab eo judicaretur. 13.p.324.
Debita reverentia reprehendit S.Petrum. 25. p.328.
Circumcidit Timotheum. 18.p.236.
Quando ex eodem non liceat comedere Idolotythum. 24.p.417.
Quibuſdam legalibus uſus eſt. 44.p.181.
Cur appelletur Apoſtolus Gentium? 14.p.234. Vide v.S.Petrus.

Peccatum. *Peccatores*.

Peccatores ſunt membra Eccleſiæ, dummodo ſint fideles. 2.p.71.
Fornicatio eſt mala ab intrinſeco. 49.p.182.
Non quovis peccato perditur fides. 42.p.380.
Sine ſpeciali auxilio non poſſunt vitari omnia venialia collectivè. 6.p.36.
Pelagiani negabant peccatum originale. 7.ver. *item*. p.124.
Quo titulo: *quilibet peccans dicatur errare*? 8.p. 37.
Per fidem peccatores habent jus fundamentale ad hæreditatem. 17.v. *R.per*.p.77.

Pelagius, *Pelagiani*. *Semipelagiani*.

Pelagiani negarunt peccatum originale. 7.v.*item* *Pelagiani*. p.124.
Pelagius fraude decepit Synodum Dioſpolitanam. 27.p.449.
Ejus cauſam, & Cęleſtii examinant Epiſcopi Afri. 28.ibi.
Uterque damnatur ab Innocentio I. ibi.
Et ſubinde à Zozimo Papa. 32.p.451. & 9.ver. *Epiſtola*. p.459.
Semipelagiani ponunt initium ſalutis in ſolis viribus naturæ. 45.v.*quarta*. p.454.
Poſita definitione Apoſtolicæ Sedis, cauſa Pelagianorum finita eſt. 9.v.*pariter*. p.459.

Pertinacia

Præſuppoſitivè importat actum intellectus, & formaliter actum voluntatis. 2.p.80.
Pertinacia ad hæreſim neceſsaria eſt. 2.p.368.
Submiſſio Eccleſiæ excludit pertinaciam. 43.p. 454.
Fallit in contrariis apertè Scripturæ, & definitioni Eccleſiæ. 44.ibi.

S.Petrus

In negatione Chriſti fidem non amiſit. 15.p.30.
Ab oratione Chriſti duo privilegia recepit. ibi.
In Cathedra S.Petri Chriſtus poſuit centrum unitatis. 16.p.98.
Petro, & in ipſo Romanis Pontificibus dictum eſt: *paſce oves meas*. 29.p.174.
S.Paulus ſuum Evangelium contulit cum Petro. 30.p.175.
Quo titulo S.Petrus ſignificet Eccleſiam? 11.p. 188.
Non fuit auctoritativè Miſsus in Samariam. 14. p.206.
Fuit caput collegii Apoſtolici, non tam dignitate, quàm functione regendi, & gubernandi. 22.p.209.
Nomine Petræ Matth.16. *Super hanc petram*, *&c*.intelligitur Petrus. 4.p.114. & 6.7.& 8. p.215.
Exercuit Primatum ſuper Apoſtolos. 9.p.216.
Etiam poſt mortem Chriſti. 21.p.221.
S.Petrus eſt princeps Apoſtolorum; ergo & Pauli. 6.p.231.
Ex correctione Pauli emicuit humilitas in Petro. 15.p.235.
Non reprehenditur à Paulo correctione auctoritativa, & juridica. ibi.v. *& notari*.
S.Paulus non fuit paris poteſtatis cum Petro, licèt non impar in puritate vitæ. 16.p.235.
Occaſio reprehenſionis Pauli ad Petrum. 17.p. 236.
Fuit Paulus in Apoſtolatu par cum Petro. 19.p. 237.
Petrus Paulo liberum reliquit, ut omnibus Evangelium annuntiaret. 20.ibi.
Comparatio Pauli cum Petro.22.ibi.& 23.p.239.
Prædicata à Patribus attributa D.Paulo non æquant ipſum Petro in poteſtate. à 28. ad 34. p.240.
S.Paulus non fuit cum D. Petro Caput Eccleſiæ. 25.p.241.
S.Paulus exercuit Romæ jure Delegato functiones Epiſcopatus. 38.ibi.
S.Paulus expreſſit primatum D.Petri. 44.p.243.

S.Pe-

S.Petrus Romæ prædicavit Evangelium prius Paulo. 1.2.p.44.
S.Petrus Romanam Cathedram 25.annis tenuit. 9.p.247. & 19.p.250.
Cur D.Petrum in ſua Epiſtola non ſalutavit Paulus? 16.p.249.
D.Petrus fuit Epiſcopus Eccleſiæ Romanæ, tum particularis, tum univerſalis. 29.pag. 265.
Non eſt ei datus primatus Eccleſiæ, ut perſonæ privatæ. 16.p.272.
An elegerit Clementem ſibi ſucceſſorem. 15. p.280.
In tribus excelluit cæteros Apoſtolos. 9.p.197.
Negando Chriſtum non amiſit fidem. 9.v.*Neque.* p.293.
Duplex privilegium non errandi in fide oratio Chriſti ei promeruit. 4.p.368.
Aliæ actiones cum ipſo perierunt, & aliæ ad Succeſſores translatæ. 41.p.380.
Soli Petro dicitur, *duc in altum*, hoc eſt in profundum diſputationum. 30.p.581.
Jeroſolymis exercuit auctoritatem primatus. 25.v.*verum*. p.579.

Philoſophia. Philoſophi.

Ex ea argumentum contra Arianos. 10.p.61.
A qua Apoſtolus dixerit eſſe cavendum. 16.p. 64.
Theologia recipit præſidium à Philoſophia. 5. p.60.
Quo titulo hereſes dicantur ex philoſophia prodiiſſe? 17.p.65.
Philoſophi hujus Mundi vitandi ſunt ex Auguſtino. 18.p.66.

Pietatis-montes.

Unde dicti? & de conditionibus requiſitis. 72. v.*Sciendum*. p.402.
Licitè accipitur aliquid pro labore miniſtrorum. 73.ibi.
Ea non utuntur Theologi, ut magiſtra credendi. 17.v.*non ita*. p.65.

Plebs, & Populus.

Plebs nunquam habuit votum in electionibus. 16.p.281.
Non eſt in Populo jus abſolutè deponendi Principes. 37.p.342.
Acceptatio populi non exigitur, ut decreta Papæ ſint infallibilia, & obligent. 31.p.466.
Plebs ferebat teſtimonium de probitate Ordinandorum. 17.p.590.
Populus in Miſſa incenſatur. 10.p.96.

Pontifex Romanus.

Cur Patres tanti fecerint ſucceſſionem Romanorum Pontificum? 12.p.8.
Tamquàm Caput influit in membra. 20. v. *in hoc*. p.12.
Appellatur Apoſtolicus. 24.p.14.
Securitas non errandi reſidet priùs in Romano Pontifice. 3.p.35. & 5.p.383.

Eſt totius Eccleſiæ Paſtor, & Doctor. 4.p.49.
Eſt Caput viſibile Eccleſiæ. 16.p.98. & 4.p.203.
Non poteſt eſſe Schiſmaticus. 32.p.103.
Eſt Judex in cauſa Eccleſiæ. 34.p.133.
Solus auctoritativè Scripturam interpretatur. 21.p.144.
Tenetur obtemperare juri, tum divino, tum naturali. 46.v.*Quare*. p.168.
Eſt regula viva, ultima, omninò certa ad dirimenda dubia fidei, & morum. 1.p.169.
In ipſo eſt ſuprema poteſtas regendi Eccleſiam. 16.p.186.
Qua ratione dicatur Caput miniſteriale Eccleſiæ. 12.p.188.
Succedit Petro in poteſtate Pontificia, non verò in Apoſtolatu. 12.p.198. & 10.p.258.
In formandis decretis non dependet ab Epiſcopis. 9.p.204.
Poteſtas Pontificis eſt plena. 10.p.205. & 14.p. 350.
Eſt membrum principale Eccleſiæ. 34.p.225.
Dicitur *Servus Servorum Dei*, & cur? 36.p.226.
Eſt ſucceſſor D.Petri. 6.p.231.
Et non Pauli. 12.p.233.
Appellat Fratres, Epiſcopos. 24.p.239.
A Chriſto recipit poteſtatem. 5.p.256.
Eſt ſucceſſor D.Petri in primatu Eccleſiæ. 6. ibi.& 8.p.257.
Eſt Epiſcopus, Archiepiſcopus, Primas, &c. 12.p.259.
Eſt filius, & Pater Eccleſiæ. 18.p.262.
Quo titulo dicatur membrum Eccleſiæ? 20.p. 262.
Non poteſt ab aliquo in judicio externo judicari. 23.p.263.
Poteſt remittere Papatum. 24.p.264.
Tenetur confiteri. 22.p.263.
Non poteſt ab Eccleſia ſpoliari Papatu. 26.pag. 264.
Non utitur baculo paſtorali. 31.p.265.
Primatum non accepit à Concilio Niceno I. 5. p.268.
Eſt de fide, quòd ſit Vicarius Chriſti, &c.2.p. 275.
Eſt in Pontifice auctoritas infallibilis neceſſaria in Judice controverſiarum. 4.v.*Amplius*. p. 276.
Eſt revelatum, quod Pontifex canonicè electus ſit Vicarius Chriſti. 11.p.279.
Non poteſt ſibi ſucceſſorem eligere. 18.p.282.
Acceptatio Pontificatus eſt ſufficiens propoſitio obligans ad credendum. 28.p.288.
Succedit Petro, non Chriſto. 29.p.224.
Succeſſio Romanorum Pontificum nunquam interrupta. 1.p.290.
Nullus Pontifex fuit hæreſi infectus. 27.pag. 298.
Axioma, *dubius in fide*, non procedit quoad Papam. 54.p.307.

Papa ſolius Dei judicio ſubjectus. 3.p.320. & 12.p.323.& 21.p.327.& 21.p.512.
Papa diffamatus debet ſe purgare, ſed nullus poteſt eſſe ejus Judex: exempla de Sixto III. Symmacho, & Leone III.10. & *ſequen.* pag. 323.
Remedium ſi Papa eſſet captivus, eſſet oratio. 22.p.327.& 48.p.506.
Papa non tenetur ſervare Leges civiles Principis laici, eſtò in hujus eſſet ſtatu. 27.p.329.
Non poteſt ſe ſubmittere judicio alterius. 3.p. 320.& 29.p.329.
Papa habet poteſtatem indirectam in temporalia Principum. 4.p.332.
Poteſt Principes pœna temporali per indirectum punire. 6.p.333.
Cum refractariis in Eccleſiam officiis Charitatis procedit. 19.p.337.
Eſt Superior Rege Galliæ, potens de temporalibus in ordine ad ſpiritualia judicare. 27.ad 32.p.339.
Ad ipſum ſpectat cauſa depoſitionis Regum. 40. p.343.
In Principatu temporali ſuccedit Conſtantino. 46.p.344.
Eſt fons juriſdictionis. 17.p.351.
Habet à Chriſto juriſdictionem immediatè, immediatione tum virtutis, tum ſuppoſiti. 27. p.355.
Adoratur licitè. 6.p.360.
Utitur Calceis Cruce ſignatis in ſignum humilitatis. 25.p.365.
Utitur Mitra, triplici corona ornata, quia eſt Rex Regum, & Princeps Imperatorum. 27. p.366.
Geſtatur in Sella ſuper humeros. 26.ibi.
Pontifex, ut perſona privata non poteſt in hęreſim incidere. 4.p.368.
Duplex privilegium in Pontifice ad non errandum. ibi.
Pontifex hæreticus appellatus à Bruno Epiſcopo Signino vindicatur à Joanne Cajetano. 13. p.371.
Canon *Si Papa* non infert, Papam poſſe perſonalem hæreſim admittere.
Poteſt delinquere contra externam fidei confeſſionem. 36.p.378. & 43.*v.Reſpondetur*. p. 381.
Non poteſt approbare turpia pro honeſtis. 6.p. 383.
Nec quidquam docere contra Sacram Scripturam. 8.p.384.
Eſt infallibilis circa moraliter bonum, aut malum. 9.p.384.
Eſt ei commiſſa cura, etiam cujuslibet Provinciæ. 10.ibi.
Non poteſt errare præcipiens, quæ nec ſunt juris naturæ, nec juris divini. 11.ibi.
Papa in rebus fidei, & morum ſemper dicens verum, non ſe præponit Chriſto. 19.*v. R. dictum*. p.387.
Eſt de fide non poſse errare in ferendis legibus, ut regulis morum. 92.p.407.
Per hæc verba, *noſtra*, & *Apoſtolicæ Sedis* auctoritate loquitur ut Papa, & Petri ſucceſſor. 93.p.408.
Eſt in Pontifice infallibilitas ad damnandas propoſitiones olim probabiles. 3.p.410.
Pontifex non poteſt temerè definire. 13.p.413.
Quoties Papa definit, conſtat de præmiſsa ſufficienti diligentia. 15.p.414.
Damnatio Pontificis eſt comprehenſiva, etiam præteriti temporis. 29.p.419.
Quo ſenſu Gelaſius Papa approbavit opuſcula Cypriani, &c.32.p.420. & 53.p.538.
Pontifex non poteſt errare in approbatione Religionum. 3.p.424.
Eſt regula infallibilis, tam in Canonizatione, quàm Beatificatione Sanctorum. 3.p.430.
Et in decidendis quæſtionibus facti dogmatici. 14.p.445.
Et in diſcernendo obvio, & naturali ſenſu doctrinæ cujuſvis privati Auctoris. 15.p.445.
Et in intelligendo ſenſu legitimo Patrum, Scripturæ, & Traditionum. 14.ibi.
Romanus Pontifex eſt infallibilis definiens extra Concilia. 2.p.456.
Pondus auctoritatis non numerus Judicantium attendi debet in deciſione controverſiarum fidei. 31.p.476.
Eſt infallibilis ad oſtendenda loca, quæ continent venenum pravæ doctrinæ. 37.p.478.
Judicat de hæreticitate interna Auctorum extra manifeſtata. 42.p.480.
Hęretici agnoverunt Romanum Pontificem infallibilem. 14.p.598.
Habet poteſtatem teſtificandi de ſe, & aliis credibilibus. 39. p.604.
Illuminatur ad eruendas veritates ex explicitè revelatis. 40.p.605.
Regula infallibilis decidendi controverſias fidei non eſt Auguſtinus, ſed Romanus Pontifex. 47.p.481.
Poteſt directè præcipere actus internos. 56. ad 60 p.484.
In definienda doctrina fidei, & morum, eſt adminiſter Spiritus Sancti. 60.*v.abſurdiſſimè*. p. 485.
Eſt virtualiter tota Eccleſia. 17.p.494.
Eſt ſupra jus humanum. 17.p.511.
Pontifices præſumuntur boni. 20.p.512.
Papa dirigit actiones Conciliares. 39.p.523.
Non poteſt mutare ſua Decreta de doctrina fidei, & morum. 44.p.534.
Deus miniſterio Pontificis definit. ibi.
Papa circa propoſitiones probabiles duplici via procedit. 55.p.538.
Eſt caput totius Eccleſiæ non tam ſyncathego-

re-

rematicè, quàm Cathegorematicè acceptæ. 1.p.541.
Ex regula Auguſtini conciliatur in ipſo conditio Filii, & Patris Eccleſiæ. 86. v. *Ideò*. p.563.
Eſt emancipatus à poteſtate Eccleſiæ. 88.pag. 564.
Officium Papæ eſt perpetuum. 92.ibi.
Non eſt intrà Eccleſiam cum partialitate juriſdictionis. 93.p.565.
Nulli tenetur vi coactiva parere. 103.p.567.
Non eſt ei ad tempus promiſsa aſſiſtentia Spiritus Sancti. 4.v. *Pontifici*. p.573.
Eſt in Papa plenitudo poteſtatis. 8.p.574.
Eſt Paſtor ovium, & Paſtorum. 8.p.574.
Pontificis, & Chriſti idem Tribunal. 9.p.574.
A ſententia Papæ ad Chriſtum non appellatur. 5.p.542.
Patres, etiam in Conciliis debent uniri Pontifici. 12.p.575.
Pontifex procedit extra judicium, & judicialiter, ad textum, *dic Eccleſiæ*. 42. p.228.
Ejus judicium præferendum Concilio. 5.p.574.
Et judicio totius mundi. 114.*v.concluditur*. p. 571.
Quod ipſe facit, dicitur Eccleſia facere. 89.p. 565.
Portæ inferi ratione Pontificis non prævalebunt adversùs Eccleſiam. 16.p.577.

Poteſtas

Non eſt in Eccleſia circa ſubſtantiam Sacramentorum variandam. 36.p.118.
Eccleſiaſtica Triplex, ordinis, & juriſdictionis interioris, & exterioris. 3.p.149.
Poteſtas politica, & civilis diſtincta ab Eccleſiaſtica. 32.p.159.
In Heli, & filiis Mathatiæ conjuncta fuit politica cum ſpirituali. 32. *v quibus*. ibi.
Poteſtas politica eſt à Deo ſaltem mediatè. 34. p.160.
Suprema poteſtas Eccleſiæ non eſt ſubjectivè in tota communitate Fidelium. 4.p.185. & 7. p.186.& 17. p.190. & 20.p.191.
Poteſtas Petri fuit ordinaria: illa Apoſtolorum extraordinaria. 27.p.240.
Poteſtas temporalis Principum ſubordinatur ſpirituali. 5.p 332.
Gladius temporalis, & ſpiritualis eſt in poteſtate Eccleſiæ. 20.p.337.
Poteſtas juriſdictionis pro foro externo definita à Gerſonio. 1.p.345.
Poteſtas Principum eſt ſub Papa. 21.p.338.

Præceptum

Abſtinendi ab immolatis ſimulacrorum latum in Concilio Jeroſolymitano fuit ad tempus. 41. *v.R.negando*. p.180.
Ita de altero abſtinendi à ſanguine, & ſuffocato. 42.ibi.
Fuit perpetuum illud abſtinendi à fornicatione. 49.p.182.
Proceſserunt à Petro, vel, nonniſi Petro probante. 26.p.580.

Prædeſtinati

Non ſoli ſunt membra Eccleſiæ. 21.p.78.
Soli ſpectant ad eſse finale Eccleſiæ. 23.pag. 79.

Præſidentia

Auctoritativa importat jus ferendi ſuffragium, &c. 1.p.514.
Honoraria, attenditur à loco. 2.p.515.
Conciliativa, pacem procurat. 3.ibi.
Executiva, executioni mandat. 4.ibi.
Teſtificativa, teſtatur de geſtis. 5.ibi.

Presbyter.

Appellatione Presbyteri primi ordinis veniunt Epiſcopi. 9.p.588.
Qui excedunt Presbyteros ſecundi ordinis. ibi. Vide v.Sacerdos.

Primatus Eccleſiæ

Conſiſtit in exteriore juriſdictione. 2.p.148.
Non eſt in Principe Laico. 7.v. *ampliùs*. pag. 150.
Fuit datus D.Petro. 1.p.213. & 2.ibi.
Non ſimul cum Paulo. 3.p.230.
Primatus Eccleſiæ ex inſtitutione Chriſti eſt annexus Romano Epiſcopatui. 2.p.267.
Et cur? 10.p.269.
Epicteta Apoſtolis attributa non præjudicant primatui Petri. 29. ad 34.p.240.
Primatus non eſt in Pontifice ab Imperatoribus. 5.p.268.
Primatus ſequebatur perſonam Petri. 25. v.*verum*. p.579.

Principes. Reges.

Princeps Laicus non eſt Judex in materia religionis. 7.p.149.
Nec eis ad probandum aſſiſtit vetus Teſtamentum, immò repugnat. 7.p.149. & 9.p.150.
Non eſt à Chriſto dictum Principi Laico, *tibi dabo claves Regni Cælorum*. 10.p.150.
Principibus obediendum in politicis eſt. 34.p. 160.
Habent poteſtatem temporalem directam in ſua dominia. 2.p.331.
Poſsunt à Pontifice ſuis dominiis privari, ſi Religioni maximè obeſsent. 3.p.331.
Nonnulla exempla referuntur. 8. ad 13. pag. 333.
Subditi debent Principibus obedire, & tributa ſolvere. 17.p.336.
Rex Joas non uſurpavit ſibi jura Sacerdotis. 29. p.157.
Principes non habent Primatum in Eccleſia. 7. v. *Amplius*. p.150.
In dubiis fidei non recurritur ad Principes. 9. p.150.
Non eſt dictum Principibus: *paſce oves meas*. 10. ibi.
Rex Angliæ decidens controverſias Religio-

nis operatur contra inſtitutionem Chriſti. 11.p.151.
Salomon in depoſitione Abiatharis proceſſit ex divina inſpiratione. 26.p.157.
Rex Joas zelavit pro reparatione Templi. 29. ibi.
Dignitas Pontificalis non eſt in Rege Angliæ. 32.v. *Quibus*. p.159.
Rex Ozias fuit lepra percuſſus, volens munus Sacerdotale exercere. 13.p.29.
Henricus VIII. uſurpavit ſibi primatum Eccleſiæ Anglicanæ. 1.p.148.
Principes miniſterialiter concurrunt ad convocanda Concilia. 34.p.500.
Recipiunt auctoritatem à Republica. 47.pag. 505.
Joſaphat judicium in cauſis Eccleſiaſticis non aſſumpſit. 6.p.587.
Incenſantur in miſſa, & cur? 10.p.96.
A populo exhauctorari non poſſunt. 37. pag. 342.

Privilegium

Perſonale cum perſona extinguitur. 9. pag. 258.
Privilegium exemptionis Pontificis ab juriſdictione mortalium privat eum facultate, ut alteri poſſit ſe ſubiicere. 3.p.320.
Privilegium Inveſtiturarum revocatur in Concilio Lateranenſi. 18.p.325.
Privilegium Pontificis eſt, ut in rebus fidei, morum, & connexis cum illis ſemper rectè judicet. 7.p.597.

Profeſſio fidei.

Profeſſio fidei à Pelagio exhibita Zozimo fraude facta. 29. *& ſequen*.p.450.
Externa fidei profeſſio non eſt ſatis ad membrum Eccleſiæ. 7.p.81.
Sufficit, ut quis putetur membrum Eccleſiæ. 13.p.83.
Non eſt forma Eccleſiæ. 16.p.84.
Nunquam Pontifices emiſerunt de neceſſitate profeſſionem fidei. 5.p.381.
Propoſitiones Janſenii damnatæ à Cathedra Apoſtolica. 2.p.443.
Propoſitiones Baii damnatæ in proprio verborum ſenſu. 20.p.446.
Item illæ Archiepiſcopi Cameracenſis. 21.pag. 447.
Sæpè propoſitiones damnantur in abſtracto, aliquoties in concreto. 46.p.455.
Propoſitio ab Alex.VIII. proſcripta, adverſa Pontificiæ infallibilitati. 14.p.461.
Propoſitio 4. Cleri Gallicani à S.Sede proſcripta. 30.p.466.
In propoſitione univerſali revelantur particulares. 11.p.279.& 7.p.432.
Una poteſt ex alia dupliciter inferri. 25.p.286.
Propoſitio Anonymi de Primatu Pauli cum Petro damnata ab Innocent.X. 12. *v. tandem*. p.234.
Propoſitio negans Pontifici poteſtatem indirectam in temporalia Principum damnatur ab Alex.VIII.16.v.II. *Alexander*. p.336.
Propoſitio ſpeculativè, & practicè probabilis in ſenſu Caramuelis. 2.p.409.
Pontifex declarans propoſitionem *ſcandaloſam*, *temerariam*, &c. tollit ab ea probabilitatem. 4.ad 6.p.410.
Judicium Romani Pontificis in damnatione propoſitionum eſt certum, & perpetuum. 7. p.411.
Propoſitio antea probabilis poteſt deinceps improbabilis fieri. 9.ibi.& 16.p.414.
Definitio Romanæ Cathedræ excludit à propoſitione probabilitatem, tam extrinſecam, quàm quæ dicitur ab intrinſeco. 17.ibi.
Utraque eſt extrinſeca propoſitioni ibi. & 18. p.415.
Propoſitio hæretica, quæ? 35.p.421.
Erronea. 36.ibi.
Errori proxima. 37.p.422.
Sapiens hæreſim. 38.ibi.
Sapiens errorem. 39.ibi.
Temeraria. 40.ibi.
Scandaloſa. 41.ibi.
Seditioſa. 42.ibi.
Schiſmatica. 43.ibi.
Offenſiva pietatis. 44.ibi.
Malè ſonans. 45.ibi.
Simplicium ſeductiva. 46.ibi.
Injurioſa. ibi.
Impia, & blaſphema. 47.p.423.
Inſana, fabuloſa, & mendoſa. 48.ibi.
Antiquata. 49.ibi.
Apocrypha. 50.ibi.
Judæa. 51.ibi.
Pagana. 52.ibi.
Athea. 53.ibi.
Propoſitiones Joannis de Poliaco. 8.p.171.
Propoſitiones Petri de Oſma. 12.ibi.
Duo probabilia, ut probabilia non ſunt contradictoria. 53.v.*Scripta*. p.538.
Propoſitiones contrariæ à Sede Apoſtolica ſæpè permittuntur defendi, adjecta clauſula: *donec à Sede Apoſtolica fuerit aliquid in hac re definitum*. 51.p.307. & 31.p.420.

Proteſtantes

De Apoſtaſia notant Eccleſiam Romanam. 24. p.34.
Aſſerunt Scripturam ſolam eſſe regulam fidei. 33.p.118.
Vocant Eccleſiam Papiſticam, quæ communicat cum Romano Pontifice. 21.p.55.
Sunt contrarii circa ſtatuendam defectionem Eccleſiæ. 24.p.33.

Pro-

Proteſtatio

In manifeſtis eſt contraria facto. 44.p.454.
Auctoris Operis proteſtatio, & retractatio, quatenus opus ſit. 100.p.617.

Provincia. Civitas.

Provinciæ ſuburbicariæ, quæ? 14.p.260.
Civitates refugii ſex conceſsæ illis de Tribu Levi. 43.p.343.
Apoſtolis Petrus diviſit Provincias. 20. pag. 237.
Identitas Civitatis ex Ordine Politiæ. 88.pag. 613.
Civitatis alius ſimpliciter, alius ſecundùm quid civis. 20.p.591.
Civitas Romana à Conſtantino conceſsa S.Silveſtro. 11.p.270.

Q

Quæſtio.

Quæſtiones de poſſibili regulariter utiles. 22.p.67.
Regula Auguſtini, quid agendum in reconditis Quæſtionibus. v. *Quin*. ibi.
Quæſtio juris probari poteſt Scriptura, & Traditionibus. 10.p.444.
Non ſic quæſtio facti. 11.ibi.
Quæſtio facti dogmatici quid? 12.ibi.

R

Regimen.

Forma regiminis monaſtica, Oeconomica, & politica. 1.p.189.
Forma regendi politica quadruplex, 2. ibi.
Regimen Eccleſiæ non eſt Democraticum. 3. p.183.
Regimen populare, quodnam? 8. pagina 186.
Regimen Eccleſiæ non eſt Ariſtocraticum. 1. p.193.
Reſpublicæ à forma regiminis dignoſcuntur. 5.p.203.
Regimen Eccleſiæ non eſt Monarchicum Ariſtocratia temperatum. 2.p.202. & 3.ibi. & 9.p.204.
Forma regendi Ariſtocratica, quæ? 1. pag. 193.
Regimen Ariſtocraticum eſt licitum. 21.v. deinde. p.200.
Democratia explicatur. 4.p.185.

Regula

Diſtinguenda eſt ab Judice. 1.p.121.
Regula cognoſcendi ſenſum litteralem Sacræ Scripturæ. 14.p.127.
Papa eſt regula viva decidens controverſias. 27. p.146.
Regula viva dirigens mores non poteſt errare. 3.p.410.
Regulæ in legendis decretis Conciliorum. 73. ad 80.p.612.
Non ſunt in Eccleſia duę regulæ vivæ infallibiles. 48.p.536.

Religiones. Religioſi.

Vota eſsentialia Religionum ſunt tria. 1.pag. 423.
Approbatio Religionum eſt reſervata Sedi Apoſtolicæ. 2.p 424.
Inſtituta Religioſa ſunt ſancta, & ſalutaria contra Vvicleffium. 3.ibi.
Conſilia ſunt via ad perfectionem. 4.ibi.
Nequit Pontifex errare in approbatione Religionum, etiam quantum ad circumſtantias. 5.p.425.
Vvaldenſes, Papa contradicente novam Religionem inſtituerunt. 9.p.426.
Ordo Fraticellorum non fuit approbatus à Sede Apoſtolica. 10. ibi.
Relaxatio fuit cauſa, ut plures Religiones fuerint ſuppreſsæ. 11.ibi.
Religiones diverſæ ſunt, eſtò in tribus votis conveniant. 12.p.427.
Sanctitas Religionum eſt revelata ibi. v.*R.*
Religioſi peccantes contra tria vota committunt ſacrilegium. 1.p.423.
Religiones ſunt, veluti leges poſitivæ Eccleſiaſticæ. 12.v.*Inſtant*.p.427.
Religioſi per profeſſionem ſe conſecrant Deo. 12.p.510.

Revelatio.

Hęretici non credunt propter divinam revelationem. 9.p.89.
Revelatio ab Eccleſia propoſita eſt ratio formalis credendi. 13.p.90. & 13.p.140.
Fides reſolvitur in revelationem Dei ab Eccleſia propoſitam. 13.p.141.
Refinitio Pontificis proponit antiquam revelationem. 24.p.43.
Deus revelans aliquid, revelat ſe revelare. 37. v *Si dicatur*. p.603.
In quo conſiſtat revelatio Dei? 35. *v.Secundo*, p.603.
Revelationes Apoſtolis factę de omnibus neceſſariis regimini Eccleſiæ. 19.p.41.
Privatę factę nonnullis Sanctis. v. *dicitur*. pag. 42.
Vide v. Fides.

Ritus. Thurificatio.

Ritus thurificationis non eſt ſuperſtitioſus in Eccleſia. 11.p.96.
Cur lumina in funeribus accendantur? 12. *v. hinc*. p.97.

Ritus particulares non ſolvunt vinculum ſocietatis. 15. p.98.
De ritibus Sinenſium non licet tractare ſine licentia S.Sedis. 24 p.172.
Thurificatione Deo cultus exhibetur. 9.pag. 96.
Thurificantur Altaria, Reliquiæ, Populus, &c. ſemper cum reſpectu ad Deum. 10.ibi.
Ritus particulares non ſervantur, contradicente Romano Pontifice. 15.p.98.

Roma

Ethnica dicebatur Babylon. 9.v.*conantur*. pag. 28.
S.Petrus Romam revertitur anno 1. Neronis. 18.p.250.
Roma ſemper durabit. 20.p.273.
Romæ Petrus mortuus eſt. 21.ibi.

S

Sacerdos

TEnetur communicare ſub utraque ſpecie. 29.p.43.
Sine juriſdictione, pro foro interno, non abſolvit validè. 1.p.345.
Suſpenſus, vel excommunicatus valide, ſed illicitè conſecrat. 2.ibi.& 10.p.348.
Sacerdos excommunicatus denuntiatus non poteſt abſolvere à peccatis. 10.p.371.
Propter hæreſim amittit juriſdictionem. 10.p. 28.
Non omnes Fideles ſunt Sacerdotes. 13.pag. 29.
Nullus eſt Sacerdos, niſi debitè ordinatus. 14. ibi.
Sacerdos recipit poteſtatem in Corpus Chriſti verum, & in Corpus Chriſti Myſticum. 65. p.399.
Sacerdos offerens ſacrificium eſt publicus Miniſter Eccleſiæ. 11.p.432.
Sacerdotes Legis Veteris cuſtodes Gazophylacii. 29.*v.hinc*. p.158.
Nullus eſt Sacerdos niſi in forma Eccleſiæ ordinatus. 14.p.29.
In ſtatu Legis naturæ primogeniti erant Sacerdotes. 8.p.292.

Sacramenta.

A malis Miniſtris validè conferuntur. 10.pag. 74.
Non poteſt Eccleſia mutare materias, & formas Sacramentorum. 70.p.401.
Fuit in Statu legis naturæ Sacramentum ad delendum peccatum Originale. 87.p.613.
Opinio in materia Sacramentorum exponens periculo nullitatis, non eſt practicè probabilis. 11.p.412.
Cur Sacramenta alia in ſtatu legis gratiæ? 93. p.615.
Non omnibus licet Sacramenta adminiſtrare. 13.p.29.

Salus.

Judæi, & Gentiles ſalvabantur per fidem in Meſſiam venturum. 85.p.613.
Tempore Legis Scriptæ præputiati ſalvari poterant. 87.ibi.
Extra Eccleſiam Romano Catholicam non eſt. 3.p.49.
Non quivis in ſua ſecta ſalvatur. 11.p.52.

Sanguis.

Præceptum de abſtinentia à ſanguine, cur impoſitum? Actor. 15.42.p.180.
Præceptum fuit ad tempus. ibi.v.*poſteà*, & 47. p.181.
Gentiles mordebant Chriſtianos, quaſi ſanguinem biberent. 48.p.182.

Schiſma, Schiſmatici.

Qui ſint materialiter ſolùm ſchiſmatici. 31.p. 57.
Schiſma eſt ſeparatio à capite Eccleſiæ. 1.pag. 92.
Aliquando conjungitur cum hæreſi. 2.ibi.
Schiſmatici Formales non ſunt membra Eccleſiæ. 6.p.94.
Schiſmatici eſtò fidem habeant, non ſunt membra Eccleſiæ ex defectu obedientiæ ad caput, & unitatem cum membris. 14.p.97.
Non retinent effectum externum charitatis. 23. p.100.
Schiſmatici proſunt Eccleſiæ: & cur? v.*Schiſmatici*. p.1.
Schiſma Antiochenum inter Meletium, & Paulinum. 33.p.103.
Occaſio Schiſmatis tempore Urbani VI.31.pag. 548.
Concilia coacta ab Eccleſia tempore Schiſmatis propter Pontifices dubios, non poſſunt agere niſi pro illius extinctione. 51.p.506.
Schiſma non rumpit ſucceſſionem Pontificum. 13.p.9.
Non eſt interrupta ſub tempore Concilii Piſani. 43.p.551.

Scotus.

Ejus exequiæ per contemptum ab hæreticis celebratæ. 1.p.58.
Scotiſtarum ſententia de diſtinctione virtutis infuſæ ab acquiſita. 10.p.89.

Scriptura.

Scriptor lib.2.Machab. non petit veniam de erratis. 66.p.611.
Verba ab Ethnicis uſurpata à Spiritu Sancto in Scriptura dictata. 68.ibi.
De probatione Scripturæ per Eccleſiam, & è contra. 69.ad 71.ibi.
Textus Matth.18. *Si oculus tuus*, &c.favet Pontifici. 47.*v.quòd*. p.505.
Ejuſdem ibi: *Ubi ſunt duo*, &c.non infert Concilia

cilia non eſſe à Papa confirmanda. 28. ad 30. p.531.
Illud Deuteronomii: *non addetis ad verbum*, &c. non urget adversùs Traditiones divinas. 20. p.113.
In ipſa implicitè, aut explicitè continetur quidquid eſt neceſſarium ad ſalutem. 26. pag. 116.
Scriptura eſt utilis ad obtinendam ſalutem. 31. p.117.
Scriptura non eſt Judex controverſiarum. 3.p. 121.
Locutio figurata Scripturæ non eſt accipienda ad litteram. 6.p.123.
Textus Scripturæ, *littera occidit*, ponderatur. 6.p.123.& 7.p.124.
Scriptura *per ſe* non inducit in errorem. 8.pag. 125.
Cur ſit obſcura? ibi.
Eſt norma non adæquata dirimendi controverſias. 18.p.128.& 25.p.130.
Textus *ſcrutamini Scripturas*, exponitur. 18. ibi.& 19.p.129.
Scriptura eſt obſcura. 21.p.129.
Claritas Scripturæ pendet à propoſitione Eccleſiæ. 22.p 130.
Negans Scripturam eſt hæreticus. 35.p.133.
Omne verbum Scripturæ eſt objectum fidei. 23. p.155.
Senſus textus Scripturæ: *nihil ultra imponere vobis*. 50.p.182.
Et alterius: *Tu es Petrus*, &c. 3.p.213. & 4.ibi.
Et illius. *Si peccaverit in te frater tuus*, &c.41. & 42.p.228.& 106.p.568.
Scriptura oſtendit Paulum in poteſtate Petro inferiorem. 10.p.233.
Textus Lucæ: *Et tu aliquando converſus*, &c. 11.p.259.
Textus Lucæ. *Reges gentium dominantur eorum*, &c.19.p.337.
Et alter Joannis. *Mitte gladium tuum in vaginam.* 20.v.*R.at*. p.338.
Et alter Matthæi. *Vulpes foveas habent*. 25.pag. 338.
Et alter Joannis: *Regnum meum non eſt de hoc Mundo*. 23.ibi.
Et alter: *Quis me conſtituit Judicem?* 26.p.339.
Et alter Matth.27. *tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam*. 83.p.405.
Verba Scripturæ ſemper accipienda ſunt in obvio, & proprio ſenſu, niſi veritati repugnet. 22.v.*R*.p.447.
Eſt Papa in fallibilis in diſcernendo ſenſu Scripturæ. 14. p.445.
Senſus textus *dedit quoſdam Apoſtolos.4. ad Epheſ.* 15.p.207.
Alterius Iſaiæ 59. *Spiritus meus*, &c. 14.p.142.
Alterius Joannis epiſt.1.*cap.2. Non neceſſe habetis*, &c.15.ibi.
Scripturam eſſe auctenticam quid importet. 15. p.152.
Textus Joan.14. *Quodcumque petieritis*, &c.33. p.602.
Scriptura ex Auguſtino demonſtrat Eccleſiam. 39.p.604.
Cùm ex Scriptura quæſtio definiri non poteſt, recurritur ad Traditiones, vel definitionem Eccleſiæ. v.*ad* 2.p.606.
Quo ſenſu Eccleſia det veritatem Scripturæ? 59.p.609.
Scriptura eſt ſemper vox Dei, quando ab Eccleſia proponitur. 61.p.610.
Scriptura fuit à Spiritu Sancto dictante ſenſum, & verba. 62. ibi.
De modo, quo dictaverit. v. *R*.ibi.
Cur non omnes libri ſint unius Styli? 6.5.pag. 611.

Secta. Sectarii

In ſua ſecta non omnes ſalvari poſſunt. 1.p.48.
Diſcurſus Sectariorum pro juſtificanda doctrina Lutheri, & Calvini palmariter rejectus. 8. p.26.
Urgentur diſcurſu Auguſtini adversùs Donatiſtas. 13.p.52.
Non tutò currunt, ſed per circulum agitantur. 9.p.139.
Eccleſia Catholica non dicit collectionem omnium Sectarum. 5.p.50.

Sedes Apoſtolica

Eſt centrum unitatis. 12.*v. hinc*. p.9.
Ad eam ſpectat deciſio quæſtionum in materia Religionis. 18.p.113.
Ipſius judicium circa Traditiones. 36.p.118.
Unde dicta Apoſtolica? 40. v. *dicitur*. p.242. & 62.p.310.
Non poteſt Romà amoveri. 7.p.268.
Ejus vacantia non interrumpit ſucceſſionem Pontificum. 60.p.309.
Ipſa fundavit omnes Eccleſias. 11.p.348.
Ipſa vacante, eſt Eccleſia unita Pontifici in præparatione animi. 9.p.38.
Non poteſt in fide deficere. 30.p.457.
A nemine judicatur. 2.p.320.& 6.p.321.
Non moritur, Papa defuncto. 92.p.564.

Senſus

Litteralis Scripturæ, grammaticalis, & Theologicus. 9.p.125.
Theologicus, proprius, & Metaphoricus. 10. ibi.
Senſus Scripturæ eſt intelligentia verborum. 11. p.126.
Senſus Scripturæ quadruplex. 12. ibi.
A ſenſu compoſito ad diviſum non tenet illatio. 1.v. *Profectò*. p.409.
Senſus Auctoris duplex, internus; & externus. 13.p.444.
Senſus obvius, & nativus eſt, quem verba exhibent.

bent. 22.v.*Ideò*. p.447.& 16. v. *Innocentius*. p.471.
Senſus Scripturæ à Papa definitus fuit ſemper de fide. 36.p.603.

Sententia

Melchiadis in cauſa Cæciliani fuit ultima. 37. p.162.
Poſſunt diverſæ ſententiæ propugnari, ſalva unitate fidei. 27.p.44.
Sententia Summi Paſtoris reverenter ſuſcipienda eſt. 5.p.425.
Utraque de adventu Chriſti, Adamo non peccante, probabilis. 54.p.538.

Silentium

Honorii Papæ cujus generis? 23.p.297.& 43.p. 304.& 34.p.477.
Silentium Janſeniſticum fovet hæreſim. 8.pag. 469.
Eſt reprobatum à D.Auguſtino. 19.p.472.
Silentium à Pio II. ſuper controverſia de Sanguine Chriſti non favet Janſeniſtis. 35. pag. 478.
Neque impoſitum ab Innoc.II. circa ſenſum formulæ Alex.VII.36.ibi.
Vide v. Janſeniſtæ.

Spiritus Privatus

Acatholicorum non eſt Judex controverſiarum 2.p.135.
Eo ſpiritu admiſſo, aditus patet ad hæreſes. 3. ibi.
Aſſerto hoc ſpiritu, Deus malè conſuluiſſet Eccleſiæ. 5.p.137.
Plures Eccleſias conſtituit. 7.p.138.
Non eſt regula infallibilis. 26.p.145.

Spiritus Sanctus

Aſſiſtit Eccleſiæ, ne erret. 24.p.145.
Procedit à Patre, & Filio. 15.p.40.
Ejus auxilium appellatur unctio à D.Auguſtino. 16.p.142.
Photius primò dixit non procedere à Filio. 18. p.528.
Macedonius negavit procedere à Patre. 15.p. 40.
Spiritus Sanctus ſuggerit Papæ veritatem. 46. v.*cùm*.p.535.
Patres in Conciliis poſſunt habere, & non habere directionem Spiritus Sancti. 30.p.531.

Symbolum.

Additio, *Filioque* facta ſymbolo non eſt oppoſita fidei. 14.p.40.
Symbolum Apoſtolorum fuit perfectum. 18.p. 41.
Ad Pontificem ſpectat Symbolum ordinare. 17. ibi.
Sunt Symbolo interdictæ additiones contrariæ fidei. 18.ibi.
Ex Symbolo poteſt probari Eccleſia. 72.pag. 612.

Synagoga

Quo ſenſu à Regibus fuerit reformata? 12.v.& p.29.
Ad quam duo Regna ſpectabant. 17.v. *Advertendum*. p.31.
Majores promiſſiones habet Eccleſia Catholica, quàm habuerit Synagoga. 18.p.31.
Expiravit in morte Chriſti. 14.p.218.
Dedit locum Eccleſiæ Chriſtianæ. 4.p.573.
Synagoga in ratione Synagogæ, non in ratione Eccleſiæ defecit. 91.p.614.
In ea fuit ſucceſſio Pontificum. 8.p.293.

Synodus.

Acta Sextæ Synodi fuerunt corrupta. 30.pag. 299.
Romana Eccleſia non approbavit Acta Sextæ Synodi quoad damnationem Honorii, repetita in ſeptima. 33.p.301.
In Epheſina quæ additiones Symbolo prohibitæ? 17.p.41.
Vide v. Concilium generale.

T

Templa

DEo, non Sanctis eriguntur, in memoriam Sanctorum. 13.p.97.
Ad ſacrificandum Deo eriguntur. 9.p.361.
Cur nominibus Sanctorum nonnulla nuncupentur. 13.p.97.
Appellari ſolent, *Oratoria*, *martyria*, aut *memoria*, ſeù *Baſilica*, & *Eccleſia*. 9.p.361.

Theologia, Theologi

Hæretici calumniis impetunt Theologiam. 1. p.58.
Theologia quid, & quotuplex? 2.p.59.
Theologia Scholaſtica eſt utilis Eccleſiæ. 4.pag. 60.
Theologia utitur philoſophia. 5.ibi.
Et Dialectica ei prodeſt. 7.8.& 9.p.61.
Theologia poſitiva ſine ſcholaſtica Theologo non ſufficit. 12.p.62.
Theologi adhibentur in examine doctrinarum. 14.v.*quam*. p.63.

In hæreticis non eſt Theologia. 29.p.69.
Officia Theologiæ circa fidem. 13.p.63.
Partes Theologorum in Conciliis. 20.pag. 577.
Theologia Scholaſtica, & Poſitiva non differunt eſſentialiter. 2.v.*quare*. p.59.
Uſus Philoſophiæ commendatus ab Auguſtino. 6.v.*hinc*. p.60.
Elogium Theologiæ ex Auguſtino; ejuſque maxima utilitas circa fidem. 13.p.62.
Docentes Theologiam ſatisfaciunt Concilio Tridentino præcipienti lectionem S.Scripturæ. 14.p.63.

Traditio

Eſt doctrina, quæ atteſtatione innoteſcit. 2.p. 107.
Divina eſt doctrina fidei, & morum non ſcripta in libris canonicis, &c.3.ibi.
Apoſtolica eſt doctrina circa ritus, &c.4. ibi.
Eccleſiaſtica eſt, quæ ab auctoritate Eccleſiæ prodiit 5.p.108.
Traditiones aliæ perpetuæ, aliæ temporales.39. p.120.
Aliæ univerſales, aliæ particulares. 40.ibi.
Traditiones divinæ ſunt altera fidei regula, vel norma. 8.p.108.
Traditiones divinæ ſunt fide divina credendæ. 16.p.112.
Traditio divina non eſt *præter id*, quod evangelizaverat Paulus. 23.p.115.
Traditiones Phariſaicæ à Chriſto reprehenduntur. 24.ibi.
Aliæ traduntur in forma præcepti, & aliȩ per modum conſilii. 41.p.120.
Traditione conſtat Pontificem eſse infallibilem in definiendo, etiam extra Concilia. 8. ver. *Quòd*. p.458.
De veritate Traditionum conſtat per judicium Sedis Apoſtolicæ. 37.p.584.
Teſtes divinarum Traditionum ſunt Patres.33. p.583.

Tribus.

In illa Levi tria genera perſonarum diſtinguebantur. 30.p.158.
Tribus Levi ad Sacra miniſteria à Deo deputata. 7.v.*R. ad hoc*. p.150.
Aaron fuit ſummus Sacerdos cum jure ſucceſſionis. 30.p.158.
Civitates refugii datæ illis de Tribu Levi. 43. p.343.

Tyrannus

Proprium commodum reſpicit. 19.p.208.
Pontifici ſunt denuntianda incommoda procedentia à Tyrannis. 40.p.343.

Verbum Dei

Scriptum, & Traditum. 5. pag.108.
Verbo Dei ab Eccleſia propoſito contravenire non licet. 25.p.115.
Omne verbum Scripturæ eſt objectum fidei. 23. p.155.
Vide v. Scriptura. Traditio.

Veritas.

Spiritus veritatis cognoſcitur, ſi Papæ, & Paſtoribus obediat. 7.p.138.
Credens veritatem in hoc principio: *Verbo Dei ab Eccleſia propoſito eſt credendum*, eſt prȩparatione animi catholicus. 25.p.43.
Veritas Myſteriorum fidei phyſicè obſcura. 30. p.146.
In verbis verum amandum eſt non verba; ex Auguſtino. 23.v.*ubi*. p.67.

Vicarius.

Audiens Vicarium Chriſti, audit Chriſtum; 51.p.183.
Papa eſt Vicarius non Petri, ſed Chriſti. 27.p. 264.
Vide v. Pontifex Romanus.

Vigilius

Quo tempore veris Pontificibus annumeretur? 30.p.288.
Reſtitit Juſtiniano Imperatori in materia trium Capitulorum. 24.p.388.
Damnat tria Capitula. 29.p.389.
Nunquam tria Capitula defendit, contra Baronium, & Spondanum. 35.p.391.

S.Vicentius Lirinenſis.

Docet Eccleſiam nova dogmata ex antiquis eruere. 37.p.603.
Quæ per ipſum ſint prophanȩ voces? 40. *v. R. negatur conſequentia*. ibi.
Qui fructus Conciliorum? 21.p.495. & 47.v.R. p.536.
Ipſius monitum circa legendos SS.Patres. 44. p.585.

Unitas

Eccleſiȩ triplex, Fidei, Charitatis, & Obedientiȩ. 2.p.92.
Schiſma deſtruit unitatem membrorum inter ſe, & cum capite Eccleſiȩ. 7.p.95.
Unitas Eccleſiȩ ex obedientia ad Romanum Pontificem attenditur. 15.p.98.
Centrum unitatis eſt in Cathedra Romana. 16 p.98. & 9.p.322. & 12.p.349.

Unitas Eccleſiæ non ſervatur, niſi ſit obedientia ad Romanum Pontificem. 18.p.99.
Unitas fidei ex unitate Paſtoris. 6 p.574.

Vox. Vocabulum. Nomen.

Nomen *perſona*, vox *conſubſtantialis*, in Scriptura expreſsè non ſunt. 13.p.109.
Eccleſia poteſt vocibus novis uti ad cavillationes hæreticorum præcavendas. 40.p.605.
Sæpe ex inopia vocabulorum non poſsunt aliqua ex una in aliam linguam traſferri. 21.p.154.
Vocabula non debent eſse ab Eccleſia reprobata. 23.v. *uti* p.67.
Vox *Uſia* ſubſtantiam, & vox *homouſion*, conſubſtantialem ſignificant. 10.p.293. & 40.p. 605.
Malitia hæreticorum non poteſt invertere ſenſum legitimum, qui uſu vocibus ineſt. 12. p.294.
Verbis ab Inſtitutoribus data eſt ſignificatio. 12.p.470.

Concluſio Operis, & laboris.

Quibus parum, vel, quibus nimium hoc Opus eſt, mihi ignoſcant; quibus autem ſatis eſt, non mihi, ſed Deo mecum gratias congratulantes agant; ut D. Auguſtinus ſuos concludit Libros de Civitate Dei.

F I N I S.

Erra-

Erratorum, & Emendationum Mantiſſa.

Pudet tot Opus Chalcographiæ erratis læſum, non piget tamen veritatis amaſios rogare, ut appoſitam ab Auctore (in remotis agente) *emendationem recipiant. Reliquas Operis quiſquilias ipſi detergant, ut communis ſit ſenſus, & abſit cenſura.*

Pagina	Columna	Linea.	Purgamenta		Correctio.
Pag.14.	2	18	& aliæ	adde	(excepta Maronitica)
15	2	24	falluntur	lege	fallunt
36	1	20	correctione	l.	Collectione
82	2	9	quia	l.	quin
89	2	45	ſupernaturale	adde	concurrens
114	2	25	impedit	l.	quid impedit
123	2	3	tota	l.	jota
141	2	7	ibi	l.	ſibi
150	2	6	conſtitueret	l.	moneret
153	2	28	accerſit	l.	acceſſit
174	2	16	ſtatute	l.	ſtatuta
179	2	3	Speculo	l.	Specula
180	2	6	aliquo	l.	nullo
183	2	22	poſſit	l.	poteſt
188	2	23	ſolus	l.	ſolius
189	1	34	Launtium	l.	Launojum
192	2	26	&	l.	ex
237	1	44	nomentum	l.	momentum
261	1	8	reprobatos	l.	reprobatus
268	2	17	*Firmium*	l.	*Sirmium*
277	1	20	dicta	tolle	.....
288	2	ult.	*viſibilis*	l.	*riſibilis*
298	1	27	quòd	l.	non quòd
Ibi		38	duos	l.	duas
299	2	3	eum	adde	non
Ibi		47	longè	adde	priùs
300	2	25	Judęa	l.	Judex
305	2	27	egere	l.	*agere*
Ibi		ult.	&	l.	ex
313	2	22	actibus	l.	artibus
319	2	20	cęteri	l.	cętui
359	2	31	diuturnitatem	l.	Divinitatem
364	2	43	Cheam	l.	Cham
365	1	2	totum	l.	jocum
369	1	15	utcumque	l.	utrumque
371	2	42	XI	l.	II.
379	1	40	alium	l.	aliam
396	2	9	utraque	l.	utramque
408	2	35	condemandi	l.	condemnandi
439	1	36	ablegarentur	l.	allegarentur
451	2	41	Ad	l.	At
465	2	24	obrupto	l.	abrupto
470	2	24	&	l.	ſed &
483	1	13	converti	l.	convictos
490	2	38	Innocentio	l.	Joanne
509	2	22	Deus	adde	in adultis,
513	2	30	violenentia	l.	violentia
530	2	24	ſed	l.	ſeù

Erratorum, & emendationum Mantiſſa.

Pagina	Columna	Linea.	Purgamenta		Correctio.
544	1	40	deanitio	l.	definitio
539	[illegible]	1	tolerant	adde	(non apertè falſa)
556	[illegible]	29	præ	l.	de
578	1	41	minore	l.	minori
581	1	19	aſtitit	l.	aſiſtit
582	2	26	Lizano	l.	Lirano
599	1	10	primos	l.	primas
605	2	à n.40. ad 56.	addendi ſunt numeri marginales, prout ſunt in ſummario.		
606	2	35	remittimus	l.	remittimur
607	2	11	non	tolle	……

Digitized by Google

Digitized by Google